B. 134.II

Digitized by Google

Digitized by Google

# DE ORDINIS SACRAMENTO DECISIONES

*AUCTORE*

# JOANNE CLERICATO PRÆPOSITO PATAVINO

Juris Utriuſque Doctore, olim in Curia Epiſcopali Patavina Advocato, & Promotore Fiſcali, deindè Auditore, ac demùm Vicario Generali.

*IN QUIBUS*

*Ex ſtudio, & Reſponſis Cleri Patavini ad Caſus de eodem Ordinis Sacramento per eum propoſitos Anno 1693.*

Explicatur tota Doctrina, Materiam, Formam, ac Effectum Sacrarum Ordinationum, earumque Miniſtros, Ritus, Perſonas ordinandas, eorum officia, ac obligationes concernens: Unà cum Quæſtionibus difficillimis per Theologos, & Canoniſtas invectis; quæ Summorum Pontificum Epiſtolis, Conciliorum decretis, Ritualium antiquorum teſtimonio, Hiſtoriis, ac eruditionibus multis elucidantur, præcipuè circa Græcorum Ordinationes.

OPUS

Utile, ac jucundum Pontificibus, Abbatibus, Canonicis, Examinatoribus, Parochis, Confeſſariis Sæcularibus, & Regularibus, Clericiſque omnibus initiandis, ac initiatis; aliiſque Studioſis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, gradus, & excellentiam ejus ſcire cupientibus.

VENETIIS, M.DCCV.
Apud Andream Poleti, Sub Signo Italiæ.
*SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.*

Digitized by Google

Digitized by Google

*Reverendiſſimis, ac Religioſiſſimis Præſulibus Caſinenſibus*

D. JOANNI BARPO ABBATI SS. NAZARII, & CELSI VERONÆ,

D. JOSEPHO MARIÆ BARBERIO ABBATI S. MARIÆ PRATALEÆ,

D. ALOYSIO SYLVATICO ABBATI S. JUSTINÆ PADUÆ,

D. CLETO CASPIO ABBATI S. GEORGII MAJORIS VENETIARUM,

D. ANASTASIO GONZATO ABBATI S. FELICIS VICENTIÆ

*Joannes Clericatus Præpoſitus*

*FAUSTA AUSPICIA.*

PLuribus adigor cauſis ( REVERENDISSIMI, ac RELIGIOSISSIMI PRÆSULES) Veſtris offerre conſpectibus, Veſtriſque decorare Nominibus has DE SACRAMENTO ORDINIS DECISIONES. Prima autem, ac præcipua eſt obſequium, ac devotio mei



Digitized by Google

ipſius tùm erga Sacras Baſilicas Monaſteriorum Veſtrorum, tùm versùs eorumdem Monaſticam Diſciplinam, ac Veſtrùm omnium præclaras, & egregias Virtutes. Siquidem corda omnium ad ſe trahunt Templa Caſinenſis Congregationis Veſtræ, quæ ornatu, ſumptuque maximo conſtructa, non ſolùm cœteris nobilitate, ac amplitudine antecellunt; ſed etiam Sacris SANCTORUM Corporibus, ac Lipſanis reperiuntur copioſiſſimè ditata. In hac enim Patavina S. JUSTINÆ Baſilica (ut ab ea, quæ nomen indicit toti Congregationi Veſtræ, incipiam) præter Sacrum ejuſdem Virginis, ac Martyris S. JUSTINÆ Corpus, illud S. Proſdocimi, Principis Apoſtolorum Diſcipuli, primìque Paduæ Epiſcopi, ac Patroni; nec non illud S. Lucæ Evangeliſtæ adorantur; præter Corpora S. Maximi Epiſcopi, S. Juliani Confeſſoris, S. Felicitatis Virginis, S. Urii, & S. Arnaldi Abbatis; quibus adduntur Reliquiæ S. Matthiæ Apoſtoli, ac Oſſa plurium SS. Innocentium. In pulcherrimo autem S. GEORGII Majoris Venetiarum Templo tot Corpora Sanctorum cenſentur requieſcere, quot Sydera videntur in Firmamento deambulare: nam in ipſo non ſolùm S. GEORGII Martyris Titularis Cranium, Brachium, & Manum, nec non S. Jacobi minoris Apoſtoli Cinciput, aliaque Sacra Oſſa aſſervatis; ſed etiam Corpora glorioſiſſimi Prothomartyris STEPHANI, cum uno ex lapidibus, quibus fuit à Judæis impetitus, SS. Martyrum Coſmæ, & Damiani; S. Pauli Conſtantinopolitani ob cultum SS Imaginum ſub Conſtantino Copronimo paſſi (& hoc Sacrum Pignus uſque huc eſt incorruptum) S. Euſtichii, vulgò Euſtachii Patriarchæ Conſtantinopolitani, qui obiit anno 586. &

S. Coſmæ

S. Coſmæ Eremitæ Cretenſis. Extant ulteriùs in eodem magnifico Templo Oſſa SS. Martyrum Timothei Epiſcopi, ( Divi Pauli Apoſtoli alumni ) Theodori, Platonis, ac Felicis Presbyteri: necnon S. Placidi, & Sociorum ejus, diſcipuli glorioſi Patriarchæ Veſtri BENEDICTI; ultrà SS. Pantaleonis, Zenonis, Scriptoris, Floriani, ac SS. puerorum Innocentium Corpora. His accedunt Brachium, & Manus S. Luciæ Virginis, & Martyris; Os S. Barbaræ pariter Virginis, & Martyris; Brachium S. Hilarionis Abbatis; Mentum S. Mariæ Ægyptiacæ; Os S. Roſaliæ Virginis Panormitanæ; præter adorabile LIGNUM S. CRUCIS Redemptoris Noſtri, ac SPINAM unam ejus CORONÆ, SPONGIÆQue partem, ac VESTIS Beatiſſimæ Virginis MARIÆ ejus MATRIS; atque ejuſdem S. Patriarchæ Veſtri BENEDICTI OS, è quo Manna profluxit. Venerantur inſuper Reliquia S. Gerardi Sagredi Epiſcopi, & Martyris; pars VESTIS S. Caroli Borromei, cineres S. Nicolai, ac aliorum Sanctorum, quorum nomina etſi vetuſtate hìc periére, tamen ſcripta ſunt in Libro Vitæ.

Plura quoque forent recenſenda Sanctorum depoſita in Sacris aliis Veſtris Delubris, tùm Veronæ, ubi non tantùm SS. Nazarii, & Celſi Martyrum; ſed etiam S. Blaſii Epiſcopi, ac Martyris Corpus requieſcit, tùm Vicentiæ, ubi Corpora SS. Felicis, & Fortunati Martyrum, quinque SS. Innocentium, nec non SS. Martyrum Floriani, Gaudentiæ, Neophytæ, & Innocentiæ venerantur; niſi antiquorum Monachorum pietas, ingruentibus bellis, cætera occuluiſſet, ne à Barbaris diſcerperentur; nam, ut celebris Veſter Chroniſta ſcripſit: *Sanctorum Corpori-*

*Cavatius in Hiſt. S. Juſtinæ lib. 6. Ann. 1502.*

*bus*

Digitized by Google

*bus commune eſt , ut in aliquo Templo jaceant , ſed ſingularis locus ignoretur . Ita accidit Ticini Auguſtino , Ambroſio Mediolani , Hieronymo Romæ , ut in Eccleſia certò ſciatur quieſcere , locus neſciatur*. Hæc igitur auguſta Templa, tot Divorum Sacra Buſta hoſpitantia, ſicut à quocunque fideli venerationem exigunt, ita devotionem meam ſemper excitarunt, & excitant, ut eadem intimo colerem obſequio, & in hujus teſtimonium Deciſiones has REVERENDISSIMIS DD. VV. dedicarem.

At Suppetias quoque ad ſic obſequendum porrigit Monaſtica Diſciplina, quam in iiſdem Cœnobiis Veſtris vigere, ac florere ſemper obſervavi. In ipſis tot nobiles Juvenes, mundi perteſi, ſedem ſibi extra mundum, BENEDICTINUM Ordinem Veſtrum ingreſſi, ſtatuerunt; & in eodem Angelicam puritatem, Evangelicam obedientiam, ac Apoſtolicam paupertatem omni nixu colentes, à Prælatorum nutu, juxta CASINENSIUM Conſtitutionum normam, fideliter pendent; atque in admirationem, ac venerationem ad ſe ipſos omnium corda trahunt. Hi humilitatem in pectore ſervant, & ſilentium in ore: nam nemo loquitur, niſi ſibi; nemo alium audit, niſi ſeipſum: alloquuntur tamen ſimul omnes in Choro, dum Eccleſiaſticâ Pſalmodiâ, more Angelorum, DIUINAM MAJESTATEM, diu, noctuque collaudant, juxta illud:

*Noctes, atque dies ſacris concentibus auras*
*Implent addicti Sacris, vitæque quieti.*

Taliſque, ac tanta eſt promptitudo, aſſiduitaſque Monachorum Veſtrorum in DEO Laudando, ut verè prælibent immortalitatem ante mortem, & vivant Vitam olim futuram; id agentes in terris,

ris, quod in Cœlis ſunt ſemper acturi. Quis hanc inclytorum DIVI BENEDICTI Filiorum Sanctitatem non obſequeretur,

*Qui Vitæ rimantur iter melioris, & alta*
*Mente DEI Legem, noctesque, dieſque revolvunt?*

Nec ſub ſilentio involvenda eorumdem Litteraria exercitia, Philoſophiæ ſcilicèt, Theologiæ, ac Sacrorum Canonum Studia, quorum meipſum Teſtem allego, qui, longa Annorum ſerie, Monachos à Reverendiſſimis ABBATIBUS S. Juſtinæ, ac S. Mariæ Prataleæ pro tempore exiſtentibus, ad excipiendas Laicorum Sacramentales Confeſſiones, & ad Curam animarum in Beneficiis de Menſa eorumdem Monaſteriorum deputatos, Auditor Epiſcopalis, ac Vicarius Generalis cum exiſterem, rigorosè examinavi; Eoſque ſemper reperi, non tantùm Epiſcopalem approbationem, quam à me petebant, promereri; ſed Paſtoralem etiam Inſulam, ob ſingularem Ipſorum Scientiam, Prudentiam, ac Doctrinam. Porrò ſtupendum non eſt; in VOBIS enim PRÆSULIBUS omnes Virtutes eminenter reſident; cumque *Filius Sapiens ſit doctrina Patris*; & in Filiis Sapientibus excellentia Patrum repræſentetur juxta illud, *Effigies probitatis Paternæ Filius*; egregiæ Veſtræ Virtutum dotes tranſcendunt in Filios, qui Vos ut Superiores timent, ut Patres amant, ac tanquam Magiſtros imitantur.

Prov. 13. 1

Cicer. lib. 2 de Finib.

Hinc Vos, RELIGIOSISSIMI ANTISTITES, morem geritis omnibus, ut melliflué omnium mores regatis; & talis eſt Veſtrorum diſpenſatio Regiminum, qualis Divus Gregorius requirebat, ut ſcilicèt arridentes timeamini, & irati odio non ſitis. VOS enim nec nimia lætitia viles reddit, nec immoderata ſeveritas odioſos.

ſos.

ſos. Miſcetis lenitatem ſeveritati, ne multâ duritie exulcerentur ſubditi; neque nimiâ benignitate ſolvantur. Tantâ diſcretione Monaſteria Veſtra dirigitis, ut in eis degentes Vos ipſos tanquam Virtutum cultores diligant, tanquam vitiorum ultores expaveant. Superioritatem, non aſperitatem exercetis, & ſic BENEDICTINO ORDINI præeſtis, ut poſſetis Illum inſtituere, niſi inſtitutum inveniſſetis. His omnibus excelſis meritis Eccleſiarum, Præſidum, ac Subditorum CASINATUM innititur præcipua harum Deciſionum oblationis cauſa; quia his omnibus nutritur, & alitur conſtans erga Venerabiles DOMINATIONES VESTRAS, Veſtroſque Monachos, ac Baſilicas, cultus, devotio, ac reverentia mea.

Porrò & aliæ duæ oblationis hujus concurrunt non levis ponderis cauſæ; quarum Una provenit ab Ampliſſimis, & quidem Regiis Bibliophylaciis Monaſteriorum Veſtrorum; Altera à Poteſtate Abbatum conferendi Primam Tonſuram, ac Minores Ordines, de quą latè diſſeritur in his Deciſionibus. Hæ dicandæ erant REVERENDISSIMIS DOMINATIONIBUS VESTRIS reſpectu illarum eruditionum, quas mihi datum fuit ab Humanitate Veſtra ſeligere tùm ex ditiſſima Monaſterii S. Georgii Venetiarum Bibliotheca, (cujus Libri numero, ac pulchritudine ſuperare videntur librorum depoſitoria Eumenis Regis Pergami, ac Ptolomæi Regis Ægypti;) tùm ex noviſſima S. Juſtinæ de Padua utique Amalthea antiquorum, ac recentium Auctorum copioſiſſima, circa quam (ut aliàs dixi) per plures annos inſudarunt plurimi, ac excellentes Fabri Lignarii, pluteos ex lignis pretioſſimis

*In meis Deciſion. de Extr. Unct. Deciſ. 71. nu. 25. & De Sacr. Ord. Deciſ. 31. nu. 22.*

ſiſſimis ex Hollandia eductis, Librorumque receptacula affabrè cum Columnis, & Chocleis erigentes; egregiam hanc Bibliothecam navantibus, dirigentibus, ac perficientibus VOBIS REVERENDISSIMO ABBATE BARPO, eo tempore Monaſterii S. Juſtinæ Moderatore, tanti Operis Inventore, atque conſtructore; REVERENDISSIMOQUE ABBATE SYLVATICO in regimine ejuſdem Monaſterii Succeſſore; quem delectat, juxta magnitudinem Cordis ſui, & ſapientiam Nobilium Patavinorum Comitum de SYLVATICIS ejus Avorum, ex omni Europæ parte Codices cujuſcunque Scientiæ peremere; atque in eadem Bibliotheca, membranis politiſſimis ornatos reponere. Cum itaque ex utroque Bibliophylacio Veneto, ac Patavo plura, quæ antiquitatem collationis Ordinum, eorumque Materias, Formas, ac Miniſtros concernunt, delegerim, Juris, ac Juſtitiæ erat, Has Deciſiones VOBIS humiliter offerre; ut ſicut flumina, quæ è mari exeunt, ad mare revertuntur; ſic ipſæ, quæ ornatum ex eruditionibus Bibliothecarum Veſtrarum receperunt, in iiſdem requieſcerent.

Poteſtas tandem Tonſurandi, & ad Minores Ordines promovendi Veſtros Monachos, ac Subditos, ac iiſdem Dimiſſorias ad Ordines ſuſcipiendos concedendi, quæ ex Apoſtolicis antiquiſſimis Privilegiis ad VOS ſpectat, eamdem requirebat Deciſionum harum Dedicationem VOBIS fieri, ut ea, quæ Theologi, ac Canoniſtæ ſparſim diſputant de Auctoritate Abbatum circa eamdem collationem Ordinum, & Dimiſſoriarum conceſſionem, hìc cum reperiantur in unum collecta, VESTRO favorabili intuitu approbarentur, ac VESTRORUM

b NO-

NOMINUM Splendore magis ſplendeſcerent, atque radiarent.

VOS igitur RELIGIOSISSIMI PRÆSULES, qui excellentiam Nobilis Veſtri Generis omnium ſuſtentatis Virtutum concurſu, & Quorum tanta eſt Paſtoralis ſollicitudo in Veſtrorum Monaſteriorum Regimine, tanta in negotiis pertractandis Prudentia, tanta in Juribus Veſtris tuendis Fortitudo; tantaque erga omnes Benignitas, & Humanitas, hilari vultu Deciſiones Has, etſi Donum tenue, excipite; Obſequium verò meum pergrande, conſtans, & intimum, quo illas REVERENDISSIMIS DOMINATIONIBUS VESTRIS devotiſſimè exhibeo, generoſa Animorum Veſtrorum dilectione proſequimini.

Digitized by Google

# AUCTOR
## Ad Ven.
# CLERUM PATAVINUM,
## Ac
# STUDIOSOS LECTORES.

MIrari Vos, mihi videmini, quod per integrum annum, & ultrà tardaverit Polletanum Prælum has DE SACRAMENTO ORDINIS Deciſiones eniti; poſtquam ultimas de EXTREMA UNCTIONE ediderat. At ex hoc fulcimentum recipiet opinio illa Philoſophorum, quod decimotertio, vel etiam decimoquarto Menſe intra materna viſcera fœtus vivens detineri poteſt, antequam lucis hujus uſura potiatur, vel ob occulta naturæ impedimenta, vel ob incognitas difficultates, de quibus Narbona in tract. de Ætate Ann. 1.q.6.num.75. Hoc idem admittendum eſt circa præſentis Operis partum; quod quidem naſci debebat ab hinc ſex ante Menſes; & nihilominùs vel ob multiplices Thematum tricas, quas magis, ac magis oportuit reſolvere, vel ob alterius concurſum libri in Typographiam, quod gemelliparum, quaſi Latona Apollinem, & Dianam, hunc, & illum, etſi tardiùs, parere voluit, impoſſibile fuit, præſentes Deciſiones optatâ ſollicitudine editas videre. Nihilominùs, Deo adjuvante, en Veſtris benignis exhibentur deſideriis completæ; & in eis legendis, expectationem Veſtram ſpero non defraudatam, tùm ob Quæſtionum circa Materias, Formas, ac Miniſtros Ordinum exactam diſquiſitionem; tùm ob Ritus Orientalis Eccleſiæ diverſos, tùm etiam ob curioſas Hiſtorias, ac frequentes eruditiones inſertas, ex Sanctis Patribus, & antiquis Auctoribus, non abſque magno labore, collectas. Conſueta igitur Humanitate Veſtrâ Deciſiones has ſuſcipite; & alias de Sacramento Matrimonii, conſimilibus eruditionibus, atque Hiſtoriis exornatas, attendite.

# NOI REFORMATORI
## Dello Studio di Padova.

HAvendo veduto per la Fede di reviſione, & approbatione del P. F. Vincenzo Maria Mazzoleni Inquiſitore nel Libro intitolato: *Deciſiones de Sacramento Ordinis Jo: Clericati J. U. D. Præpoſiti Patavini &c.* non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, & parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro; niente contro Prencipi, & buoni coſtumi, concedemo Licenza ad Andrea Poletti Stampatore, che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gl'ordini in materia di Stampe, & preſentando le ſolite copie alle Publiche Librarie di Venetia, & di Padova.

Dat. 11. Maggio 1705.

Ferigo Marcello Proc. Reff.

Marin Zorzi Reff.

*Agoſtino Gadaldini Seg.*

I N-

# INDEX
# ARGUMENTORUM DECISIONUM.

## DECISIO I.

### *ARGUMENTUM.*

Nomen *Ordo*, & Verbum *Ordino* plura ſignificans, oſtenditur quid propriè denotent in præſenti materia de Sacramento Ordinis? Plures probationes de Exiſtentia Ordinum majorum, ac minorum in primitiva Eccleſia. Error Calvini, ac Lutheri eoſdem Ordines negantium. Quomodo omnes Chriſtiani dicantur eſſe Sacerdotes à Divo Petro, & à S. Joanne?

## DECISIO II.

### *ARGUMENTUM.*

Examinatur celebris Quæſtio, An Ordo ſit verè, & propriè Sacramentum? Præmittuntur tria. 1. Differentia inter Ordinationem in fieri, & Ordinem in facto eſſe. 2. Quod Apoſtoli, & Evangeliſtæ non ſcripſerunt omnia facta à Chriſto, ſed plura voce tantùm tradiderunt, undè provenere Apoſtolicæ Traditiones. 3. Quod Eccleſia Romana eſt earum fidelis cuſtos. Reſolvitur propoſita Quæſtio Affirmativè, & probatur, Ordinem eſſe verum Sacramentum rationibus, Conciliis, & Sanctorum Patrum teſtimoniis. Cur degradati Sacerdotes, ſi celebrent, validè conſecrent? Exempla Presbyterorum degradatorum.

## DECISIO III.

### *ARGUMENTUM.*

Agitur de numero Ordinum, & recenſentur quinque opiniones diverſæ de eodem numero. Canoniſtæ tenent Ordines eſſe novem. Scotiſtæ eos eſſe octo. Thomiſtæ, ſeptem. Græci, quinque. Hæretici, eſſe tres. Horum omnium fundamenta referuntur. Quarta, & Quinta opinio refutatur. Tertia amplectitur, & concordatur cum ſecunda. Prima, quæ vult etiam primam Tonſuram eſſe Ordinem, remanet ſub diſſidio.

## DECISIO IV.

### *ARGUMENTUM.*

Diſputatur, An valida ſit Ordinatio per ſaltum, ſuſcipiendo ſcili-

ſcilicèt Ordines ſuperiores omiſſis inferioribus ? Diſtinguitur circa conſecrationem Epiſcopi, qui invalidè conſecratur omiſſo Sacerdotio; & circa Ordinationem Presbyteri, qui validè, ſed illicitè ordinatur, ſi alios Ordines omittat. Exempla, Rationes, & Auctoritates, quæ videntur ſuffragari promotioni ad Ordines per ſaltum. Earum reſolutio. An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum promotis per ſaltum? Variæ DD. opiniones, quæ fœdere diſtinctionis concordantur.

## DECISIO V.

*ARGUMENTUM.*

Traduntur tres definitiones Sacramenti Ordinis, quarum Tertia, quæ eſt Scotiſtarum declaratur, & ex ea demonſtrantur quinque genera cauſarum, quæ in Sacra Ordinatione concurrunt; Inſtrumentalis, Formalis, Materialis, Efficiens, & Finalis. Hæc ultima eſt Gratia, idoneos faciens Clericos pro Altaris miniſterio. Signa viſibilia ejuſdem Gratiæ ſuper aliquos Sanctos, dum promoverentur ſeu ad Ordines, ſeu ad Epiſcopatum. Prodigium Sanguinis S. Joannis Baptiſtæ ebullientis in Phiala poſita ſuper Ara, in qua Miſſa celebratur.

## DECISIO VI.

*ARGUMENTUM.*

Diſcutitur Quæſitum; An ſinguli Ordines ſint Sacramentum? Propoſitis quindecim argumentis pro negativa, referuntur quatuor opiniones Doctorum. Prima aſſerit, ſolum Sacerdotalem Ordinem eſſe Sacramentum. Secunda, quòd ſoli tres Sacri, non autem quatuor Minores. Tertia, quòd Sacramenta ſunt ſinguli ſeptem, ac etiam Epiſcopatus. Quarta, quòd & tres Majores, & quatuor Minores tantùm ſunt Sacramenta. Amplectitur hæc Quarta opinio, & redditur ratio, ob quam ſinguli ſeptem Ordines habent veram rationem Sacramenti. Reſpondetur XV. argumentis contrariis, & oſtenditur, etſi omnes Ordines ſint Sacramenta, tamen non facere ſeptem, ſed unum Sacramentum. Eruditiones plures de Uſu omnium ſeptem Ordinum in primitiva Eccleſia.

## DECISIO VII.

*ARGUMENTUM.*

Oſtenditur, Materias, & Formas Ordinum eſſe à Chriſto Domino inſtitutas. Examinatur ardua illa Quæſtio, Cur Græci conferant Ordines Sacros ſine porrectione materiæ tangendæ ab ordinato; ſed ſo-

la ma-

la manuum impoſitione? Rationes, & auctoritates pro infallibilitate Concilii Florentini, Eugenii Papæ Quarti, & ipſius Eccleſiæ Romanæ, præcipuè circa materias, & formas Sacramentorum. Duplici dicendi modo conciliatur diſcrepantia Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ circa collationem Ordinum.

DECISIO VIII.

ARGUMENTUM.

Diſputatur, An in collatione Ordinum materia ſit tangenda Tactu Phyſico, vel ſufficiat Tactus Moralis? Præmittitur elegans narratio quinque ſenſuum exteriorum hominis, & eorumdem utilitas, ac excellentia. Indè oſtenditur, ſenſum Tactus ob præſtantiam Manus humanæ præcellere in multis, præſertim ex dignitate Sacerdotali, quam Homo acquirit tactu materiæ in Ordine Sacro. Reſolvitur Quæſtio pro Tactu Phyſico, Ratione, Auctoritate DD. & Tutiori opinione, quæ in confectione Sacramentorum ſemper eſt amplectenda.

DECISIO IX.

ARGUMENTUM.

Inquiritur, An Materia ſit tangenda per ordinandum nuda manu? vel ſufficiat, ſi veſtita Chirothecis? velo, aut ſudariolo cooperta, ſeu impedita? Eruditiones nonnullæ de Chirothecis. Dubii reſolutio; prout etiam declaratio de tempore, quo materia eſt tangenda? Et an in parte, vel tota? An utraque manu? Et an ſit exhibenda ab ipſomet Epiſcopo ordinante?

DECISIO X.

ARGUMENTUM.

Agitur de Tonſura Eccleſiaſtica, de ejus Myſtica Significatione, Antiquitate, Speciebus, & forma. Clericalem Tonſuram conſiſtere in abſciſſione omnium capillorum, & in deferenda Clerica, ſeu Corona in ſummitate capitis oſtenditur, ac probatur Conciliis, Decretis Pontificiis, Hiſtoriis, Exemplis Sanctorum, ac pluribus non injucundis eruditionibus.

DECISIO XI.

ARGUMENTUM.

Proponitur famoſa Controverſia inter Theologos, & Canoniſtas agitata quadringentis ab hinc annis, Utrùm Tonſura ſit Ordo, & imprimat charaÑcterem? Referuntur breviter, ſed clarè argumenta utriuſque Scholæ variis eruditionibus ornata. Diſſidium relinquitur indeciſum, quando non placeat

Car-

Cardinalis Bellarmini concordatio.

DECISIO XII.

*ARGUMENTUM.*

Inquiritur ad Quem proprio jure ſpectet conferre primam Tonſuram, & Ordines? Oſtenditur pertinere ad Epiſcopum, & quæ requirantur in Epiſcopo, ut conferat Ordines validè, & licitè? An Epiſcopi Schiſmatici, vel cenſuris irretiti validè ordinent? Quid, ſi ſint notorii, ſed non denunciati? Quæſtio difficilis circa Conſtitutionem Martini V. de permiſſa converſatione cum Excommunicatis non denunciatis. Formoſi Papæ Hiſtoria. Auxilii Scriptoris antiqui in ejus defenſam Libelli duo. De fraudibus ordinandorum in variando de uno ad alium Epiſcopum. Antidotum Bullæ Innocentii XII. contra prædictas fraudes.

DECISIO XIII.

*ARGUMENTUM.*

Quæſtio illa proponitur, & examinatur, Utrùm SS. Angeli, ac Animæ beatæ poſſint miniſtrare Sacramenta, ac proindè primam Tonſuram, & Ordines conferre? Præmittuntur ſeptem ſymboleitates Angelorum cum Sacerdotibus, & ſeptem genera rerum, quas illi cuſtodiunt. Fiunt argumenta pro utràque opinione propoſitæ Quæſtionis. Eadem ſub diſtinctione reſolvitur, & pluribus Hiſtoriis Sacris exornatur.

DECISIO XIV.

*ARGUMENTUM.*

Demonſtratur, ſimplices Presbyteros poſſe conferre primam Tonſuram, ac minores Ordines, ſed è ſolius Papæ commiſſione, prout ex antiqua praxi Eccleſiæ, & ex nova conceſſione per Alexandrum VIII. facta Primicerio Sancti Marci Venetiarum. Difficilia argumenta in contrarium proponuntur, & evacuantur. Agitur de Chorepiſcopis? Quinam eſſent? Quando introducti? Quandiù ſervati? Cur, & quando extincti? Quo jure ipſi Ordinarent Clericos?

DECISIO XV.

*ARGUMENTUM.*

Agitur de poteſtate Abbatum circa collationem Tonſuræ, & minorum Ordinum. Præmiſſis variis eruditionibus ad intelligentiam materiæ, oſtenditur Quinam Abbates conferant Ordines, & Quibus? An etiam Novitiis? An extraneis venientibus cum dimiſſoriis ſuorum Epiſcoporum? Referuntur variæ Declarationes S. Congregationis,

Digitized by Google

nis, & opiniones Doctorum. Utrùm exteri ordinentur ab Abbatibus non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè? Abbates habentes Territorium ſeparatum cum omnimoda Juriſdictione Epiſcopali an poſſint dare dimiſſorias ad Ordines etiam ſuis ſubditis ſæcularibus? Privilegium Primicerii Sancti Marci Venetiarum pro conferenda prima Tonſura, & quatuor minoribus Ordinibus.

DECISIO XVI.

*ARGUMENTUM.*

Proponuntur, & reſolvuntur quatuor curioſa dubia. Primò: An ex commiſſione Papæ poſſint Clerici non Presbyteri conferre Tonſuram, & Ordines minores? Secundò: An Presbyteri ex eadem Papali delegatione poſſint conferre Subdiaconatum? Tertiò: An etiam Diaconatum? Quartò: An & Presbyteratum? Dantur non inutiles obſervationes legales præcipuè circa famigeratum Privilegium Innocentii VIII. ad Abbates Ciſtercienſes pro collatione Sacrorum Ordinum.

DECISIO XVII.

*ARGUMENTUM.*

Præmiſſa narratione Oſtiariorum Templi Salomonici in Lege Hebraica, oſtenditur exiſtentia Ordinis Oſtiariatus in Lege nova ab initio Eccleſiæ, eumque eſſe Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. Declaratur ejus Materia, & Forma, quæ ſemper eadem fuit, prout ex variis antiquiſſimis Ritualibus ante Milleſimum Annum conſcriptis. Recenſentur Oſtiariorum Officia, inter quæ duo præcipua. Unum, quod non permittant, populum adhærere Altaribus, in quibus celebratur Miſſa. Alterum, quod non ſinant, pauperes deambulare per Eccleſiam, eleemoſynam petentes tempore Sacrificii, vel Orationis.

DECISIO XVIII.

*ARGUMENTUM.*

Propoſita, & diſcuſſa Quæſtione, Quare Græci non conferant Ordinem Oſtiariatus, neque Exorciſtatus, neque Acolythatus? Et relatis doctiſſimis argumentis tàm pro, quàm contra eorum omiſſionem; agitur de Ordine Lectoratus, & oſtenditur, quæ ſit ejus Materia, & Forma? & quæ ejus officia tàm apud Latinos, quàm apud Græcos. Eruditiones multæ de Libris Hebræorum antiquis tùm Realibus, tùm Metaphoricis; ideſt de Libro Vitæ, de Libro finalis Judicii, & Mortis. Exempla plura SS. Lectorum.

DECISIO XIX.

*ARGUMENTUM.*

Ad Exorciſtatus Ordinis explanationem oſtenditur: I. Dari verè Energumenos, adductis, examinatis, ac rejectis opinionibus DD. illos negantium. II. Quomodò Dæmones ſtent in corporibus humanis? & an Angeli boni poſſint ſtare in ipſis? III. Quæ, & quot ſint ſigna ad cognoſcendos veros dæmoniacos? IV. Quas ob cauſas Deus permittat, homines à diabolo obſideri? V. An Dæmones remediis naturalibus poſſint expelli? VI. Probatur, Ordinem Exorciſtatus ſemper fuiſſe in Eccleſia: & quæ ſit ejus Materia, Forma, & Officium? VII. Antiquitùs duplex erat Adjuratio dæmonum, Solemnis, & Privata. VIII. Quatuor curioſa dubia; neceſſaria ſcitu omnibus Exorciſtis, atque monita octo declarantur.

DECISIO XX.

*ARGUMENTUM.*

Agitur de Acolythorum Ordine, Etymologia, Materia, Forma, ac Miniſteriis. Et quoniam Acolythi fuerunt figurati in candelabris aureis, in Tabernaculo per Moyſem, & in Templo per Salomonem poſitis, diſſeritur de pluribus circa eadem candelabra. Cur Hebræi non adhiberent in Sacrificiis candelas cereas; hæ autem ſint in uſu in Eccleſia Catholica? Obſervationes XIV. circa miniſteria Acolythorum. Corollaria duo. An peccent mortaliter Acolythi, qui ſerviunt ſolemniter in peccato? Et an Ordines minores conferri poſſint extra Miſſam? Quomodo, & quando in Miſſa?

DECISIO XXI.

*ARGUMENTUM.*

Nominis Subdiaconi ſignificatione expoſita, tria de Ordine Subdiaconatus probantur. I. Ejus exiſtentia in primitiva Eccleſia. II. Ejus inſtitutio facta à Chriſto Domino, ob quam eſt Sacramentum. III. Ejuſdem Ordinis Subdiaconatus denominatio, & reputatio inter Majores, & Sacros ob tres præcipuas cauſas. Varia objecta proponuntur, ac evacuantur circa prædictam denominationem; & quid de Subdiaconatu Græci ſentiant? demonſtratur.

DECISIO XXII.

*ARGUMENTUM.*

Inquiritur, Quænam ſit Materia, & Forma Ordinationis Subdiaconorum? Recenſentur quinque diverſæ opiniones, & fundamenta, quibus unaquæque earum innititur. Firmantur

duæ Reſolutiones, una certa, alia diſputabilis circa eamdem Materiam, & Formam Subdiaconatus. Eruditiones plures circa Veſtes Sacras, Manipulum, & Librum Epiſtolarum. Et an Calix cum Patena tangendus à Subdiacono in ordinatione, debeat eſſe conſecratus?

DECISIO XXIII.

*ARGUMENTUM.*

Traduntur Ritus, quibus Subdiaconi Græci ordinantur. Eruditiones plurimæ de antiquitate, ac legitimitate Apoſtolicarum Conſtitutionum. De multiplici Manuum impoſitione, ac Templorum partibus. De variis Græcorum Veſtibus, & Indumentis ſacris, & de eorum diſcrimine cum illis Latinorum. Tandem quod Subdiaconi Græci exercent etiam officia Oſtiariorum, & Acolythorum.

DECISIO XXIV.

*ARGUMENTUM.*

Recenſentur omnia Officia ad Subdiaconum Latinum, tàm de Jure antiquo, quàm de Jure novo pertinentia. Eadem diſcutiuntur, & eruditionibus exornantur: præcipuè circa antiquas fidelium Oblationes in Miſſa: Ablutionem Corporalium, cum Pallis, & Purificatoriis: Epiſtolæ decantationem: Patenæ etymon, materiam, & uſum: atque Crucis in Proceſsionibus delationem. Tandem deciditur, An peccet mortaliter Subdiaconus officia ſua exercens mortali culpa gravatus?

DECISIO XXV.

*ARGUMENTUM.*

Cum duæ ſint Subdiaconorum principales obligationes, Recitatio Divini Officii, atque obſervantia Caſtitatis, de prima agitur in hac, & in ſequenti Deciſione. Explicatur quid ſit Divinum Officium? Modus illud recitandi, & Quot nominibus vocetur? Plura curioſa, ſed utilia dubia de eo reſolvuntur: præſertim, An Officii recitatio ſit de Jure Divino, vel de Jure humano? Quando hæc cœperit in Eccleſia? Breviarium à Quibus ſit compoſitum, ac reformatum? Ad illud tenentur Beneficiati, Profeſſi, Moniales, & Ordine Sacro initiati. Sed an hi omnes extra Chorum ſub mortali?

DECISIO XXVI.

*ARGUMENTUM.*

Examinatur difficilis illa Quæſtio: Qua lege ordinati in Sacris obligati ſint, ratione Ordinis, recitare quotidiè Breviarium? Referun-

feruntur quatuor opiniones. Prima, quæ refutatur ut falſa, quod nulla ſit lex, & nulla obligatio. Secunda, quod hæc lex ſit Juris Canonici. Tertia, Conſuetudinem immemorabilem, ac univerſalem eſſe legem conſtituentem hoc onus. Hæc eſt communior: ideò prædicta Conſuetudo probatur Hiſtoriis, Exemplis, ac Decretis per XVII. decurſa ſæcula. Quarta opinio, quæ magis arridet, quod ex Apoſtolorum præcepto, non ſcripto, ſed traditione apud omnes invecto, Ordo Sacer obliget ad Breviarium. Tandem recenſentur, ac declarantur quatuor cauſæ ab hoc debito eximentes, Impotentia, Charitas, Metus, atque Diſpenſatio.

DECISIO XXVII.

*ARGUMENTUM.*

De Caſtitate, ad quam obligantur Subdiaconi, & alii Miniſtri Sacri, tractat præſens Deciſio. Diſputatur, An hæc obligatio ſit de Jure Divino? vel de Jure Eccleſiaſtico? Inquiritur initium ejuſdem obligationis, & oſtenditur incœpiſſe ab Apoſtolis. Probatur ejus jugis obſervantia decretis Conciliorum, & Summorum Pontificum; dictis Sanctorum Patrum, atque Exemplis, de ſæculo in ſæculum collectis. Pſeudoſynodi Quiniſextæ refertur Canon, cujus vigore Græci ordinati in ſacris utuntur uxoribus. Recenſentur Nuptiæ Sacrilegæ Lutheri, & Carolſtadii. Diſcutitur, An prædicta obligatio inſit Voto ordinati, vel Præcepto Eccleſiæ? Et quibus in caſibus Subdiaconi non teneantur ſervare Caſtitatem?

DECISIO XXVIII.

*ARGUMENTUM.*

Ne Clerici Seculares in Sacris cogantur cum dedecore Ordinis mendicare, ordinari non debent ex Jure Canonico antiquo, medio, ac noviſſimo, niſi habeant, undè honeſtè vivere poſſint. Contrarium effutierunt Marſilius Paduanus, Joannes Wicleff Anglus, & Martinus Lutherus Hæreſiarchæ ab Eccleſia damnati. Explicantur tres Tituli pro initiandis Clericis Ordinibus Sacris, ſcilicèt Beneficium, Penſio, ac Patrimonium; nec non pro Regularibus titulus Profeſſionis Religioſæ. Circa eoſdem omnes Titulos recenſentur requiſita neceſſaria, & plurimæ Quæſtiones ſcitu dignæ, ac perpulchræ examinantur, & reſolvuntur.

DECISIO XXIX.

*ARGUMENTMU.*

Suppoſita incontrovertibili exiſtentia Ordinis Diaconatus, & quod ipſe ſit Sacramentum; Inqui-

Inquiritur, Quænam ejus ſit Materia, & Forma? Referuntur Quinque opiniones diverſæ, ſed valdè eruditæ: nec non earum Auctores, ac Fundamenta, cum objectionibus, quas ſibi faciunt adinvicem. Concluditur, Materiam Diaconatus conſiſtere tùm in impoſitione manuum, tùm in traditione Libri Evangeliorum; Formam verò in Verbis, quæ in utràque Actione ab Epiſcopo proferuntur.

DECISIO XXX.

*ARGUMENTUM.*

Ut declarentur Officia, ac Miniſteria Diaconorum, hi in tria genera dividuntur, & oſtenditur, Diaconos eſſe vel Maximos, vel Majores, vel Inferiores. Primi ſunt Cardinales Diaconi S. R. E. quorum origo, numerus, & Officia explicantur, pluribus eruditionibus circa eoſdem inſertis. De majoribus Diaconis, ideſt Archidiaconis Eccleſiarum Collegiatarum agitur, & de miniſteriis ad eos de jure ſpectantibus. Pariter narrantur Officia Diaconorum inferiorum, tùm de Jure Divino, tùm ex commiſſione Eccleſiæ eis competentia. Tandem diſſeritur de Flabello, quod Diaconi Græci ex Officio tenent in manibus, ac movent ad Altare: ejuſque Myſtica ſignificatio, cum aliis curioſis Ritibus Maronitarum, exponitur.

DECISIO XXXI.

*ARGUMENTUM.*

Antiquarum Diaconiſſarum Originem, Ordinationem, Miniſteria, ac Abolitionem continet hæc Deciſio. In ea declaratur quadruplex genus Mulierum Deo dedicatarum, & ex his olim unum erant Diaconiſſæ. Referuntur Ritus, quibus ordinabantur; & inquiritur, an earum Ordinatio eſſet Sacramentum? Recenſentur earumdem Miniſteria octo; & cauſæ, ob quas receſſerunt ab Aula.

DECISIO XXXII.

*ARGUMENTUM.*

Harum Vocum *Presbyteri*, ac *Sacerdotis* ſignificatione præmiſſa, atque exiſtentia Sacerdotii, & Presbyteratus Ordinis in Eccleſia, examinatur difficilis, laborioſa, ac famoſa Quæſtio, Quænam ſit Materia, & Forma in Ordinatione Presbyterorum? Referuntur quatuor Opiniones cum ſuis fundamentis. 1. Quod ſit ſola Traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane. 2. Quod ſit ſola Manuum impoſitio, quam facit Epiſcopus unà cum Sacerdotibus Aſſiſtentibus ſuper caput Ordinandi. 3. Quod ſit & dicta Traditio Calicis, & Patenæ; ac etiam impoſitio Manuum,

nuum, quam facit ſolus Epiſcopus in fine Ordinationis. 4. Quod ultra hæc omnia etiam Unctio manuum Ordinandi cum Sacro Oleo ſit materia eſſentialis. Forma ſint Verba in prædictis omnibus actibus ab Epiſcopo prolata. Eligitur Tertia Opinio, tribus aliis rejectis. Ratio ejus fundamentalis. Exceptiones Juridicæ contra Morini Rituales antiquos non facientes mentionem de jam dicta Traditione Calicis, ac Patenæ. Auctoritas Traditionum Apoſtolicarum. Repetitio communis Theologorum doctrinæ, quod Chriſtus inſtituit in genere Materias Sacramenti Ordinis, relinquens in poteſtate Eccleſiæ, eas in ſpecie deſignare.

DECISIO XXXIII.

*ARGUMENTUM.*

Quæſtiones octo curioſæ, ſed ſcitu neceſſariæ, concernentes Materiam, & Formam Ordinis Presbyteratus, proponuntur, examinantur, & reſolvuntur in præſenti Deciſione. Deindè oſtenditur, quid poſſit, & debeat facere Semipresbyter, ideſt ille, qui poſt contactum Calicis, & Patenæ in ſua Sacerdotali Ordinatione, diſceſſit ab Eccleſia ob nimios dolores corporis, non recepta Manus Epiſcopi impoſitione cum Verbis, *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

DECISIO XXXIV.

*ARGUMENTUM.*

Sex Presbyterorum Officia recenſentur, quæ ſunt Euchariſtiam conſecrare, & Deo offerre, ac fidelibus miniſtrare. Pœnitentes ſubditos à peccatis abſolvere. Baptiſmi, ac Extremæ Unctionis Sacramenta præbere. Populum erudire in Lege Dei, ac benedicere. Ad quodcunque horum Miniſteriorum plures obſervationes utilimæ notantur; & eruditiones ſcitu dignæ, ac curioſæ traduntur.

DECISIO XXXV.

*ARGUMENTUM.*

Relatis decem cognominibus ad Epiſcopos ſpectantibus, eorumque myſticis ſignificationibus adductis, oſtenditur, Dignitatem, ac Juriſdictionem Epiſcopalem ſuper Presbyteros eſſe de Jure Divino. Referuntur verba S.Hieronymi in *cap. Olim, diſt.* 95. contrarium affirmantia: ſed ea non eſſe S. Hieronymi, ſed hæreticorum demonſtratur: ac eſto fuerint ejuſdem *Sancti*, eruditis interpretationibus ita declarantur, ut non negent, Epiſcoporum majoritatem à Chriſto emanare. Tandem circa Quæſitum, *Ubi, & quando Apoſtoli ſint à Chriſto ordinati Epiſcopi?* variæ SS. Patrum opiniones enarrantur.

DE

# Index Argumentorum Deciſionum.

DECISIO XXXVI.

*ARGUMENTUM.*

Prænotatis præcipuis Ritibus, qui adhibentur in conſecrando Epiſcopo, Quæritur, Quænam ſit Materia, & Forma Epiſcopalis Ordinationis? Referuntur octo diverſæ opiniones Doctorum cum earum fundamentis, rationibus, objectionibus, ac reſolutionibus. Quæſtio relinquitur indeciſa, & ponuntur novem Indumentorum Epiſcopalium myſticæ ſignificationes.

DECISIO XXXVII.

*ARGUMENTUM.*

Narrantur cauſæ, ob quas antiquitùs plurimi Epiſcopi intereſſebant Conſecrationi novi electi in Epiſcopum. Et quoniam nunc tres Epiſcopi interveniunt, examinatur illa difficilis Quæſtio, An hic numerus Ternarius ſit de Jure Divino, ac de neceſſitate Sacramenti? Referuntur tres opiniones, & earum fundamenta. Concluditur, eſſe de ſolemnitate, ac de Præcepto Eccleſiæ, circa quod Papa diſpenſare poteſt, prout pluries diſpenſavit. Tandem oſtenditur, Conſecrationem Epiſcopi non poſſe ſimplici Presbytero demandari.

DECISIO XXXVIII.

*ARGUMENTUM.*

Referuntur principaliora Officia Epiſcoporum, ſub tribus capitibus collecta; quatenùs alia ſunt Spiritualia, alia Paſtoralia, & alia Juriſdictionalia. Ad eadem adimplenda Epiſcopos eſſe ſtrictiſſimè obligatos ex juſtitia oſtenditur; & ex his, valdè periculoſum eſſe ſtatum Epiſcopalem, concluditur.

DECISIO XXXIX.

*ARGUMENTUM.*

Septem recenſentur Libri, quibus Eminentiſſimus S. M. Gregorius Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Patavinus pro benè adimplendis antedictis Officiis, ac pro recto Regimine Animarum ſuæ Diœceſis attentè ſtudebat. Fructus quoque uberrimi ex eorum ſtudio provenientes enunciantur.

DECISIO XL.

*ARGUMENTUM.*

De Subjecto Sacramenti Ordinis diſſeritur in hac Deciſione; quæ docet, eum eſse Virum quinque qualitatibus præditum, nempè Maſculum, baptizatum, ac confirmatum, in legitima ætate conſtitutum, bonis moribus, litteris, intentione ſerviendi

viendi Deo ornatum, atque à canonicis impedimentis, immunem. Plura curioſa dubia reſolvuntur: præcipuè An Fœminæ, ac Pueri infantes validè poſſint ordinari? Tandem recenſentur impedimenta 40. è Sacris Canonibus collecta, quorum aliquo detenti non debent ordinari.



Digitized by Google

# DE SACRAMENTO ORDINIS.

## DECISIO I.

### ARGUMENTUM.

Nomen *Ordo*, & Verbum *Ordino* plura ſignificans, Oſtenditur quid propriè denotent in præſenti materia de Sacramento Ordinis? Plures probationes de Exiſtentia Ordinum majorum, ac minorum in primitiva Eccleſia. Error Calvini, ac Lutheri eoſdem Ordines negantium. Quomodo omnes Chriſtiani dicantur eſſe Sacerdotes à Divo Petro, & à S. Joanne?

### SUMMARIUM.

1 Ordo *nomen; & Ordino Verbum plura ſignificant; & Quæ?*
2 *Chriſtus cur Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech?*
3 *Ordo ſignificat aptitudinem Clericorum ad res ſacras.*
4 *Ordo accipiendus pro ipſa Ordinatione.*
5 *Ordines majores, & minores dari in Eccleſia quomodo probetur ex Scriptura, Summis Pontificibus, & Conciliis?*
6 *Jus Canonicum oſtendit exiſtentiam Ordinum majorum, & minorum.*
7 *Rationis congruitas eamdem probat exiſtentiam.*
8 *Salomonis miniſtrorum gradus plurimi.*
9 *S. Anthimus priùs minores, deinde majores ordines ſuſcepit.*
10 *S. Ambroſius eodem modo promotus.*
11 *Calvini error in negandis minoribus ordinibus.*
12 *S. Caii Papæ anno 283. decretum circa minores, ac majores ordines.*
13 *Antonius Foreſti Soc. Jeſu laudatus.*
14 *Ordinatio omnis in Eccleſia eſt à Chriſto.*
15 *Chriſtiani omnes quomodo vocentur Sacerdotes à S. Petro, & S. Joanne?*
16 *Eccleſia Catholica regitur tùm Scripturis Sacris, tùm Traditionibus Apoſtolicis.*
17 *Sacerdotes, ac Reges myſticè ſunt omnes Chriſtiani, non propriè.*
18 *Lutheri error, quòd omnes baptizati ſint veri Sacerdotes.*
19 *Anathema eſt negare exiſtentiam ordinum minorum, & majorum in Eccleſia.*

PRoſequendo ſtudioſas Exercitationes, in quibus non ſine magna animi delectatione, ac majori cum profectu Clerus Patavinus ſub ſanctæ memoriæ Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi D.D. Gregorii Barbadici ejus Epiſcopi Regimine, annò 1692. detineba-



Digitized by Google

tur, propoſui, tanquam Vicarius Generalis, ac horum ſtudiorum depoſitarius, & director, quæſita, & caſus Sacramentum Ordinis concernentes; Et quidem.

1. Quid ſignificet hoc nomen Ordo?
2. An dentur Ordines in Eccleſia majores, ac minores?

1 Ad Primum Studioſi noſtri reſponderunt; quòd ſicut verbum *Ordino* eſt æquivocum ad multa; ita hoc nomen *Ordo* plura ſolet ſignificare. Nam Verbum prædictum *Ordino* primò ſonat præcipio, & ideò ait Judith Holoferni de Judæis, *ordinant, ut interficiant pecora ſua, & bibant ſanguinem eorum Judith.* 11. 11. ut famem, & ſitim expleant, ob defectum panis, & aquæ in ea obſidione. Secundò ordinare indicat diſponere cum aliqua forma, vel figura; & in hoc ſenſu dixit Deus Ezechieli: *Sume tibi laterem, & deſcribes in eo Civitatem Jeruſalem, & ordinabis adverſus eam obſidionem. Ezech.* 4. 1. quod allegoricè etiam intelligitur de Eccleſia, dum de ea dicitur *Cant.6. 3. Terribilis ut caſtrorum acies ordinata*, ideſt diſpoſita. Tertiò ſumitur, ut idem ſit, ac conſtituere in aliquo gradu, vel ſuperioritate, in quo ſenſu ait Apoſtolus *ad Rom.* 13.1. *Non eſt enim poteſtas niſi à Deo: quæ autem ſunt, à Deo ordinata ſunt:* videlicèt qui ſuperiores noſtri exiſtunt, tales cenſentur à Deo conſtituti. Igitur pari modo nomen hoc *Ordo* habet & ipſum plures acceptiones, interdum enim accipitur pro debita, & convenienti rerum diſpoſitione; in quo ſenſu ſcripſit Ariſtoteles 12. *Metaph. tex.* 52. *ordinem in univerſo eſſe*. Et S. Auguſtinus *lib.*19. *de Civit. Dei cap.* 13. *ordo eſt parium, impariumque unicuique ſua loca tribuens congrua diſpoſitio*. Aliquando ſignificat ſtatum, ſeu conditionem pluribus communem; ut de ſtatu nobili, vel plebejo, Senatorio, vel Equeſtri; vel Magiſtrali, vel Advocantium, vel Judicantium, & ſimilium; ut latiùs demonſtrat Joannes Morinus *de Sacris Ordinat. part.* 3. *cap.* 2. *num.* 2. Aliquando autem præſefert gradum, dignitatem, & Excellentiam; & juxta hunc ſenſum
dicitur de Chriſto in Pſal. 109. *Tu es Sa-* 2
*cerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*, hoc eſt juxta Excellentiam Sacerdotalis ejus dignitatis, qua offerebat in Sacrificio panem, & vinum; & Doctor gentium protulit *ad Hebr.* 7. Chriſtum *non eſſe ſecundùm ordinem Aaron*, videlicèt non ſecundùm gradum, & dignitatem Aaronicam, quæ animalia ſacrificabat. At, prætermiſſis his ſen-
ſibus, ac ſignificationibus, Nomen *Or-* 3
*do* in præſenti materia ſignificat poteſtatem Clericorum, ac eorum aptitudinem in Eccleſia Dei ad res ſacras, ac divinas peragendas; ut benè advertit Cotonius *Controverſ. celebr. lib.* 3. *controv.*1. *cap.*1. *num.*3. & doctiſſimus Maſtrius *in* 4. *ſent. diſp.*4. *num.*1. ubi notabiliter advertit, quòd in hoc ſenſu nomen
*Ordo* debet accipi pro *Ordinatione* ipſa, 4
activè, & paſſivè ſumpta, quæ eſt cauſativa illius poteſtatis, & aptitudinis, quam recipiunt clerici, dum certo ritu conſecrantur, & fiunt habiles ad conficiendas, & exercendas actiones Sacras; principaliter quidem ad perficiendum Euchariſtiæ Sacramentum, & ſacrificium; conſequenter verò ad peragenda alia ſacra miniſteria ad illud idem conferentia. Concordat Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *ſent. tom.*3. *diſp.* 4. Quæ eſt de Sacramento Ordinis, *art.* 1. *num.* 3. ſubdens, quòd impropriè Sacramentum Ordinis vocatur *Ordo*; propriè autem debet vocari *Ordinatio*; quia per ordinationem confertur gradus ille, qui verè eſt gradus: ſed uſus obtinuit, ut dicatur Ordo, vel quia per ipſum datur gradus, ideſt ſpiritualis poteſtas, & aptitudo, de qua ſupra; vel quia hoc nomine Ordinis intelligitur ipſa ordinatio; idcircò Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *can.* 3. ad omnem ambiguitatem tollendam utrumque verbum adjecit, *Ordinem, ſivè Sacram Ordinationem*.

Quo ad ſecundum; in quo quæritur, 5
An dentur ordines majores, & minores, ideſt diverſi gradus ſpiritualis poteſtatis in Eccleſia? Omnes affirmativè reſponderunt, idque conſtare demonſtra-

ſtrarunt. Primò ex Scriptura Sacra, in qua manifeſta mentio habetur de ordinationibus factis per Apoſtolos; videlicèt *Act.* 6. ubi ſeptem Diaconos ordinarunt. Item *Act.* 13.3. *Tunc jejunantes, & orantes, imponenteſque eis manus dimiſerunt illos*. Hoc eſt Saulum, & Barnabam; quos conſecrarunt Epiſcopos, ut ex Sanctis Patribus probat ibidem Tirinus. Item *Act.* 14. 22. ibi: *Et cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros*. Item *Actor.* 20.20. ibi: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Item 1. *ad Thim.* 4.14. ibi: *Noli negligere gratiam, quæ in te eſt, quæ data eſt tibi per Prophetiam cum impoſitione manuum Presbyterii*. Item *ad Epheſ.* 4. 11. ibi: *Et ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Evangeliſtas, alios autem Paſtores, & Doctores &c.* ex quibus omnibus locis deducitur ab Apoſtolis alios eſſe ordinatos in minoribus, alios in majoribus ordinibus. Secundò ex S. Clemente Papa I. *lib.* 3. *Conſtit. Apoſtol. cap.*11. & *lib.*8. *cap.*17. 18. 21.22. 26. & 27. ubi fit mentio de ordinibus, quos confert Eccleſia; nec non ex Summis Pontificibus Cajo *in Epiſt. Decret.* Zepherino *Epiſt.*2. Syricio *Epiſt.*4. Gregorio Magno *lib.* 2. *ex regiſt. Epiſt.* 47. & ex Zoſimo *Epiſt.*1. *cap.*3. A quibus omnium eorumdem ordinum fit mentio. Tertiò ex pluribus Conciliis, in quibus pariter de omnibus ordinibus ſermo habetur; præcipuè ex Romano primo ſub S. Sylveſtro Papa, qui tempus aſſignat unicuique promoto tàm in quatuor minoribus, quàm in tribus ſacris majoribus ordinibus, antequàm aſcendat de uno ad alterum, ut legitur in primo tomo Conciliorum *pag. mihi* 593. *col.* 1. & in aliis Conciliis de quibus Cabaſſutius *Ad Sæcul.* 2. *Diſſert.*9. *num.* 1. & præcipuè Laodicen. *can.* 24. Arelat. 3. *cap.* 3. Toletano 8. *cap.* 6. Carthaginenſi 4. *cap.* 3. 4. & 5. & aliis omiſſis, Tridentino *ſeſſ.*23. *cap.* 2. ubi ita teſtatur: *Nam non ſolùm de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis Sacræ Litteræ apertam mentionem*
*faciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent; & ab ipſo Eccleſiæ initio* (notetur) *ſequentium ordinum nomina, atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicet, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur*. Quartò ex jure Canonico, prælertim *diſt.*21 *cap. Cleros:* prout etiam
*diſt.*23. *cap. Presbyter. cap. Diaconus. cap.* 6
*Subdiaconus, cum quatuor ſequentibus* deſumptis ex antedicto Concilio Carthaginenſi IV. celebrato Anno 398. in quibus de quatuor minoribus ordinibus agitur; nec non *diſt.*25. *cap. Perlectis* in quo S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus recenſet officia omnium tùm ad tres Sacros, tùm ad quatuor minores ordines promotorum. Quintò à congruitate rationis; cùm enim in Eccleſia Catholica conficiatur
Venerabile Euchariſtiæ Sacramentum, 7
ac Sacrificium; relictaque ſit à Chriſto Domino poteſtas abſolvendi à peccatis; indecens erat, vel ut omnibus Chriſtianis promiſcuè, & abſque diſcrimine hæc miniſteria Sacroſancta competerent; vel quòd ad ordinem Presbyteratus, aliis inferioribus gradibus, ſeù ordinibus omiſſis, quiſquam aſcenderet. Idcircò ad ſervandam debitam reverentiam erga Sacerdotale munus, oportuit, ut à Chriſto Domino inſtituerentur inferiores ordines, per quos tanquam per gradus clerici promoverentur ad prædictum faſtigium conſecrandi, ac ſacrificandi ſuum verum Corpus; & purificandi corpus myſticum, ideſt fideles, à peccatis, ut doctè ratiocinatur Maſtrius *d. diſp.* 4. *ſub num.*2. & Emin. Card. de Lauræa *d. art.*1. Sextò ex figura ſervo-
rum Salomonis, quorum multiplices 8
erant gradus, & miniſteria; adeò ut Regina Saba, ut habetur 3. *Reg.* 10. 5. *Videns eorum habitacula, & ordines miniſtrantium, &c. non habebat ultra ſpiritum*. Fuit autem Salomon figura Chriſti, qui de ſe ipſo ait *Luc.* 11. 31. *Ecce pluſquam Salomon hic*; & per conſequens ex multitudine eorum, qui miniſtrabant Salomoni, deducitur argumentum ad multitudinem miniſtrorum in Eccleſia



Digitized by Google

Chriſti, ut ex Vatablo, ac S. Gregorio oſtendit Cornelius à Lapide *d. lib. 3. Reg. cap.* 10. *Verſ.* 5. Septimò tandem probatur, dari in Eccleſia hanc diverſorum graduum ordinationem, & diverſos ordinum gradus exemplis Sanctorum, qui in primis ejuſdem Eccleſiæ temporibus non ex abrupto ad Sacerdotium; ſed per ordines minores tanquam per gradus aſcendebant ad majores; & per hos ad illud; ut inter cæteros refert Simeon Metaphraſtes apud Surium *tom. 2. die 27. Aprilis* de S. Anthimo Martyre, & Epiſcopo Nicomedienſi anno (ut notat Emin. Card. Baronius) 293. ſiquidem de hujus Sancti promotione ad Presbyteratum prævia ſuſceptione alio-
9 rum ordinum ita loquitur Auctor prædictus: *Evehitur ad excelſam Sedem Sacerdotii; & in Presbyterorum cathedra laudat Dominum: cum tamen non repentè ad id perveniſſet, neque ſuæ vitæ proemium feciſſet Sacerdotium, ſed* (obſervetur) *cùm ſe priùs rectè geſſiſſet in multis aliis gradibus, & in eis convenientem exercuiſſet virtutem*. S. Martinus Epiſcopus Turronenſis fuit priùs ordinatus Exorciſta Annò 360. in Urbe Cypri Salamine; & S. Paulinus Nolanus
10 Anno 420. fuit promotus ad minores ordines Barcinone ab Epiſcopo Lampio, ut ipſe teſtatur *Epiſt.* 45. & de his Sanctis, ac aliis notat Cabaſutius in *Notitia Hiſtor. Concil. ad Sæcul. II. differt. 17. num. 7. & 8.* Et præclariùs Breviarium Romanum in lectionibus de S. Ambroſio Epiſcopo, ac inſigni Eccleſiæ Doctore *die 7. Decembris*, in quibus ſic: *Ambroſius baptizatus, erat enim Cathecumenus, ſacriſque initiatus, ac ſervatis omnibus ex inſtituto Eccleſiæ ordinum gradibus, octavo die, qui fuit ſeptimo Idus Decembris, Epiſcopale onus ſuſcepit*. En graduum, ideſt Ordinum, ac Ordinationum multiplex numerus, qui ſemper fuit in Eccleſia ſervatus pro aſcenſu ad Sacerdotale munus, atque Epiſcopale onus, ut notat Gobatus in ſua Experimentali Theologia *tract. 8. de Ordine num.* 2. cujus verba hìc tranſcribere non me piget: *Antiquitùs fuit non ſolùm cognita, ſed etiam uſurpata diverſitas Sacrorum Ordinum; cùm enim S. Ambroſius fuerit in Epiſcopum unctus Anno Chriſti 374. ut probat Cardinalis Baronius in Annalibus illius anni, vel hinc oſtenditur errare Calvinum, cum lib. 4. Inſtit. cap. 19. §. 27. apud Cardinalem* 11
*Bellarminum lib. de Clericis cap. 12. ſcribit, Ordines, præcipuè minores, incognitos fuiſſe primitivæ Eccleſiæ, & multis poſtea annis excogitatos. Sanè nec ſæculo S. Ambroſii, nec eo, quo floruit S. Cyprianus, ſcilicèt circa Annum 240. excogitata eſt diverſitas Ordinum, ut videre eſt apud eundem in Epiſtolar. lib. 2. cap. 10. Ergo jam fuit nota primitivæ Eccleſiæ; ut etiam indè liquet, quod & S. Ignatius Martyr, & S. Clemens Romanus meminerint Ordinis Lectorum, Oſtiariorum, Exorciſtarum, ut leges apud Vaſquez tom. 3. in 3. p. diſp. 237. num. 20.*

Sed neque omitti debet, quod ordinavit S. Cajus Pontifex Maximus, ac Martyr, evectus ad Sedis Apoſtolicæ 12
culmen *Anno Salutis* 283. ipſe enim in Epiſtola ad Felicem Epiſcopum relata à Gratiano *in diſt. 77. cap.* 1. ita loquitur: *Illud nos ſtatuentes vobis, & omnibus ſervare mandamus, ut ad ordines Eccleſiaſticos ſic aſcendant in Eccleſia, qui ordinari merentur: id eſt, ſi quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primum Oſtiarius, deindè Lector, poſtea Exorciſta, indè ſacretur Acolythus; demùm verò Subdiaconus, deindè Diaconus, & poſtea Presbyter; & exindè, ſi meretur, Epiſcopus ordinetur*. Hinc eruditiſſimus P. Antonius Foreſti Soc. Jeſu in ſuo Mappamundo Hiſtorico *tom. 3. de Vitis Pontificum* in 13
Vita ejuſdem S. Caii Papæ ita concludit: *Viſſe S. Gaio nel Pontificato dodeci Anni, quattro meſi, e cinque dì, laſciando trà le altre ordinationi, che ſecondo l'uſo antico, e le traditioni Apoſtoliche, niuno ſalire poteſſe alla dignità Veſcovile, ſe non paſſandò per tutti li gradi de gl' ordini inferiori*. Igitur ab initio Eccleſiæ ſemper fuerunt omnes gradus ordinum, tùm minorum, tùm majorum. Delectat hìc addere etiam teſtimonium legum Imperialium; ita enim ſtatutum fuit

fuit ſub Gratiano Imperatore Anno 378. in *l. Presbyteros. 6. Cod. de Epiſc. & Cler. Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, atque Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios, & Acolythos perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus*.

Porrò hanc veritatem, quæ eſt de fide, Lutherani, & Calviniſtæ nubilare
14 conantur ſequentibus obiectis. *Primò*: Nulla danda eſt actio, dignitas, aut graduum ordinatio in Eccleſia, quæ à Chriſto Domino, Eccleſiæ fundatore non ducat originem. Sed in tota Scriptura Sacra non legitur, quòd Chriſtus Dominus inſtituerit has ordinationes, ordinumvè minorum, ac majorum gradus, & diſpoſitiones. Ergò dicendum, hos gradus ordinum non eſſe in Eccleſia. *Secundò*, Divus Petrus (inquiunt) Scribens ad omnes Chriſtianos, & baptizatos fideles, vocat eos *Genus electum, Regale Sacerdotium*. 1. *Petr.*
15 2. 9. Igitur omnes promiſcuè ſunt Sacerdotes; nec diſcernit in eis dignitatem Sacerdotalem per ordinationem, aut gradus Ordinum. *Tertiò* Divus Joannes in Apocalypſi teſtatur, audiviſſe Sanctos his verbis Chriſto Domino gratias agere canentes: *Redimiſti nos Deo in Sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione; & feciſti nos Deo noſtro Regnum, & Sacerdotes*. *Apoc.* 5. 10. Omnes itaque fideles ſunt Sacerdotes. *Quartò* idem repetit S. Joannes *Apoc.* 20. 6. ibi: *Sed erunt Sacerdotes Dei, & Chriſti*.

His tamen minimè obſtantibus remanet inconcuſſa Veritas fidei ſupra expreſſa, qua demonſtratum eſt, ex divina inſtitutione eſſe gradus plures ordinum, per quos non omnes Chriſtiani, ſed tantùm qui in ſortem Domini vocati ſunt, aſcendunt ad Sacerdotium, & fiunt apti ad exercendas functiones ſacras; uſque ad conficiendum Corpus Domini, & ad Sacrificium peragendum, ut pluribus auctoritatibus probat Gonzalez, *in Commentar. ad cap. Ex litteris. num. 2. De Clerico non ordinato miniſtrante*. Primo autem obiecto reſpondetur, quòd licèt in Scriptura Sacra non habeantur omnes ſeptem gradus ordinum, ex qua oſtendi poſſit, eos à Chriſto Domino fuiſſe inſtitutos; nihilominùs hæc inſtitutio probatur à Chriſto facta ex Apoſtolica Traditione; ſiquidem, ut teſtatur Divus Auguſtinus relatus *in cap. Catholica. diſt. 11.* & notat Emin. Card. de Lauræa *in cit.* 16
*tom. 3. diſp. 4. de Sacram. Ordinis num.* 14. Eccleſia regitur non tantùm Scripturis Sacris, ſed etiam traditionibus Apoſtolicis; ex his autem ſemper edocti fuerunt fideles, omnes gradus Ordinum fuiſſe à Chriſto inſtitutos. Secundo obiecto reſpondetur, quòd Divus Petrus vocavit fideles regale Sacerdotium, ideſt, ut explicant Interpretes Sacri, Reges, ac Sacerdotes non verè, & propriè; ſed myſticè, ac metaphoricè; quia ſcilicèt ſatagunt regere paſſiones 17
ſuas, & offerre Deo Sacrificium laudum, & virtutum, quod benè advertit Cornelius à Lapide *d. 1. Epiſt. Petri 2. 9.* his verbis: *Pari modo fideles ſunt Sacerdotes, quia Dei cultui addicti myſticas, & metaphoricas laudum, & virtutum hoſtias illi offerunt. Perperam ergo hæretici hinc colligunt, omnes Chriſtianos eſſe propriè Sacerdotes; nam tales ſunt Sacerdotes, quales & Reges (utrumque enim ait S. Petrus). Atqui Reges ſunt myſtici, & metaphorici, non veri, & proprii; ergo & tales ſunt Sacerdotes*. Tertio obiecto adaptatur eadem reſponſio, nam S. Joannes in Apocalypſi intelligit de Regno, ac Sacerdotio myſtico, non autem proprio; quapropter idem Cornelius à Lapide in Apoc. 1. 6. ita ſubdit ad illa verba: *Et Sacerdotes Deo: Offerentes ſcilicèt Deo ſpiritales Hoſtias, putà Orationes, eleemoſynas, jejunia, aliaque pia opera. Quare ineptè* 18
*Lutherus ex hoc loco contendit probare, omnes Chriſtianos eſſe propriè dictos Sacerdotes, non myſticos; ſic enim pariter deberent omnes eſſe Reges propriè dicti. Omnes ergò Dei cultores vocantur hîc Sacerdotes, ſed myſtici*. Hujuſmodi reſponſiones, ac interpretationes dederunt antiquitùs etiam Sancti Doctores Eccleſiæ Ambroſius, Auguſtinus, &

Leo

Leo Magnus; quorum verba refert Ivenim in ſuo *Comment. Hiſtor. & Dogmat. Differt.* 8. *de Sacram. Ordinis quæſt.* 2. *cap.* 2.

Quare concludendum eſt cum canone Sacri Tridentini Concilii *ſeſſ.* 23. *de Sa-*
19 *cram. Ord. can.* 2. *Si quis dixerit præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines & majores, & minores, per quos, velut per gradus quoſdam, in Sacerdotium tendatur: Anathema ſit.*

## DECISIO II.

### *ARGUMENTUM.*

Examinatur celebris Quæſtio, An Ordo ſit verè, & propriè Sacramentum? Præmittuntur tria. 1. Differentia inter Ordinationem in fieri, & Ordinem in facto eſſe. 2. Quod Apoſtoli, & Evangeliſtæ non ſcripſerunt omnia facta à Chriſto, ſed plura voce tantùm tradiderunt, undè provenere Apoſtolicæ Traditiones. 3. Quod Eccleſia Romana eſt earum fidelis cuſtos. Reſolvitur propoſita Quæſtio Affirmativè, & probatur, Ordinem eſſe verum Sacramentum rationibus, Conciliis, & Sanctorum Patrum teſtimoniis. Cur degradati Sacerdotes, ſi celebrent, validè conſecrent? Exempla Presbyterorum degradatorum.

### SUMMARIUM.

1 *Ordo an ſit verè, & propriè Sacramentum?*
2 *Ordo, & ordinatio an differant inter ſe? Et in quibus?*
3 *Ordo in facto eſſe non eſt Sacramentum.*
4 *Apoſtoli, & Evangeliſtæ nùm ſcripſerint omnia facta Chriſti?*
5 *Voce tantùm Apoſtoli docuerunt ſucceſſores ſuos plura myſteria.*
6 *Apoſtoli cur omnium Sacramentorum materiam, & formam non ſcripſerunt?*
7 *Apoſtoli voce tantùm tradiderunt inſtitutionem ordinum à Chriſto factam.*
8 *Traditio Apoſtolica quid ſit?*
9 *Traditiones Apoſtolicæ ſervandæ ſunt prout Sacra Scriptura.*
10 *Romana Eccleſia eſt cuſtos Apoſtolicarum Traditionum.*
11 *Eccleſiæ omnes tenentur ſequi doctrinam Eccleſiæ Romanæ.*
12 *S. Irenæus Martyr cur Romam venerit?*
13 *Sacramentum Eccleſiæ eſt ordinatio Clericorum.*
14 *Ordines omnes inſtituti ſunt à Chriſto.*
15 *Gratia confertur per Sacramentum Ordinis.*
16 *Manuum impoſitio apud Apoſtolos erat Sacra Ordinatio.*
17 *Actio Sacra, quæ fit cum materia, & forma irreiterabiliter eſt Sacramentum.*
18 *Concilium Florentinum anno* 1439. *declaravit Ordinem eſſe Sacramentum.*
19 *Concilium quoque Tridentinum.*
20 *Conciliorum Generalium Decreta à Summo Pontifice confirmata ſunt infallibilis veritatis.*
21 *Ordinem vocarunt Sacramentum SS. Patres primis quinque ſæculis Eccleſiæ.*
22 *Degradatus, ſi miſſam celebraret, validè conſecraret.*
23 *Degradatio clericorum etiam in primis ſæculis uſitata.*
24 *Aſianus Presbyter degradatus, quia falſa ſcripſerat de S. Paulo, & de S. Thecla.*
25 *Præpoſitus Revereti reus atrociſſimorum ſcelerum degradatus à S. Carolo Borromeo.*
26 *Ordinis poteſtas non eſt à Papa, ſed à Deo.*

Sed

SEd hæc alia inſignis Quæſtio fuit ſtu-
dioſis Cleri Patavini reſolvenda
1 propoſita, *Utrùm Ordo, ſeu Ordinatio
ſacra clericorum ſit verè, ac propriè Sa-
cramentum?* Pro cujus Quæſtionis reſo-
lutione ſtudioſiores tria præmittenda,
ac prænotanda ſcripſerunt.

Primum eſt, quòd quamvis à Sacris
Canonibus, & à Doctoribus promiſcuè
2 uſurpentur hæ duæ Voces, *Ordo, & 
Ordinatio*, nihilominùs (ut etiam ſu-
pra notatum eſt,) magna exiſtit diffe-
rentia inter illas, ſiquidem ordinatio
propriè dicitur in fieri; Ordo autem in
facto eſſe; videlicèt ordinatio eſt actio
illa, per quam clericus ordinatur, adhi-
bitis materia, & forma convenienti
cuique ordini: Ordo verò eſt poteſtas
Spiritualis, & gradus, in quo remanet
clericus poſtquam eſt ordinatus, ad
exercendas functiones ſacras eidem gra-
dui competentes; & ideo Ordinatio
conſiſtit in actione tranſeunte; Ordo
verò in gradu permanente, ut adver-
tant omnes Theologi tàm Scholaſtici,
quàm Morales, inter quos Maſtrius *in
4. d. diſp. 4. de Sacram. Ord. num.* 1.
Emin. Card. de Lauræa *d. tom. 3. de eod.
Sacram. diſp.* 4. *num.* 15. Collegium Sal-
manticenſe *tom.* 12. *de Sacram. Ord.
tract. 8. cap.* 1. *num.* 1. & Gobatus *in
Theol. experim. tract. 8. num.* 7. De Or-
dine ſumpto in facto eſſe, & tamquam
gradu permanente, atque poteſtate jam
recepta fruſtra eſſet quærere, An ipſe
3 ſit Sacramentum? cùm manifeſtè con-
ſtet, Sacramentum non eſſe gradum
ipſum, ſeu poteſtatem, ſivè ſit epiſco-
palis, ſivè Sacerdotalis, ſivè aliorum
Ordinum; undè ita ſubdit Gobatus *d.
num.* 7. *Quandò quæritur, Utrùm Or-
do ſit Sacramentum, non ſumitur nomen
Ordinis in prima illa ſignificatione; con-
ſtat enim ipſum ſtatum Sacerdotalem,
Epiſcopalem, & generatim clericalem
non eſſe Sacramentum; quandoquidem
iſte ſtatus eſt aliquid permanens; Sacra-
mentum verò eſt aliquid tranſiens, ſeu in
fieri, ut loquitur Di caſtillo de Sacram.
tract. 6. num. 60. ſicut Baptiſmus, Confir-
matio, Extrema Unctio.* Igitur quæſtio
propoſita, an Ordo ſit Sacramentum?
intelligenda venit, & examinanda de
ipſa Ordinatione Sacra, quæ fit rebus,
ac verbis, tanquam materia, & for-
ma; & per quam confertur ordo, ideſt
ſtatus, & gradus Eccleſiaſticus, cum
poteſtate ſpirituali peragendi functiones
Sacras.

Alterum præmiſſum eſt; quod non
omnia, quæ Chriſtus docuit, & inſti-
tuit, fuerunt ab Apoſtolis, & Evan- 4
geliſtis ſcripto conſignata; ſed quædam
voce ſolùm, & doctrina ad poſteros
tranſmiſerunt, ac deinceps apud alios
Patres, à quibus poſtea in Decretis Ec-
cleſiæ conſignata fuerunt, ut benè no-
tat idem Maſtrius *in cit. diſp. 4. de Sa-
cram. Ordinis num. 27. in fine.* Et hinc,
eſt, quòd in Scriptura Sacra, nec tem-
pore Apoſtolorum reperiuntur notata
nomina Subdiaconatus, nec minorum
Ordinum; neque quo ritu, quibusvè
materia, ac forma hos ordines ipſi Apo- 5
ſtoli conferrent, ſatis enim ipſis fuit vo-
ce tantùm de his omnibus docere diſci-
pulos ſuos, ac primos Eccleſiarum Pa-
ſtores, Rectoreſque animarum, eorum
immediatè Succeſſores, à quibus pari-
ter ea omnia, quæ iidem per Apoſtolos
edocti fuerant, ſubſequentibus Patri-
bus, ac Paſtoribus tradiderunt, & ab
his conſcripta, & in Epiſtolis, canoni-
bus, ſeu Conciliis commemorata ſunt.
Rationem, cur ab Apoſtolis, & Evan-
geliſtis prædicta non fuerint ſcripto tra-
dita, ex S. Dionyſio Areopagita red-
dit S. Thomas *in 4. ſent. diſt. 7. q. 1. art.
1. ad prim.* ubi de inſtitutione Sacramen-
ti Confirmationis, de quo pariter nihil
in Scriptura Sacra de ejus materia, &
forma, ita dicit: *Nec obſtat, quòd in* 6
*Evangelio, vel in Actibus Apoſtolorum
non ſit mentio de materia, vel forma hujus
Sacramenti: quia formæ Sacramentales,
& alia, quæ in Sacramentis exiguntur,
occultanda erant in primitiva Eccleſia
propter irriſiones Gentilium, ut Diony-
ſius dicit; undè etiam in fine Eccleſ. Hie-
rar. excuſat ſe à determinatione forma-
rum Sacramentalium.* Ex quibus omni-
bus deducitur, non poſſe impugnari in-
ſtitu-

Digitized by Google

ſtitutionem Sacramentorum à Chriſto Domino factam ex eo, quod Scriptura Sacra, Apoſtoli, vel Evangeliſtæ de
7 ea non loquantur, vel de materia, forma, aut ritibus, quibus Sacramenta conficiuntur; quia ob ſupradictam cauſam relatam ab Angelico Doctore oretenùs tantùm docuerunt Apoſtoli Dominicam inſtitutionem Sacramentorum, ac præcipuè ordinum majorum, & minorum Epiſcopos, & Presbyteros ſucceſſores ſuos, à quibus eadem traditio pervenit in poſteros Pontifices, ac Eccleſiarum Paſtores, ut notat etiam Fagnanus *in cap. Presbyter. num. 38. & 39. De Sacram. non iteran.* Et hæc dicitur Traditio Apoſtolica; qua regitur Eccleſia Catholica ſimul cum Scriptura
8 Sacra. *Ex diſt. 11. cap. Catholica;* & de eadem traditione ita loquitur Tirinus in Indice Controverſiarum Fidei *Controv. 2. num. 17. & 18. Solam Scripturam non complecti omnia neceſſariò credenda, & ſervanda (ut volunt hæretici) ad oculum patet. Undè præter Verbum Dei Scriptum, neceſſariò admittendum aliquod Verbum Dei non Scriptum, ſed viva voce traditum, ſeu Traditiones divinas, vel Apoſtolicas colligitur ex jam allatis exemplis.* Et paulò infra. *Et poſtquam conſcriptum eſſet Evangelium, & plures etiam Epiſtolæ ab Apoſtolis, nonnè S. Paulus 2. Theſſal. 2. 14. adhuc monet fideles,* Tenete traditiones, quas accepiſtis, ſivè per ſermonem, ſivè per Epiſtolam noſtram? *Et quodnam obſecro aliud depoſitum commendat Timotheo cuſtodiendum Paulus, ſi non,* Formam Sanorum Verborum, quæ *ex ore ejus audierat? 2. Timoth. 1. 13. Quænam oro ſunt illa* multa, *quæ Chriſtus ante mortem dicebat non poſſe* portari, modò *ab Apoſtolis, Jo. 16. 12. Sed poſt Reſurrectionem ipſos edocuit Act. 1. 3.* per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei. &c. Concordat Cornelius à Lapide *in cit. Epiſt. 2. ad Teſſalon. cap. 2. Ver. 14.* ſic ſcribens:
9 *Nota hìc locum pro traditionibus Apoſtolicis, ſcilicèt tam ea eſſe ſervanda, quæ verbo, & viva voce tradiderunt Apoſtoli, quàm quæ ſcripta in ſacris litteris reliquerunt.* Et allegat quatuor prima Concilia generalia, & plures SS. Patres hoc idem docentes.

Tertium tandem præmiſſum fuit, quòd quæcumque obſervat Eccleſia Romana vel Sacramenta, aut Ritus Sacramentorum, ea omnia habuit ex traditionibus Apoſtolicis; nam Eccleſia 10
Romana eſt cuſtos paternarum traditionum, ut ait Julius Papa primus *Epiſt. 3. cap. 35.* & Pelagius Papa Secundus *Epiſt. 5. 7. & 8.* Nec docet nova, ſed antiqua. *Cap. Præceptis diſt. 12.* Et propte- 11
rea omnes aliæ Eccleſiæ tenentur ſequi doctrinam, diſciplinam, & conſuetudines Eccleſiæ Romanæ *ex cap. Nolite, & cap. Quis neſciat. diſt. 11. cap. Non decet. diſt. 12. cap. Nulli fas ſit, & cap. Ita. diſt. 29. cap. Si decreta. diſt. 20. cap. Si quis dogmata 25 q. 2.* Quod latiùs proſequitur Emin. Card. de Lauræa *in 3. Sent. tom. 1. diſp. 7. num. 5. & 6.* ubi adducit Tertullianum hoc idem docentem *in libr. de Præſcript. adv. hær. cap. 36.* nec non in *libr. 4. contra Marcionem*, in quo hanc rationem aſſignat; quia Petrus, & Paulus Romæ ſuo ſanguine Evangelium ſignatum reliquerunt. Concordat S. Ireneus *lib. 3. cap. 2. 3. & 4.* hanc aliam rationem aſſignans; nam, inquit, in Eccleſia Romana Semper conſervatæ ſunt, quæ ab Apoſtolis habitæ ſunt traditiones; imò ipſe S. Ireneus Romam venit *Anno* 179. ut diſce- 12
ret Apoſtolicas Traditiones, prout oſtendit Emin. Card. Baronius ad d. Annum.

His ita præmiſſis, ac prænotatis, Clerus noſter reſpondit ad quæſtionem 13
propoſitam, & dixit, Sacram clericorum ordinationem eſſe verè, ac propriè Sacramentum. Hanc reſponſionem probarunt Ratione, Conciliis, ac SS. Patrum teſtimonio.

Ratio triplex fuit aſſignata. Una deſumpta à Maſtrio *in 4. Sent. d. diſp. 4. num. 22.* ubi ſic: **Omnis Sacra Ordinatio à Chriſto inſtituta eſt Sacramentum. Sed omnes ordines inſtituti ſunt à Chriſto.** Ergo habent veram, & propriam 14
eſſen-

eſſentiam Sacramenti . Minorem pro-
barunt ex Concilio Tridentino *ſeſſ. 23.
can. 6.* ubi ita : *Si quis dixerit in Eccleſia
Catholica non eſſe Hierarchiam divinæ
ordinatione inſtitutam , quæ conſtat ex
Epiſcopis , Presbyteris , & Miniſtris.
Anathema ſit .* Secunda ratio aſſignatur
15 ab Emin. Card. de Lauræa *d. tom. 3. in
4. Sent. diſp. 4. de Sacram. Ord. num.* 20.
ubi arguit ſic : Omnis actio ſacra , quæ
cauſat gratiam , eſt Sacramentum . Go-
net *tom. 5. tract. 7. de Sacram. Ord. diſp.
1. num. 1. & 2.* Sed omnis ordinatio cle-
ricorum cauſat gratiam . Ergo eſt Sacra-
mentum . Minor probatur ex verbis
Apoſtoli 1. *ad Timoth.* 4. 14. *Noli negli-
gere gratiam , quæ data eſt tibi per impo-
ſitionem manuum Presbyterii .* Et ex aliis
verbis 2. *ad eundem Timoth.* 1. 6. *Admo-
neo te , ut reſuſcites gratiam Dei , quæ
eſt in te per impoſitionem manuum mea-
rum .* Quòd autem Apoſtolus intellexe-
rit de gratia , quam Timotheus recepit,
quando fuit initiatus ordinibus ab ipſo,
adducitur ab Emin. Card. de Lauræa
auctoritas ejuſdem Concilii Tridentini
16 *d. ſeſſ. 23. cap.* 3. ita dicentis : *Cùm Scri-
pturæ teſtimonio , Apoſtolica traditione ,
& Patrum unanimi conſenſu perſpicuum
ſit , per Sacram Ordinationem , quæ ver-
bis , & ſignis exterioribus perficitur ,
gratiam conferri , dubitare nemo debet ,
Ordinem eſſe verè , & propriè unum ex
ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis ;
inquit enim Apoſtolus , admoneo te , ut
reſuſcites gratiam Dei , quæ eſt in te per
impoſitionem manuum mearum .* Tertia
ratio datur à Collegio Salmanticenſi
*d. tract. 8. de Sacram. Ord. cap. 1. num.
16. ſic :* Omnis actio ſacra , quæ confi-
citur determinata materia , & forma
17 pro adaptandis Miniſtris in viam ad Sa-
crificium , ac eſt irreiterabilis , & im-
primit in eis characterem , eſt Sacra-
mentum . Sed omnis ordinatio clerico-
rum habet ſuam propriam materiam ,
& formam ; ac per eam character im-
primitur in ordinato , eſtque irreitera-
bilis ex antiquiſſima , ac immemo-
rabili Eccleſiæ traditione , atque doctri-
na . Ergo verè , & propriè eſt Sacra-
mentum . Quòd autem omnis ordinatio
clericorum habeat ſuam propriam ma-
teriam , & formam , imprimat chara-
cterem , & non ſit reiterabilis , plenè
demonſtrabitur infra , dum de ſingulis
ordinibus ſermo habebitur in particu-
lari .

Secundò : Ordinem eſſe verum Sa-
cramentum probarunt Auctoritate Con-
ciliorum ; ſcilicet Florentini , ac Tri-
dentini . Siquidem Concilium Florenti-
num in concordia Armenorum cum
Sancta Romana Eccleſia de qua Eu-
genius Papa IV. in Conſtitut. XIX. In-
cipien. *Exultate Deo &c.* publicata Flo- 18
rentiæ in publica Seſſione Synodali *die
22. Novembris Anno* 1439. *in* §. 15. ita
declaravit : *Sextum Sacramentum eſt
Ordinis , cujus materia eſt illud , per cu-
jus traditionem confertur Ordo ; ſicut
Presbyteratus traditur per calicis cum vi-
no , & patenæ cum pane porrectionem .
Diaconatus verò per libri Evangeliorum
dationem . Subdiaconatus autem per cali-
cis vacui cum patena vacua ſuperpoſita
traditionem : & ſimiliter de aliis per re-
rum ad miniſteria ſua pertinentium aſſi-
gnationem . Forma Sacerdotii talis eſt :
Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in
Eccleſia pro vivis , & mortuis . In nomi-
ne Patris , & Filii , & Spiritus Sancti .
Et ſic de aliorum Ordinum formis prout in
Pontificali Romano latè continetur . Ordi-
narius Miniſter hujus Sacramenti eſt Epiſ-
copus . Effectus augmentum gratiæ , ut
quis ſit idoneus Miniſter .*

Concilium pariter Tridentinum in
primis *ſeſſ. 7. can. 1. de Sacramentis* ita 19
ſancivit : *Si quis dixerit , Sacramenta
novæ legis non fuiſſe omnia à Jeſu Chriſto
Domino noſtro inſtituta , aut eſſe plura ,
vel pauciora , quàm ſeptem , videlicèt
Baptiſmum , Confirmationem , Euchari-
ſtiam , Pœnitentiam , Extremam Un-
ctionem , Ordinem , & Matrimonium ;
aut etiam aliquod horum ſeptem non eſſe
verè , & propriè Sacramentum : Ana-
thema ſit .* Deindè in *ſeſſ.* 23. præter de-
ciſionem , quam fecit *in cit. cap.* 3. nem-
pè *Ordinem eſſe verè , & propriè unum
ex ſeptem Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis ,*

ſucceſſivè in *eadem ſeſſ. 23. can. 3.* ſubjunxit : *Si quis dixerit Ordinem , ſivè Sacram Ordinationem non eſſe verè ac propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum , vel eſſe figmentum quoddam humanum , excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis ; aut eſſe tantùm ritum quemdam eligendi Miniſtros Verbi Dei , & Sacramentorum : Anathema ſit*. Certum eſt autem apud omnes Catholicos, quòd decreta Conciliorum generalium à Summo Pontifice
20 convocatorum , & ab eodem confirmatorum in materia fidei ſunt infallibilis veritatis . Cotonius *Controverſ. 10. de Concil. num. 62.* Emin. Card. de Lauræa *in 3. Sent. tom. 3. in tract. de Fide diſp. 5. art. 1. §. Unico per tot.* & ſignanter *num. 83.* & eſt Doctrina S. Thomæ *in 2. 2. q. 1. art. 10. & q. 11. art. 2. ad 3.* Emin. Card. Bellarm. *libr. 4. de Romano Pontifice cap. 3.* Suarez *de Fide diſp. 5. ſect. 8. à num. 9.* cum quibus concordant Canoniſtæ , quos citat , & ſequitur Barboſa *de Jure Eccl. Univ. lib. 1. cap. 2. num. 38.* Noviſſimè Fagnanus *tom. 5. in cap. Majores . à num. 28. uſque ad num. 36. de Baptiſmo :* ubi jura , & Doctores cumulat ; & antea *in tom. 2. in cap. Cùm contingat . num. 72. De ætate , & qualit. ord.* ubi in terminis demonſtrat , eſſe certum , & de fide , quòd Ordo ſit Sacramentum ſtante diffinitione Concilii Florentini , ac Tridentini .

Tertiò : Hoc idem probari ſcripſerunt ſtudioſi de noſtro Clero Patavino auctoritatibus Sanctorum Patrum , qui in primitiva Eccleſia vixerunt . Nam primò S. Dionyſius *Anno 71.* de Eccle-
21 ſiaſtica Hierarchia *libr. 5. part. 3.* hæc habet : *Manus impoſitio ſimul quidem divinum præſidium Sacramento ad nexum declarat , quo tanquàm Sancti pueri Patris charitate foveantur , itaut eis quidem ſtatum vimque Eccleſiaſtici Ordinis largiatur* . Tranſcribit hæc Verba Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. d. diſp. 4. ſub num. 32.* Et ſubdit . *Ergo Secundùm Dionyſium Ordo eſt Sacramentum ; quid autem quæritur antiquiùs , cùm Sanctus hic à Paulo Apoſtolo fuerit ad fidem converſus , & baptizatus ex Act. Apoſt. cap. 17.* Secundò S. Cyprianus , qui vivebat *anno Domini 250.* in Oratione de Operibus Cardinalibus ſic habet : *Docetur ergo , quæ ſit Baptiſmi , & aliorum Sacramentorum ſtabilitas . Nam Baptiſmum repeti Eccleſiaſticæ prohibent regulæ , & ſemel Sanctificatis nulla deinceps manus iterùm conſecrans præſumit accedere : nemo Sacros Ordines ſemel datos iterùm renovat .* En hujus Sancti mens , quòd ſicut Baptiſmus non reiteratur , quia eſt Sacramentum irreiterabile ; ita non reiteratur Ordo , nam & ipſe eſt irreiterabile Sacramentum . Tertiò S. Gregorius Nazianzenus *Anno Domini 370.* Oratione *in Baptiſmum Chriſti* comparat Sacramentum Ordinis cum Sacramento Baptiſmi dicens : *Eadem itidem Verbi vis etiam Sacerdotem auguſtum , & honorandum facit novitate benedictionis à communitate vulgi ſegregatum , &c. inviſibili quadam vi , ac gratia , animam in melius transformatam gerens ;* denotat enim his verbis effectum Sacramenti Ordinis , ideſt gratiam . Quartò hoc clariùs teſtificatur etiam S. Ambroſius *Anno 374. De dignitate Sacerdotis cap. 5.* inquiens : *Quis dat Epiſcopalem gratiam ? Deus , an homo ? Reſpondes ſine dubio , Deus : ſed tamen & per hominem dat Deus . Homo imponit manus : Deus largitur gratiam . Epiſcopus initiat Ordinem ; & Deus tribuit Dignitatem .* Si ergo Ordo confert gratiam ex miniſterio Epiſcopi , eſt Sacramentum . Quintò S. Hieronymus hoc idem innuit in Dialogo contra Luciferianos *Anno 390.* conferens toto illo libro Ordinationem Sacram cum Baptiſmo , & probans Ordines collatos ab hæreticis valere quo ad ſubſtantiam , eò quòd validus ſit baptiſmus ab eis datus : *Si ( inquit ) in fide ſua baptizatos baptizans nocere non potuit : & in fide ſua Sacerdotem conſtitutum conſtituens non inquinabit .* Uterque enim Baptiſmus , & Ordo eſt Sacramentum . Sextò : Sed apertiſſimis verbis S. Auguſtinus , qui vivebat *Anno ſalutis 420.* nominat Ordinem Sacramentum prout Sacramentum eſt Baptiſmus , ſic ſcri-

Digitized by Google

ſcribens: *De Baptiſmo contra Donatiſtas cap.* 1. *Sicut redeuntes, qui priuſquàm recederent, baptizati ſunt, non baptizantur, ita redeuntes, qui priuſquàm recederent, ordinati ſunt, non utique rurſus ordinantur, ſed aut adminiſtrant, quæ adminiſtrabant, ſi hoc Eccleſiæ utilitas poſtulat; aut ſi non adminiſtrant, Sacramentum tamen ordinationis ſuæ gerunt*. Habentur hæc verba etiam *in cap. Oſtenditur. de Conſecr. diſt.* 4. Idem Sanctus Auguſtinus in *libr. de bono conjug. cap.* 24. pariter ſcribit: *Quemadmodum ſi fiat ordinatio Cleri ad plebem congregandam, etiamſi plebis congregatio non ſubſequatur, manet tamen in illis ordinatis Sacramentum Ordinationis; & ſi aliqua culpa aliquis ab officio removeatur, Sacramento Domini ſemel impoſito non carebit*. Fatetur Sanctus Doctor ordinem eſſe Sacramentum; ſimulque indelebile ab anima Ordinati. Septimò adſtipulatur S. Leo Magnus Papa *Anno* 440. *in Epiſt.* 81. *ad Dioſcorum Alexandrinum cap.* 1. in qua cùm præcepiſſet ordinationes Sacras Clericorum eſſe faciendas in Sabbato quatuor temporum jejuniorum, ſubdit exemplum Apoſtolorum, qui jejunantes, & orantes ordinaverunt Paulum, & Barnabam, *Ut* (ait) *intelligamus quanta, & dantium, & accipientium devotione curandum ſit, ne tantæ Benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum*. Idem Sanctus Pontifex *in Epiſt.* 87. *ad Epiſcopos Mauritaniæ cap.* 1. De eadem Sacra Ordinatione loquens, *Quis* (inquit) *diſſimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetratur injuriam?* Octavò Anaſtaſius Papa Secundus *Anno* 496. in Epiſtola ad Anaſtaſium Imperatorem ſcribens de ordinatis per Acacium Epiſcopum Conſtantinopolitanum, qui contumax mortuus fuerat excommunicatus, *cap.* 7. ita ait: *Nulli de his, quos vel baptizavit Acacius, vel quos Sacerdotes, ſivè Levitas ſecundùm Canones ordinavit, ulla eos ex nomine Acacii portio læſionis attingit, quò forſitan per iniquum tradita Sacramenti gratia minùs firma videatur*. Pariter *cap.* 8. ſubdit: *Inviolabile Sacramentum, quod per illum datum eſt aliis, perfectionem ſuæ virtutis obtinuit*. Nonò tandem S. Gregorius Magnus Papa primus, *Anno* 590. pluries vocat Ordinationem Clericorum Sacramentum; nempè, *lib.* 1. *Reg. cap.* 10. ibi: *Sacrorum Ordinum Sacramenta ab Eccleſiæ Doctoribus foris accipimus, ſed Sacramentorum virtute ab Omnipotenti Deo interiùs roboramur. Virtus verò Sacramenti gratia eſt Septiformis, quam certè gratiam, qui accipiunt, quaſi alio accepto corde immutantur; quia quos gratia ſua Sanctus Spiritus roborat, eſſe eos facit protinùs, quod non erant*. Et in Expoſitione ſuper 1. *Reg.* 10. ad illa Verba. *Tulit autem Samuel lenticulam olei, & effudit ſuper caput ejus*, id eſt Saulis; ita differit Sanctus Doctor *libr.* 4. *Expoſit. cap.* 4. *in princ. Hac unctione exprimitur, quòd in Sancta Eccleſia nunc etiam materialiter exhibetur; quia qui in culmine ponitur, Sacramenta ſuſcipit Unctionis: Quia verò ipſa Unctio Sacramentum eſt, is, qui promovetur, benè foris ungitur, ſi intùs virtute Sacramenti, roboretur*. En itaque teſtimonia Sanctorum Patrum, & Eccleſiæ Doctorum, qui in primis ſex integris ſæculis crediderunt, & nominaverunt Ordinationem clericorum Sacramentum.

Cæterum alio etiam fortiſſimo argumento probatur, quòd Sacra ordinatio eſt verè, & propriè Sacramentum; videlicèt quia fuit à Chriſto immediatè inſtituta, non autem ab hominibus adinventa; & hujus veritatis clariſſimum eſt teſtimonium; quia ſi Presbyter ob aliquod enorme delictum degradetur, & ſic degradatus Miſſam celebraret; graviſſimè quidem peccaret, ſed tamen validè conſecraret, & conficeret Euchariſtiæ Sacramentum, ut docent omnes Theologi, ac Canoniſtæ. S. Thomas 2. 2. *q.* 39. *art.* 3. & *part.* 3. *q.* 82. *art.* 4. Gloſſa *in cap.* 2. *De Cleric. excom. miniſtr. in fine*. Bellettus, qui alios citat, *Diſquiſit. Clerical. part.* 1. §. 10. *num.* 11. Noviſſimè Emin. Card. Capiſuchius *in Controverſiis Theologicis Controv.* 28. §. 16. *pag.* 879. Degradatio, dicta quoque

23 Exauctoratio, & actualis depoſitio clericorum, eſt pœna antiquiſſima, etiam in primis Eccleſiæ ſæculis adhibita contra Presbyteros, aut Epiſcopos atrocibus delictis irretitos, ut demonſtrat Emin. Card. Baronius *Anno Domini* 57. *num.* 22. & 23. ubi ita ſcribit: *Eſt ejus rei exemplum apud Tertullianum de Ba-*
24 *ptiſm. cap.* 17. *de Presbytero Aſiano, qui ob eam cauſam, quòd fictitias quaſdam periodos Pauli, & Theclæ confinxerat, Sacerdotio privatus, loco decidit*. Et tempore S. Caroli Cardinalis Borromei Archiepiſcopi Mediolanenſis, dum in Viſitatione quidam Præpoſitus Rovere-
25 ti, Animarum Rector, accuſatus fuiſſet de graviſſimis enormitatibus, ac maleficiis, formato proceſſu per inſignem Juriſperitum Franciſcum Burſatum juſſu ejuſdem S. Caroli; & reperto eodem reo obſtinato, impœnitenti, & incorrigibili, deventum fuit ad ejus actualem degradationem, ut narrat Joan. Petrus Juſſianus in Vita ejuſdem S. Caroli *libr.* 7. *cap.* 4. Verbis iſtis: *Nella medeſima oſtinatione perſeverò il Prepoſito di Rovereto, che era poi il Capo ſopremo di quella ſcelerata Setta; e per quanti ufficii faceſſe ſeco il Cardinale, e gli altri ſuoi Miniſtri, non ſi potè piegare mai quell' indurato cuore ad un vero riconoſcimento. La onde fù di neceſſità, per obedire a' Sacri Canoni, venire alla ſua degradatione, con atto publico, quale fù accompagnato da lagrime, e da dolore eſtremo del Beato Cardinale*. Sed etiam apud Gentiles, flagitio aliquo damnatæ Virgines Veſtales priùs degradabantur, poſtea vivæ ſepeliebantur, ut ex Halicarnaſeo, & aliis notat Gonzalez *in cap. Cum non ab homine* 10. *de Judic. num.* 15. Modò quænam eſt cauſa, quòd Presbyter, etſi degradatus actualiter, ſi celebret, conficiat, & validè conſecret Euchariſtiam? Utique illa eſt, quia poteſtas ordinis Presbyteratus, quam accepit in ordina-
26 tione, non eſt ab hominibus, ſed à Deo; cùm Ordo ſit Sacramentum inſtitutum immediatè à Chriſto Domino. Ita Cabaſſutius *in Notitia Eccl. Concilior. Sæculo XVI. in altera Diatriba col.* 2. cujus hæc ſunt Verba: *Epiſcopi, & Sacerdotes minores in iis, quæ ſunt Ordinis, non habent dependentem à Papa Ordinis poteſtatem; licèt enim excommunicati ſint, & degradati, tametſi illicitè, validè tamen conſecrant: habent quippe à Deo immediatè characterem, & Ordinis poteſtatem.*

Concludendum itaque ex hucuſque dictis, deductis, & allegatis rationibus, Conciliis, ac Sanctorum Patrum teſtimoniis, quòd Ordo, ſeu Sacra Ordinatio clericorum eſt unum ex Septem Eccleſiæ Sacramentis, à Chriſto Domino inſtitutum; quo datur gratia Sanctificans, imprimitur character, & traditur Spiritualis poteſtas ad Euchariſtiam conficiendam, & ad Sacrificium divinum peragendum.

## DECISIO III.

### ARGUMENTUM.

Agitur de numero Ordinum, & recenſentur quinque opiniones diverſæ de eodem numero. Canoniſtæ tenent Ordines eſſe novem. Scotiſtæ eos eſſe octo. Thomiſtæ, ſeptem. Græci, quinque. Hæretici, eſſe tres. Horum omnium fundamenta referuntur. Quarta, & Quinta opinio refutatur. Tertia amplectitur, & concordatur cum ſecunda. Prima, quæ vult etiam primam Tonſuram eſſe Ordinem, remanet ſub diſſidio.

### SUMMARIUM.

1 *Ordines clericales quot ſint?*
2 *Canoniſtæ docent novem eſſe ordines.*
3 *Angelorum novem Ordines.*
4 *Hierarchiæ Cœleſti debet terreſtris conformari.*
5 *Prima Tonſura eſt ordo ſecundùm Canoniſtas.*



Digitized by Google

6 *Canones nominant Primam Tonſuram ordinem clericalem, & num. 9.*

7 *Degradatio datur etiam à prima Tonſura.*

8 *Ordo ibi eſt, ubi materia, & forma.*

10 *Confirmatus qui non eſt, tonſurari non poteſt, neque ordinari.*

11 *Clerici non confirmati ſunt malè promoti.*

12 *Ordinatus abſque prima Tonſura, an teneatur eam accipere?*

13 *Tonſuratus non eſt amplius Laicus, & eſt capax Eccleſiaſticæ Juriſdictionis.*

14 *Canonis privilegio gaudet habens primam Tonſuram.*

15 *Prima Tonſura an imprimat characterem in anima?*

16 *Ordo ſumitur largo, & ſtricto modo; ut hic.*

17 *Prima Tonſura non eſt Ordo ſecundum Theologos.*

18 *Eſt diſpoſitio ad recipiendos Ordines.*

19 *Converſi in Religionibus, etſi Laici, gaudent privilegio fori, & Canonis.*

20 *Concilium Trid. non nominat primam Tonſuram cum ordinibus.*

21 *Scotiſtæ docent Epiſcopatum eſſe verum Ordinem.*

22 *Epiſcopatus non poteſt conferri Laico.*

23 *S. Stephano Regi Ungariæ collata fuit Juriſdictio Papalis.*

24 *Ordinis quæ ſunt, neque Epiſcopo, neque Presbytero auferuntur.*

25 *Ordinati ab Epiſcopo hæretico, vel ſuſpenſo ſunt validè ordinati.*

26 *Epiſcopus conſecratus iterum conſecrari non poteſt.*

27 *Conſecratio Epiſcopi an ſit Sacramentum?*

28 *Vicario Epiſcopus non delegat ordinationes Clericorum.*

29 *Thomiſtæ negant, Epiſcopatum eſſe ordinem per ſe diſtinctum. Rationes eorum plures.*

30 *Ordines eſſe ſeptem traditio Eccleſiæ antiqua.*

31 *Scotiſtarum, & Thomiſtarum concordandi modus circa ordinem Epiſcopatus.*

32 *Dianæ opinio circa Epiſcopatum, an ſit Ordo?*

33 *Sacerdos qui non eſt, validè non conſecratur Epiſcopus.*

34 *Patriarchatus, Cardinalatus, & Papatus an ſint Ordo?*

35 *Thomiſtarum opinio ordines eſſe ſeptem.*

36 *Ordines tot, quot dona ſpiritus Sancti.*

37 *Ordines inſtituti reſpectu ad SS. Euchariſtiam conficiendam, & diſtribuendam fidelibus.*

38 *Concilia loquentia de numero Ordinum Septenario.*

39 *Septenarius Ordinum numerus apud antiquos Patres.*

40 *Græcorum opinio circa numerum Ordinum.*

41 *Græci minores ordines non conferunt, excepto Lectoratu.*

42 *Græci reprehenſi ob omiſſionem trium minorum Ordinum.*

43 *Acolythi antiquitùs dicebantur Deputati, ac Ceroferarii.*

44 *Ritualia antiqua Græcorum habent ordines minores.*

45 *Abbatis Papadopoli opinio de quatuor minoribus ordinibus apud Græcos.*

46 *Bulla Innocentii VIII. quod Græci conferre debeant omnes quatuor ordines minores.*

47 *Ordines tres tantùm admittunt Hæretici.*

48 *Hæreticorum dogma, quòd Eccleſia non erravit per primos quingentos annos.*

PErplexa quidem, ſed famoſa valdè, & digna ſcitu eſt ſubſequens Quæſtio, circa quam requiſita fuerunt reſponſa noſtrorum Studentium, videlicet *Quot ſint Ordines? & Quantus eorum numerus?* 1
In reſponſione ad illam, dictum fuit, reperiri quinque opiniones inter ſe diſcrepantes. *Prima* eſt Canoniſtarum docentium ordines eſſe novem. *Secunda* Scotiſtarum, volentium eſſe octo. *Tertia* Thomiſtarum docentium eſſe ſeptem. *Quarta* Græcorum autumantium Ordines eſſe tantùm quinque. *Quin-*

*Quinta* Hæreticorum aſtruentium eſſe
ſolummodò tres. Singulorum funda-
menta omni poſſibili brevitate ſunt hìc
recenſenda.

Prima opinio eſt Canoniſtarum, qui
docent novem eſſe ordines, videlicèt
Primam Tonſuram, Oſtiariatum, Le-
2 ctoratum, Exorciſtatum, Acolytha-
tum, Subdiaconatum, Diaconatum,
Presbyteratum, & Epiſcopatum. Fa-
gnanus *tom.2. in cap. Cùm contingat. num.*
103. *&* 104. ubi dicit, quòd Hierarchia
Eccleſiæ militantis inſtituta eſt ad ſimi-
litudinem Hierarchiæ Eccleſiæ Trium-
phantis ex S. Dionyſio *de Eccl. Hierar.*
*cap.6.* Sed in cœleſti Hierarchia novem
3 ſunt ordines Angelorum *cap. Princi-*
*pium §. Omnis Lapis. de Pœnit. diſt.2.* Er-
go totidem Ordines eſſe debent in Ec-
cleſia militanti. Atque ita ſi ſeptem or-
dinibus, qui apud omnes Theologos
Catholicos in confeſſo ſunt, adjunga-
tur prima Tonſura, & Epiſcopatus,
novem Ordines in Eccleſia Dei ſine er-
rore calculi computantur; ut ſic Supe-
4 riori Hierarchiæ hæc inferior conforme-
tur, ut inquit formaliter Hoſtien. *in cit.*
*cap. Cùm contingat num.6.* cum quo tran-
ſeunt Joannes Andr. Butrius, Cardina-
lis, & cæteri omnes. Præpoſitus 21. *diſt.*
*num.* 4. Angelus *in Summa Verb. Ordo.*
Navarrus *in Man. cap.22. num.* 18. & alii
quos cumulat Marchinus *de Ordine tract.*
*1. cap. 7.*

Probant autem eſſe verum Ordinem
tùm primam Tonſuram, tùm Epiſco-
patum. Et quo ad ipſam primam Ton-
5 ſuram, (quam etiam Pſalmiſtatum ap-
pellant) eam eſſe probant unum ex or-
dinibus Eccleſiæ ſic. Primò per textum
*in cap. Cùm contingat* 11. *de Ætate, &*
*qualit.* ubi eam Innocentius Papa Ter-
tius vocat expreſsè Ordinem clerica-
lem. Secundò per *text. in cap. Non opor-*
6 *tet il primo* 44 *diſt.* ubi dicitur, quod ne-
que ordinatos in ſacris, neque in mino-
ribus Lectores, Oſtiarios, aut Pſalmi-
ſtas oportet intrare tabernas, niſi cauſa
neceſſitatis. Tertiò per text. *in cap. Cle-*
*ros* 21. *diſt.* & in *cap. Perlectis* 25. *diſt.* in
quibus nominantur novem gradus Ec-
cleſiæ, ideſt ſeptem ordines conſuetos,
& cum eis Pſalmiſta, & Epiſcopus.
Quartò ex Pontificali Romano, in quo
poſt titulos de degradatione ab ordinibus
minoribus ponitur titulus de degrada-
tione à prima Tonſura; & extat hæc
forma: *Exuimus te omni Ordine, bene-*
*ficio, & Privilegio Clericali.* Et fuſius 7
*in cap. Degradatio de Pœnis in 6.* ponitur
forma degradandi clericos à quocunque
ordine; & dicitur, eſſe continuandum,
*uſque ad primam Veſtem, quæ datur in*
*collatione Tonſuræ, tuncque radatur ca-*
*put ejus, ſeu tondeatur, ne Tonſuræ, ſeu*
*Clericatus veſtigium remaneat in eodem.*
Ergo & ipſa Prima Tonſura eſt Ordo.
Quintò quia ibi eſt Ordo, ubi in ejus col- 8
latione traditur materia cum forma.
Sed dum confertur prima Tonſura tra-
ditur Veſtis clericalis cum Verbis præ-
ſcriptis tanquam forma in Pontificali. Er-
go eſt Ordo. Sextò; Nam in eodem Pon-
tificali *in Tit. de Clericis faciendis* dicitur
loquendo de collatione primæ Tonſuræ:
*Pro Clericis ordinandis parentur forfi-*
*ces pro incidendis capillis:* Nec non:
*Quilibet Ordinandorum habere debet*
*ſuum Superpelliceum ſuper brachium ſi-*
*niſtrum.* Item *Ordinati redeunt ad loca*
*ſua.* Ergo prima Tonſura eſt Ordo. Se-
ptimò, quia frequenter in Jure Cano- 9
nico habentes primam Tonſuram dicun-
tur habere Ordinem clericalem, ut *in*
*cap.1. De Apoſtatis. in cap.1. De Vita, &*
*honeſt. cler. in 6. Et in cap. Eo libentiùs.*
*De ſervis non ordin.* & aliis pluribus.
Octavò, quia ex præcepto Eccleſiæ nul-
lus recipere poteſt Sacramentum Ordi-
nis, niſi priùs receperit Confirmationis
Sacramentum. S. Thom. *in 4. diſt. 24.*
*q.1. art.2. q.4.* Sylveſter *in Verb. Ordo 2.*
*num.1.* Sed nemo poteſt initiari prima
Tonſura, niſi priùs chriſmate ſit con-
firmatus. Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.4.*
Ergo prima Tonſura eſt Ordo. Hinc 10
Sacra Congregatio Concilii aliàs decla-
ravit, initiatum prima Tonſura chriſ-
mate priùs non ſuſcepto, & poſtea chriſ-
mate ſuſcepto, promotum ad alios Or-
dines, fuiſſe malè promotum, benefi-
cia minùs legitimè acquiſiviſſe, & ad

11 Sacros Ordines non poſſe aſcendere abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione; teſte eodem Fagnano, qui ejuſdem Sacræ Congregationis fuit Secretarius *in d. cap. Cùm contingat. num.* 96. *De Ætate, & Qualit.* Nonò. Quia ſi quis Ordines minores ſuſceperit, omiſſa prima Tonſura, debet poſtea eam recipere. Fa-
12 gnan. *in d. cap. Cum contingat. num.* 100. & ibi Hoſtien. & alii. Igitur eſt Ordo; aliàs poſſet omitti. Decimò Tonſuratus non eſt ampliùs Laicus, ſed Clericus, & habet facultatem exercendi Eccleſiaſticam Juriſdictionem tàm ordinariam, quàm delegatam, & obtinendi
13 beneficia *cap. Ex litteris de Tranſact.* Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 6. & gaudet omnibus privilegiis Clericorum. Covaruvias *practic. quæſt. cap.* 31. *ſub num.* 9. Undecimò, hinc gaudet privilegio Canonis, itaut ſi quis percuſſerit clericum
14 habentem primam Tonſuram, ſit excommunicatus, & non poſſit abſolvi niſi à Papa. Barboſa *in d. cap. Cùm contingat num.* 10. & ibi Gloſſa, & DD. Duodecimò, omiſſis aliis argumentis, quia Sixtus Papa Quintus *in Conſtitut.* 91. *Incip. Sanctum, & Salutare.* Edita *Nonis Januarii* 1588. ait; Primam Ton-
15 ſuram imprimere clericalem characterem. Ergo eſt Ordo, ſiquidem effectus Sacramenti Ordinis eſt imprimere characterem in anima ordinati. Et ſic ſentiunt omnes Canoniſtæ antiqui, & moderni, quos cumulat Barboſa *in eodem cap. Cùm contingat num.* 8. *De Ætate, & Qualit.* Garzias *de benefic. par.*7.*cap.*1. *à num.*1. *& ſeqq.* Vivianus. *De Jurepatron. part.*2. *lib.*6. *cap.*1. *num.*3. Rota Romana *part.*1. *diverſ. deciſ.* 731. *nu.*5. *&* 6. ubi innumeros propè Doctores ſic tenentes numerat; & noviſſimè Fagnanus *in d. cap. Cùm contingat. à num.* 10. *uſque ad num.* 118. ubi fervido ſtylo hanc tuetur opinionem, & præter ſupra recenſita argumenta, alia plura colligit, & adducit, ibi à ſtudioſis videnda:

Theologi tamen reſpondent ſupradictis argumentis, & ea reſolvunt, di-
16 centes, quod ubi Sacri Canones appellant primam Tonſuram Ordinem, intelligunt non de vero Ordine tanquàm Sacramento, ſed in latiori ſignificatione de ſtatu quodam clericali, in quo Tonſurati incipiunt ſervire Deo in functionibus Eccleſiæ, & diſtinguuntur à Laicis; ſicut dicimus de ſtatu Religioſorum, qui appellatur Ordo; nempè Ordo S. Benedicti, Ordo S. Auguſtini, S. Dominici, S. Franciſci, & alii; & tamen hi Ordines Religioſi non ſunt Ordines Sacramentales. Hinc degradatio Tonſurati fit ab illo ſtatu clericali, non autem ab Ordine Sacramentali, quod non habet. Nec verum eſt, quòd detur prima Tonſura cum materia, & forma, 17
prout cæteri Ordines; quia confertur per Orationes, & preces, non per verba importántia collationem poteſtatis, ut in aliis Ordinibus minoribus, qui deputant ordinatos ad miniſterium pro Sanctiſſima Euchariſtia conficienda, & Sacrificio peragendo; at Tonſura tantùm diſponit Tonſuratum ad illa miniſteria capeſſenda; idcircò prima Tonſura non eſt Ordo, ſed diſpoſitio ad ſuſcipiendos Ordines, ut ait Catechiſmus Romanus *De Sacram. Ord. num.* 13. in illis Verbis: *Docere oportet Primam Tonſu-* 18
*ram quandam præparationem eſſe ad Ordines accipiendos. Ut enim homines ad Baptiſmum exorciſmis, ad Matrimonium ſponſalibus præparari ſolent: ita cùm tonſo capillo Deo dedicantur, tanquam aditus ad Ordinis Sacramentum illis aperitur.* Quare dicuntur Tonſurati eſſe clerici eo modo, quo Novitii appellantur Religioſi; ideſt quod ſicuti hi ſunt in via ad Religionem, ita illi ſunt in via ad Ordines. Obligatio autem ſuſcipiendi priùs confirmationis Sacramentum eſt de præcepto Eccleſiæ, ut ſint magis diſpoſiti ad habitum clericalem induendum; participatio autem privilegiorum clericalium tùm Canonis, tùm fori procedit ex benignitate Eccleſiæ, quæ illa extendit etiam ad homines Laicos, qua- 19
les ſunt Converſi in Religionibus, qui Ordines clericales non habent. Nec verum eſt, quod Sixtus Quintus dicat, primam Tonſuram imprimere clericalem characterem; ſed tantummodò appellat

pellat eam characterem clericalem, nempè ſignum, indicium, & notam vitæ clericalis, per depoſitionem comæ, & aſſumptionem habitus clericalis; non autem Ordinem, à quo tantùm imprimitur character. Quod ſi quis ordinetur in minoribus omiſsâ primâ tonſurâ, adſtringitur eam ſuſcipere, ne videatur contemnere præcepta Eccleſiæ, ac ejus Ritus Sacros. Cæterùm talis Ton-
20 ſura non eſt Ordo ex eo invincibili argumento, quod Sacrum Tridentinum Concilium *d. ſeſſ.* 2. *cap.* 2. nominando minores Ordines, quatuor tantùm, ſcilicet Acolythum, Exorciſtam, Lectorem, & Oſtiarium nominavit; at de prima Tonſura nihil dixit, quod non omiſiſſet, ſi eam quoque Ordinem minorem eſſe judicaſſet. Replicant Canoniſtæ, noluiſſe Concilium intrare in hanc quæſtionem agitatam inter eos, & inter Theologos; at per hoc non ſequi Primam Tonſuram verè, & propriè Ordinem non eſſe; quod Theologi negant; quos allegant, & ſequuntur Cotonius *d. lib.* 3. *Controv.* 1. *nu.* 11. Salmanticen. *d. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 24. Maſtrius *in* 4. *ſent. d. tom.* 4. *diſp.* 4. *num.* 12. & Eminen. Cardin. de Lauræa *de Sacram. Ord. d. diſp.* 4. *art.* 7. *per totum*. Et ſic eſt lis, & diſſidium implacabile inter Theologos, & Canoniſtas, An prima Tonſura ſit Ordo? quam cum Ordinem eſſe teneant ſimulque Epiſcopatum, ajunt Ordines clericales eſſe novem.

Secunda opinio eſt Scotiſtarum, qui affirmant, Ordines eſſe octo; rejecta
21 enim per eos prima Tonſura, includunt inter Ordines Epiſcopatum; quem propterea eſſe verum, & proprium ordinem diſtinctum à Presbyteratu defendunt, prout faciunt etiam Canoniſtæ infra citandi *ſub num.* 28. ex ſequentibus fundamentis. Primò *ex Epiſt.* 3. *decretali* S. Anacleti, ubi docet, *duos eſſe Sacerdotum Ordines à Chriſto in Eccleſia relictos, Epiſcopatum, & Presbyteratum*. Secundò *ex cap. In novo. diſt.* 21. *& ex cap. Omnium. diſt.* 32. In quibus agitur de forma ordinandi Epiſcopos; & Epiſcopatus vocatur Ordo. Ergò eſt Ordo diſtinctus à Presbyteratu. Tertiò Epiſcopatus non poteſt conferri
Laico. *cap. Sacerdotale. cap. Non negamus. cap. Miſerum, & cap. Miramur. diſt.* 22
61. Et tamen Juriſdictio Epiſcopalis, imò etiam Papalis poteſt Laico conferri, prout de facto collata fuit anno milleſi-
mo. per Sylveſtrum Papam II. Sancto 23
Stephano Regi Ungarorum, quem Legatum ſuum Apoſtolicum creavit, cum facultate ordinandi, & inſtituendi Eccleſias in Provinciis illis, quas ad fidem Catholicam converterat, ut habetur apud Surium *tom.* 4. *in Vita ejuſdem S. Stephani die* 20. *Auguſti*; & refert. Emin. Card. Baronius *ad Annum* 1000. *num.* 13. Igitur ſi ſola Juriſdictio Epiſcopalis delegari poteſt Laico, non eſt delegabile id, quod eſt Epiſcopalis Ordinis. Ergo Epiſcopatus eſt Ordo. Quartò confirmatur ex eo, quod neque Papa, neque tota Eccleſia poteſt auferre ea, quæ ſunt Ordinis ab Epiſcopo; ideòque
etſi Epiſcopus ſit excommunicatus, vel. 24
ſchiſmaticus, vel hæreticus, & ſpoliatus omni, & quacunque Juriſdictione; tamen ſi ordinet clericos, Subdiaconos,
Diaconos, aut Presbyteros, hi ſunt 25
validè ordinati; & ſolùm egent diſpenſatione, ut ſuos Ordines exerceant, non autem ut illos iterum recipiant. Igitur Ordo Epiſcopalis eſt vetus Ordo, qui auferri, neque deleri poteſt ab anima Epiſcopi. *cap. Convenientibus* 1. *q.* 7. *cap. Si quis Hæreticæ, & cap. Omnis cujuſlibet* 1. *q.* 1. *cap. Ordinationes* 9. *q.* 1. Conſpicuum de hoc argumento eſt exemplum, quod legitur in Concilio Niceno II. *act.* 7. ubi Taraſius oſtendit, Anatolium Patriarcham Conſtantinopolis, Pyrrum, Sergium, Petrum Elurum, Petrum Gnafeum, & alios ordinatos ab Epiſcopis hæreticis fuiſſe receptos ab Eccleſia cum ſuis ordinibus tanquàm validè ordinatos, ea ſcilicèt ratione,
quod *Ordinatio eſt à Deo*. Quintò fa- 26
cit, quia Epiſcopus ſemel conſecratus non poteſt amplius conſecrari. *cap. Sicut ſemel. diſt.* 68. Curita? Niſi quia Epiſcopatus eſt Ordo, qui imprimitur in anima ordinati Epiſcopi indelebiliter.

Sextò,

Sextò , quia tùm Concilia , tùm Jus
Canonicum appellat inſtitutionem Epi-
ſcopi Ordinationem Sacram . *cap. Syra-
cuſanæ. diſt.* 28. *cap. Qui in aliquo. diſt.*
51. *cap. Nullus in Epiſcopum diſt.* 60. *cap.
Extra conſcientiam diſt.* 64. *cap. Perſona
diſt.* 65. *cap. Porrò . diſt.* 66. & alii plures
*texx.* ac Concilia relata ab Emin. Card.
27 de Lauræa *d. diſp.* 7. *num.* 23. Septimò
quia conſecratio Epiſcopalis eſt Sacra-
mentum . Ergo eſt Ordo . Antecedens
probatur , quia conſtat ex rebus , & ver-
bis ſenſibilibus , & dat gratiam , ut ait
Apoſtolus 1. *ad Timoth.* 4. Ac etiam
imprimit characterem , & ideò reite-
rari non poteſt . *cap. Non licèt . diſt.* 4.
Octavò , quia Epiſcopalis Ordinatio
non eſt ab homine , ſed à Deo ; ut *ex
Epiſt.* 2. *Sixti I.* ibi : *Epiſcopos juſſu Do-
mini inſtitutos eſſe* . Ex S. Anacleto
*Epiſt.* 3. ibi : *Ordo Sacerdotum , & Epi-
ſcoporum à Deo datus eſt* . ex Concil.
Tridentino *ſeſſ.* 23. *can.* 6. ibi : *Hierar-
chia Eccleſiæ conſtans ex Epiſcopis , Preſ-
byteris , & aliis Miniſtris divina Ordi-*
28 *natione eſt* . Octavò : ſi Epiſcopatus
non eſſet Ordo , poſſet Epiſcopus dele-
gare ſuo Vicario ordinationes Clerico-
rum , confirmationes Laicorum , &
conſecrationes Eccleſiarum , ac Alta-
rium . Sed conſequens eſt falſum ; ergo
& antecedens. Igitur ſecundùm Scotiſtas
Epiſcopatus eſt verus Ordo diſtinctus ab
Ordine Presbyteratus , ut ex ſupradi-
ctis , & aliis pluribus argumentis ipſi
probant , & inſiſtunt , inter quos noviſſi-
mè Maſtrius *d. diſp.* 4. *à num.* 8. *& ſeqq.*
citans Baſſolium , Tataretum , Nico-
laum de Niſſe , & Emin. Card. de Lau-
ræa ; & his Theologis adhærent ferè
omnes Canoniſtæ , quos longa manu
cumulat , & eorum fundamenta latiſ-
ſimè refert Fagnanus *in cap. Requiſivit .
à num.* 33. *& ſeqq. de Ordinatis ab Epiſc.
qui renunc. Epiſcopatui tom.* 2. *pag. mihi*
206. Pleniſſimè Diana *part.* 12. *tract.* 1.
*reſol.* 2. Quæ in Coordinato ejus opere
repoſita invenitur *tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 2.
Thomiſtæ tamen reſiſtunt huic Scoti-
29 ſtarum opinioni , &. aſſeverant , Epi-
ſcopatum non eſſe Ordinem diſtin-
ctum à Presbyteratu ex pluribus ratio-
nibus ; ſed præcipuè , quia ſi eſſet
Ordo diſtinctus , poſſet quis Ordinari
Epiſcopus , etſi non Ordinatus Sacer-
dos , quòd eſt falſum , nam quis poteſt
Ordinari Sacerdos , quamvis nòn ſit
Diaconus , vel Subdiaconos , eò quia hi
ſunt Ordines inter ſe diſtincti . Item
quia Sacramentum Ordinis dicit ſpecia-
lem poteſtatem ad conficiendam Eucha-
riſtiam , & ad ſacrificandum , & ad
hunc effectum diriguntur ipſi ſeptem
Ordines : Epiſcopatus autem non diri-
gitur ad hunc finem , ſcilicèt conſecran-
di Euchariſtiam , & Sacrificandi , qui
eſt perfectiſſimus finis ; adeò ut ſi Epi-
ſcopatus eſſet Ordo , foret inferior Sa-
cerdotio , uti directus ad actiones mi-
nùs perfectas , quàm Euchariſtiam con-
ſecrandam . Item Ordines conferuntur in
Sabbato quatuor Temporum , Epiſco-
patus in die Dominico . Ergo non eſt
Ordo . Ulteriùs in tota conſecratione
Epiſcopi nulla apparet forma , vel ma-
teria Sacramenti , per quas imprimatur
character . Hinc traditio antiquiſſima
Eccleſiæ eſt , quòd Ordines ſint tantùm
ſeptem;ut ait Diana Coordinatus *d. tom.* 30
4. *tract.* 8. *reſol.* 1. Salmanticenſes *d. tract.*
8. *cap.* 1. *à num.* 28. *& ſeqq.* & Gonetus
alios allegans *tom.* 5. *tract.* 7. *de Sacram.
Ordinis diſp.* 4. *art.* 2.

Conantur ex doctiſſimis Theologo-
rum plurimi concordare Scotiſtas , Ca-
noniſtaſque cum Thomiſtis dicendo ; 31
quòd Epiſcopatus utique eſt Ordo , at-
que Sacramentum , ſed non diſtinctum
à Sacerdotio ; ideòque eſt velut gradus
per extenſionem Ordinis Sacerdotalis
magis perfectus in Epiſcopo . Ita Sotus
*in* 4. *diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 2. *&* 3. Et Vaſquez
*in* 3. *par. D. Thom. tom.* 3. *diſp.* 240. *cap.* 5.
*num.* 54. ubi ait , Epiſcopatum eſſe Sa-
cerdotium perfectum , quo Sacerdos
alios Sacerdotes generare , & ordinare
poteſt ; & comparat Epiſcopum Viro
adultæ ætatis , qui alios homines poteſt
gignere ; Sacerdotem verò ſimplicem
eſſe ſimilem homini juveni , qui alios
non poteſt generare . Emin. Card. de
Lauræa breviter , ſed clarè concordat

has opiniones *d. diſp.4. de Sacram. Ord. num.* 57. dicens, quòd quamvis Epiſcopatus ſit Ordò, tamen Ordines ſunt tantùm ſeptem, quia Sacerdotium ſumitur vel in genere, & continet utrumque Ordinem: vel in ſpecie, & comprehendit ſolum Presbyteratum. Tandem alii pro concordia dicunt, Epiſcopatum non eſſe propriè Ordinem, prout eſt Sacramentum; ſed eſſe Ordinem tanquàm officium quoddam habens poteſtatem ex Dei Ordinatione ad actiones hierarchicas in corpore myſtico Eccleſiæ peragendas, quam poteſtatem non habent alii inferiores Ordines. Ita S. Thomas *in 4. diſt. 24. q.3. art.2. q. 2.* S. Bonavent. *in 2. part. diſt. 24. art.2. q.3.* & alii, quos adducit ex Scholaſticis, atque Summiſtis idem Diana Coordinatus *d. tom. 4. tract. 8. reſol. 3. §. 1.* ubi ſic concludit, Epiſcopatum eſſe Ordinem, ſed non totaliter diſtinctum à ſimplici Sacerdotio; ſed tantùm partialem, ab ipſo particulariter diſtinctum; *quia ex Epiſcopatu, ut ſic, & ex ſimplici Sacerdo-*
32 *tio, integratur, & perficitur unum Sacerdotium; quia Epiſcopatus, ut diſtinctus à ſimplici Sacerdotio, eſt Ordo complens, & perficiens Ordinem Sacerdotii, eo modo, quo poteſtas abſolvendi à peccatis ſuperaddita poteſtati conſecrandi complet, & perficit ſimplex Sacerdotium. Et ſicut poteſtas abſolvendi ità neceſſariò ex inſtitutione Chriſti præſupponit poteſtatem conſecrandi, ut hac non præſuppoſita, nequeat illa validè conferri; ita etiam poteſtas efficiendi Sacerdotes ita neceſſariò præſupponit Ordinem, & poteſtatem ſimplicis Sacerdotis; ut hac non præſuppoſita, nequeat illa validè confer-*
33 *ri; quia Epiſcopus eſt Sacerdos perfectus, fœcundus, & potens alios Sacerdotes creare*. Idem repetit Cotonius *d. libr. 3. controv.1. num.14. & 15.* & Layman *lib. 5. tract. 11. cap.3. num. 6. in fine;* ubi & ipſe ſic loquitur: *Quare pro conciliatione Doctorum diſtinguendum eſt, atque dicendum: Si Epiſcopatus completè accipiatur, includit in ſe Ordinem Presbyterii; ideòque diſtinctus ab eo Ordo cenſeri non poteſt. Sin verò accipiatur incompletè ſecundùm poteſtatem Ordinandi, & confirmandi, quæ Ordini Presbyteratus ſuperadditur; negari non poteſt, quin ſint diverſi Ordines*. Hæc de ſecunda opinione.

Obiter autem hîc plures notarunt, quòd quidquid ſit, an Epiſcopatus ſit Ordo de per ſe diſtinctus à Sacerdotio, vel partialis tantùm ejuſdem Sacerdotii; è contra pro certo, & indubitato tenendum eſt, Archiepiſcopatum, Patriarchatum, Cardinalatum, atque Pa- 34
patum non eſſe Ordines diſtinctos ab Epiſcopatu; quia hi eamdem poteſtatem habent Ordinis, quam Epiſcopi; non autem ampliorem; etſi excellant, & excedant quoad poteſtatem Juriſdictionis, quam habent ſuperiorem ipſis Epiſcopis, ut notat Cotonius *d. libr. 3. controv. 1. num. 16.* & diſſerit Diana *part. 12. tract. 1. reſol.4.* quæ reperitur in Coordinati operis *tom.4. tract. 8. reſol. 4.* noviſſimè Mendezius *in Luce Fidei tom.2. lib. 12. cap. 14. num. 14.*

Tertia opinio circa numerum, & quantitatem Ordinum eſt Thomiſta- 35
rum, qui juxta doctrinam S. Thomæ *3. p. in Supplem. q. 37. art. 2.* tenent, Ordines eſſe ſeptem, nempè Presbyteratum, Diaconatum, Subdiaconatum, Acolythatum, Exorciſtatum, Lectoratum, & Oſtiariatum. Probant autem quidditatem, & convenientiam hujus numeri ſeptenarii Ratione, Conciliorum determinatione, & Sanctorum Patrum nominatione.

Ratio eſt duplex. Prima, quia tot debent eſſe Ordines, quot ſunt dona 36
Spiritus Sancti; nam Spiritus Sanctus eminenter tribuitur Ordinatis; juxta illud Apoſtoli *Act. 20. 28. Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. Igitur donum Sapientiæ datur Epiſcopis, ac Sacerdotibus, qui animarum curam gerere debent, & tenentur populos inſtruere in doctrina Chriſtiana. *Coloſſ. 3. 16. Verbum Chriſti habitet in vobis abundanter in omni ſapientia, docentes, & commonentes*. Donum intellectus elargitur

Diaco-

Diaconis, qui prædicant Evangelium. *Philip.* 4. 7. *Et pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras*. Donum Conſilii datur Subdiaconis, qui caſtitatem ſpontè Deo vovent. 1. *Cor.* 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do tanquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis*. Donum Fortitudinis conceditur Oſtiariis, ut fortes ſint in expellendis indignis ab Eccleſia. *Jerem.* 1. 17. *Ne formides à facie eorum. Ego quippè dedi te in columnam ferream, & in murum æreum*. Donum Scientiæ tribuitur Lectoribus, qui explanare debent legem Dei catechumenis. *Col.* 1. 10. *Fructificantes, & creſcentes in Scientia Dei*. Donum Pietatis impertitur Exorciſtis, qui ut ſuo munere dignè fungantur, debent vacare piis orationibus, ac jejuniis, juxta illud *Marc.* 9. 29. *Hoc genus* (dæmoniorum) *in nullo poteſt exire, niſi in oratione, & jejunio*. Donum Timoris Domini influitur Acolythis, qui magis accedunt Sanctuario parantes vaſa pro Sacrificio, & de his dictum eſt *Pſal.* 2. 11. *Servite Domino in timore; & exultate ei cum tremore*.

Altera ratio, & quidem magis propria, & conveniens, quam approbat
7 S. Thomas *d. par.* 3. *q.* 37. *art.* 2. eſt; quia Ordo inſtitutus eſt principaliter ad conſecrandam, & diſtribuendam Sanctiſſimam Euchariſtiam; idcircò ad hoc myſterium dignè celebrandum opus eſt ſeptem generibus miniſtrorum. Primò: Ut ſint, qui conſecrent, & ſic Sacerdotes. Secundò: Ut ſint, qui conſecratas ſpecies diſtribuant fidelibus, & ſic Diaconi. Tertiò: Ut ſint, qui deferant panem, & vinum conſecrandum; & ſic Subdiaconi. Quartò: Ut ſint qui vaſa ſacra præparent, & lumina portent, & ſic Acolythi. Quintò: Ut ſint, qui arceant dæmones ab animabus, & à corporibus populi, & ſic Exorciſtæ. Sextò: Ut ſint, qui inſtruant rudes, ac Catechumenos, & ſic Lectores. Septimò: Ut ſint, qui introducant dignos in Eccleſiam; & expellant indignos, ac infideles; & ſic Oſtiarii. Ita S. Doctor *d.* 3. *p. q.* 37. *art.* 2. Salmanticenſes *d. tract.* 8. *de Sacram. Ord. cap.* 1. *num.* 11. Gonetus *d. diſp.* 2. *art.* 1. *num.* 3. & ipſe doctiſſimus Maſtrius *in* 4. *ſent. d. diſp.* 4. *num.* 5.

Secundò probant Thomiſtæ hunc numerum Ordinum Septenarium ex deter- 38
minatione Conciliorum. Nam Concilium Romanum ſub Sancto Sylveſtro Papa *Anno* 325. *in cap.* 3. nominat hos ſeptem Ordines, incipiendo à Presbytero, & procedendo uſque ad Oſtiarium. Concilium Carthaginenſe Quartum ſub Siricio Papa *Anno* 398. *cap.* 1. (quòd habetur in Decreto *diſt.* 23. *à cap.* 8. & *ſeqq.*) diſſerit de modo conferendi hos omnes ſeptem Ordines, quos ſingillatim deſcribit. Et aliis pluribus Conciliis prætermiſſis, Concilium Florentinum *Anno* 1439. & Concilium Tridentinum *in ſeſſ.* 23. *cap.* 2. nominarunt, Ordines ipſos ſeptem; nam in *d. cap.* 2. ita loquitur Tridentinum: *Non ſolùm de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis Sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in eorum ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent, & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina; atque uniuſcujuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicèt, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris, & Oſtiarii in uſu fuiſſe cognoſcuntur*.

Tertiò probatur à Thomiſtis prædictus Ordinum ſeptenarius numerus à 39
Sanctorum Patrum nominatione; nam S Cornelius Papa, qui Sedem Apoſtolicam adeptus eſt *Anno* 254. in Epiſtola ad Fabium Antiochenum (quæ eſt apud Euſebium *Hiſt. lib.* 6. *cap.* 35.) ſic de Novato loquitur: *Is ergo, qui Evangelium vindicabat, neſciebat in Eccleſia unum Epiſcopum eſſe debere, ubi videlicèt eſſe Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos &c.* Ecce ab hoc Sanctiſſimo, & antiquiſſimo Papa nominatos omnes ſeptem Ordines Clericales. Sed etiam ante illum S. Dionyſius *de Eccl. Hier. cap.* 3. loquens de Ordinatis in minoribus ait: *Miniſtrorum hi quidem ad januas Templi*

*clauſas conſiſtunt; alii verò aliud quid proprii muneris exequuntur*. Et S. Ignatius Martyr *in Epiſt. 11. ad Antiochenos. Saluto Sanctum Presbyterorum Collegium: Saluto ſacros Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores*. S. Cajus Pontifex Romanus *Anno* 296. in Epiſtola ad Felicem Epiſcopum, (relata in *cap. Illud. diſt.* 77.) ita de gradibus, per quos aſcendatur ad Sacerdotium, verba facit: *Sit primùm Oſtiarius, deindè Lector, poſtea Exorciſta, indè ſacretur Acolythus, demum verò Subdiaconus, deindè Diaconus, & poſtea Presbyter*. De iiſdem omnibus loquitur etiam S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus, qui ſedere cœpit in ea Epiſcopali ſede *Anno* 596. *in Epiſtola ad Ludifredum*, in qua agit de Epiſcopi, & aliorum Clericorum in Eccleſia Officiis. Igitur, qui ſcholam S. Thomæ ſequuntur, jure optimo ajunt, ſe defendere ſeptenarium numerum Ordinum, tot enim fuerunt in primitiva Eccleſia, & ſemper ſervati ſunt.

Quarta opinio eſt Græcorum, & Eccleſiæ Orientalis, in qua aſſerunt Scrip-
40 tores, Ordines eſſe ſolummodò Quinque, videlicèt Lectoratum, Hypodiaconatum, Diaconatum, Presbyteratum, & Epiſcopatum, ut diſſerit Morinus *de Sacr. Ordinat. part. 3. cap. 2. num. 26. Verſ. Cæterorum*. De hac opinione Ivenim in ſuo *Commentar. Hiſtor. & Dogmat. de Sacramentis Diſſert. IX. in prima* ita loquitur: *Quæ de uſu ſeptem Ordinum dicta ſunt, intelligi non debent in Eccleſia Orientali, nam. Primò nullum ſuppetit argumentum, quo probetur Acolythatum*
41 *olim fuiſſe in uſu apud Græcos quippè quòd nullus ex Scriptoribus Græcis illum recenſuerit. Secundò: Nullum etiam reperire eſt, qui præter Lectoratum, alios minores Ordines dixerit fuiſſe Ordines Eccleſiæ Orientalis, ſeu ritus, per quos daretur aliqua poteſtas ſpiritualis in Ordine ad Euchariſtiam*. Igitur profitentur Græci nullam habere notitiam, nullumque apud illos unquam fuiſſe uſum trium minorum Ordinum *Acolythatus*, *Exorciſtatus*, *& Oſtiariatus*; quòd etiam innuit Menardus *in Notis ad lib. Sacramentor. pag. mihi* 315. ubi refert formam, qua utuntur Græci in ordinando Lectore, & ſubdit: *Quandoquidem minores alios conferre non ſolent*. Hoc idem adſtipulatur Gonzalez *in Comment. ad cap. Cum ſecundùm. 9. De Tempor. Ordin. num.* 5. his verbis: *Primò enim minores gradus, videlicèt Acolythi, Exorciſtæ, & Oſtiarii ipſi (Græci) non conferunt; tantùm enim gradus Lectoris, & Pſalmiſtæ adminiſtrant*.

Porrò Magrius in ſuo Sacro Dictionario *Verb. Anagnoſta*. reprehenſibilem 42
fatetur hanc trium prædictorum minorum Ordinum omiſſionem, & non uſum, dicens: *At non eſt dubium in cana Græcorum Eccleſia prædictos fuiſſe. Nam de Oſtiario ſic loquitur S. Dionyſius. Miniſtrorum hi quidem ad januas Templi clauſas conſiſtunt; alii verò aliud quid proprii muneris exequuntur. De Eccl. Hier. cap. 3. De Exorciſtis Divus Ignatius Martyr, Saluto Lectores, Cantores, Oſtiarios, Exorciſtas. Epiſt. ad Antiochenos. De eiſdem Laodicenum Concilium; Non debere exorcizandi munus aſſumere ab Epiſcopis non provectos. Can.* 26. Ex his Patrum antiquorum Eccleſiæ Orientalis ſcriptis habetur expreſſa mentio *de Exorciſtis, & Oſtiariis*, adeòut non videretur dubitandum niſi *de Acolythis*; at hi in primitiva Eccleſia Græca vocabantur *Deputati*, ſeu *Ceroferarii;* ut notat idem Magrius *in Verb. Deputatus* 43
ſubdens, quòd Simeon Theſſalonicenſis *in Dialog. de Myſter. Eccleſ.* miratur, obſoletum eſſe inter Græcos *Acolythi* officium; ait enim: *Sunt & alia Deputati, & Ceroferarii officia, quæ ante Ordinationem Lectoris celebrantur, quæ ſanè, neſcio, cur non exercentur. In Eccleſia verò Theſſalonicenſium paulò ante in uſu erant, & in antiquis Ritualium exemplaribus ſcripta reperiebantur*. Hoc idem teſtatur Rituum Orientalis Eccleſiæ ſtudioſiſſimus Petrus Arcudius *lib. 5. concord. cap.* 9. Imò addit ipſemet 44
Magrius *in præd. Verb. Anagnoſta*. Romæ in Eccleſia S. Athanaſii Græcorum

Colle-

Collegii ſe expertum eſſe, hæc antiqua Ritualia obſervari in praxi ab Epiſcopis illius Ritus; & vidiſſe eoſdem Epiſcopos Græcos conferre Ordinem Acolythi ſeparatim à Subdiaconatu.

Hac in re celeberrimus in hoc noſtro
45 Publico Gymnaſio Patavino Sacrorum Canonum Interpres Abbas Papadopoli in ſuis Prænotionibus Myſtagogicis *Reſponſ.* 1. *num.* 7. aſſeverari poſſe autumat, vel cum Arcudio *lib.* 6. *cap.* 10. quatuor minores Ordines fuiſſe in uſu in antiqua Eccleſia Orientali, ſed ceſſaſſe ante Photianum Schiſma, quòd emerſit *Anno* 858. dum Photius ex miniſtro à Secretis Imperatoris Michaelis III. ſe intruſit in Epiſcopalem Sedem Conſtantinopolitanam, expulſo injuſtè Antiſtite Ignatio, ut narrat Spondanus in Epitome *ad d. Ann.* 858. ipſe enim Photius totam illam Eccleſiam, ac ejus Sacros Ritus pervertit, & confudit. Vel cum Chriſtophoro Campanas Canonarcha Chii opinandum fore, tres minores Ordines, modò neglectos apud Græcos, eſſe immiſtos,& adnexos Ordinationi Lectoris, itaut unà cum iſto Ordine reliqui tres conferantur.

Quidquid ſit de prænarrata trium minorum Ordinum omiſſione, de qua loquemur infra *Deciſ. XVIII. num.* 2. certum eſt hanc quartam Græcorum opinionem de numero Ordinum eſſe etiam apud ipſos impracticabilem; ſiquidem extat Bulla Innocentii Papæ
46 VIII. emanata Anno 1254. Quæ incipit: *Sub Catholicæ*. In Bullarii Romani *tom.*1.*pag. mihi* 103. in qua §.19. Summus Pontifex ita præcipit, & mandat Græcis Epiſcopis: *Ad hæc volumus, & expreſsè præcipimus, quòd Epiſcopi Græci ſeptem Ordines ſecundùm morem Eccleſiæ Romanæ de cætero conferant, cùm hucuſque tres de minoribus circa Ordinandos neglexiſſe, vel prætermiſiſſe dicantur. Illi tamen, qui jam ſunt taliter Ordinati per eos, propter nimiam ipſorum multitudinem, in ſic ſuſceptis Ordinibus tolerentur.* Hanc eamdem Pontificiam Conſtitutionem ponit per extenſum Pax Jordanus *in ſuis Elucubrat.* *tom.*2. *in fine ad pag.* 590. & ad ejus executionem, ac obedientiam teneri Epiſcopos Græcos, qui communionem habent cùm Sancta Apoſtolica Sede, nemo eſt, qui dubitet; prout ei obedire, & illam exequi, ſe vidiſſe teſtatur Magrius ubi ſupra *in Verb. Anagnoſta*. Græcos Antiſtites, ipſos quatuor minores Ordines ad præſcriptum Romanæ Eccleſiæ conferendo.

Quinta tandem opinio eſt Hæreticorum aſſerentium tres tantùm eſſe Ordines Eccleſiæ; *Epiſcopatum*, *Presbyteratum*, *& Diaconatum*, quia hos tres 47
tantùm reperiunt in Scriptura Sacra nominatos, ut ſcribit Emin. Card. Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis cap.* 11. quem refert Cotonius *d. lib.*3. *controv.*1. *num.*7. Cæterùm aberrant à fide, quæ fulcitur non ſola Scriptura Sacra, ſed etiam Apoſtolicis Traditionibus, per quas Sancta Catholica Eccleſia edocta eſt, uſque ab ejus initio ſeptem fuiſſe Ordines, tres majores, ac quatuor minores, ut loquitur Concilium Tridentinum *d. ſeſſ.* 23. *cap.*2. Et equidem Novatores inexcuſabiles ſunt de hujuſmodi errore; ipſi enim docent tanquam fidei ſuæ dogma indubitatum, quòd primitiva Eccleſia 48
duravit Sancta, incorrupta, & omnis erroris expers annis poſt Chiſtum circiter quingentis, ut notat Richardus Arſdekim in ſua Theologia Tripartita *tom.*1.*tract.*2. *cap.*1. *Verſ. Secundò docent.* nec non Jacobus Tirinus in Indice Controverſiarum Fidei *Controv.* 5. *num.* 2. ſubdens, eoſdem hæreticos aſſerere, ſolummodò poſt S. Gregorium Magnum, Eccleſiam deficere cœpiſſe in veritate, quòd etiam opinatum eſſe Illiricum, & Lutherum, & alios Novantes ſcribit Cornelius à Lapide 2. *Theſſalon.* 2. *Verſ.*11. Quæ aſſertio, etſi quoad hanc ſuppoſitam deficientiam falſa ſit, nihilominùs, cum juxta eorum principia admittant, eſſe veræ fidei, & veritati conforme quidquid docuit Eccleſia, & ſcripſerunt Sancti Patres quingentis illis primis annis, non abſque pertinacia, & errore negare poſſunt numerum Septenarium Ordinum Clericalium, attenta

multi-

multiplicitate teſtimoniorum circa eumdem numerum, reſultante ex Conciliis Sacris, & ex Epiſtolis SS. Dionyſii, Ignatii Martyris, Cornelii, Cypriani, Auguſtini, & aliorum Summorum Pontificum, quas ſupra recenſuimus *num.* 38. & 39. qui omnes piè, ac ſanctè vixerunt, ac eximia eruditione, & doctrina Eccleſiam gubernarunt intra curſum eorumdem quingentorum annorum.

## DECISIO IV.

### *ARGUMENTUM.*

Diſputatur, An valida ſit Ordinatio per ſaltum, ſuſcipiendo ſcilicèt Ordines ſuperiores omiſſis inferioribus? Diſtinguitur circa conſecrationem Epiſcopi, qui invalidè conſecratur omiſſo Sacerdotio; & circa Ordinationem Presbyteri, qui validè, ſed illicitè ordinatur, ſi alios Ordines omittat. Exempla, Rationes, & Auctoritates, quæ videntur ſuffragari promotioni ad Ordines per ſaltum. Earum reſolutio. An Epiſcopus poſſit diſpenſare cum promotis per ſaltum? Variæ DD. opiniones, quæ fœdere diſtinctionis concordantur.

### SUMMARIUM.

1 *Ordinatio per ſaltum an ſit valida?*
2 *Epiſcopus Ordinari non poteſt, qui non eſt Sacerdos.*
3 *Sacerdotium ubi non eſt, ibi Epiſcopalis character eſſe non poteſt.*
4 *Laicus an poſſit conſecrari Epiſcopus?*
5 *Diaconus factus Epiſcopus an poſſit Ordinare Diaconos?*
6 *Epiſcopus Sacerdos an validè conferat Ordines, quos non habet?*
7 *Presbyter an validè ordinetur, omiſſis aliis Ordinibus.*
8 *Ordinatio per ſaltum cur ſit valida, etſi illicita?*
9 *Honores de Jure Civili gradatim ſunt conferendi.*
10 *Romani aſcendebant per gradus ad ſupremos honores Reipublicæ.*
11 *Exempla Ordinatorum per ſaltum.*
12 *Ordines minores an rationabiliter omitti poſſint, & ſumi majores?*
13 *Minores Ordines qui non vult exercere, an poſſit illos omittere?*
14 *Ludificatio dare minores Ordines ei, qui in illis non miniſtrabit.*
15 *Minores Ordines aliquando non nominati.*
16 *Ordines etiam antiquitùs ſuſcepti gradatim, & non per ſaltum.*
17 *S. Cajus Papa Anno 283. decrevit, ut Ordines gradatim ſumerentur.*
18 *Scriptores de Vitis Sanctorum non omnia ab eis geſta narrarunt.*
19 *Expreſſum cenſetur, quòd virtualiter ineſt.*
20 *Abuſus non debent abolere præcepta Eccleſiæ.*
21 *Ordo ille nominatus, in quo quis intitulatur. Exempla.*
22 *Cardinalis M. Ant. Barbadicus Anno 1673. fuit Canonicus Patavinus.*
23 *Lectoris gradus olim conſpicuus. Et cur?*
24 *Zizania in medio tritici doctrinæ etiam in primitiva Eccleſia.*
25 *Suſpenſio à Divinis inflicta contra Ordinatos per ſaltum.*
26 *Et contra omittentes primam Tonſuram.*
27 *Ordinatus omiſſo Sacramento Confirmationis an peccaverit?*
28 *Diſpenſare Ordinatum per ſaltum quis poſſit?*
29 *Ordinatus per ſaltum miniſtrans ſit irregularis.*
30 *Differentia Ordinari per ſaltum ſcienter, vel ex ignorantia.*
31 *Lex nova intelligenda juxta interpretationem Legis antiquæ.*

32 *Diſ-*

32 *Diſpenſat Epiſcopus in delictis occultis ab irregularitate.*

33 *Epiſcopus an diſputet cum ordinato per ſaltum, qui de facto ſuſcepit Ordinem omiſſum?*

34 *Delictum promoti per ſaltum ſi ſit publicum, & miniſtraverit, recurrendum ad Datariam Papæ.*

SUbindè deventum fuit ad aliud Quæſitum ſatis agitatum in utraque Scho-
1 la Canoniſtarum, & Theologorum de connexione Ordinum inter ſe; videlicèt: *An quis poſſit ſuſcipere Ordines majores, omiſſis minoribus, & an reputetur benè ordinatus, qui ordinatur per ſaltum?* Ad hoc quæſitum reſponſum fuit cum diſtinctione. Vel quærimus de Ordinatione, & conſecratione in Epiſcopum, omiſſo Presbyteratu? vel de promotione ad Presbyteratum, omiſſo Diaconatu, vel Subdiaconatu, aut uno, vel omnibus Ordinibus minoribus?

Primo caſu non poteſt aliquis Ordinari Epiſcopus, niſi priùs habuerit Ordi-
2 nem Presbyteratus, & ſi ſecùs factum fuerit, non erit validè Ordinatus, neque aliquod munus Epiſcopale exercere poterit, puta Ordines conferre, confirmare, vaſa Sacra, ſeu Eccleſias conſecrare; & ſi de facto hæc fecerit, omnia erunt nulla; ea ratione quia Dignitas, ſeu Ordo Epiſcopalis neceſſariò ſupponit characterem Sacerdotii, ut validè fiat. Ita Theologi omnes, inter quos Suarez *de Cenſuris diſp. 31. Sect. 1. num. 53.* Leander *tract. 6. diſp. 1. q. 13.* Sanchez *Conſil. Moral. tom. 2. libr. 7. cap. 1. dub. 14. num. 8.* ubi plurimos DD. ita ſentientes cumulat; & noviſſimè Salmanticenſes *de Sacram. Ord.*
3 *tract. 8. cap. 2. num. 40.* ubi hanc reddunt rationem; quia Epiſcopatus non eſt novus Ordo, nec novum Sacramentum, ſed complementum perfectiſſimum Sacerdotii; & ideò non infundit novum characterem, ſed Sacerdotalem extendit. Extenſio autem, & perfectio rei haberi non poſſunt abſque ipſa re; ſicque cum character Epiſcopalis non ſit diverſus à Sacerdotali, ſed ſit idem magis extenſus, invalida omninò eſt conſecratio in Epiſcopum, niſi conſecrandus fuerit priùs Sacerdos.

Cæterùm, quia tùm Canoniſtæ, tùm Scotiſtæ tenent, Epiſcopatum eſſe verum Ordinem diſtinctum à Presbyteratu, ut retulimus ſupra *Deciſ III. nu.21. & num.28.* idcircò plures Inter- 4
pretes Canonum docuerunt contrarium, & voluerunt, etiam Laicum poſſe validè conſecrari in Epiſcopum, etſi alios Ordines neque minores, neque majores ſuſcepiſſet; & hujus opinionis aſſertores fuerunt Bartolomæus Brixienſis, Joannes Andreas, Hugo, Archidiaconus, Henric. Boich, Præpoſitus, Abbas, & quos citat, ſed non ſequitur Fagnanus *tom. 6. in cap. Tuæ litteræ num. 6. De Clerico per ſaltum promoto;* imò ibi allegat plurimos Canoniſtas nullitatem Conſecrationis Epiſcopalis de perſona laica tenentes; quam ipſe quoque tenet, & antea etiam docuerat in *cap. Requiſivit. num. 81. De Ordinatis ab Epiſcop. qui renunc. Epiſcop. tom. 2.* ubi hanc aliam reddit rationem, nempè: *Quia actus principalis Epiſcopi eſt ordinare Sacerdotes. cap. Cleros. §. Pontifex. 21. diſt. cap. Quamvis. 68. diſt. poteſtatem exercendi hujuſmodi actum non poteſt Epiſcopus in ſua conſecratione accipere, niſi etiam ſit Sacerdos; cum non ſit poſſibile, ut conferat alteri Ordinem Sacerdotalem, quem non habet ſecundum Innocentium in cap. Quanto. de Conſuetud.* Sylveſter *in Verb. Ordo 1. num. 1. Verſ. Sed ſi ſit Sacerdos.*

Hæc tamen ratio, pace tanti Viri, mibi non placet, & videtur inconclu- 5
dens, ſiquidem ſequeretur, quòd ſi quis Subdiaconus, vel Diaconus tantùm conſecraretur in Epiſcopum, omiſſo Sacerdotio, poſſet validè ordinare Diaconos, vel Subdiaconos, & conferre illos Ordines, quos ipſe haberet; quòd ſanè falſum eſt, quia conſecratio Epiſcopalis nulla eſt quo ad omnia in non habente Sacerdotium; & conſecratus Epiſcopus ſine Sacerdotio nullos actus

Epiſco-

Epiſcopales poteſt exercere, ut ajunt Salmanticenſes, & alii Theologi ubi proximè allegati; qui è contra *num.* 41.
6 docent, quòd ſi quis eſſet ordinatus Presbyter omiſſis Diaconatu, Subdiaconatu, & aliis minoribus Ordinibus, & deindè conſecraretur Epiſcopus, validè conferret Diaconatum, Subdiaconatum, & alios minores Ordines. Ratio rationis eſt, quia ſicut Epiſcopatus, eſt perfectiſſimum Sacerdotium; & ſicut ubi non præcedit character Sacerdotalis nulla eſt Epiſcopalis conſecratio; ita ubi exiſtit Sacerdotium, ſi ſuperveniat Epiſcopatus, extenditur Sacerdotalis character ad illam perfectionis ſummitatem; & ejus vigore validè exerceret actus proprios illius Dignitatis, etiam conferendo Ordines inferiores Presbyteratu, quos ipſe non haberet; cum ſatis ſit ad validè conſecrandum Epiſcopum, ut in conſecrando præcedat Sacerdotium. Gonzalez *in Commentar. ad Cap. Tuæ nobis num.* 7. *de Clerico per ſalt. promot. tom.* 5. Qui è contra vult ſatis eſſe, ut quis ſit Presbyter adhoc, ut validè conſecretur Epiſcopus. Sed contra hanc opinionem ſcribit Fagnanus *in d. cap. Unico. De Cler. per Salt. prom. num.* 8. dicens quòd Presbyter conſecratus Epiſcopus ſine Diaconatu, vel aliis inferioribus Ordinibus, ſi illos conferret, nulliter conferret, *ex cap. Gratia. Cap. Ventum eſt* 1. *q.* 1. *cap. Daibertus* 1. *q.* 7. *& cap. Quomodo. De Conſecr. diſt.* 4. Attamen verum eſt, quòd ſic conſecratus ad licitè exercendos actus Epiſcopales, eſſet obligatus recipere Ordines Diaconatus, vel Subdiaconatus, aut minores, quos non haberet; ob illam regulam omni exceptione carentem, quòd in Ordinato per ſaltum ſupplendus eſt omnis gradus, qui fuerat prætermiſſus, ut infra dicemus.

Secundo caſu, ſi quis ordinetur Presbyter, omiſſo Diaconatu, vel Subdiaco-
7 natu, aut aliquo, vel omnibus ex minoribus Ordinibus, erit quidem validè Ordinatus, ſed illicitè, & ideò remaneret ſuſpenſus, donec reciperet Ordines omiſſos, & ſi interim exercuiſſet Ordinem ſuſceptum, incurriſſet in irregularitatem, & opus eſſet diſpenſatione. *cap. Unico. De Clerico per ſaltum promoto. cap. fin.* 51. *diſt. cap. Sollicitudo.* 52. *diſt. cap. Si officia. & per tot.* 59. *diſt. cap.* 1. *& per tot.* 60. *diſt.* Latè Fagnanus *in cit. cap. Unico à num.* 16. *& ſeqq.* ubi allegat Canoniſtas inter ſe contrarios diſputantes, An Ordinatus per ſaltum ſit ſuſpendendus, aut ſit ipſo Jure ſuſpenſus? & concludit eſſe ſuſpenſum ipſo Jure per *d. cap. Sollicitudo* 52. *diſt. & cap. Unico. De Cleric. per ſalt. prom.* & ideò miniſtrando in Ordine malè ſuſcepto incurrit irregularitatem, *ex cap. Cum æterni. De Re Judic. libr.* 6. Lapus *allegat.* 28. & Emin. Card. Toletus *in ſumma libr.* 1. *cap.* 50. *in Verb. Duo Sunt.*

Ratio autem propter quam Ordina-
tus per ſaltum ſit quidem validè Ordina- 8
tus, etſi illicitè, illa eſt, nam annexio Ordinum, & eorum gradus ſervandi in Ordinatione (ut hæc incipiat à prima Tonſura, & ab Oſtiariatu aſcendendo gradatim uſque ad Presbyteratum) non provenit ex inſtitutione Chriſti, neque ex neceſſitate Sacramenti, ſed tantummodò ex præcepto Eccleſiæ, quæ juſtiſſimè decrevit, neminem ad gradum ſuperiorem aſſumi, quin priùs in humiliori, & inferiori fuerit promotus, & in eo miniſtraverit, ut ex pluribus Decretis Summorum Pontificum, & Conciliorum oſtendit Gonzalez *in cit. cap. Unico De Cleric. per ſalt. prom. num.* 2. ubi Canoniſtas, & Theologos cumu-
lat hoc idem docentes; & *num.* 5. reddit 9
rationem tùm ex legibus civilibus, quæ diſponunt, ut gradatim ad dignitates perveniatur. *l. Ut gradatim* 11. *l. Honor.* 14. *§. Gerendorum. ff. de Munerib. & Honor.* tùm ex Hiſtoriis profanis, nam Romani non ſolùm in militia Caſtrenſi hunc Ordinem ſervabant. Lipſius de Militia Romana *lib.* 2. *Dial.* 8. verùm
& in Togata, nam per gradus Patritii 10
nobiles ad Rempublicam gubernandam aſcendebant, videlicèt primùm per Quæſturam, deindè per Ædilitatem, poſtea per Præturam, poſt illam per Conſulatum

ſulatum

ſulatum, tandem per Cenſuram, ad Patriciatum. Titus Livius *lib.* 32. Caſſiodorus *lib.* 1. *Epiſt.* 3. & eſt præceptum Ariſtotelis pro conſervanda Republica *lib.* 3. *de Republ. cap.* 8. & diſſerit Tholoſanus *Syntag. Juris lib.* 47. *cap.* 15. Hinc *D.* Cyprianus Epiſt. 52. ad Antonianum ſcribit: *ipſe ad Sacerdotii ſublime faſtigium cunctis Religionis gradibus aſcendit.* Et S. Hieronymus *in Epiſt. Ad Nepotianum. Fit Clericus, & per ſolitos gradus Presbyter ordinatur.*

Porrò contra hanc graduum obſervantiam in ſuſcipiendis ordinibus, ut à minori ad ſupremum; à prima Tonſura ad Oſtiariatum, & ſubinde ab aliis tribus minoribus, ad tres majores aſcendendum foret ex præcepto Eccleſiæ, obiiciuntur exempla contraria, rationes, & auctoritates. Exempla haben-
11 tur. Primò: De Optato Lectore, quem S. Cyprianus ordinavit Subdiaconum, ut in ejus *Epiſt.* 24. Secundò: De Sancto Joanne Chryſoſtomo, qui fuit ordinatus Lector, deindè Diaconus, poſtea Presbyter, ultimò Epiſcopus, ut in ejus vita ex Metaphraſte apud Surium 27. *Januar.* Tertiò: De S. Martino Turonenſi Epiſcopo, quem legimus in ejus vita *die* 11. *Novembris*, conſcripta à Severo Sulpitio ejus Diſcipulo, ordinatum fuiſſe Exorciſtam à S. Hilario Pictavienſi Epiſcopo, deindè factum Epiſcopum. Quartò: De S. Eutichio Patriarcha Coſtantinopolitano, qui primùm fuit Lector, deindè Diaconus, poſtea Presbyter, ſucceſſivè Epiſcopus, ut ex Metaphraſte Surius *die* 6. *Aprilis*. Quintò: Eoſdem tantùm Ordines habuiſſe Joannem Epiſcopum Cabilonenſem ſcribit Sidonius *libr.* 4. *Epiſt.* 25. Sextò: S. Epiphanius Ticinenſis Epiſcopus Subdiaconus primùm, ſecundò Diaconus, tertiò Epiſcopali charactere fuit inſignitus, teſte S. Evodio in ejus Cathedram Succeſſore apud eumdem Surium *tom.* 1. *die* 22. *Januarii*. Septimò: De altero S. Epiphanio Epiſcopo Salaminæ; ubi Sede illa Epiſcopali vacante, orantibus omnibus de Clero pro ſucceſſore eligendo, ex Dei revelatione adductus eſt in Eccleſiam illam Epiphanius, qui eorum intellecta reſolutione clamavit, *Non ſum in Clero: Non ſum Clericus:* Sed Pappus Epiſcopus Cytriæ *eum ordinavit Diaconum; & rurſus dat ei pacem, & ipſum ordinavit Presbyterum. Rurſusque facta conſequentia, & eum ordinavit Epiſcopum*, Ita ex Metaphraſte Surius *tom.* 3. *die* 12. *Maii*. Octavò: De S. Felice Presbytero, & Martyre ait S. Paulinus, quòd incæpit ſuum Clericatum ab Exorciſtatus Ordine; deindè fuit ordinatus Sacerdos; undè *Natal.* 4. cecinit:

*Indè gradum cæpit, cui munus voce fideli*
*Adjurare malos, & Sacris vellere verbis.*
*Quod quia perſpicua meriti virtute gerebat.*
*Jure Sacerdotis veneranda inſignia nactus.*

Ex his, & aliis exemplis, quæ referuntur à Gonzalez *in cit. cap. Unico. De Cler. per ſalt. prom.* à Gaſpare Ivenim *in ſuo Comment. Hiſtor. & Dogm. De Sacram. tom.* 2. *Diſſert.* 8. *q.* 8. *cap.* 4. & ab Illuſtriſſimo, ac Reverendiſſimo Pompeo Sarnellio Epiſcopo Vigiliarum, vulgò *di Biſeglia*, in Regno Neapolitano, *Epiſtolar. Eccleſiaſticar. tom.* 2. *Epiſt.* 15. apertè deducitur, antiquiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem fuiſſe ordinandi Clericos per ſaltum, ac ſine ſcrupulo plurimos evectos fuiſſe ad Ordines majores, omiſſo uno, duobus, vel omnibus Ordinibus minoribus; prout etiam non paucos aſcendiſſe ad Presbyteratum, prætermiſſo vel Diaconatu, vel Subdiaconatu; &, quod magis eſt, Epiſcopalem conſecrationem obtinuiſſe, Sacerdotio non ſuſcepto.

Ratione etiam probari poſſe videtur, non eſſe illicitam promotionem ad Ordines per ſaltum. *Primò*, quia ſicut licitè plures ſumunt vel ſolos Ordines mi- 12
nores, vel unum, aut duos ex majoribus abſque animo aſcendendi ad Superiores, imò cum deliberato propoſito eos numquam ſuſcipiendi; ita licitum erit ſumere aliquem Ordinem majorem, & relin-

relinquere minores, & ſic ordinari per ſaltum; cum uniuſcujuſque ordinandi voluntas, & commodum quo ad ſuſceptionem Ordinum Clericalium attendatur. *Secundò*, & alia ratio urgentior
13 eſt, non conferendi Ordines minores cupienti, & petenti aliquem ex majoribus tantùm, & ſic eum ordinandi per ſaltum; ſcilicèt quia petens Ordinem majorem pro comperto habet, & certò ſcit, ſe numquam miniſtraturum in minoribus. Propono caſum. Vacat Canonicatus Diaconalis in Eccleſia Cathedrali. Vir nobilis illum affectat, poſtulat precibus, officiis, amicitiis, & obtinet; ſed quia habet annexam Præbendam Diaconalem, inſtat apud Epiſcopum ſibi conferri Ordines à primo uſque ad Diaconatum. Seu vacante pingui Archipresbyteratu cum Cura Animarum, Laicus dives illum procurat, ac conſequitur; ſubindè accedit, ut omnes Ordines ſibi Epiſcopus conferat, à prima Tonſura, & Oſtiariatu uſque ad Sacerdotium. Interrogo. Iſte Archipresbyter, & ille Canonicus ſunt ne aliquando exercitaturi Ordines minores; & eorum officia miniſtraturi? Meherclè nunquam; nam indignum reputabit uterque vel Oſtiarii, vel Acolythi miniſterium in Eccleſia gerere. Ad quid ergo iiſdem conferre minores Ordines? Eſt ne eorum inſtitutio nomine tenus tantùm? An non hoc eſt,
14 ut ajt Duarenus *lib. 1. de Sacris Eccl. cap.* 16. dicis tantùm cauſa Ordines inferiores accipere? Nonnè, ut ſcribit Gonzalez *in præcit. cap. Unico. De Cleric. per ſalt. prom. ſub num.* 3. hæc eſt quædam ludificatio Ordines minores conferre iis, qui ad majora officia deſtinantur? Igitur non erit illicitum ab eorum collatione abſtinere, & majores ſolummodò, ad quos adſpirant, elargiri.

Auctoritates pro alicujus minoris Ordinis omiſſione non videntur deeſſe. Nam S. Zoſimus, qui fuit electus Papa anno 417. loquens de eo, qui vult promoveri ad Ordines, *in cap. Si officia* 59. *diſt.* ita decrevit: *Aſſueſcat in Domini caſtris in Lectorum primitùs gradu divini rudimenta ſervitii, nec illi vile ſit Exor-* 15
*ciſtam, Acolythum, Subdiaconum, Diaconum per Ordinem fieri*. Igitur ſi à Lectore primitùs eſt incipiendum, prima Tonſura, & Oſtiarii Ordo poteſt omitti. Idem cenſuiſſe refertur Gelaſius Papa electus *anno* 492. *in Epiſt. ad Epiſc. Lucaniæ cap.* 3. S. Cyprianus *Epiſt.* 24. fatetur, Optatum Clericum Lectorem à ſe promotum ad Ordinem Subdiaconatus, & nihil dicit de Acolythatus Ordine. Ac aliis omiſſis S. Thomas 3. *part. in ſupplem. quæſt.* 35. *art.* 5. docet, quod *In primitiva Eccleſia aliqui ordinabantur in Presbyteros, qui priùs inferiores Ordines non ſuſceperant*.

His tamen minimè obſtantibus tenendum, ac dicendum eſt, Ordinari per ſaltum ſemper fuiſſe prohibitum; & ſeptem Eccleſiæ Ordines gradatim eſſe ſuſceptos; ut habetur *in cap. Cleros* 16
21. *diſt. in cap. Perlectis*. 25. *diſt.* & præcipuè in Decreto S. Caii Papæ, & Martyris *in cap.* 1. *diſt.* 77. relato per me ſupra *Deciſ. I. num.* 12. quòd iterùm non me piget hìc referre, cum ſit Magiſtrale, & eſt hujuſmodi. *Illud Nos ſtatuentes vobis, & omnibus ſervare mandamus, ut ad Ordines Eccleſiaſticos ſic aſcendant in Eccleſia, qui ordinari merentur; ideſt, Si quis Epiſcopus eſſe meretur, ſit primùm Oſtiarius, deindè Lector, poſtea Exorciſta, indè Sacretur Acolythus; denum verò Subdiaconus, deindè Diaconus, & poſtea Presbyter; & exindè ſi meretur, Epiſcopus ordinetur.* Item S. Sylveſter Papa in Concilio Romano *can.* 5. ita decrevit: pag. mihi 593. *Si quis Clericatum promereri deſiderat, hoc juſtum eſt, ut ſit Oſtiarius Annum unum. Lector Ann.* 20. *Exorciſt. Ann.* 10. *Acolythus Ann.* 5. *Subdiaconus Annos* 5. *Diaconus Ann.* 5. *& ſic ad honorem Presbyterii accedat*. Igitur, attentis his anti- 17
quiſſimis Eccleſiæ præceptis, nam S. Cajus factus fuit Papa *Anno* 283. & Sanctus Sylveſter fuit electus *Anno* 313. ad exempla in contrarium adducta, reſpondetur, per ea non benè inferri, quòd illi Sancti Viri, quos ſuſcepiſſe aliquos

Digitized by Google

aliquos Ordines narrant Auctores eorum vitæ, non ſuſceperint gradatim omnes Ordines ad præſcriptum Eccleſiæ; ſiquidem cum ipſi non ignorarent Sacrorum Canonum præcepta, præſu-
18 mitur, nullum ex Ordinibus eos omiſiſſe, etſi ab Auctoribus eorum vitam ſcribentibus id non ſit expreſſum; ſatis enim expreſſum dicitur, quòd intelligitur à jure. *l. Licèt Imperator ff. de leg.* 2. Tiraquell. *in l. Si unquam num.* 158. *C. de Revoc. donat.* Et expreſſum cenſe-
19 tur, quòd virtualiter ineſt. Gratian. *Diſcep. for. tom.* 5. *cap.*855. *num.* 14. Barboſa *Axiom.* 89. *num.* 12. & 13. ubi, quòd ſatis habetur expreſſum, quòd ſub ratione comprehenditur; ideò non eſt credendum, quòd illi Sancti homines omiſerint aliorum Ordinum ſuſceptionem, quos rationabiliter ſciebant, ſe ſuſcipere oportere.

Ad rationes de non uſu minorum Ordinum in beneficiatis nobilioribus, re-
20 ſpondetur eas eſſe veras, imò veriſſimas in praxi; at ex his abuſibus aboleri non poſſe præceptum Eccleſiæ ac eius intentionem, ut nemo aſcendat de Ordine inferiori ad Superiorem, niſi immoratus fuerit in primo, & in eo miniſtraverit per tempus à jure ſtatutum, de quo loquuntur Canones *in diſt.* 75. Utinam omnes Antiſtites in Ordinibus, ac beneficiis conferendis id, quòd Sacri Canones decernunt, & Tridentinum Concilium *tota ſeſſ.* 23. ſervarent. Utinam ſibi præfigerent Regulam illam, quam omni conatu ſervare ſtudebat Eminentiſs. & Reverendiſs. Sanctæ memoriæ Cardinalis meus Gregorius Barbadicus Epiſcopus Patavinus, ordinandos eſſe paucos Clericos, eoſque non niſi probatæ vitæ, & non mediocris ſcientiæ; & in diſtributione beneficiorum, non ex humanis affectibus, aut motivis, ſed ex debito diſtributivæ juſtitiæ, quæ dignioribus ob labores in Eccleſia vult eſſe conferenda, conferrent. Utinam omnes Prælati Eccleſiarum legerent tractatum *de Sacra Ordinatione*, quòd Epiſcopus Criſpinus typis dedit Neapoli *Anno.* 1680. & revelationem S. Birgittæ *libr.* 7. *cap.* 12. Sed nimis crevit abuſus, qui nunc pro lege ſervatur. Adden. ad Rotam *part.* 3. *rec. deciſ.* 28. *num.* 250.

Ad Auctoritates ex adverſo adductas, dupliciter reſpondetur: Uno modo, quòd plures dicebantur de uno Or- 21
dine ibi expreſsè nominato ad alium altiorem aſſumi, omiſſo medio, puta de Lectore ad Diaconatum; non ex eo, quòd omitteretur Ordo medius, ſeu inferior, ſed quia in Ordine particulariter expreſſo Clericus ille, vel intitulatus erat, vel egregiè ſeipſum exercuerat. Sit exemplum. In Cathedrali Patavina Anno 1673. Nobilis, ac Patricius Venetus Marcus Antonius Barbadicus (nunc S. R. E. Cardinalis Ampliſſimus, & Montis Flaſconi, ac Cor- 22
neti piiſſimus Antiſtes,) proviſus fuit Canonicatu Diaconali, quamvis jam eſſet in Sacerdotio conſtitutus. Si quis interrogaſſet, quiſnam eſſet Canonicus ille? habuiſſet in reſponſo, eſt Canonicus Diaconus Eccleſiæ Patavinæ, & nihilominùs omnes alios Ordines habebat minores, ac majores. Pari modo antiquitùs, qui titulum, aut Præbendam Lectoralem habebant, dicebantur Clerici Lectores, & dum promoverentur ad aliam Præbendam, vel Titulum majorem, puta Diaconatum, vel Presbyteratum, dicebantur fieri Diaconi, vel Sacerdotes, tacitis Ordinibus intermediis; non tanquam promoti per ſaltum, vel illis non ſuſceptis; ſed quia denominatio fiebat à titulo, & officio principali, in quo collocabantur. Et quoniam gradus Lectoris erat conſpicuus, quia ad ejus officium ſpectabat, non ſo- 23
lùm legere Prophetias, ſed etiam docere, & inſtruere Catechumenos, & alios rudes fideles in myſteriis fidei; ideò, ut plurimùm, qui ad altiores Ordines promovebantur, dicebantur de Lectore fieri Diaconi, vel Sacerdotes; ideſt, non omiſſis mediis Ordinibus, ad illum exaltari, in quo multò magis pro animarum ſalute laborarent. Magrius in Hierolex. *Verb. Lector.* & ibi S. Cyprianus *Epiſt.* 33. & 34. in quibus

de Aurelio, ac Celerino Lectoribus: &
prælaudatus Antiſtes Sarnellius *Epiſto-
lar. Eccleſiaſtic. tom. 2. Epiſt. 15. pag. 71.*
ubi ita ſcribit: Oltre alle coſe ſodette ſi
„ vede, che anco dopò il Decreto di
„ Gajo, e di Silveſtro, che per tutti
„ i ſette Ordini di grado in grado, e con
„ i dovuti interſtitii ſi aſcendeſſe. Si
„ nominavano ne i Concilii non tutti i
„ ſette gradi, mà i più coſpicui ſolamen-
„ te così nel Concilio Sardicenſe *can.* 10.
„ *Oſius Epiſcopus dixit: Si quis dives*,
„ *vel ex foro Scholaſticus*, *Epiſcopus fie-*
„ *ri dignus habeatur*, *non priùs conſtitua-*
„ *tur*, *quàm Lectoris*, *&* *Diaconi*, *&*
„ *Presbyteri miniſterium peregerit*; *ut in*
„ *unoquoque gradu*, *ſi dignus exiſtimatus*
„ *fuerit*, *ad Epiſcopatus faſtigium per*
„ *progreſſionem poſſit aſcendere*. Dove
„ ſotto il nome di Lettore vengono com-
„ preſi gli altri tre Ordini minori; e
„ nel Diaconato anco il Soddiaconato.
„ Similmente nel Concilio Bracarenſe
„ 1. *Can.* 38. *Ex Laico ad gradum Sacer-*
„ *dotis nemo veniat*, *niſi priùs anno inte-*
„ *gro in officio Lectorum*, *vel Diaconatus*
„ *diſciplinam Eccleſiaſticam diſcat*; *&*
„ *ſic per ſingulos gradus eruditus ad Sa-*
„ *cerdotium veniat*. Ecco, che quelle
„ parole *per ſingulos gradus*, e quelle ſo-
„ pradette *per progreſſionem*, nel De-
„ creto Sardicenſe, dimoſtrano, che
„ quantunque habbia nominato il Let-
„ torato, ò il Diaconato, intende però
„ anco tutti gli altri gradi. Hinc etiam
doctiſſimus Morinus *de Sacr. Ordinat.*
*part.* 3. *cap.* 2. *num.* 15. obſervat, quòd
ſaltus ſæpè ſignificabat non omiſſionem
Ordinis inferioris, ſed aſcenſum ad ma-
jorem ſine debitis interſtitiis.

Quo verò ad auctoritatem S. Thomæ
aſſerentis, quòd *in primitiva Eccleſia ali-*
24 *qui Ordinabantur in Presbyteros*, *qui*
*priùs inferiores Ordines non ſuſceperant*.
3. *p. in ſuppl. q.* 35. *art.* 5. reſpondetur,
negari non poſſe, quòd in agro Eccle-
ſiæ etiam primis illis temporibus in me-
dio tritici catholicæ doctrinæ fuerit ſu-
perſeminatum Zizania diverſorum abu-
ſuum; inter quos, quòd aliquis ordi-
naretur Presbyter omiſſis inferioribus
Ordinibus; hinc S. Joannes in Apoca-
lypſi *cap.* 2. *&* 3. ſcribit Epiſcopis
Epheſino, Pergamenſi, Thyatirenſi,
Sardicenſi, & Laodicenſi, redarguens,
& monens illos, ut corrigant nonnullas
ſuas operationes, quæ reprehenſione
dignæ erant; ideò nec mirum, ſi aliqui
Epiſcopi omittebant vel ex negligen-
tia, vel ex abuſu conferre Ordines mi-
nores petentibus majores; ad quem
abuſum eliminandum Summi Pontifi-
ces ſtatuerunt pœnam ſuſpenſionis in
illos, qui per ſaltum ordinarentur, ut 25
*in cap. Sollicitudo*. 52. *diſt.* & *in cit. cap.* 1.
*De Cler. per ſalt. prom.* & ſi malè pro-
moti auſi eſſent in ſuſceptis Ordinibus
miniſtrare, fierent irregulares. *cap.*
*Cum æterni*. *De Re judic. libr.* 6. neque
ad altiores Ordines poſſent aſcendere,
niſi diſpenſationem impetrarent. Bar-
boſa *alleg.* 47. *num.* 1. Layman *libr.* 5.
*de Sacram. Ord. cap.* 10. *num.* 9. & la-
tè Theſaurus *de Pœnis Eccl. part.* 2.
*Verb. Ordines cap.* 13. *num.* 1. ubi ulte-
riùs advertit, quòd incurrit ſuſpenſio-
nem etiam ille, qui ſuſcipit Ordines 26
minores omiſſa prima Tonſura, ex
Sayro *libr.* 4. *cap.* 14. *num.* 26. & ex de-
claratione Sacræ Congregationis; Or-
dinatus autem omiſſo Sacramento Con-
firmationis non dicitur promotus per
ſaltum, & nullam incurrit cenſuram;
ſed tantummodò peccat mortaliter ex
Diaz *in praxi cap.* 24. Navarro *cap.* 25.
*num.* 69. & eodem Sayro *libr.* 7. *cap.* 10. 27
*num.* 42. Quamvis contrarium doceant
DD. quos citat Barboſa *alleg.* 2. *num.* 14.
& ipſe Diana *part.* 9. *tract.* 6. *reſol.* 46.
quæ nunc reperitur in Coordinato *tom.* 1.
*tract.* 2. *reſol.* 4. ubi firmant, non Con-
firmatum, ſuſcipiendo Ordines, mini-
mè peccare; ſed teneri quamprimum
confirmationis Sacramentum recipere.

Corollarii loco, ſtudioſus quis inter-
rogabit, à quo ſit petenda diſpenſatio
pro ordinato per ſaltum, ad hoc ut Or- 28
dines omiſſos poſſit recipere, & in jam
receptis licitè miniſtrare? Ad hanc in-
terrogationem reſpondendum eſt cum
hac diſtinctione: Vel promotus per
ſaltum miniſtravit in Ordine per ſaltum
ſuſce-

ſuſcepto? Et in hoc caſu ſolus Papa poteſt cum eo diſpenſare; ea ratione quia factus eſt irregularis. *d. cap. Cum æter-*
29 *ni. De Re judic. lib. 6. cap. Cum medicinalis. in fin. de Sent. excom. eod. lib. 6.* Sylveſt. *in Verb. Irregularitas. num. 13.* Borgaſ. *de Irregular. part. 6. tit. De Clerico per ſalt. prom. num. 7.* Sayr. *libr. 7. cap. 10. num. 39.* Theſaurus *de Pœnis Eccl. d. part. 2. Verb. Ordo cap. 13. Verſ. Super hac.* Facit Concil. Trid. *ſeſſ. 23. de ref. cap. 14.* in fine, ubi ait: *Cùm promotis per ſaltum, ſi non miniſtraverint, Epiſcopus ex legitima cauſa poſſit diſpenſare.* Ergo ſi miniſtraverint, ſolus Papa diſpenſat. Aut non miniſtravit? Et tunc eſt ſubdiſtinguendum: Vel fuit promotus per ignorantiam? Et cùm eo diſpenſat Epiſcopus. *per cap. Sollicitu-*
30 *do. 25. diſt. & per cap. 1. de Cler. per Salt. prom.* Vel fuit promotus per ſaltum ſcienter? Et in hoc caſu duæ ſunt opiniones Doctorum. *Una*, quòd Epiſcopus poſſit diſpenſare, quia Concilium dat ei hanc facultatem, nihil aliud requirendo, niſi quòd Ordinatus per ſaltum non miniſtraverit, ut in *d. ſeſſ. 23. cap. 14. in fin.* Ita tenent Marius Alterius *tom. 2. de Cenſuris diſp. 10. cap. 5. Verſ. hoc in loco.* Salzedo ad Diaz *cap. 24.* Theſaur. *de Pœnis d. cap. 13. Verſ. Super hac;* ubi ait poſſe Epiſcopum diſpenſare cùm ſcienter promoto etiam in caſu publico. Altera eſt opinio Fagnani *in præcit. cap. 1. De Cleric. per ſalt. prom. num. 24. & 25.* ubi docet, Epiſcopum non poſſe diſpenſare niſi cum ignoranter promoto, ea ratione, quia Canones antiqui id non permittebant Epiſcopis, niſi promotio per ſaltum facta fuiſſet ex ignorantia, ut *in d. cap. 1.* ubi Hoſtien. *Verb. Negligentia, & in cap. Sollicitudo. 52. diſt.* Nec valet, quòd Concilium Tridentinum non diſtinguat inter promotum ſcienter, & promotum ex ignorantia: quia reſpondet Fagnanus Decretum Concilii eſt lex nova, quæ intelligenda eſt cùm interpretationibus, & limitationibus, quas materia
31 ab antiquis legibus recipiebat. *l. In contractibus. § Præterea C. de Non numer. pecun.* Quod procedit etiamſi lex nova ſuperveniens in materia diſpoſita per leges veteres generaliter loquatur; quia nihilominùs diſtinguitur, prout diſtinguunt leges antiquæ, ut poſt alios notat Jaſ. *in l. Sciendum. in princ. ff. Qui ſatiſdare cogantur.* Idque ne videatur leges veteres corrigere. Ita Fagnanus *d. num. 25.*

Ab ipſo tamen diſcordat Pax Jordanus *tom. 2. libr. 9. tit. 1. de Diſpenſationib. num. 168.* ubi tenet, eſſe permiſſum 32
Epiſcopo diſpenſare cum promoto per ſaltum ſivè ignoranter, ſivè ſcienter, dummodò in ſuſceptis non miniſtraverit: imò *num. 170.* concedit Epiſcopo hanc facultatem diſpenſandi etiamſi promotus per ſaltum miniſtraſſet, quando delictum eſſet occultum; & hoc vigore privilegii Epiſcopis indulti ab eodem Tridentino Concilio *ſeſſ. 24. de ref. cap. 6.* Bonacina *de Cenſur. diſp. 7. q. 3. punct. 4 num. 5.* Et ſufficit quòd delictum ſit occultum in genere delicti, quamvis Ordo fuerit publicè ſuſceptus. Bonacina *d. loc.* & ipſe Jordanus *ibid. num. 171.* addens, quod huic facultati Epiſcopi nihil obſtat Conſtitutio Sixti V. contra malè promotos, quia in hac parte, inquit, redacta fuit ad terminos Juris communis per aliam Conſtitutionem Clementis VIII.

Tandem, & illud notat Jordanus *num. 173.* quòd Epiſcopus poterit diſpenſare cùm promoto per ſaltum, 33
etiamſi iſte de facto, & abſque diſpenſatione ſuſcepiſſet Ordinem jam omiſſum, dummodò utrumque delictum ſit occultum; Et hoc vigore *d. cap. 6. ſeſſ. 24.* quamvis id neget Barboſa *de pot. Epiſc. alleg. 47. num. 16.* In caſu contingenti, ſi delictum ſit occultum, tutius erit occurrere ad Sacram Pœnitentiariam, quæ hanc expreſſam facultatem habet ex conceſſione Innocentii Papæ XII. ut ſcripſi *de Sacram. Pœnit. Deciſ. 48. ſub num. 11. Verſ. Nonò concedit.* Quòd ſi 34
delictum hujus ordinationis per ſaltum ſit publicum, & ſic per ſaltum promotus in eo miniſtraverit, recurrendum eſt ad Datariam Papæ, vel ad ejus Cancellariam Apoſtolicam pro obtinenda diſ-

da diſpenſatione pro ſuſcipiendis ordinibus prætermiſſis, tùm ut in ſuſceptis licitè miniſtrare valeat, tùm etiam ut beneficia poſſit obtinere, vel retinere jam obtenta, ut docet Pyrrhus Corradus *in Praxi Diſpenſ. Apoſtol. lib. 4. cap. 12. per totum*, ubi ponit formam ſupplicationis in his caſibus.

## DECISIO V.

### *ARGUMENTUM.*

Traduntur tres definitiones Sacramenti Ordinis, quarum Tertia, quæ eſt Scotiſtarum declaratur, & ex ea demonſtrantur quinque genera cauſarum, quæ in Sacra Ordinatione concurrunt; Inſtrumentalis, Formalis, Materialis, Efficiens, & Finalis. Hæc ultima eſt Gratia, idoneos faciens Clericos pro Altaris miniſterio. Signa viſibilia ejuſdem Gratiæ ſuper aliquos Sanctos, dum promoverentur ſeu ad Ordines, ſeu ad Epiſcopatum. Prodigium Sanguinis S. Joannis Baptiſtæ ebullientis in Phiala poſita ſuper Ara, in qua Miſſa celebratur.

### SUMMARIUM.

1 *Ordinis Sacramenti definitio tradita à S. Thoma.*

2 *Alia à Summa Diana.*

3 *Simonia an ſit conferre Ordines ob lucrum temporale?*

4 *Ordinis definitio data à Scotiſtis.*

5 *Eſſentia Sacramenti Ordinis in quo conſiſtat?*

6 *Clericus eſt excelſior quocunque Laico.*

7 *Valentiniani Imperatoris dictum circa electionem Epiſcopi.*

8 *Melchiadis Imperatoris obſequium erga Eccleſiaſticos.*

9 *Alexandri Magni reverentia erga Pontificem Judæorum.*

10 *S. Franciſcus Clericum præferendum Angelo dicebat.*

11 *Tituli, quibus Clerici decorantur.*

12 *Epiſcoporum officium ordinare Clericos.*

13 *Forma Ordinum in quibus conſiſtat?*

14 *Materia Ordinum quæ?*

15 *Ordinis Sacramentum inſtitutum à Chriſto Domino.*

16 *Ordinis Cauſa finalis quæ?*

17 *Columba volitat ſuper caput S. Jo. Chryſoſtomi, dum ſit Sacerdos.*

18 *Viſio ejuſdem Sancti in Miſſa, facta conſecratione.*

19 *Signa cæleſtia in electione SS. Pontificum Fabiani, & Gregorii, ac Athanaſii.*

20 *S. Remigius dum conſecratur Epiſcopus radio cæleſti tangitur.*

21 *Angeli vocantur Sacerdotes. Et ſunt ſimiles S. Jo. Baptiſtæ.*

22 *S. Joannis Baptiſtæ Sanguis liqueſcens in ampulla, dum celebratur Miſſa in Eccleſia Monialium Eremitarum Neapoli.*

Alia duo ſequuntur Quæſita ad generalem notitiam Sacramenti Ordinis ſpectantia, & omninò ſcitu neceſſaria, quæ ſunt: *Unum* quid ſit Sacramentum Ordinis? *Alterum*, An omnes ſeptem Ordines, & eorum ſinguli ſint Sacramenta.

Quo ad Primum tres relatæ ſunt definitiones. Prima Magiſtri ſententiarum 1
*diſt. 24.* quàm refert etiam Fornarius *in addit. ad Summam Toleti poſt lib. 8. de Sacram. Ord. cap. 1. num. 1.* & eam ponit etiam S. Thomas *in Suppl. q. 34. art. 2.* & eſt hujuſmodi. *Ordo eſt ſignaculum quoddam Eccleſiæ, quo ſpiritualis poteſtas traditur Ordinato.* Dicitur *Ordo*, ideſt *Sacra Ordinatio*, & actus ille, quem facit Epiſcopus, dum ordinat clericum; non autem gradus, ſeu officium, in quo remanet clericus poſt Ordinationem, communi uſu vocatus *Ordo*, ut declaratum eſt ſupra *Deciſ. 1. nu. 4.*

Dici-

Digitized by Google

Dicitur *Signaculum*, per quòd deſigna-
tur tùm materia Ordinationis, quæ eſt
illud ſignum, ſeu inſtrumentum, quòd
traditur tangendum clerico per Epiſco-
pum, dum illum ordinat: tùm chara-
cter, qui imprimitur in anima ordina-
ti, & eſt effectus Ordinationis. Dici-
tur *Spiritualis poteſtas &c.* nam eſt alius
effectus proprius hujus Sacramenti tra-
dere poteſtatem ſpiritualem Ordinatis,
ut benè, idoneè, ac perfectè exerceant
miniſterium Ordinis ſuſcepti reſpectu
Sacrificii Euchariſtici, ad cujus ſervi-
tium deputantur.

Secunda definitio fuit illa, quàm no-
tat Summa Diana *in Verb. Ordo num.* 1.
2 ita dicens: *Ordo eſt Sacramentum novæ
legis, quo homines aliqui in Dei miniſte-
ſtium, ſpirituali poteſtate tradita, depu-
tantur.* Coincidit cùm ſuperiori defini-
tione, continens finem, & effectum ſa-
cræ Ordinationis, ideſt deputare homi-
nes ad miniſterium Euchariſticum, &
eis tradere ad id peragendum ſpiritua-
lem poteſtatem, remotè primùm in Or-
dinibus minoribus; deindè proximè in
majoribus, ultimò effective in Presby-
3 teratu; & hinc eſt, quòd Simoniam
committeret, qui pro conferendis ordi-
nibus lucrum temporale reciperet; nam
in Ordine datur poteſtas ſpiritualis, ut
ait ipſa Summa Diana *d. Verb. Ordo.
num.* 1. *in fine*.

Tertia eſt illa, quam tradit Scotus
*in* 4. *ſent. diſt.* 24. & refertur tùm à Co-
tonio *lib.* 3. *controv.* 1. *num.* 4. tùm ab
4 Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord.
d. diſp.* 4. *num.* 47. & eſt iſta: *Ordo eſt
inſtitutio alicujus in gradu Eccleſiæ præ-
eminente, cui convenit aliquod miniſte-
rium circa Euchariſtiam exhibendum, fa-
cta à miniſtro idoneo, certa verba profe-
nente, cùm intentione debita, miniſte-
rium gradus illius ſigno aliquo viſibili re-
præſentans, ex inſtitutione Divina, ef-
ficaciter ſignificans gratiam præeminen-
tem, qua Ordinatus dignè aliquod mini-
ſterium exequatur.* Hanc definitionem
ipſe Emin. Card. de Laurea appellat
prolixam deſcriptionem Sacramenti Or-
dinis, ſed eſt utilis, tanquàm clara, &
manifeſtè indicans tùm eſſentiam hujus
Sacramenti, tùm ejus effectus, tùm
etiam quinque genera cauſarum, quæ
concurrunt in hoc Ordinis Sacramento
conficiendo. Dicitur, quod eſt *Inſtitu-
tio alicujus in gradu Eccleſiæ præeminen-* 5
*te*, quia eſſentia hujus Sacramenti con-
ſiſtit in conſecrando Ordinatum, &
eum conſtituendo in ſtatu honorifico,
ſuperiore cæteris Laicis, reſpectu offi-
cii Sacri, ad quòd deputatur; omnis
enim Clericus reſpectu ſuæ Ordinatio- 6
nis, & characteris ſpiritualis eſt dignior,
& excelſior quocunque Laico. *cap. Cer-
tum.* 10. *diſt. cap. Si Imperator.* 96. *diſt.
cap. Duo ſunt. cap. Novit. De Judic. cap.
Solitæ. De Major. & Obed.* Hinc Va-
lentinianus Imperator, mortuo Au-
xentio Arriano Epiſcopo Mediolanen- 7
ſi, ad ſuffraganeos Epiſcopos electuros
Succeſſorem dixit: Talem in Pontifi-
cali Sede conſtituere procuretis, cui &
Nos, qui gubernamus Imperium ſin-
cerè noſtra capita ſubmittamus. *cap.
Valentinianus.* 63. *diſt.* Prout à Mel- 8
chiade Imperatore dictum eſſe, ſe erga
Sacerdotem tanquam filium erga Pa-
trem, ſeu diſcipulum erga Magiſtrum
ſemper futurum, refert Bellettus *Diſ-
quiſit. Cleric. part.*1. *De diſciplina Cler.* 9
§. 1. *num.* 72. Imò Alexander Magnus,
dum capta Gaza, ad deſtructionem Je-
ruſalem pergeret, Summum Sacerdo-
tem, qui, ut illum exciperet, ei Ponti-
ficio ornatu indutus occurrerat, equo
deſcendit, genibuſque flexis adoravit;
& Parmenoni ejus familiari interroganti,
quare illi viro ita ſe humiliaverit,
reſpondit, ſe non hominem adoraſſe,
ſed Deum, cujus ille erat Sacerdos. Jo-
ſephus *Antiquit. Judaic. lib.* 11. *cap.* 18. 10
Divus Franciſcus dicere ſolitus erat, ſi
Angelum de cœlo, & Sacerdotem ſi-
mul obvios habuiſſet, ſe Sacerdotis ma-
nibus priùs oſculum daturum, deindè
Angelo reverentiam facturum. S. Bo-
navent. *in Vita S. Franc. cap.* 4. Et me-
ritò, nam Clericali charactere, & Sa-
cramento Ordinis initiati, ac inſtituti
vocantur in utroque Jure Reverendiſ- 11
mi. *cap. Conſtantinus.* §. *Viris autem.
96. diſt.*

96. *diſt. cap. De perſona* 11. *q.* 1. *cap. De crimine* 15. *q.* 5. Authent. *De Sanctiſſimis*, *ac Reverendiſſimis Epiſc. & Clericis*. In rubro, & in nigro. Tenent vices Apoſtolorum. *cap. Dominus noſter. cap. Si quis Presbyter*. 2. *q.* 5. Dicuntur familiares Chriſti. *cap. Nulli.* 3. *q.* 1. & appellantur Angeli. *cap. Sacerdotibus*; 11. *q.* 1. & pluribus aliis titulis exaltantur à S. Bernardo *in Serm. Synod.* à S. Jo. Chryſoſt *Hom.* 2. *in Epiſt.* 2. *ad Timot.* & à Divo Auguſtino *in Serm. ad fratres in Eremo*. Neque hucuſque dicta videri debent nimis magna, quia ſubditur in definitione, talem honorificentiam dari Clericis ob eorum inſtitutionem *ad aliquod miniſterium circa Euchariſtiam exhibendum*; ideſt circa verum Corpus Chriſti, quo nihil dignius, nihil excellentius.

Dicitur, *facta à Miniſtro idoneo*, & ecce cauſa Inſtrumentalis hujus deputa-
12 tionis, nempè Epiſcopus, ad quem ſolùm ſpectat ordinare Clericos. *cap. Ordinationes*. 83.*diſt.* Concil. Tridentinum *ſeſſ.* 23. *cap.* 4. & *Can.* 7. intelligendo de Ordinibus Sacris, & minoribus ex officio; nam ex privilegio etiam Abbates, & ſimplices Sacerdotes poſſunt minores conferre, ut dicemus infra de Miniſtro hujus Sacramenti. Dicitur *Certa Verba proferente cum intentione debita*.
13 Et denotatur cauſa formalis, quia omnis Ordo habet ſuam formam, quæ conſiſtit in Verbis, in quorum prolatione perficitur Sacramentum; & de ſingulorum Ordinum forma infra diſputabimus. Dicitur, *Miniſterium gradus illius ſigno aliquo viſibili repræſentans;* & ecce cauſa materialis, quia omnis
14 Ordo habet ſuam materiam, in cujus traditione perficitur, ideſt rem illam, quam Ordinator tradit tangendam Clericis accedentibus ad Ordinem. An autem materia ipſa ſit inſtituta in ſpecie à Chriſto Domino, vel ab Eccleſia? infra demonſtrabitur. Dicitur: *Ex inſti-*
15 *tutione Divina:* Et ecce cauſa efficiens Sacramenti, ideſt Chriſtus Dominus; à quo hoc Sacramentum in ultima Cœna inſtitutum fuit, quando ordinavit Apoſtolos in Sacerdotes, & Epiſcopos, tribuens illis facultatem conſecrandi Euchariſtiam; dein auctoritatem abſolvendi à peccatis poſt ejus Reſurrectionem, ut præter Concilia, & SS. Patres docent ex Canoniſtis Card. Turrecremata *in cap. Presbyter.num.*2. 23.*diſt.* & alii plurimi, quos citat Fagnanus *tom.*6. *in cap.*1. *De Cler. per ſalt. prom.nu.* 8. ex Scholaſticis S. Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *quæſt.* 2. *art.*3. *ad* 2. & alii graviſſimi Theologi, quos cumulat Maſtrius *in* 4. *Sent. diſp.* 4. *q.*1. *num.* 2. ubi reddit congruitatem inſtitutionis hujus Sacramenti factæ à Chriſto Domino dicens: *Et quia non expediebat, neque decens erat, ut omnibus promiſcuè, & abſque diſcrimine hoc miniſterium, & poteſtas (* Conſecrandi, & Abſolvendi *) competeret; opus planè fuit, ut ipſe Chriſtus legitimam hanc poteſtatem in Eccleſia ad hæc facienda relinqueret; & ritum aliquem viſibilem, ſeu ſenſibile ſignum inſtitueret, quo talis poteſtas, & gradus certis quibuſdam perſonis à legitimo Miniſtro communicaretur: & hic ritus, & hoc ſignum eſt Sacramntum Ordinis, de quo loquimur.*

Ultimò dicitur in definitione: *Efficaciter ſignificans gratiam præeminentem, qua Ordinatus dignè aliquod miniſterium exequatur*. Quæ verba innuunt 16
cauſam finalem, ob quam inſtitutum eſt hoc Ordinis Sacramentum; ideſt ut detur gratia Ordinatis, à quibus benè, & idoneè conficiantur, & miniſtrentur Sacramenta; propterea ait Apoſtolus 2. *Cor.*3.6. *Sufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros novi teſtamenti*. Quem locum *ibidem* ita interpretatur Tirinus, ideſt *ad prædicandum Evangelium*, *Eccleſias fundandas*, & *Sacramenta adminiſtranda*. Hanc gratiam, quæ facit, ut Ordinati ſint idonei ad officia ſuorum graduum rectè miniſtranda, non ſemel Deus aliquo ſigno viſibili demonſtrare voluit tùm in Sacra Ordinatione multorum, tùm in oblatione Sacrificii Euchariſtici, quam ipſi faciebant ad Altare. De Sancto Joanne Chryſoſtomo, quo tempore fuit ordinatus

natus

natus Sacerdos, hæc ſcribit Simeon Metaphraſtes, ut legitur apud Surium
17 *tom.* 1. *pag.* 203. *Cum ad aram verò Sacram acceſſiſſent, & ipſe quidem, ut fas exigit, caput Pontifici ſubmiſiſſet, ipſi autem ejus manus fuiſſent impoſitæ, miraculum quoddam hîc quoque fecit Deus, & oſtendit eum, qui initiabatur, eſſe dignum; & ex ſua ſententia illum dignatum fuiſſe Sacerdotio. Columba enim & colore alba, & ſpecie valdè pulchra Templum ſuperius convolans, illicò deſcendit, & inſidet capiti ejus, qui ordinabatur. Supervacaneum eſſet omninò immorari in interpretandis iis, quæ ſunt manifeſta. Cui enim compertum non eſt, hoc eſſe ſignum Sancti Spiritus?* Et de eodem, dum ſacrificaret, ſubdit idem Auctor: *Dicitur enim, & multorum*
18 *ſermone celebratur, quòd cum Divinum panem conſecrans extolleret, totus à Deo afflatus, quibuſdam ſignis videbat Dei Spiritum ad dona propoſita deſcendere.*

Conſimilia ſunt teſtimonia in electione, & conſecratione Epiſcoporum, quæ
19 refert Cornelius à Lapide *Comment. ad Epiſt.* 1. *Timot. cap.* 1. *Verſ.* 18. his verbis. *Sic Euſebius lib.* 6. *Hiſt. cap.* 25. *notat, in electione Fabiani Pontificis columbam è cœlo in eum delapſam. Sic S. Gregorius columnæ igneæ ſibi incubantis indicio deprehenſus, & deſignatus eſt Pontifex. Sic magnus ille Athanaſius divinitùs declaratus fuit B. Alexandro Epiſcopo Alexandrino morienti, quòd ſibi in Epiſcopatu eſſet ſucceſſurus.* Sed & de Sancto Remigio Epiſcopo Rhemenſi
20 Jo. Bonifacius Bagatta *in Admirand. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 5. ſimilia hæc habet: *In ordinatione S. Remigii deſcendit ſubitò Radius novi luminis ſuper Sancti Viri verticem, ac ſi ipſe Sol de cœlo motus ſuper eum decidiſſet. Placuit etiam Divinæ Omnipotentiæ huic miraculo aliquid addere; nam radio illuſtrante ſentit capiti ſuo Unguenti Sacri infuſum liquorem, quo totum ejus delibutum eſt caput.*

Igitur ordinatio Sacra eſt Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, per
21 quòd infunditur in ordinatis gratia Divina, quæ facit eos habiles, & idoneos ad Sacra miniſteria exercenda. Legitur *in cap. Sacerdotibus* 11. *q.* 1. quòd in divinis eloquiis Sacerdotes aliquando Dii, aliquando Angeli vocantur, juxta illud *Malach.* 27. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus quia Angelus Domini exercituum eſt:* & aſſimilantur Sancto Præcurſori Baptiſtæ, quia ſicut iſte Chriſtum Redemptorem digito ſuo turbis oſtendit, quando dixit ad illas: *Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Jo.* 1. 30. ſic Ordinati Sacerdotes eadem verba proferunt toties quoties Sacram Euchariſtiam fidelibus præbent. Et hujus ſimilitudinis occaſione ſumpta obſervet ſtudioſus Lector prodigium Sanguinis Sancti Joannis Baptiſtæ, quod ſervatur Neapoli apud Cænobium Sacrarum Virginum, liqueſcentis quouſque conſumitur Sacrificium in Altari, ſuper quo reponitur, referente, ac atteſtante eodem Bagatta *d. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 6. *in append. num.* 1.
his præciſis verbis: *Sacramenti Ordinis* 22
*certitudo, & veritas, contra hæreticorum perfidiam, manifeſtè quotidie confirmatur Neapoli Sanguine Sancti Joannis Baptiſtæ, intra perſpicuum vas liqueſcente, dum Miſſa à Sacerdotali Ordine initiato celebratur. Eſt Neapoli hujuſmodi Sanguis in æde Parthenii Cænobii Virginum Sacrarum, quæ Dominæ Eremitæ (vulgò Donaremata) nuncupantur, & quæ olim admirando eo pignore illuc ex Aſia convenerunt. Poſt Sacrificii exordia, oblationemque, & preces conſuetas, ubi ventum eſt ad Canonis verba ſacratoria, & ad panis, ac vini immolationem, converſionemque in Corpus, & Sanguinem Domini, plerumque hoc illud momentum eſt, in quo Sanguis intra Phialam purpuraſcere, colliqueſieri, defluere in imam vitri regionem, ac fervere videtur; & tandiù reſolutus manet, quandiù in Ara eſt Sacrificium. Sanctum Joannem Baptiſtam credas in ſanguine ſuo rursùs vivere, loqui, & ingeminare illud: Ecce Agnus Dei, Ecce qui tollit peccata mundi. Verè etenim hic Agnus in Sacrificio Miſſæ immolatur pro ſalute mundi.* Hucuſque Bagatta.

E Pro-

Propterea ad tàm ſublime Sacrificium celebrandum, coram quo Sanguis Præcurſoris fervet, ac purpuraſcit; deputentur Clerici Sacras Ordinationes ſuſcipientes, ſpeciali gratia decorandi, ut ſint idonei ad ipſum cæleſte Miniſterium exequendum, ad quem finem illos idoneos faciendi inſtitutum eſt hoc Ordinis Sacramentum. De altero Quæſito in Deciſione ſequenti.

## DECISIO VI.

### ARGUMENTUM.

Diſcutitur Quæſitum; An ſinguli Ordines ſint Sacramentum? Propoſitis quindecim argumentis pro negativa, referuntur quatuor opiniones Doctorum. Prima aſſerit, ſolum Sacerdotalem Ordinem eſſe Sacramentum. Secunda, quòd ſoli tres Sacri, non autem quatuor Minores. Tertia, quòd Sacramenta ſunt ſinguli ſeptem, ac etiam Epiſcopatus. Quarta, quòd & tres Majores, & quatuor Minores tantùm ſunt Sacramenta. Amplectitur hæc Quarta opinio, & redditur ratio, ob quàm ſinguli ſeptem Ordines habent veram rationem Sacramenti. Reſpondetur XV. argumentis contrariis, & oſtenditur, etſi omnes Ordines ſint Sacramenta, tamen non facere ſeptem, ſed unum Sacramentum. Eruditiones plures de Uſu omnium ſeptem Ordinum in primitiva Eccleſia.

### SUMMARIUM.

1 *Omnes Ordines an ſint Sacramenta?*

2 *Sacramenta Eccleſiæ ſunt ſeptem tantùm.*

3 *Ordo quam facultatem tribuat?*

4 *Confeſſio Sacramentalis an præmittenda ab Ordinandis?*

5 *Urbani II. difficile dictum circa Ordines.* Et num. 35.

6 *Materia Ordinum an ſit variabilis?*

7 *Diaconi ab Apoſtolis Ordinati quodnam habebant officium?*

8 *SS. Anacleti, & Damaſi dictum difficile de Ordinibus.*

9 *Ordo ad quid detur?*

10 *Catechiſmus ante Baptiſmum eſt quid Sacramentale.*

11 *Sacramentum Ordinis quas inferat obligationes.*

12 *Abbates an conferant Ordines minores?*

13 *Ordinatus an poſſit contrahere Matrimonium?*

14 *Ordines minores ad quem finem inventi?*

15 *Acolythi an eſſent in primitiva Eccleſia?*

16 *Epiſcopatus Ordo an ſit Sacramentum?* Et num. 20. & 23.

17 *Diſſidium inter DD. an omnes Ordines ſint Sacramenta?*

18 *Sacerdotii Ordo eſt verè Sacramentum: de aliis omnibus ordinibus plures negant.*

19 *Ordines Sacros eſſe Sacramenta: non etiam minores qui teneant?*

21 *Septem Ordines eſſe omnes Sacramentum, qui doceant?*

22 *Presbyteratus Ordo eſt Sacramentum; & hoc de fide.*

24 *Diaconatus, & Subdiaconatus ſunt vera Sacramenta.*

25 *Sacramenta ſunt omnes minores Ordines.*

26 *Uſus antiquiſſimus conferendi Ordines minores.*

27 *Eoſque fuiſſe Sacramenta.*

28 *Septem Ordines cur non ſint ſeptem Sacramenta, ſed unum?*

29 *Dominii Veneti unus Principatus, etſi plures Magiſtratus.*

30 *Sacramentum Ordinis conſideratur in genere, & in ſpecie.*

31 *Juſti-*

Digitized by Google

31 *Juſtitia ut genus eſt Virtus Cardinalis habens ſub ſe varias ſpecies virtutum, & quæ ſint?*

32 *Ordinatis in minoribus quæ gratia detur?*

33 *Contritio ſaltem præmittenda ab Ordinandis.*

34 *Ordinatus exercens ſuum officium in mortali an noviter peccet?*

35 *Traditio Apoſtolica de Ordinibus à Chriſto inſtitutis.*

36 *Chriſtus qualiter inſtituerit materiam Ordinum?*

37 *Euchariſtia antiquitùs miniſtrabatur à Diaconis.*

38 *Sacerdotum Ordines, ideſt gradus duo.*

39 *Choreſpicopi erant moleſti in Eccleſia, ideò deleti.*

40 *Caſtitas in Subdiacono cur introducta?*

41 *Clericus Matrimonium contrahens retinet characterem.*

42 *Minores Ordines erant in primitiva Eccleſia.*

43 *Acolythus Græcè, eſt Latinè Miniſter.*

44 *Diaconis antiquitùs miniſteria minorum Ordinum demandata.*

ALterum quæſitum in præcedenti Deciſione propoſitum, & in præ-
1 ſenti reſolvendum eſt, *Utrùm omnes ſeptem Ordines ſint Sacramenta, & unuſquiſque eorum habeat veram rationem Sacramenti?* Et prima fronte videtur reſpondendum negativè ob ſequentes rationes, motiva, ac difficultates.

Primò, quia Sacramenta Eccleſiæ ſunt tantummodò ſeptem. Concil. Trident. *ſeſſ. 7. Can. 1.* Sed ſi Ordines ſinguli eſſent Sacramenta; omnia ſimul eſſent tredecim. Ergo ſinguli Ordines non ſunt Sacramenta.

Secundò: Illud ſolum eſt Sacramentum Ordinis, quo tribuitur poteſtas fa-
3 ciendi id, quod ſine illo Ordine à nemine fieri poteſt. Sed ſic eſt, quòd omnes actus Ordinum, excepto Sacerdotio, à non ordinatis fieri poſſunt. Ergo omnes Ordines non ſunt Sacramenta.

Tertiò: Si omnes Ordines eſſent Sacramenta, præciperet Eccleſia, ut nul-
lus initiaretur ſivè in minoribus, ſivè in 4
majoribus niſi præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ne obicem poneret gratiæ, quam tribuunt Sacramenta. Sed nullibi conſtat de hoc præcepto; neque initiandi obligantur ad priùs confitendum. Ergo non ſunt Sacramenta.

Quartò: Ad hoc ut omnes Ordines
eſſent Sacramenta, conſtare deberet, 5
eos omnes eſſe à Chriſto Domino inſtitutos. Sed de hac inſtitutione in Scriptura Sacra non conſtat; imò Urbanus II. *in cap. Nullus in Epiſcopum 60. diſt.* ait: *Sacros Ordines dicimus Presbyteratum, & Diaconatum; hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia.* Ergo.

Quintò: Si omnes Ordines eſſent Sa-
cramenta à Chriſto inſtituta, haberent 6
ſuam materiam, & formam invariabilem uſque ab initio Eccleſiæ uſque adhuc. Sed materia, & forma Ordinum præſentium temporum differt ab illa antiquorum; nam, exempli gratia, Diaconi ordinabantur per ſolam manuum impoſitionem, ut de primis ſeptem Diaconis habetur *Act. 6. 6.* ibi: *Et orantes impoſuerunt eis manus.* Nunc ordinantur per traditionem libri Evangeliorum, ut infra *Deciſ. XXIX.* Ergo.

Sextò: Eatenus Ordines dicuntur Sacramenta, quatenus videntur inſti-
tuti pro miniſterio Altaris, & Euchari- 7
ſtia conficienda. Sed primi Diaconi fuerunt inſtituti ab Apoſtolis, non ut miniſtrarent in Altari, & in Sacrificio Euchariſtico; ſed ut miniſtrarent menſis; cum enim *Factum eſſet murmur Græcorum adverſus Hebræos, eò quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum:* dixerunt Apoſtoli, *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis:* undè conſtituerunt ſeptem Diaconos ſuper hoc opus. *Act. d. cap. 6. 2.*

Septimò: S. Anacletus Papa, qui
fuit electus Anno 102. *in Epiſt. 3.* quæ 7
habetur in primo Tomo Conciliorum, *pag. mihi* 308. loquens de Epiſcopis; ac

 de Pres-

de Presbyteris dicit: *Ampliùs, quàm iſti duo Ordines nec nobis à Deo collati ſunt, nec Apoſtoli docuerunt*. Idem confirmat S. Damaſus Papa electus Anno 367. *in Epiſt.* 4. *eod. tom.* 1. *Concil. pag.* 412. loquens de Epiſcopis, & Presbyteris ibi: *Nam non ampliùs, quàm duos Ordines inter diſcipulos Domini eſſe cognovimus*. Ergo ſi duo tantùm Ordines; alii omnes non poſſunt eſſe Sacramenta.

Octavus: Sicut Baptiſmus datur, ut homo poſſit ſuſcipere alia Sacramenta;
9 ſic Ordo confertur, ut ordinatus valeat Euchariſtiam conſecrare. Sed nullus Ordo dat hanc facultatem, niſi Sacerdotium. Ergo præter illud alii Ordines non ſunt Sacramenta.

Nonò: Præparatio quæ fit ad Sacramentum Baptiſmi per Catechiſmum,
10 & ad Sacramentum Matrimonii per Sponſalia non ſunt Sacramenta, ſed Sacramentalia. Ergo Ordines inferiores Sacerdotio reputandi ſunt præparationes, & Sacramentalia, non autem Sacramenta.

Decimò: Si omnes Ordines eſſent Sacramenta, omnes haberent obliga-
11 tionem continentiæ, & recitandi Horas Canonicas. Sed conſequens non eſt verum. Ergo neque antecedens.

Undecimò: Sacramentum Ordinis non poteſt conferri niſi ab Epiſcopo.
12 Sed Ordines minores conferuntur etiam à ſimplici Abbate. *cap. Quoniam.* 96. *diſt.* Ergo ſaltem hi non ſunt Sacramenta, ſed Sacramentalia, & humani ritus introducti ab Eccleſia.

Duodecimò: Si Ordines minores eſſent Sacramenta, illis initiatus eſſet
13 perpetuò diſtinctus à cætu ſæcularium, prout eſt Religioſus profeſſus; nec poſſet pro libito fieri Laicus; & ſine diſpenſatione Matrimonium contrahere. Sed totum contrarium videmus quotidiè in praxi. Ergo ſaltem minores Ordines non ſunt Sacramenta.

Decimotertiò: Sacramentum Ordidinis inſtitutum fuit ad hunc finem, ut
14 ab eo daretur ordinato facultas conſecrandi Euchariſtiam, vel immediatè, ut in Sacerdote; vel mediatè, ut in Diacono, & Subdiacono, qui ei in Altario deſerviunt. Sed Ordines minores huic fini non deſerviunt; ſed ad diſponendum populum, ut ex officio Oſtiarii, Lectoris, & Exorciſtæ patet. Ergo hi non ſunt Sacramenta.

Decimoquartò: Si minores Ordines eſſent Sacramenta, reperirentur ſemper fuiſſe omnes quatuor etiam in pri- 15
mitiva Eccleſia. Sed tunc Acolythi non erant, ut *ex Epiſt.* 11. S. Ignatii Martyris, de qua ſupra *in Deciſ. III. nu.* 39. imò in ipſa referuntur, tunc fuiſſe in uſu alii Ordines Clericorum, nempè *Cantores, Janitores, Laborantes*, & alii. Ergo cùm quatuor minores olim non omnes exiſterent; & præter eos alii forent, non ſunt Sacramenta.

Decimoquintò, & ultimò: Neque Epiſcopatus Ordo videtur eſſe Sacra- 16
mentum ea ratione, quia, ſi Sacramentum eſſet, validè poſſet conferri non Sacerdoti. Sed conſequens eſt falſum, ut probatum eſt ſupra *d. Deciſ. III. num.* 29. Ergo & antecedens.

Hæc ſunt argumenta, quæ inter Catholicos tàm Canoniſtas, quàm Theologos agitantur; & ob quæ diſſidium 17
magnum eſt inter illos circa hanc Quæſtionem, An omnes Ordines ſint Sacramenta? & eorum quilibet habeat veram rationem Sacramenti in ſe? & cum talis Quæſtio numquam fuerit deciſa ab Eccleſia; nec ſit determinatum ab aliquo Pontifice, vel Concilio, quid ſit tenendum de fide? propterea circa hanc controverſiam quatuor ſunt Doctorum Catholicorum opiniones.

Prima aſſerit, ſolum Sacerdotium eſſe Sacramentum; alios verò Ordines, ſivè majores, ſivè minores eſſe Sacra- 18
mentalia, & ſolum Sacerdotium fuiſſe à Chriſto inſtitutum; Diaconatum verò, Subdiaconatum, alioſque Ordines minores fuiſſe poſtmodum ab Eccleſia; ſivè ab ipſis Apoſtolis adinventos, & inſtitutos ad majorem venerationem, & obſequium Ordinis Sacerdotalis; ac proindè nequaquam eos habere vim, & rationem Sacramenti; & pro hac opinione

nione citantur Durandus, Victoria, Cajetanus, Ledeſma, Camerota, & alii, quos citat Sanchez *in Conſil. Moral. lib. 7. cap. 1. dub. 7. & 8.* & Gobatus *tract. 8. num. 15.*

Secunda opinio aſſerit ſolùm tres Ordines majores eſſe Sacramentum, ſcilicèt Sacerdotium, Diaconatum, & Subdiaconatum, minores verò eſſe Sa-
19 cramentalia. Ita Michael Medina, Soto, Navarrus, Arcudius, Meratius, & alii, inter quos Vaſquez *diſp. 237.* qui ex profeſſo hanc opinionem defendit. Morinus *de Sacr. Ord. par. 3. Exerc. XI.*

Tertia opinio tenet, omnes ſeptem Ordines tàm majores, quàm minores, nec non etiam Epiſcopatum eſſe Sacra-
20 menta, & veram Sacramenti rationem ſingulos habere, & hanc tenent Scotiſtæ ex mente, ut ajunt, ſubtiliſſimi Doctoris, qui tamen circa Epiſcopatum non ſatis ſe declarat, ut inquit Maſtrius *in 4. Sent. d. diſp. 4. num. 19. in fine.* Et ita tenent Altiſiodorenſis, Paludanus, Almainus, & alii, quos allegat, & ſequitur Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 7. art. 5. per tot.*

Quarta verò opinio communis, & apud Thomiſtas amplexa, & defenſa concedit, omnes ſeptem Ordines, tres ſcilicèt majores, & quatuor minores eſſe Sacramenta; & omnes habere Sacra-
21 menti rationem; Epiſcopatum verò fuiſſe quidem à Chriſto inſtitutum præter Sacerdotium, & ultra ipſum ſpiritualem quandam addere poteſtatem; propriè tamen, & de per ſe non eſſe Ordinem, neque Sacramentum diſtinctum à Sacerdotio. Ita omnes Thomiſtæ juxta doctrinam Angelici Doctoris *in Supplem. p. 3. q. 37. art. 2. & q. 40. art. 5.* Gonetus *tom. 5. tract. 7. diſp. 2.* & Layman *de Sacram. Ord. lib. 5. tract. 9. cap. 3. à num. 4.* uſque in finem.

Circa has opiniones dicendum eſt;
22 eſſe certum, ac de fide, quòd Sacerdotium eſt verum Sacramentum, & immediatè à Chriſto Domino inſtitutum, ac Apoſtolis collatum eadem ipſa nocte Cœnæ, qua inſtituit Sacramentum, & Sacrificium Euchariſtiæ, & fecit eoſdem Apoſtolos Sacerdotes novi Teſtamenti, ut habetur in Conc. Trid. *ſeſſ. 23. cap. 1.* Et patet ab effectu, nam per Sacerdotium confertur Presbyteris poteſtas ſupernaturalis, & divina tùm conficiendi Euchariſtiæ Sacramentum, tùm abſolvendi fideles à peccatis: ergo ſi de aliquo Ordine verificari debet, quòd ſit Sacramentum; maximè de Sacerdotio id eſt aſſerendum. Gonetus *d. diſp. 2. §. 1. num. 5.* Layman *d. lib. 5. tract. 9. cap. 4.* Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 6. art. 7. num. 149.* Gobatus *d. tract. 8. num. 15.* & Maſtrius *d. diſp.*
*40. num. 20. & 21.* ubi tanquam egregius 23
Scotiſta ſubdit, etiam Epiſcopatus Ordinem eſſe verum Sacramentum, quia immediatè fuit à Chriſto Domino inſtitutus, confert gratiam, imprimit characterem, dat poteſtatem Ordinandi, & confirmandi; quas functiones, & miniſteria ſimplices Sacerdotes facere non poſſunt. Hoc idem docent cæteri de Schola ſubtiliſſimi, quos refert Sanchez *d. lib. 7. conſil. moral. cap. 1. dub. 9. num. 1. & num. 4.* ubi Scotiſtis adhæret. Cæterùm Thomiſtæ conſtanter tenent, Epiſcopatum non eſſe Ordinem de per ſe diſtinctum; quia ordinari non poteſt Epiſcopus, qui non eſt Presbyter; & ſi ordinaretur ſine Presbyterio neque poſſet validè conficere Euchariſtiam, neque validè Clericos ordinare; ideò negant per Epiſcopatum imprimi novum characterem; ſed dicunt, characterem Sacerdotalem extendi per novum modum ſuperadditum, cujus virtute poteſt Epiſcopus conferre aliis, & Confirmationis, & Ordinis Sacramenta; & quamvis in illa extenſione characteris Sacerdotalis detur nova gratia; attamen conſecratio Epiſcopalis non eſt Sacramentum diſtinctum ab Ordine Presbyteratus; ſed eſt hujus Ordinis Presbyteratus complementum, & ſic cum eo unum, & idem Sacramentum. Idcircò hoc unum, & idem Sacramentum eſt efficax, & potens in ſimplici Presbytero ad conſecrandam Euchariſtiam, & illam offerendam in Altari; in Epiſcopo autem conſecrato, ob prædictam

dictam extenſionem characteris, & perfectiſſimum complementum Sacerdotii, valet ad alios Clericos ordinandos, ac fideles confirmandos cæteraque munia Epiſcopalia obeunda. Layman *d. libr. 5. tract. 9. cap. 3. num. 6.* Bonacina, qui alios cumulat, *de Sacram. Ord. tom. 1. diſp. 8. q. Unica punct. 1. num. 3.* noviſſimè Salmanticenſes *de eod. Sacr. Ord. tract. 8. cap. 1. num. 29. & ſeqq.*

Quo verò ad Ordines Diaconatum, & Subdiaconatum pariter dicendum eſt,
24 utrumque eſſe Sacramentum, & eorum quemlibet veram Sacramenti rationem habere. De Diaconatu conſtat, quia illi primi Septem Diaconi ordinati fuerunt ab Apoſtolis per manuum impoſitionem, quæ eſt ritus conferendi Sacramentum. *Act. 6. 9.* in hoc Ordine confertur gratia; & ejus inſtitutio eſt à Chriſto, ut ajt Concil. Trid. *d. ſeſſ. 23. can. 6.* ibi: *Hierarchiam Eccleſiaſticam eſſe à Chriſto Domino inſtitutam, & ipſam conſtare Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris*. Per miniſtros autem negari non poteſt, quòd non veniant Diaconi, & Subdiaconi, qui Sacerdoti celebranti aſſiſtunt. Facit Epiſtola Anaſtaſii Secundi *Anno* 496. qui ad Anaſtaſium Imperatorem *cap. 7.* ſcribens dicit: *Per ordinationem Presbyteri, & Diaconi conferri gratiam Sacramenti*. De Subdiaconatu autem intellexit Concilium Florentinum, quòd ſit Sacramentum, quando dixit, materiam Sacramenti Ordinis eſſe rem illam, quæ traditur ab Epiſcopo, & ſtatim dedit exemplum de Sacerdotio, de Diaconatu, & de Subdiaconatu; quòd non feciſſet, niſi cenſuiſſet, ordinationem Subdiaconi eſſe verum, & proprium Ordinis Sacramentum. Ulteriùs à SS. Patribus Subdiaconatus refertur inter Ordines majores, ut ajt Concil Trid. *d. ſeſſ. 23. cap. 2.* & perſpicuè invenitur extitiſſe ab ipſo Eccleſiæ exordio, & de eo fit mentio *in Can. 42. Apoſtol.* his Verbis: *Hypodiaconus, vel Lector, vel Cantor ſimilia faciens* (ideſt aleis, vel ebrietatibus vacans) *vel ceſſet, vel ſegregetur*. Et ponitur à S. Clemente Papa *in Conſtit. Apoſtol. libr. 8. cap. 21.* cumque huic Ordini annexum ſit votum ſolemne caſtitatis, neceſſe eſt, ut ordinato conferat ſpecialem gratiam pro illo obſervando, & ſic quòd ſit Sacramentum.

Pro ordinibus minoribus, quòd quilibet eorum ſit Sacramentum, deduci- 25
tur ex eodem Concilio Florentino innuente materiam, & formam etiam iſtorum; de illa, dum ait: *Et ſimiliter de aliis* (ideſt de quatuor minoribus) *per rerum ad ſua miniſteria pertinentium aſſignationem;* de iſta: *Et ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano continetur*. Hoc idem innuit Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 23. cap. 3. & can. 3.* ubi nominatis omnibus Ordinibus majoribus, & minoribus, ſubdit, per Sacram Ordinationem conferri gratiam, & Ordinem eſſe verum, & proprium Sacramentum; deindè *cap. 4.* ſubdit, Epiſcopos habere pro officio, *& conferre Confirmationis Sacramentum, & miniſtros Eccleſiæ ordinare*, complectens tàm in majoribus, quàm in minoribus initiandos: *Et can. 6.* definit, Hierarchiam Eccleſiaſticam conſtantem ex Epiſcopis, & Presbyteris, & Miniſtris eſſe Divina ordinatione inſtitutam, & ſic ſignificat etiam minores Ordines & à Chriſto eſſe inſtitutos, & eorum ſingulos eſſe Sacramentum.

Accedit antiquiſſimus uſus Eccleſiæ conferendi hos Ordines minores per traditionem materiæ, & prolationem 26
propriæ formæ, & quòd illorum collatio fuerit ſemper irreiterabilis, indelebilis, & irrevocabilis; ex quibus infertur, eos habere veram rationem Sacramenti, aliàs poſſent reiterari, prout fit de Conſecratione Calicis, Altaris, & ſimilium; & ex hac irreiterabilitate infertur etiam ad impreſſionem characteris, & ex hoc ad eſſe Sacramenti. Tandem facit, ex antiquiſſima Patrum, & Eccleſiæ traditione hos omnes ſeptem Ordines reputatos fuiſſe eſſe Sacramenta, à Chriſto Domino (etſi de 27
eorum initio non conſtet) inſtituta,

& ut

& ut de talibus mentionem feciſſe S. Ignatium Martyrem *d. Epiſt.* 11. *ad Antiochenos*, S. Dionyſium *de Eccleſ. Hierarch.* S. Clementem *libr.* 8. *Conſt. cap.* 22. S. Cajum Papam, ut ſupra *Deciſ.* 4 *num.* 16. & habetur *in cap.* 1. *diſt.* 77. & in Concilio Romano S. Sylveſtrum Papam, *can.* 5. & proindè ex his omnes Theologi concludenter deducunt, ipſos omnes Ordines eſſe verè, ac propriè Sacramenta; ut latiùs demonſtrabimus infra, cum ſingillatim de unoquoque eorum tractabimus; & uniuſcujuſque materiam, formamque referemus, ut concorditer firmant Layman alios adducens *d. lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 4. Sanchez *in Conſil: Moral. d. lib.* 7. *cap.*1. *dub.*7. ubi plurimos Theologos, & Canoniſtas ſic ſentientes cumulat. Salmanticenſes *d. tract.*8. *cap.*1. *nu.* 14. Maſtrius *d. diſp.* 4. *num.* 24. ubi ita loquitur: *Cum ergo videamus ſeptem hos Ordines, etiam minores includendo, eodem modo, & ſub iiſdem ſignis ſenſibilibus, ſcilicet forma, & materia in univerſa Eccleſia in uſu, & praxi ſemper habitos fuiſſe; nec reperiatur quando primò hæc inſtitutio ſit facta ab Eccleſia, vel aliquo Concilio, vel Decreto Papali, aut etiam ab ipſis Apoſtolis; hinc ſufficientiſſimè deducitur, hos omnes Ordines ſub his formis, & materiis à Chriſto Domino fuiſſe immediatè inſtitutos; & ſemper habitos fuiſſe pro Sacramentis.*

His ita firmatis, reſtat, ut argumentis in contrarium ſupra adductis breviter reſpondeamus juxtà doctrinam Salmanticenſium, qui inter Thomiſtas, ſunt egregii, & ejuſdem Maſtrii, inter Scotiſtas eximii.

Ad Primum itaque reſpondetur, quòd licèt omnes Septem Ordines, & eorum ſinguli ſint verè, & propriè Sacramenta, nihilominùs non ſunt ſeptem Sacramenta; ſed unum Sacramentum tantùm omnes ſimul unitate, quam ha-
2 bent inter ſe ad unum completum Ordinem, nempè ad Sacerdotium, in quo omnis plenitudo exiſtit. Ita ex mente S. Thomæ Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 17. ubi dant exemplum de poteſtate Monarchica in aliquo Regno, quæ una eſt, etſi reperiatur in diverſis gradibus Miniſtrorum, ut Proregis, Miniſtrorum, & ſimilium; quod clariùs refulget in Sereniſſimo Dominio Veneto, in quo unus ſimpliciter eſt Principatus; ſed reperitur in diverſis
Conſiliis diviſus quo ad exercitium; vi- 29
delicèt in Conſilio de Quadraginta Civili, & Criminali, novo, & veteri, in Conſilio de Decem, in Conſilio Rogatorum, quæ tamen diverſa Conſilia, etſi Supremæ Auctoritatis, non ſunt plures, aut diverſi Principatus; ſed unus tantùm, unitate, quam habent inter ſe ad perfectum, & pleniſſimum Dominium totius Reipublicæ, reſidens in Sereniſſimo Majori Conſilio ex omnibus Nobilibus Venetis, ac Patriciis conſtitutum. Ita de unitate Ordinum, reſpectu ad Presbyteratum, eſt dicendum, cum enim omnes tendant ad perfectionem Sacerdotii, in quo completur Dignitas Sacramenti; non dicuntur ſeptem Sacramenta Ordinis, ſed unum tantùm.

Alio modo Scotiſtæ reſpondent, omnes ſeptem Ordines non facere ſeptem Sacramenta, ſed eſſe unum Sacramentum unitate generis propinqui, quòd eſt Ordo, & eſt genus ſubalternum, quia reſpectu ad ſeptem Sacramenta Eccleſiæ Ordo eſt ſpecies; reſpectu ve-
rò ſeptem ſpecierum Ordinum ſub illo 30
contentorum eſt genus unicam habens naturam, quæ perficitur, & completur in Sacerdotio. Ita Maſtrius *in cit. diſp.* 4. *de Sacram. Ord. num.* 18. ubi dat exemplum de Virtutibus Cardinalibus, quæ in ſpecie ſunt plures, & tamen omnes continentur ſub genere virtutis moralis, quæ in ſe una cenſetur. Apertiùs ego dicerem ita: Juſtitia in genere eſt virtus Cardinalis, & qui-
dem Una tantùm Virtus; at ſub ſe 31
habet plures ſpecies, nam Juſtitia alia eſt legalis, alia particularis; alia eſt punitiva, alia diſtributiva, alia commutativa; & huic commutativæ aſſignantur aliæ ſpecies, quas DD. vocant potentiales, & ſunt Religio, Pietas, Obſervantia, Gratia, Gratitudo, Veritas, Amicitia,

& Li-

Digitized by Google

& Liberalitas. S.Thom. 2.2. *q.* 80. Emin. Card. de Lauræa *in* 3. *Sent. tom.* 2. *de Virtutib. diſp.* 18. *art.* 8. *num.* 200. ubi ajt, quòd probabiliſſimum eſt, omnes præfatas Juſtitiæ ſpecies eſſentialiter inter ſe differre. Modo ad rem noſtram. Juſtitia tanquam Virtus Cardinalis in genere habet ſub ſe prædictas plures ſpecies. Omnes ſpecies prædictæ habent eſſe, & propriam rationem virtutis Juſtitiæ, at non ſunt plures virtutes Cardinales, ſed una tantùm, nempè Juſtitia; quia ſub hoc genere Juſtitiæ continentur, & ad hanc virtutem perficiendam, & complendam omnes tendunt, & aſpirant, ut ex omnibus ſimul ſumptis reſultet integra, ac perfecta Virtus Cardinalis, quæ appellatur Juſtitia. Igitur ſimili modo omnes ſpecies, & gradus Ordinum ſunt quidem Sacramenta, ſed faciunt unum Sacramentum Ordinis, quia tendunt ad perfectionem ejuſdem Sacramenti, quòd perficitur, & completur in Sacerdotio.

Ad Secundum argumentum reſpondetur; quòd in Sacramento Ordinis
32 Presbyteratus dat facultatem conſecrandi, ſine qua nemo poteſt exercere validè actum illum; alii Ordines dant poteſtatem, non ad validè, ſed ad benè exercendos actus proprios eorumdem Ordinum. At per hoc non infertur, quòd non ſint Sacramenta, quia ſine illis, etiam Laici poſſunt eoſdem actus exercere; nam exercent, ſed non ita benè: prout dici poteſt de Sacramentis Confirmationis, ac Extremæ Unctionis, ſine quibus poſſunt fideles confiteri fidem, & reſiſtere tentationibus Diaboli; ſed non cum tanta energia, quanta ſi dicta Sacramenta recepiſſent. Ita Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 1. *num.* 18. & Maſtrius *d. diſp.* 4. *num.* 29. *Verſ. Ad confirmationem*.

Ad Tertium reſpondetur, Eccleſiam expreſsè non præcipere confeſſionem Sacramentalem in ſuſcipiendis Ordini-
33 bus, ſed ejus mentem eſſe, ut in gratia recipiantur, ſaltem præmiſſa contritione, ubi quis eſſet in mortali; prout etiam de Sacramento Confirmationis, & de Sacramento Matrimonii idem ſentit. Igitur ex hoc non valet conſequentia, quòd omnes Ordines non habeant veram rationem Sacramenti, prout Confirmatio, & Matrimonium Sacramenta ſunt, etſi præciſa obligatio non ſit impoſita ſuſcipientibus confitendi, antequam illa ſuſcipiant. Ita Valentia, Trullench, Averſa, & alii apud Bonacinam *de Sacram. Ord. tom.* 1. *diſp.* 8. *q. Unica punct.* 2. *in fine*. Addens ex hoc (quod non placet, ut infra dice-
mus) Ordinatum exercentem in mortali actum ſui Ordinis non peccare mortaliter, niſi ſit Sacerdos, & celebret. 34

Ad Quartum argumentum reſponde-
tur, omnes Ordines eſſe à Chriſto Domino inſtitutos, & licèt de omnibus 35
non loquatur Scriptura Sacra, de eis teſtatur Traditio Eccleſiæ à tempore Apoſtolorum recepta, ut habetur in Conc. Trid. *Seſſ.* 23. *cap.* 2. Neque obſtat dictum Urbani II. *in cap. Nullus in Epiſcopum. diſt.* 60. Nam ibi decrevit, quòd *Nullus in Epiſcopum eligatur niſi in Sacris Ordinibus religiosè vivens fuerit inventus*. Poſtea declaravit qui nam tunc temporis eſſent Ordines Sacri? & dixit eſſe Diaconatum, & Subdiaconatum; ſubdens *hos ſiquidem ſolos primitiva legitur habuiſſe Eccleſia*, & dicere voluit, quòd eo tempore Eccleſia repoſuerat Presbyteratum, & Diaconatum tantummodò inter Ordines Sacros; tunc enim Subdiaconatus non numerabatur inter Ordines Sacros, ut ajt Gloſſa ibi *in Verb: Habuiſſe*. Quæ notat, quòd nihilominùs erat in uſu tempore Apoſtolorum, ut *in cap. Epiſcopus*. 35. *diſt.* Igitur, ajt Urbanus II. quòd ſoli duo erant Ordines Sacri; non verò, quòd non eſſent alii Ordines, quàm duo.

Ad Quintum reſpondetur ex communi Theologorum, & Canoniſtarum doctrina, Chriſtum Dominum in omnibus Ordinibus inſtituiſſe materiam, & formam genericè, ut utraque eſſet in
rebus ſenſibilibus, quæ haberent vim 3
denotandi poteſtatem eorumdem Ordinum: voluit autem relinquere Eccleſiæ facul-

facultatem determinandi in ſpecie ipſam materiam, & formam; & hinc eſt, quòd in initio Eccleſiæ Diaconi ordinabantur per ſolam manuum impoſitionem, deindè per traditionem libri Evangeliorum. Maſtrius *d. diſp.* 4. *num.* 36. ut latiùs dicetur infra, dum agemus de materia, & forma omnium Ordinum.

Ad Sextum argumentum reſpondetur, Diaconos fuiſſe electos ab Apoſtolis non tantùm ut obviarent lamentatio-
37 nibus viduarum græcarum, quæ deſpicebantur circa menſas à Judæis; ſed præcipuè ut miniſtrarent Euchariſtiam, & deſervirent Altari juxta illud *Act.* 2. 42. *Erant autem perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*, Undè Eccleſia in laudem S. Laurentii Martyris, & Diaconi refert in ejus officio verba, quæ ipſe protulit ad S. Xyſtum Pontificem euntem ad martyrium: *Quò progrederis ſine filio Pater? Quò Sacerdos Sancte ſine Diacono properas? Cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem*. Hoc idem pluribus DD. citatis confirmat Emin. Card. Brancatius *in Opuſc. De Benedict. Diacon. pag.* 248.

Ad Septimum reſpondetur, S. Anacletum Papam, & S. Damaſum non
38 dixiſſe, Chriſtum Dominum inſtituiſſe tantùm Ordines duos, Epiſcopatum, & Presbyteratum, nullos autem alios miniſtros; quia ut ex Lectura earum Epiſtolarum manifeſtè conſtat, affirmabant prædicti Pontifices, duos tantùm eſſe Ordines, ideſt gradus Sacerdotum; unum majorum, qui ſunt Epiſcopi, alterum inferiorum, qui ſunt ſimplices Sacerdotes; & ſic loquebantur ad eliminandum gradum ſpurium Chorepiſcoporum, qui tunc invaluerat in Eccleſia non ſine magna moleſtia Epiſcoporum,
39 quorum munia Pontificalia ipſi Chorepiſcopi ſibi uſurpabant. De his plura Gonzalez *in cap.* 1. *de Privil. & exceſſib. Privileg. num.* 7. *tom.* 5. *pag.* 355. & Barboſa *de Jure Eccl. Univ. lib.* 1. *cap.* 15. & 16.

Ad Octavum reſpondetur negando paritatem inter Sacramentum Baptiſmi, & Ordinis; illud enim datur, ut omnes baptizati poſſint recipere Sacramenta; iſtud verò ut ſolus Sacerdos poſſit conſecrare Euchariſtiam; Clerici verò inferiorum graduum, ut valeant inſervire Sacerdoti celebranti, & ſe diſponere ad ſuſcipiendum Sacerdotium; ad cujus culmen dignitatis non conveniebat unico ſaltu pervenire; ſed gradatim miniſtrando, & inſerviendo in minoribus ſe præparare. Ita Maſtrius *d. diſp.* 4. *num.*29.

Ad Nonum pariter reſpondetur, eſſe quidem Sacramentalia ritus, & cæremoniæ ante Baptiſmum, & ſponſalia ante Matrimonium: ſed Ordinationes ſacræ in minoribus ordinibus eſſe Sacramenta, quia conferunt gratiam, imprimunt characterem, & dant poteſtatem exercendi officia propria eorumdem graduum. Maſtrius *ibid. d.num.*29.

Ad Decimum negatur conſequentia; quia nullus Ordo ſivè major, ſivè minor de neceſſitate Sacramenti requirit continentiam, & horarum canonicarum recitationem. Sed hæ obligationes 40
inductæ ſunt de Præcepto Eccleſiæ in majoribus Ordinibus ob reverentiam gradus, & ſanctitatem requiſitam in tanta propinquitate ad Altare, & ad Divinum Sacrificium.

Ad Undecimum reſpondetur, nihil officere, quòd minores Ordines ſint Sacramenta, & poſſint conferri ab Abbate, vel à ſimplici Sacerdote ex privilegio Papæ, ut dicemus infra de Miniſtro hujus Sacramenti; quia cùm Ordines minores ſint remoti à conſecratione Euchariſtiæ, nullum eſt inconveniens, quod non ſolùm ab Epiſcopis, ſed etiam à Presbyteris privilegiatis conferantur. Maſtrius *d. diſp.* 4. *num.* 32.

Ad Duodecimum rursùs negatur conſequentia; quia tranſitus ad Laicalem ſtatum, & Matrimonium, quem fa- 41
ciunt ſæpè ordinati in minoribus, non procedit ex deletione characteris, neque ex eo, quòd Ordines non fuerint Sacramenta; ſed quia ideſt eis permiſſum ab Eccleſia, quæ non obligat ad perſeverandum in ſtatu Clericali, niſi

quando receptus fuit Ordo Sacer, cui annexum eſt votum ſolemne caſtitatis.

Ad Decimumtertium reſpondetur, etiam minores Ordines inſtitutos fuiſſe ad inſerviendum Sacerdoti conſecranti Euchariſtiam, etſi remotè, tùm quia opus eſt aperire Eccleſiam, introducere in eam fideles, & expellere infideles; tùm quia iidem fideles ſunt adaptandi ad recipiendam Sanctiſſimam Euchariſtiam, quòd fit per inſtructionem in doctrina Chriſtiana, & aliis myſteriis fidei; & in his omnibus officiis ordinati in minoribus cooperantur in obſequium Ordinis Sacerdotalis. Præterquam quòd diſponunt ſeipſos ad aſcenſum illius ſublimis gradus, laborando in Eccleſia, & inſerviendo in minoribus.

Ad Decimumquartum reſpondetur; quòd ex traditione Eccleſiæ conſtat, Or-
42 dines minores ſemper extitiſſe etiam ab ejus initio, ut ex decreto S. Caii Papæ, & S. Sylveſtri, de quibus ſupra *Deciſ. IV. num.* 16. imò ex Epiſtola S. Cornelii Papæ, qui horum Pontificum fuit prædeceſſor, de qua in *Deciſ. III. num.* 39. Neque obſtat, quòd apud primi ſæculi Patres, Apoſtolorum diſcipulos non legantur, aut reperiantur *Acolythi;* nam S. Clemens Papa *lib.* 3. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 11. commemorat *Diaconos*, *Lectores*, *Miniſtros*, *Cantores*, *& Janitores;*
43 obſervat autem doctiſſimus Maſtrius *d. diſp.* 4. *num.* 34. quòd hæc vox *Acolythus* eſt vox Græca, quæ Latinè ſonat, & interpretatur *Miniſter;* & ideò, quando S. Clemens Papa Primus, qui fuit Apoſtolorum diſcipulus, nominat *Miniſtros;* per eos intelligit *Acolythos;* & equidem Lexicon Græcum antiquum (quòd apud me eſt) impreſſum Baſileæ Anno Domini 1539. in Verbo *Acolythos*, vertit, *Miniſtrans in rebus corporis*. Igitur *Acolythi* tunc nominabantus *Miniſtri*, eorum enim officium præcipuum erat præparare urceolos cùm vino, & hoſtias pro Miſſa miniſtrare, ideſt porrigere Subdiacono deferendas ad Altare; prout etiam lumina præparare in Eccleſia; & Cereos accenſos deferre in decantatione Evangelii; ut latè infra Deciſ. XX. demonſtrabitur. Per *Janitores* autem non eſt incongruum intelligere Oſtiarios, qui cuſtodiebant januas Eccleſiæ tempore Miſſæ; & per *Laborantes* alios Clericos Lectores, vel Exorciſtas, qui laborabant in explicanda doctrina Chriſtiana fidelibus, & eos edocendo fidei myſteria, & præcepta Decalogi, juxta miniſterium ex ordinibus receptis ſibi competens. Concordat S. Dionyſius Areopagita, & ipſe Apoſtolorum diſcipulus, dum in libro *De Eccleſ. Hierarch. cap.* 3. dicit *Miniſtrorum alii ſtant ad portas Templi clauſas, alii aliud proprii Ordinis operantur; alii autem Sacerdotibus proponunt ſuper Altare Sacrum panem, & benedictionis Calicem*. In quibus verbis non obſcurè deſignantur, tùm Clerici quatuor minorum Ordinum, tùm Subdiaconi, qui etiam in illo principio Eccleſiæ erant in uſu, ſiquidem per illa verba *Stant ad portas Templi* innuit Oſtiarios: per illa *Alii aliud proprii Ordinis operantur*; denotat Lectores, & Exorciſtas: per illa, *Alii Sacerdotibus proponunt ſuper Altare Sacrum panem, & benedictionis Calicem:* deſignat apertè Acolythos, qui hæc porrigunt Subdiacono. Quare concludenter dicimus, omnes ſeptem Ordines fuiſſe in uſu in primitiva Eccleſia, & vim, ac rationem Sacramenti propriam quemlibet eorum ſemper habuiſſe. Plura de antiquitate minorum Ordinum differit Emin. Cardin. Bona *Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 25. ubi *ſub num.* 17. 44
refert Doctorem Angelicum opinantem, in primitiva Eccleſia propter paucitatem miniſtrorum omnia inferiora miniſteria Diaconis fuiſſe ſolita demandari, ut *in Suppl.* 3. *p. q.* 37. *art.* 2.

Ad Ultimum argumentum non eſt neceſſaria reſponſio, cùm jam *ſub num.* 23. *ſupra* oſtenſum ſit, ſecundùm Scotiſtas eſſe Sacramentum; & ſecundùm Thomiſtas habere rationem Sacramenti, non tamen diſtincti à Presbyteratu, ſed tanquam complementum Ordinis Sacerdotalis.

D E-

## DECISIO VII.

### ARGUMENTUM.

Oſtenditur, Materias, & Formas Ordinum eſſe à Chriſto Domino inſtitutas. Examinatur ardua illa Quæſtio, Cur Græci conferant Ordines Sacros ſine porrectione materiæ tangendæ ab ordinato; ſed ſola manuum impoſitione? Rationes, & auctoritates pro infallibilitate Concilii Florentini, Eugenii Papæ Quarti, & ipſius Eccleſiæ Romanæ, præcipuè circa materias, & formas Sacramentorum. Duplici dicendi modo conciliatur diſcrepantia Eccleſiæ Græcæ, & Latinæ circa collationem Ordinum.

### SUMMARIUM.

1 *Materia, & Forma Ordinum an ſint inſtitutæ à Chriſto?*
2 *Materia, & Forma quænam ſit?*
3 *Materia Ordinum alia remota, alia proxima.*
4 *Forma Ordinum cur imperativè proferatur?*
5 *Chriſtus inſtituit materiam, & formam omnium Ordinum?* & num. 27.
6 *Materiæ, & Formæ Sacramentorum Inſtitutio cur non fuit demandata Apoſtolis, vel Eccleſiæ?*
7 *Sacramenta cur immediatè à Chriſto ſint inſtituta?*
8 *Apollo, de quo* 1. Cor. 1. *quiſnam eſſet?*
9 *Gratia ſanctificans à Chriſto immediatè provenit.*
10 *Græci cur Ordines Sacros conferant ſine materia?*
11 *Et cum forma deprecativa?*
12 *Rituales Græci antiqui.*
13 *Arcudii Corcyrei Græci Tractatus.*
14 *Quæſtio ardua de differentia Ordinationis in Eccleſia Latina, & Græca.*
15 *Florentini Concilii decretum de materia, & forma Ordinum.*
16 *Concilia generalia quando ſint infallibilia?*
17 *Papa reſpondens è Cathedra errare non poteſt.*
18 *Ordinum Materia, & Forma an eſſet in Uſu ante Eugenium IV.*
19 *Materiæ Ordinum in Eccleſia Latina congruentia.* & num. 20.
21 *Græci tempore Concilii Florentini an in collatione Ordinum adhiberent inſtrumenta pro materia?*
22 *Philadelphienſis Metropolitæ atteſtatio de uſu inſtrumentorum in Ordinationibus apud Græcos.*
23 *Manuum impoſitio in Scriptura Sacra erat Ordinatio.*
24 *Arcudii aſſertio, quòd Græci ordinantur ſola manuum impoſitione.*
25 *Romæ tenetur Epiſcopus Græcus, qui ordinat more Græco,*
26 *Diſcrepantia Ordinationum Latinæ, & Græcæ Eccleſiæ quomodo concilietur.*
27 *Chriſtus inſtituit materiam, & formam Ordinum in genere tantùm.*
28 *Græci eſſentialiter conferunt eoſdem Ordines, quos, & Latini.*
29 *Chriſtus non unam tantùm materiam Ordinum, ſed plures inſtituit.*
30 *Latina Eccleſia cur permittat Ordinationes Græcorum?*
31 *Ordines per traditionem Inſtrumentorum quando cæperunt conferri?*
32 *Eccleſia Romana ſervat traditiones Apoſtolorum incorruptas.*
33 *Errare in fide non poteſt, nec circa Sacramenta.*
34 *Eccleſia an poſſit mutare materiam, & formam Ordinum?*

Antequam ad ſingolorum Ordinum naturam, & proprietates explicandas haberetur acceſſus, viſum fuit neceſſarium, & opportunum à Stu-



Digitized by Google

dioſis noſtris requirere, *An Chriſtus Do-
1 *minus aſſignaverit in individuo Formam*, *& Materiam pro Sacramento Ordinis*; *veluti fecit in aliis Sacramentis*, *veluti in Baptiſmo*, *Euchariſtia &c.* Pro faciliori intelligentia, ac reſolutione Quæſiti præmiſerunt tria.

Primum: Quod ſicut omnia Sacramenta habent ſuam materiam, & formam inſtitutam à Chriſto Domino, ſine quibus non poſſunt validè conferri; ita etiam Sacramentum Ordinis oportet, ut prædictas materiam, & formam à Chriſto Domino aſſignatas habeat; eſt autem Materia illud, per quòd Or-
2 do ab Epiſcopo confertur. Forma verò ſunt verba, quibus ſignificatur poteſtas, quæ per talem Ordinationem communicatur Ordinato; ut habetur in Concilio Florentino *in Inſtruct. Armenor.* & docet S. Thomas *in Supplem. 3. p.q34.art. 4. & 5.*

Secundum præmiſſum: Materia Ordinis, ſicut in aliis Sacramentis, eſt in duplici differentia, alia remota; & alia
3 proxima. Materia remota eſt res illa, quæ traditur tangenda Ordinato; ut Calix cum vino, & Patena cum hoſtia Sacerdoti; prout Diacono liber Evangeliorum; de quibus in particulari agemus infra in ſingulis ordinibus. Materia verò proxima eſt ipſa traditio rei ab Epiſcopo facta; neceſſitas autem utriuſque materiæ prædictæ ex eo reſultat, quia illa eſt materia Sacramenti, per quam Sacramentum conficitur; ſed ad conficiendum Sacramentum non ſolùm opus eſt re, ſed ejuſdem rei traditione; prout in Baptiſmo, aqua eſt materia remota; ipſius verò applicatio per ablutionem eſt materia proxima.

Tertium præmiſſum. Forma hujus Sacramenti Ordinis, ut dictum eſt,
4 ſunt verba, quæ profert Epiſcopus, quæ quidem verba proferuntur imperativo modo, dicendo, *Accipe poteſtatem &c.* undè notare oportet, quòd in aliis Sacramentis dicuntur verba modi indicativi, ut *Ego te baptizo &c. Signo te ſigno Crucis &c.* ea ratione, quia cætera Sacramenta principaliùs ſunt inſtituta ad ſanctificandum ſuſcipientem, ut eſt particularis perſona, at Ordo eſt inſtitutus à Chriſto Domino principaliùs ad Sanctificationem Miniſtri, tanquàm perſona publica in Eccleſia; ideò in iſto adhibentur verba imperativi modi, prout in Miniſtris Reipublicæ, dum eis datur auctoritas dicendo, *Accipe Sceptrum*, vel *Pileum*, vel *Baculum poteſtatis*; in aliis autem Sacramentis forma ſignificat gratiam ſignificantem, quam operantur in ſuſcipientibus tanquam perſonis privatis; & ſufficit eam indicare per verba modi indicativi. Ita S. Thomas *in cit. q. 34. art. 4.* & Sotus *in 4. diſt. 24. q. 1. art. 8.*

His ita præmiſſis pro reſponſione ad Quæſitum dictum fuit, quòd abſque ulla hæſitatione, materia, & forma Sacramenti Ordinis inſtituta, & determinata fuit à Chriſto Domino. Fundatur hæc reſponſio in Tridentino Concilio *ſeſſ. 7. Can. 1.* in quo diffinitum eſt, omnia ſeptem Sacramenta eſſe inſtituta à JESU CHRISTO Domino noſtro. Ergo ab ipſo fuerunt inſtitutæ materiæ, ac formæ Sacramentorum omnium; quia ſine materia, & forma non eſſet Sacramentum. Spectabat autem ad Chriſtum inſtituere, & determinare materiam, & formam Sacramentorum, quia Sacramenta ſunt fundamenta Eccleſiæ, quæ ex latere Chriſti prodivit, undè ſcripſit S. Ambroſius *lib. 4. de Sacram. cap. 4. Author Sacramentorum quis eſt*, *niſi Dominus JESUS?* Idcircò inſtituere, & determinare materias, & formas Sacramentorum non fuit demandatum Apoſtolis; qui non fuerunt au- 6
thores, ſed diſpenſatores Sacramentorum, juxta illud Pauli 1. *Cor.* 4. *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores Myſteriorum Dei.* Nec fuit conceſſum Eccleſiæ, quæ non habet poteſtatem excellentiæ Sacramentis ſuperiorem; ſed tantùm miniſterialem, & Sacramentis alligatam; itaut poſſit quidem mutare cæremonias accidentales in eorum adminiſtratione; ſalva tamen ſemper ſubſtantia à Chriſto Domino inſtituta, ut declaravit idem Concilium Triden-

Tridentinum *ſeſſ.21. cap.2.* Et equidem congruum fuit, ut Sacramenta, & eorum materiæ, & formæ inſtituerentur immediatè à Chriſto Domino ob tres præcipuas rationes, quas ponit S. Thomas *3. p. q. 64. art. 4. ad 1. & ad 3.* Prima fuit ob hominum utilitatem, ne in alio homine ſpem ponerent. Secunda, ne eſſent diverſa Sacramenta, ex quibus diviſiones, & ſchiſmata orirentur, ſicut apud illos, qui dicebant *1. Cor. 1. Ego ſum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ.* (Apollo erat Judæus quidam Alexandrinus genere, Vir eloquens, potens in ſcripturis, qui fidem Chriſti magno fervore prædicabat, ut notat Cornelius à Lapide *Act.18.24.* & hoc nomen Apollo eſt indeclinabile, ac diverſum ab Apolline Deo gentilium.) Tertia, ne eſſent multa capita in Eccleſia. His quartam congruentiam addit Emin. Cardin. de Lugo de Sacram. *diſp. 2. num. 83.* quia Sacramenta cauſant efficaciter gratiam; idcircò non poterant ab alio, quàm ab ipſo Chriſto, qui eſt Auctor gratiæ, & propter unionem hypoſtaticam habuit poteſtatem excellentiæ, per quam & leges ferre, & Sacramenta inſtituere, gratiamque dare ei conceſſum fuerat. Idem obſervant Salmanticenſes *tract. 1. de Sacram. cap. 3. num.21.* Gobatus *tract.1. nu. 5.* & Layman *lib.5. tract.1. cap.5. num. 1.* Igitur ſicut Chriſtus inſtituit Sacramentum Ordinis, ita ab ipſomet Chriſto fuerunt determinatæ materiæ, & formæ omnium Ordinum, ut latiſſimè probat ex Canoniſtis Fagnanus *in cap. Cum veniſſet à num. 80. & ſeqq. de Sacra Unct. tom. 2.*

Cæterùm hac reſponſione ſtante, inſurgit difficultas magna ob praxim diverſam, quam ſervant Græci cum omni Eccleſia Orientali in conferendis Ordinibus abſque ulla traditione materiæ, ſeu Inſtrumentorum, ſed per ſolam manuum impoſitionem ſuper caput Ordinandorum; & cum verbis deprecativis, ut conſtat ex pluribus Euchologiis, & Ritualibus Græcis antiquis, antiquioribus, & antiquiſſimis, quos per extenſum ponit Joannes Morinus *De Sacr. Ordin. part.2. à pag. 52. & ſeqq.* nec non Gaſpar Ivenim *in Commentar. Hiſt. & Dogm. de Sacramentis tom. 2. Diſſert. 9. Quæſt. 9. cap. 1. pag. 943.* de qua praxi mentionem faciunt etiam Salmanticenſes *De Sacram. Ord. tract. 8. cap.2. nu.6.* Emin. Card. de Lugo *De Sacram. in gen. d. diſp. 2. num. 85.* Cotonius *lib. 2. Controv. 1. num. 19.* Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 6. num. 52.* & copioſè Fagnanus *in cit. cap. Cum veniſſet à num.90. De Sacra Unct.*

Hac attenta Praxi diverſa Græcorum doctiſſimus Diana *part. 8. tract. 1. reſol. 42.* repoſita in Opere Coordinato *tom.3. tract. 1. reſol. 67.* appellat hanc quæſtionem ſatis arduam, propter quam torquentur doctiſſimorum hominum ingenia; ſiquidem habemus doctrinam Concilii Florentini in Bulla Eugenii Quarti, in qua pro inſtructione Armenorum §. 15. ita definitum fuit: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus verò per Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem. Et ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem. Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia pro vivis, & mortuis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Et ſic de aliorum Ordinum formis prout in Pontificali Romano latè continetur.* Hæc Bulla incipit: *Exultate &c.* & inter illas Eugenii IV. eſt *Conſtitutio XIX.* ſolemniter publicata in Concilio Generali habito Florentiæ, præſente eodem Eugenio IV. *Anno Domini 1439. die 22. Novembris;* Pontificatus ejus Anno Nono.

Cum igitur diffinitum ſit ab ipſo Oecumenico Concilio, præſente, & approbante Papa, quòd Materia Sacramenti Ordinis ſit res illa, quæ per Epiſcopum tangenda traditur Ordinandis; Forma verò illa verba, quæ in ejuſdem

rei

rei traditione proferuntur;dicendum eſt,
hanc eſſe materiam,& formam Ordinem
ea ratione, quia Decreta Conciliorum
16 generalium, per Papam approbata, in
rebus concernentibus articulos fidei, vel
Sacramenta, ſunt infallibilia; & eſſet
hæreſis de eorum veritate dubitare; ut
docent Theologi, ac Canoniſtæ, &
præcipuè Emin. Card. de Lauræa *in* 3.
*Sent. tom.* 3. in tractatu de Fide *diſp.* 5.
*art.* 2. §. *Unico per tot.* Gotonius *lib.* 3.
*Controv.*10. *num.*62. & 63. atque Fagna-
nus *in cap. Antigonus à num.*31. *& ſeqq.*
*de Pactis in d. tom.* 2. *pag.* 535. Et cir-
cumſcripta ejuſdem Concilii infallibili-
tate Conſtitutio Eugeniana ſupradicta
proceſſit ab ipſo Papa tanquam univer-
17 ſali Eccleſiæ Paſtore; qui ita reſpondit
ex Cathedra; undè ſequitur, quòd er-
rare non potuerit ob promiſſam ei à Deo
infallibilitatem juxta illud: *Luc.* 22. 32.
*Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides*
*tua*; & hoc latè probant S. Thomas
2. 2. *q.* 1 *art.*10. Emin. Card. de Turre-
crem. *lib.*2. *de Eccleſ. cap.* 19. & Theo-
logi, ac Canoniſtæ plurimi, quos cu-
mulat Barboſa *de Jure Eccleſ. Univ.lib.*
1. *cap.*2. *à num.* 38. *& ſeqq.* & à me de-
monſtratum fuit de Sacramento Pœni-
tentiæ *Deciſ.* 19. *num.* 19. ubi alios DD.
allegavi.

Confirmatur veritas diffinitionis præ-
dictæ, quia determinatio Eugenii IV.
18 non fuit res nova; ſed quæ erat in uſu
per plura anteacta ſæcula; nam, quòd
traditio inſtrumentorum in ordinibus ſit
materia Sacramenti Ordinis, docuit
Scotus, qui vivebat Anno 1300. & SS.
Thomas, & Bonaventura, qui id ſcri-
pſerunt Anno 1250. De eadem locutus
fuit Petrus Lombardus Magiſter Sen-
tentiarum Anno 1140. Sed & ante illum
mentionem faciunt ejuſdem materiæ
Ordinum Rituales Manuſcripti S. Ger-
mani à Pratis, & Tilianus, ut teſtatur
Menardus *in Notis ad lib. Sacram. S. Gre-*
*gorii Papæ pag.* 292. quos conſcriptos eſ-
ſe ait in Præfatione ſui Operis circa
Domini Annum milleſimum. Ulteriùs
in Ordine Romano, quem citat Albinus
Alcuinus, qui vivebat Anno 778. fit
mentio de porrectione Calicis cum vi-
no, & patenæ cum pane in ordinatione
Sacerdotum, ut refert Sarnellius *Epi-*
*ſtol. Eccleſiaſticar. tom.* 1. *Epiſt.* 39. *pag.*
294. En itaque uſus conferendi Sacra-
mentum Ordinis per traditionem mate-
riæ, qui vigebat per ſeptem ſæcula in
Eccleſia Latina ante Eugenium IV. &
creditur proveniſſe ab Apoſtolorum
Principe Petro, etſi de eo nullus ſcri-
pſerit tanquam de re extra controver-
ſiam verſante.

Accedit & illa ponderoſa ratio, quia
in omnibus Sacramentis Materia, & 19
Forma debet eſſe talis, quæ demonſtret
exteriùs operationem interiorem, quam
facit Sacramentum, ut ait S. Thomas
*in* 4. *diſt.*3. *q.*1. *art.*3. *q.*1. *ad* 4. Benè ita-
que traduntur inſtrumenta tangenda ab
ordinando in omnibus ordinibus tan-
quam materiam Sacramenti, quia per
ea demonſtratur poteſtas collata in ipſo
Ordine; ut patet tàm in minoribus,
quàm in majoribus ordinibus; datur
enim Subdiacono pro materia tangenda 20
Calix vacuus, & patena, atque liber
Epiſtolarum ad denotandum, quòd ſit
habilis ad deferenda in Altare vaſa Sa-
cra pro Sacrificio, & ad Epiſtolam le-
gendam. Diacono autem per librum
Evangelii innuitur jus illud prædicandi;
& Presbytero per Calicem cum vino,
& Patenam cum pane facultas, quæ ei
datùr, conſecrandi in Miſſa Corpus, &
Sanguinem Domini, ut diſſerit Regi-
naldus *lib.*30. *cap.* 3. *per totum.*

Sed nec illud eſt omittendum, quod
ſcribit Fagnanus *in cit. cap. Cum veniſ-* 21
*ſet num.* 75. *de Sacra Unct.* ſcilicèt pro-
babile eſſe, quòd olim in Eccleſia Orien-
tali, & tempore Concilii Florentini,
Ordines conferrentur per traditionem
inſtrumentorum; & non per ſolam ma-
nuum impoſitionem; quia cum in eo
Concilio actum ſit de unione Eccleſiæ
Orientalis cùm Occidentali, & termi-
nati fuerint articuli de Proceſſione Spi-
ritus Sancti, de Purgatorio, de Prima-
tu Eccleſiæ Romanæ, & de Conſecra-
tione in fermentato, in quibus Græci
diſcrepabant ab Eccleſia Latina; non
eſt ve-

Digitized by Google

eſt veriſimile, quòd nihil actum eſſet de collatione Ordinum ſine traditione Inſtrumentorum; ſi tunc fuiſſet in uſu apud Græcos ordinare Clericos abſque dicta traditione cum tanta diſcrepantia Eccleſiæ Latinæ. Idcircò ſubdit ibidem Fagnanus, quòd in quodam libro Græco, ſeu Opuſculo de Sacramentis Gabrielis Metropolitani Philadelphien. edito Anno 1600. legitur, *Materiam Ordinis Sacerdotalis eſſe Sacratiſſimum Pa-*
22 *nem; & Sacrorum Vaſorum numerum; Seu, ut alii exponunt, quantitatem, & reliqua cujuſque Ordinis propria, uti moris eſt*. Hoc opuſculum integrum habetur apud Morinum *de Sacram. Ordin. part.* 2. *pag.* 163. Imò ſubdit idem Fagnanus, ſe curaſſe, ut inſignis Religioſus Sacræ Theologiæ Lector, & ex primariis Venetorum familiis percunctaretur à Græcis, Venetiis degentibus, quid hac in re obſervarent? Et reſponderunt, ſe, & omnes Græcos non ſola uti impoſitione manuum in ordinandis Sacerdotibus; ſed panem in Patena, & vinum in Calice ordinandis tangendum porrigere. Undè ſic ibidem concludit Fagnanus: *Probabilius eſt igitur hunc morem ordinandi ſine traditione Inſtrumentorum, nec olim viguiſſe, nec hodie vigere in Eccleſia Græca; ac ſi fortè aliquando contrarium fuerit obſervatum; hujuſmodi errorem irrepſiſſe poſt Concilium Florentium; quemadmodum etiam perplures alii errores irrepſerunt, poſt recidivum Schiſma, & inexcuſabilem receſſum ab unione Eccleſiæ Romanæ*.

Porrò tria ſunt, quæ non ſinunt acquieſcere dictis per hunc eximium in Curia Romana & Canoniſtam, & Prælatum, Sacrarum Congregationum Cardinalium Secretarium præſtantiſſimum. *Unum* eſt, quòd in locis Sacræ Scripturæ, & in Conciliis citatis apud Dianam Coordinatum *d. tom.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 67. *num.* 10. in quibus agitur de Or-
23 dinatione Diaconorum, & Presbyterorum, fit mentio tantùm de manuum impoſitione prout etiam in Ritualibus Græcis antiquiſſimis, qui habentur impreſſi apud eumdem Morinum *part.* 2. *Alterum* eſt, quòd Petrus Arcudius Corcyrenſis *lib.* 6. *de Sacram. Ord. cap.* 3. reprehendit ſupranominatum Metropolitam Philadelphiæ de prædicta aſſertione, quòd apud Græcos Materia Sacerdotii ſit Sacer panis, & certus inſtrumentorum numerus, affirmans, quòd Græci in Sacris ordinantur ſola Ponti- 24
ficis manuum impoſitione; quòd repetit *cap.* 5. concludens; præter manus impoſitionem, nullam aliam apud Græcos reperiri Materiam in ordinationibus. Porrò Jo. Baptiſta Catumſtyrites Italogræcus in ſuo tractatu *De Vera Utriuſque Eccleſiæ Sacramentorum concordia: Accuſ.* 82. proteſtatur, doctrinam Philadelphienſis eſſe veram; Arcudii autem librum pluribus in locis fuiſſe à Græcis Schiſmaticis depravatum. *Tertium*, quòd peculiaris Bulla Clementis VIII. Incipien. *Sanctiſſimus Dominus noſter &c. diei* 31. *Auguſti* 1595. ex ſententia S. Congregationis ſuper reformatione Græcorum, decernit, Romæ habendum eſſe Epiſcopum Græcum Catholicum, qui Clericos Græcos Epiſco- 25
pis Latinis Italiæ ſubjectos, cum eorum dimiſſoriis ordinet ritu Græco: ideſt non per inſtrumentorum traditionem, ſed ſola manuum impoſitione, ut oculis propriis vidiſſe Romæ teſtatur Emin. Card. de Lugo *d. tract. De Sacramentis in genere diſp.* 2. *num.* 85. his verbis: *Nunc in Eccleſia Græca non ſolùm Epiſcopi Schiſmatici; ſed Catholici etiam, & qui Romæ degunt, dum Græcos Presbyteros ordinant, ſciente, & conſentiente Summo Pontifice (me præſente) non per Calicis, & Patenæ porrectionem id faciunt, ſed per manus impoſitionem ſuper caput ordinandi*. Ergo non eſt damnanda à nobis Eccleſia Orientalis ob hunc ritum, & modum ordinandi, quem Summi Pontifices ſciunt, tolerant, non condemnant, imò etiam Romæ permittunt; ut latiſſimè demonſtrat Morinus *de Sacr. Ord. part.* 1. *cap.* 4. ubi allegat Bullas Leonis X. Clementis VII. & VIII. nec non Pauli V. & Urbani VIII. Summorum Pontificum approbantium Græcos ri-

tus

tus in Ordinationibus Sacris.

Pro conciliatione hujus diſcrepantiæ, & reſolutione tantæ difficultatis, duos reperio apud Doctores reſpondendi modos. *Unus* eſt, quod Chriſtus Domi-
26 nus non determinavit in ſpecie Materiam, & Formam hujus Sacramenti Ordinis; ſed eas genericè tantùm inſtituit; ut ſcilicèt pro materia adhiberetur ali-
27 quod ſignum ſenſibile ſignificativum poteſtatis, quæ traditur; & pro forma adhiberentur verba ſufficienter exprimentia eamdem poteſtatem. Hinc fit, quòd utraque Eccleſia Latina, & Græca ſervat eſſentialiter Materiam, & Formam à Chriſto inſtitutas, quamvis determinatio ſigni ſenſibilis, & materialis prædictam poteſtatem ſignificantis diverſa ſit apud Græcos, & Latinos; quia illi utuntur tantummodò impoſitione manuum, cum verbis indicantibus (etſi non ita clarè) facultatem ſpiritualem, quam recipiunt ordinati: at Eccleſia Latina præter manuum impoſitionem in Ordine Diaconatus, & Presbyteratus, utitur traditione libri Evangeliorum in illo; & Calicis cum vino, ac Patenæ cum pane in iſto, ad majorem expreſſionem ejuſdem poteſtatis ab Ordine collato provenientis. Ex his ſequitur,
28 quòd Ordines, quos confert Eccleſia Græca non ſunt diverſi, nec ſpecie diſtincti ab illis, qui conferuntur in Eccleſia Latina, ſed tantùm accidentaliter differunt: licèt enim habeant diverſas materias, & formas; illa tamen diverſitas non eſt formalis, ſed tantùm materialis, eò quod ordinantur ad eumdem effectum ſignificandum, & cauſandum; unitas autem, vel diverſitas ſpecifica ſigni ſumitur ex unitate, vel diverſitate ſpecifica rei ſignificatæ. Ita reſpondet numerus ferè innumerabilis Doctorum, quos citat, & ſequitur Diana *par.6. tract.8. reſol.* 18. Item *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 42. Nec non *part.* 10. *tract.* 11. *reſol.*65. Quæ nunc extant in Coordinato *tom.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 1. & *reſol.* 2. prout etiam *in tom.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 67. inter quos Eminentiſſimi Cardinales Bellarminus *De Sacram.Ord. lib.6.cap.*7. *in fine*; & de Lugo *de Sacram. in genere diſp.* 2. *ſect.* 5. *num.* 86. Petrus à S. Joſeph, Amicus, Jo. Præpoſitus, Arcudius, Fornarius, Vaſquez, Franciſcus de Lugo, & alii, quibus adſtipulantur doctiſſimi Salmanticenſes *de Sacramentis in genere tract.* 1. *cap.* 4. *num.* 48. & *tract.* 8. *cap.* 2. *num.* 5. Gonetus *tom.* 5. *tract.* 7. *de Sacram. Ordin. diſp.* 2. *num.* 62. Fagnanus *in cit. cap. Cum veniſſet. De Sacra Unct. num.* 28. ubi alios allegat; & his omnibus addo Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *Sent. tom.* 3. *diſp.* 6. *num.* 103. ita ſcribentem: *Chriſtus inſtituens Ordinem, aſſignanſque Materias, & Formas Ordinum in genere, permittens, ut Eccleſia, determinaret ſenſibilia, quæ ſignificarent collationem alicujus poteſtatis, habuit pro objecto non hoc, vel illud ſenſibile tantùm, puta impoſitionem manus, vel traditionem libri, aut utrumque; ſed hæc, & alia, quæ vellet Eccleſia deputare.* Et *num.* 171. ita ſubjungentem. *Replico, aliter non poſſe hæc ſalvari* (ſcilicèt diſcrepantiam Eccleſiæ Græcæ, ac Latinæ in collatione Ordinum) *niſi dicatur, quod Chriſtus Dominus, Materias Sacramenti Ordinis, ſicut & Formas determinavit in genere; ut ſcilicèt res quædam tradantur, & verba proferantur, quæ ſignificent collationem alicujus poteſtatis. Hoc enim modo ſalvatur varietas hæc Materiarum.*

Alter modus reſpondendi, ac conciliandi ſupradictum diſcrimen utriuſque Eccleſiæ eſt; dicere, quod Chriſtus Dominus determinaverit Materiam, & 29
Formam Ordinum non tantùm in genere, ſed etiam in ſpecie; non tamen unam tantummodò, ſed multiplicem; videlicèt tàm illam, quæ adhibetur in Eccleſia Latina, quàm illam, qua utitur Eccleſia Græca; itaut ſub disjunctione, vel hanc, vel illam Eccleſia uſurparet ſecundum quòd magis expedire arbitraretur, attenta regionum, vel temporum diverſitate. Hanc reſponſionem tradit Cotonius *d. libr.* 2. *de Sacramentis Controv.* 1. *num.* 20. quam etiam docuiſſe dicit Emin. Card. Pallavicinum *libr. de Sacramentis cap.* 4. *num.* 66.

Digitized by Google

*num.* 66. & ante ipſum Emin. Card. de
Lugo *d. diſp.* 2. *ſect.* 5. & magis explicitè *in diſp.* 7. *num.* 8. ubi ita concludit:
*Adverte, cum dicimus, Chriſtum inſtituiſſe per ſe omnia, & ſingula Sacramenta, non intendere nos, ſingulorum materias fuiſſe omninò determinatas à Chriſto; nam ut vidimus diſp.* 2. *ſect.* 5. *Chriſtus in aliquibus Sacramentis ſolùm determinavit materiam in genere, verbi gratia in ordine ad actionem externam, quæ ſufficienter ſignificet traditionem poteſtatis. Undè idem Ordo Sacerdoti apud Latinos confertur per porrectionem Hoſtiæ, & Vini &c. apud Græcos verò per ſolam manuum impoſitionem, cum verbis ſignificantibus traditionem poteſtatis. Utraque autem materia fuit à Chriſto inſtituta non determinatè, ſed disjunctim, ut ſupra diximus.*

Ex his duobus Primus modus dicendi eſt communior apud Doctores; ſed Cotonius *d. lib.* 2. *Controv. I. num.* 24. ait: *Mihi placet poſterior ille dicendi modus; nimirùm quia hoc modo redduntur probabiles omnes myſticæ, atque arcanæ ſignificationes circa ejuſmodi materias, & formas, utpotè quarum Auctor præ Summa Sapientia nullam quantumvis abditiſſimam congruentiam in ipſis non vidit.*
Eligat ſtudioſus ex his modis illum, qui ſibi magis arridet; ex utroque enim benè infertur id, quòd ſcribit Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. d. diſp.* 6. *num.* 53. quòd materia, & forma Græcorum in Ordinibus conferendis una, & eadem eſſentialiter eſt cum Latina; utraque enim ſignificat dari aliquam pote-
30 ſtatem ordinato; alioquin Eccleſia non
permiſiſſet, ut Græci ita ordinarentur, eò vel maximè, quia Eccleſia Latina ſæpè eorum ritus reformavit, & nullum prorsùs verbum fecit de modo conferendi Sacramentum Ordinis apud eoſdem Græcos; quòd præſertim fuerat faciendum in Concilio Florentino, ubi de tollendis Græcorum erroribus diù actum eſt; prout etiam ante ſub Innocentio IV. *Conſtit.* 14. *Incipien. Sub Catholicæ*. de qua diximus ſupra *Deciſ. III. num.* 46.

Adhuc autem fieri poteſt hæc inſtantia. Quonam tempore Eccleſia Latina cæpit ordinare Clericos per inſtrumentorum traditionem? Reſpondetur, cre-
dendum eſſe, quòd uſque ab ejus initio, 31
& poſtquam Divus Petrus Sedem ſuam Apoſtolicam Romæ firmavit. Etſi enim nihil reperiatur ſcriptum in Conciliis, vel apud SS. Patres de hac inſtrumentorum traditione; nihilominùs cum nemo poſſit oſtendere, quando cæperit; ſequitur ex traditione Apoſtolica cæpiſſe, & ſemper in Eccleſia Latina continuaſſe; Eccleſia enim Romana
ſervat traditiones Apoſtolorum incor- 32
ruptas, & non docet nova, ſed antiqua. *cap. Præceptis*. 12. *diſt.* Julius I. *Epiſt.* 3. *cap.* 35. Pelagius II. *Epiſt.* 5. 7. & 8. Et ipſa numquam erravit in fide, ſed nec errare poteſt. *cap. A recta. cap. Memor ſum. cap. Hæc eſt fides, cum ſeqq.* 24. *q.* 1. præſertim circa doctrinam
Sacramentorum. *cap. Ad abolendam.* 33
*De Hæreticis*. Et tanti ponderis eſt traditio Eccleſiæ, quanti ipſa Scriptura. *cap. Catholica. & cap. Eccleſiaſticarum.* 11. *diſt.* quòd eruditè demonſtrat Sarnellius *tom.* 2. *Epiſt.* 40. per totam. Idcircò nihil officit, quod in primis Eccleſiæ Sæculis non reperiatur ſcriptum, quòd Diaconi per libri Evangeliorum traditionem; Sacerdotes per Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia porrectionem ordinarentur; quia credendum eſt, id ex antiquitate traditionis ſemper in Eccleſia Latina fuiſſe in uſu; ut optimè firmat Cotonius *d. lib.* 2. *Controv.* 1. *num.* 24. & facit *d. cap. Eccleſiaſticarum.* 11. *diſt.* In quo referuntur plures functiones ſacræ, quæ fiunt in Eccleſia; & nullibi ſunt ſcriptæ; ſed tantùm ex traditione obſervatæ. Tantò magis, quia ut docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 7. *q.* 1. *art.* 1. eſſentialia Sacramentorum occultabantur in primitiva Eccleſia ob irriſionem gentilium; & deindè SS. Patres nominarunt Ordinationem per antonomaſiam *Manuum impoſitionem;* quia ſic eam nominarunt Apoſtoli, ut doctè ſcribit Fagnanus *tom.* 2. *in cap. Presbyter. num.* 38. & 39. *De Sacr. non interan.*

Quòd ſi quis petat; an hodie Eccleſia

poſſit mutare materiam, & formam Ordinum, & alias conſimiles introdu-
34 cere? Reſpondet Emin. Card. de Lauræa *diſp. 5. de Sacram. Ord. num. 49.* Se non audere dicere pro, vel contra. Utrumque poſſe aſſeverari; ſed Romanæ Eccleſię judicio id eſſe relinquendum. Fagnanus autem *in cit. cap. Cum veniſſet. num. 89. de Sacra Unct.* adhæret n gativæ ob rationes ibi per eum allegatas.

## DECISIO VIII.

### *ARGUMENTUM.*

Diſputatur, An in collatione Ordinum materia ſit tangenda Tactu phyſico, vel ſufficiat Tactus Moralis? Præmittitur elegans narratio quinque ſenſuum exteriorum hominis, & eorumdem utilitas, ac excellentia. Indè oſtenditur, ſenſum Tactus ob præſtantiam Manus humanæ præcellere in multis, præſertim ex dignitate Sacerdotali, quam Homo acquirit tactu materiæ in Ordine Sacro. Reſolvitur Quæſtio pro Tactu Phyſico, Ratione, Auctoritate DD. & Tutiori opinione, quæ in confectione Sacramentorum ſemper eſt amplectenda.

### SUMMARIUM.

1 *Tactus materiæ in Ordinatione an ſit de neceſſitate Sacramenti?*
2 *Senſuum quinque exteriorum hominis quis ſit dignior?*
3 *Auditus utilitas in homine.*
4 *Surdi à nativitate remanent ſemper muti.*
5 *Viſus quàm utilis, & neceſſarius? Ejus Laudes.*
6 *Odoratus nobilitas, & utilitas.*
7 *Aſtomi qui ſint? & ubi ſint?*
8 *Guſtus utilitas, neceſſitas, & officium.*
9 *Tactus an ſit dignus Laude?*
10 *Manus hominis cæteris ſenſibus præcellunt. Earum Laudes.*
11 *Manus aliorum membrorum officia ſupplent.*
12 *Manus Ordinantis, & Ordinandi conficiunt Sacramentum Ordinis.*
13 *Sacerdotis dignitas, & excellentia.*
14 *Tactus, ac Manus ſummoperè cuſtodiendæ.*
15 *Urſini Presbyteri moribundi dictum.*
16 *Mulierum manus non tangendæ.*
17 *Epiſcopus Fundanus tentatus à diabolo erga Sanctimonialem.*
18 *B. Jordani Generalis Prædicatorum dictum.*
19 *S. Niceti Epiſcopi rigor neque puerulos tangentis.*
20 *Tactus alius Phyſicus, alius Moralis.*
21 *Præceptum Eccleſiæ de tangenda Materia realiter in Ordinatione.*
22 *Tactu Phyſico, vel morali an ſit tangenda Materia de neceſſitate Sacramenti?* & num. 26.
23 *Acceptio rei in civilibus ſit moraliter.*
24 *Parvuli an validè poſſint Ordinari?* & num. 32.
25 *Matrimonii Sacramenti quænam ſit Materia?* & num. 33.
27 *Tactus Phyſicus materiæ in Ordinibus eſt de neceſſitate Sacramenti.*
28 *Sollicitudo Ordinantium, ut Ordinandi tangant phyſicè materiam.*
29 Accipe *Verbum requirit tactum phyſicum.*
30 *Sacramentorum effectus cauſatur in tactu phyſico materiæ.*
31 *Argumentum non valet de contractibus ad Sacramenta:*
34 *Dominii, ac poſſeſſionis differentia.*
35 *Propoſitio damnata, quòd in Sacramentis ſufficiat opinio probabilis.*
36 *Tactus Phyſicus materiæ omninò faciendus in Ordinatione.*
37 *P. Cardenas. doctrina de Tactu phyſico in Ordinibus.*
38 *P. Thyrſi Gonzalez opinio de eodem Tactu phyſico.*

Succeſ-

SUcceſſivè ad generalem intelligen-
tiam hujus Ordinis Sacramenti pro-
poſita fuit hæc Quæſtio reſolvenda,
*An ſit de Neceſſitate Sacramenti Or-*
1 *dinis, ut qui initiantur tangant mate-*
*riam? & quomodo debeant illam tange-*
*re?* Ad ornatum materiæ ante reſolu-
tionem Quæſtionis, Studioſi noſtri tria
præmiſerunt.

Primum; quòd in homine ſunt quin-
que ſenſus exteriores, *Auditus*, *Viſus*,
2 *Odoratus*, *Guſtus*, & *Tactus*; ideò diſ-
putant Philoſophi, quis eorum ſit di-
gnior, ac nobilior? Alii volunt nobi-
liorem eſſe *Auditum*; qui quidem uti-
lis eſt hominibus dormientibus, & vi-
gilantibus; nam dormientes, ſi quis eos
3 aggrediatur, ſono perterriti poſſunt ſe
tueri; vigilantes autem, quia audien-
tes aliorum ſermones, & diſcurſus,
fiunt ſociabiles; conſiſtit enim ſocietas
hominum in narratione, & auditione.
Maximè verò *Auditus* inſervit ad ac-
quirendas ſcientias; quiſque enim no-
ſtrum Doctore indiget, ut pleniorem
habeat cognitionem rerum omnium;
imò ſine auditu non poſſet homo cogno-
ſcere ipſum Deum, ejuſque divinam
Fidem, & Legem apprehendere juxta
illud *Fides ex auditu*. *Rom.* 10. 17. &
evaderet ſimilis beſtiis; & hac de cau-
ſa diximus in tractatu de Pœnitentia
*Deciſ.* 22. *num.* 6. ex doctrina Ariſtote-
lis *de Hiſt. Animal. lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 10.
eos, qui ſine auditu naſcuntur, & ſunt
4 Surdi à nativitate; remanere mutos to-
to curſu vitæ ſuæ; quia loquelam ac-
quirere non poſſunt, nec linguam in
prolatione verborum excitare, cum
alios homines loquentes non audiant.
5 Alii arbitrantur ſenſum *Viſus* eſſe no-
biliorem cæteris, quia eſt magis utilis,
ac neceſſarius; & in primis *Viſus* ha-
bet objectum nobiliorem, & univer-
ſaliorem, nempè lucem, & colores;
lux enim convenit etiam cœleſtibus
corporibus; eſtque inter omnia alia
ſenſibilia qualitate ſimplicior, purior,
& immaterialior. Actus inſuper viden-
di eſt certior quolibet alio actu ſenſibili
cæteris paribus; unde objecta *Viſus*
fortiùs movent phantaſiam, & intelle-
ctum; ut patet in ſomniantibus, qui
magis ſomniant de rebus viſis, quàm
de aliis perceptis ab aliis ſenſibus: tùm
quia *Viſus* poteſt duo contraria, ut al-
bum, & nigrum, ſimul diſtinctè co-
gnoſcere; quòd aliis ſenſibus non com-
petit, vel ſaltem non ita perfectè; quia
vel ſenſatio unius impedit alterius ſen-
ſationem; vel ſi ambo contraria perci-
piuntur, hoc fit indiſtinctè, & confu-
sè. Præter hæc organum *Viſus* eſt no-
bilioris complexionis cæteris ſenſoriis;
& per viſum cognoſcere poſſumus ma-
gnitudinem cujuſcunque molis, quòd
nequit fieri aliis ſenſibus. *Odoratui* non 6
deſunt motiva nobilitatis tùm quia per
olfactum homo ſuaviter reſpirat, &
attrahit aerem ad refrigerandum cor,
& cerebrum; magnum autem incom-
modum eſt illis, qui ſtipatum habentes
naſum, coguntur ore continuò aperto
reſpirare: tùm etiam quia conſortatur
cerebrum, & recreatur homo, dum
odores pretioſos florum, muſchi, am-
bræ, aut aliarum compoſitionum fra-
grantiam per olfactum aſſumit; & quo-
dammodò attribuitur iſte Senſus ipſi
Deo, qui puriſſimus ſpiritus eſt, juxta
illud oblati per Noe ſacrificii: *Odora-*
*tuſque eſt Dominus odorem ſuavitatis*.
*Geneſ.* 8. 21. Præterquam quòd ſenſus
odoratus etiam ad nutritionem corporis,
& ad conſervationem vitæ deſervit, ſi
vera ſunt, quæ ſcribit Plinius *lib.* 7. *cap.* 4.
his verbis: *Ad extremos fines Indiæ ab*
*Oriente circa fontem Gangis Aſtomorum*
*gentem ſine ore, corpore toto hirtam, ha-*
*litu tantùm viventem, & odore, quem*
*naribus trahunt. Nullum illis cibum,*
*nullumque potum; tantùm radicum, flo-*
*rumque varios odores, & ſylveſtrium* 7
*malorum, quæ ſecum portant longiore*
*itinere, ne deſit olfactus*. Alias quoque
vivere gentes ſolo odore fructuum,
florum, & herbarum, *quas olfactui, &*
*naribus*, *non ſtomacho condiunt*, narrat
P. Nierembergius *lib.* 8. *Hiſt. Nat. cap.* 1.
quem refert P. Schottus in Phyſica Cu-
rioſa *tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 11. § 3. En igitur
*Odoratus* excellentia.



Digitized by Google

Verùm *Guſtus* eò videtur cæteris ſenſibus nobilior, quò eſt magis omnibus neceſſarius; ex illo enim dependet
8 vitæ conſervatio, & nullum eſt animal volatile, aquatile, vel terreſtre, cui detur vivere abſque ſenſu guſtus; quò circa docet Ariſtoteles *lib.2. de Hiſt. Animal. cap.15. nu.2.* quòd omnia animalia, quæ aerem recipiendo reſpirant, habent gulam, aſperam arteriam, & pulmonem, & quamvis in aliquibus videatur non eſſe gula, tamen penes os eſt ipſa arteria ad recipiendum cibum. Hujus ſenſus officium eſt diſcernere ſapores, & reſidet præcipuè in acumine linguæ; hinc ſubdit Ariſtoteles *lib.* 4. *de part. anim. cap.* 11. *num.* 4. quòd lingua eſt data animali, ad hoc ut dum cibum mandit, prægustet ſaporem cibi; & hæc eſt excellentia hujus ſenſus, quia ex eò pendet vita; ſiquidem animal, ut vivat, debet nutriri, ut autem nutriatur, debet habere ſenſum diſcretivum alimenti, hoc eſt guſtum. Ariſt. *libr. de Senſu, & ſenſib. cap.*1. *num.* 6.

Tandem de Senſu *Tactus* pauca dicunt Philoſophi ad ejus nobilitatem ex-
9 tollendam; ſatis enim dixiſſe credunt, aſſerentes de eo, quod eſt commune omni animali, nam nullum animal ſine eo exiſtere poteſt ex Ariſt. *3. de Anima* 62. bonum autem quò communius, eò præſtantius; ut de hoc, & de aliis prænarratis ſenſibus differit doctiſſimus Maſtrius *in Ariſt. tom.* 3. *in lib. de Anima diſp.*5. *num.*6. At inſurgunt Medici; & hoc eſt

Secundum præmiſſum. Inſurgunt, inquam, Medici ad præconizandam ex-
10 cellentiam ſenſus *Tactus*; qui, etſi per totum corpus diffuſus, ſuam habet reſidentiam in manibus; advertunt, quòd Manus hominis pleriſque aliis ſenſibus, & membris nobilitate, & utilitate præcellunt; hoc enim unico Manuum inſtrumento, veluti Rationis ſatellite, ipſa Ratione dictante, cætera animalia Homo domat, ut ait Galenus *lib.* 11. *de Uſu part.* & Manus hominis miniſtræ ſunt ſapientiæ, & rationis, ut dicebat Cœlius Rhodigin. *lib.*4. *Lect. antiq. cap.*3. ſine quarum auxilio veluti emortuus homo, & inermis omninò exiſtens, facilis præda fuiſſet ſævioribus feris, & quocunque bruto infelicior. Summo ergo ſummi Opificis beneficio Manus homini datæ ſunt; quibus non modò ipſe ſibi in neceſſariis opem ferret, ſed & cœteris animantibus; qualis namque eſſet facies terræ, qualem ſpiraret horrorem, niſi manibus hominis coleretur, ac cuſtodiretur? Et ex his Senſus *Tactus* in manibus præcipuè reſidentis excellentia, nobilitas, & utilitas innoteſcit. Sed ulteriùs Manus hominis non ſolùm præſtant in ſuo proprio munere, ſed ſæpè etiam ſupplent aliorum membrorum defectum; nam oculo in tene- 11
bris, aut ex cæcitate non vidente, Manus ipſa præcedens aut errantes dirigit greſſus, aut vacillantes baculo ſuſtinet; & per Manum offendicula quæque obvia evitantur. Lingua non potente ob morbum, ſeu ob externi idiomatis ignorantiam mentis conceptus exprimere, Manus ipſa ita linguæ officio fungitur, ut eos facillimè valeat ſignificare. Quin etiam internas cordis preces manibus Deo porrigimus; & incorruptæ fidei pignus Manus alter alteri damus; præterquamquod per Manus liberalitatis virtus exercetur, quæ inter omnes charior eſt, ac deſiderabilior, prout de his diſſerunt Ariſt. *de Partu Animal. lib.* 4. *cap.*10. Cicero *lib.*1. *de Nat. Deor.* Mercurialis *lib.*3. *Var. lect. cap.*20. & aliis DD. relatis, Zacchias *in QQ. Medicolegal. tom.* 1. *lib.* 5. *tit.* 3. *Quæſt.* 7. *à num.* 1. *& ſeqq.* ubi *num.* 13. aſſumit laudes digitorum manus humanæ, præſertim pollicis, & indicis, quibus utimur in ſcribendo, delineando, pingendo, & quæcunque alia ad nutritionem, defenſionem, ac delectationem vitæ ſpectantia, operando.

At præter hæc omnia. Manuum humanarum ſuprema eſt excellentia ex hoc etiam, quòd in præſenti Deciſione, & Quæſtione diſcutiendum proponitur, videlicet quòd mediante ſenſu *Tactus*, ideſt per extenſionem manuum 12
Ordinandi, & per contactum materiæ,

quàm

Digitized by Google

quam manus pariter Epiſcopi Ordinan-
tis porrigunt tangendam, confertur Sa-
cramentum Ordinis; & homo Chriſtia-
nus elevatur non ſolùm ad gradus Ordi-
num minorum, ſed etiam majorum,
Subdiaconatus, & Diaconatus; & ul-
teriùs ad Sacerdotii dignitatem, de qua
exclamavit S. Ephrem *de Sacr. Miracu-*
13 *lum ſtupendum? magna, & multa, im-*
*menſa, & infinita Sacerdotii dignitas?*
Siquidem duas impertit Sacerdotibus
facultates, unam in Corpus verum
Chriſti Domini, illud conſecrando, &
offerendo; alteram in ejuſdem Corpus
myſticum, nempè fideles, eoſdem ab-
ſolvendo à peccatis; & de utraque S.
Carolus Borromeus ita pronunciavit *in*
*Act. Eccl. Mediolan. fol.* 547. *Poteſtas*
*Corpus, & Sanguinem Domini noſtri*
*conficiendi, & offerendi, tùm peccata*
*dimittendi, quæ Sacerdotibus collata eſt,*
*humanam rationem, & intelligentiam*
*ſuperat, ne dum ei par, & ſimile in*
*terris inveniri queat*. At ex hac *Tactus*
excellenti prerogativa reſultat

Tertium præmiſſum; in quo moniti
eſſe debent omnes Eccleſiaſtici ita ſen-
14 ſum *Tactus*, ac Manus ſuas cuſtodire;
ut eas non ſolùm ad illicita, & ad in-
honeſta non extendant; ſed neque ubi
aliquod periculum inſurgere poſſit ad-
verſus honeſtatem, eas præſumant por-
rigere, præcipuè mulieres ſub nullo
prorsùs prætextu tangendo. De hoc
præmiſſo agit Cornelius à Lapide *in*
*Prov. Salom. cap.* 7. *Verſ.* 18. & oſten-
dens quàm ignitus, & venenatus ſit
tactus mulieris adducit id, quòd ſcribit
S. Gregorius *libr.* 4. *Dial. cap.* 11. de
15 Urſino presbytero, qui animam agens,
cum mulier naribus ejus aurem admove-
ret, ut ſentiret, an adhuc viveret? ip-
ſe collecto ſpiritu, ac voce exclamavit:
*Recede à me mulier, adhuc igniculus vi-*
16 *vit, paleam tolle*. Et illud, quòd nar-
rat Jacobus Cardinalis de Vitriaco in
vita S. Mariæ Ogniacenſis *libr.* 2. *cap.* 5.
nimirùm cum quidam Vir ſpiritualis ex
devotione manum ejus ſtringeret, au-
dita eſt vox quaſi de Cœlo Lapſa di-
cens.: *Noli me tangere*. Nec omit-
tendum, quod recitat idem S. Grego-
rius *libr.* 3. *Dial. cap.* 7 de Andrea Fun-
dano Epiſcopo, qui Sanctimonialem in
ſuo Epiſcopio habitare permiſerat, cer-
tus de illius continentia, & puritate.
At paucos poſt dies cum quidam Judæus
Fundanam versùs Civitatem iter age-
ret, nec eam ingredi potuiſſet à nocte
præventus, declinavit in propinquum 17
Apollinis Templum, & expaveſcens
ob idola, etſi inimicus Crucis, ſe ſigno
Crucis munivit. Media nocte vigilans
vidit introeuntes dæmones multos, qui
alium tanquam Principem ſuum obſe-
quuti cœperunt narrare quales, & quot
homines tentaſſent. Eorum unus ex-
poſuit, ſe ſtimulis luxuriæ commoviſ-
ſe Epiſcopum Andream Fundanum er-
ga Sanctimoninialem prædictam; &
uſque adhuc obtinuiſſe, *ut die præteri-*
*to, veſpertina hora ejus mentem traxe-*
*rit, ut in terga ejuſdem Sanctimonialis*
*fœminæ blandiens alapam daret*. Ga-
viſus eſt Cacodæmon, & hortatus ma-
lignum Spiritum, ut proſequeretur opus,
ac ab hoc ſimplici humerorum tactu
Epiſcopum antedictum in totalem car-
nis lapſum induceret. Poſtea intuitus
Judæum jacentem, ac trementem, in-
terrogavit ſatellites ſuos, quis eſſet il-
le? Reſponderunt *Vas vacuum, ſed ſi-*
*gnatum*; & eo incolume relicto, tota
Spirituum turba diſceſſit. Die facto Ju-
dæus non ſine magno pavore ivit ad
Epiſcopum, & quæ noctu viderat, &
audiverat, ei narravit. Erubuit Præ-
ſul, & *tactus dolore cordis intrinſe-*
*cùs*, pœnituit, ac Sanctimolialem ab
Epiſcopio dimiſit; ſuiſque precibus
converſionem illius Judæi à Domino
impetravit. En quanta diligentia ca-
vendum ſit à ſenſu Tactus. Et quanto
rigore abſtinendum eſt à contactu ma-
nuum, potiſſimùm ab illis, qui eas
ſanctificarunt in Sacramento Ordinis
per contactum materiæ in eorum colla-
tione ſibi porrectæ. Legitur de Beato
Jordano, qui Magiſter Generalis in 18
Ordine Prædicatorum fuit; quòd qua-
dam vice reprehendit ſocium ſuum, eò
quia mulierem lapſam in via, extenſa,
& ap-

Digitized by Google

& apprehenſa ejus manu ſurgere juvit. Se excuſavit Socius dicens, mulierem illam eſſe bonæ, ac innocentis vitæ. Subjunxit Beatus Jordanus: *Bona, & Innocens eſt aqua de Cœlo cadens; pariter bona, & innocens eſt terra; at ubi utraque ſe tangunt, lutum conficiunt*. Oh quanti boni, & innocentes ob non cuſtoditum ſenſum Tactus, ac manuum ſuarum inhoneſtatis luto ſe de-
19 turparunt. S. Nicetus Epiſcopus Lugdumenſis neque puerulos manu tangere præſumebat, teſte S. Gregorio Turonenſi in *Vitis Patr. cap.* 8.

His ad eruditionem Clericorum ita enucleatis deveniendo ad reſolutionem Quæſtionis propoſitæ, *An ſit de neceſſitate Sacramenti Ordinis, ut qui initiantur, tangent materiam, & quomodo debeant illam tangere?* In primis diſtinxerunt neceſſitatem eam tangendi ex præcepto Eccleſiæ à neceſſitate ob validitatem Sacramenti. Item diſtinctionem fecerunt de Tactu Phyſico; & de Tactu morali. Phyſicus Tactus eſt actua-
20 liter manu tangere materiam. Moralis verò extendere manum, & eam appropinquare eidem materiæ, ſed realiter eam non contingere. Si loquamur de neceſſitate Præcepti; omnes dixerunt, Inſtrumentum, ſeu materiam in collatione Ordinis ab Epiſcopo porre-
21 ctam, eſſe tactu phyſico tangendam; ea ratione, quia conſtat de præcepto *in cap. Presbyter. De Sacram. non iteran.* in quo Gregorius Papa Nonus dicit, Ordinem conferri *Tactu corporali*. Ergo non tantùm morali, ſed phyſico. Hinc Epiſcopi, ac eorum Magiſtri Cæremoniarum ſolliciti ſunt in Ordinationibus, ut Ordinandi phyſicè tangant inſtrumenta iiſdem porrecta; & ideò, qui illa corporaliter non tangerent, mortaliter peccarent tùm ob tranſgreſſionem Præcepti Eccleſiæ in re gravi; tùm ob dubium nullitatis Sacramenti, ut mox dicemus. Ita Salmanticenſes *de Sacram. Ord. tract. 8. cap. 2 num.* 8.

Quod ſi loquamur de neceſſitate Sa-
22 cramenti Ordinis? Duæ ſunt Theologorum opiniones. Una, quòd ſufficiat tactus Moralis. Altera, quòd opus ſit tactu Phyſico. Pro prima opinione adducuntur hæc argumenta.

Primò. Quia nulla alia ratio videtur obligare ad Tactum realem materiæ, 23
niſi illa, ut verificentur verba formæ *Accipe &c.* qui enim vult rem ſibi porrectam accipere, eam realiter accipit. Sed hæc ratio non ſtringit; quia in civilibus contractibus ſatis eſt moraliter rem exhibitam accipere; nec realis contactus cenſetur neceſſarius. Ergo neque in collationem Ordinum.

Secundò, quia etiam parvuli poſſunt validè ordinari; ut tenent S. Thomas 24
*in* 4. *Sent. diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. *& ibid.* Scotus, & S. Bonaventura *q.* 2. & notat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp.* 9. *art.* 2. Sed parvuli non poſſunt tactu phyſico inſtrumenta Ordinum tangere. Ergo Tactus Phyſicus non eſt de neceſſitate Sacramenti.

Tertiò: quia in Sacramento Matrimonii juxta plurimorum Theologorum ſententiam corpora contrahentium ſunt materia ipſius Sacramenti. Sanchez *de Matrim. libr.* 2. *diſp.* 5. *num* 4. Sed eorumdem corporum realis traditio non 25
eſt de neceſſitate Sacramenti; quia fieri poteſt etiam inter abſentes per procuratorem. Sanchez *d. libr.* 2. *diſp.* 11. *per totam*. Ergo neque in Sacramento Ordinis realis contactus materiæ eſt de eſſentia.

Hæc opinio cenſetur probabilis, & docetur à pluribus Doctoribus, quos citat, & ſequitur Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 185. nunc repoſita in Coordinato ejus opere *tom.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 8. in qua §. 2. nominat eam tenentes Albertum Magnum *in* 4. *Sent. diſt.* 24. *art.* 38. *ad* 2. Zambranum., Ragucium, Valentiam, Ledeſmam, Vegam, Victorellum *in addit.* ad tractatum de Ordine Martini Fornarii *cap.* 2. & aliis omiſſis Layman *in Theol. Mor. libr.* 5. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 4. quibus ego addo Reginaldum *libr.* 30. *num.* 8. Vaſqueſium *diſp.* 246. *cap.* 2. *num.* 20. Noviſſimè Gobatum *de Sacram. Ord. tract.* 8. *num.* 57. ubi ita loquitur: *Nullo modo eſt du-*

26 *eſt dubitandum, quin hæc Sententia ſit probabiliſſima; licèt ſine dubio delinquat mortaliter, qui omittit Tactum phyſicum, ſaltem quando vult ſuſcipere Presbyteratum, vel Epiſcopatum; quandoquidem & delinquit graviter contra morem univerſalis Eccleſiæ, & ſuſcipit Sacramentum verè dubium; proindè eſt repetenda Ordinatio talis facta, ſicut explicabo infra caſu VI.* nempè *num.* 185.

Nihilominùs his non obſtantibus doctiſſimi Salmanticenſes advertunt, ſu-
27 pradictam opinionem non eſſe in praxi tenendam; ſed omninò amplectendam fore Sententiam contrariam, quæ vult, Tactum phyſicum materiæ in Ordinatione eſſe de neceſſitate Sacramenti, itaut qui actualiter materiam ſibi ab Epiſcopo porrectam actualiter non tangeret, minimè eſſet ordinatus, ut docet S. Thomas 3. *p. q.* 34. *art.* 5. Sylveſter *Verb. Ordo* 2. *q.* 5. D. Antoninus 3. *p. tit.* 14. *cap.* 16. Cajetan. Marchin. Enriquez, Coninch, Palaus, & alii ibidem allegati, quorum motiva ſunt ſequentia.

Primò, maxima ſollicitudo, quam
28 habent Epiſcopi, & Magiſtri Cæremoniarum, ut Ordinati tangant phyſicè materiam; ex qua ſollicitudine deducitur, quod talis contactus non ſolùm ſit de præcepto; ſed etiam de eſſentia Sacramenti.

Secundò, quia Verba formæ ab Epiſcopo prolata debent phyſicè compleri, & verificari; nempè quando di-
29 cit *Accipe &c.* Illud autem non accipitur, quod realiter manu non apprehenditur. Idcircò corporali Tactu Ordinatus debet materiam ſibi porrectam accipere.

Tertiò, quia reliqua Sacramenta cauſant gratiam, & ſuum effectum in ſuſcipiente ex contactu phyſico ſuæ materiæ; ut in Baptiſmo per ablutionem, in Confirmatione per Chriſmatis in fronte impoſitionem, & in Unctione extrema per actualem infirmi Unctionem. Eſſet autem manifeſtus error aſſerere, quòd puer eſſet baptizatus, ſi Parochus effunderet aquam parùm extra puerum, eum nihil abluendo; vel ſi Epiſcopus confirmaret, aliquatenus diſtans à Confirmato, & ejus frontem non tangendo; & idem ſi Parochus non ungeret actualiter ſenſus ægroti, ſed propè illos Crucis ſigna formaret. Igitur idem dicendum eſt de Ordinis Sacramento; in quo de ejus eſſentia reputandus eſt contactus phyſicus, realis, & actualis Inſtrumentorum, quæ ab Epiſcopo porriguntur Ordinandis.

Neque urgent argumenta contraria: ad Primum enim reſpondetur, quòd ſicut Epiſcopus actualiter porrigit materiam, & dicit *Accipe &c.* ita Ordinan- 31
dus debet realiter eam accipere; nec valet exemplum de morali acceptione in contractibus profanis; quia in illis ratio eſt diverſa; valet enim ſolus conſenſus ad validitatem contractus, cujus eſſentia ab eodem conſenſu contrahentium pendet: ſed in Sacramento Ordinis, quia perficitur in actuali acceptione activa, & paſſiva materiæ; hæc eſt phyſicè tangenda. Ad Secundum reſpondetur, eſſe caſum metaphyſicum parvu- 32
lorum Ordinationem; ſed eſtò, quòd in praxi validè fieri poſſit, contactus phyſicus interveniret, prout intervenit in Baptiſmo; in quo materia, quæ eſt aqua, tangit corpus pueri, cujus intellectus deficientia ſuppletur à conſenſu vel parentum, vel Eccleſiæ. Ad Tertium de Matrimonio, reſpondetur, Materiam non eſſe corpora Contrahentium, ſed eorum conſenſum; formam 33
verò ejuſdem conſenſus manifeſtationem; ut ex veriori Sententia tenent DD. quos citat, & ſequitur ipſemet Sanchez *d. libr.* 2. *diſp.* 11. Nihilominùs, poſita etiam pro validitate Sacramenti traditione corporum, intelligenda eſt traditio quo ad Dominium; non quo ad poſſeſſionem. Certum eſt autem apud Legulejos, quòd Dominium eſt quoddam Jus, & quid incorporale; receptibile ſolo animo, & conſenſu. E contra verò poſſeſſionem eſſe actum 34
corporeum, & ad eam requiri phyſicam, ac actualem apprehenſionem. Igitur Matrimonium valet abſque corporum

porum actuali contactu; & fieri poteſt
per Procuratorem inter abſentes, quia
agitur de acquirendo dominio corporum
utriuſque contrahentis, & in hujus do-
minii acquiſitione ſufficit animus, &
non eſt neceſſarius contactus realis. Ita
Salmanticenſes *d. tract.* 8. *de Sacram.*
*Ord. cap.* 2. *num.* 18. *&* 19. quorum opi-
nio eſt omninò amplectenda, attenta
prima ex propoſitionibus damnatis per
Innocentium Papam XI. *Anno* 1679.
quæ ita aſſerebat: *Non eſt illicitum in*
35 *Sacramentis conferendis ſequi opinio-*
*nem probabilem de valore Sacramenti,*
*relicta tutiore, niſi id vetet lex, con-*
*ventio, aut periculum gravis damni in-*
*currendi. Hinc Sententia probabili tan-*
*tùm utendum non eſt in collatione Baptiſ-*
*mi, Ordinis Sacerdotalis, aut Epiſcopa-*
*lis*. Circa hanc propoſitionem damna-
tam duo ſunt obſervabilia: unum,
quòd ampliùs non licet ſequi opinionem
probabilem, & relinquere tutiorem, in
Sacramentis conferendis; ex qua dam-
natione cavendum eſt ab opinione Dia-
næ, & aliorum DD. allegatorum, ubi ſu-
pra *nu.* 26. alterum eſt, quòd ipſa quoque
Propoſitio damnata cognoſcebat neceſſa-
rium excipere, & expreſsè excipiebat
à ſua opinione, & aſſertione Sacra-
mentum Baptiſmi, & Sacramentum
Ordinis circa Sacerdotium, & Epiſco-
patum, ut in ultimis verbis ejuſdem
Propoſitionis.

Igitur cum Tactus phyſicus in colla-
tione Ordinum ſit opinio tutior; & Ta-
ctus moralis admittatur ſufficiens ſo-
lummodò ex opinione probabili; ab iſta
36 eſt recedendum omninò; & illa tutior
eſt amplectenda; ut in puncto docent
duo moderni probatiſſimi Auctores,
nempè P. Cardenas, & P. Thyrſus
Gonzalez, quorum verba congruit hic
referre. P. Joannes Cardenas Societa-
tis Jeſu Theologus *in tract.* 1. *de Proba-*
*bilitate diſp.* 15. *cap.* 4. *num.* 341. ita pro-
fitetur: *Peccat lethaliter Epiſcopus (&*
*oppoſitum eſt improbabile) ſi conferat*
*Ordinem Sacerdotii ſine Tactu phyſico, con-*
*tentus ſolo Tactu morali; quia ſi à parte*
*rei eſt vera opinio, quæ docet invalidum*
*eſſe Sacramentum ita collatum; exponun-*
*tur fideles multis nullitatibus Sacramen-*
*torum in præjudicium ſuæ juſtificatio-*
*nis, & ſalutis æternæ*. Idem P. Car-
denas in Criſi Theologica. *Diſertat.* 2.
*cap.* 7. *in Prima Propoſitione damnata*
*num.* 505. 506. *&* 507. hæc habet: *In-*
*quiritur tertiò, An opinio docens, in Or-*
*dine Sacro non requiri Tactum phyſicum*
*materiæ remotæ Sacramenti; ſed ſuffi-*
*cere Tactum moralem, huic damnationi*
*ſubiiciatur? Et quidem prima Senten-* 37
*tia docet, non eſſe neceſſarium conta-*
*ctum phyſicum, quem propugnant B. Al-*
*bertus Magnus, Armilla, Victoria,*
*Vaſquez, Cajetanus, & Layman, ut*
*refert P. Caſtropalao tom.* 4. *tract.* 27.
*diſp. Unica punct.* 5. *num* 21. *Secunda*
*opinio aſſerit, eum contactum phyſicum*
*eſſe neceſſarium ad valorem Sacramen-*
*ti. Ita P. Caſtropalao citatis num.* 22. *&*
*apud ipſum Divus Thomas, Valentia,*
*Sà, Coninch, & Bonacina. Dicendum*
*ergo eſt ad præfatam quæſtionem, pri-*
*mam opinionem ſpeculativè ſumptam eſ-*
*ſe valdè probabilem: in praxi tamen*
*ſubiici huic damnationi, quia eſt opinio*
*minùs tuta circa valorem Sacramenti;*
*nam ſi coram Deo vera eſt oppoſita Sen-*
*tentia, Sacramentum fruſtratur: ſi au-*
*tem adhibeatur contactus phyſicus, ni-*
*hil fit contra valorem Sacramenti*.

Pari Stylo Reverendiſſimus P. Thyr-
ſus Gonzalez Pietate, ac Sapientia Ve-
nerabilis, & ejuſdem Societatis JESU
Præpoſitus Generalis meritiſſimus, in
ſuo Tractatu Theologico *De Recto uſu* 38
*Opinion. Probabil. Diſſert.* 10. *num.* 19.
ita ſubdit: *Pariter cum damnata iam*
*ſit ab Innocentio XI. Propoſitio aſſe-*
*rens:* Non eſſe illicitum in Sacramen-
tis conferendis ſequi opinionem proba-
bilem de valore Sacramenti relicta tu-
tiori: *omninò conſtat, Miniſtrum Sacra-*
*mentorum teneri ad apponendam mate-*
*riam, & formam certam, graviterque*
*peccare, & ſacrilegium committere, ſi*
*extra caſum neceſſitatis utatur materia,*
*vel forma dubia, aut incerta, omiſſa*
*certa; etiamſi id faciat ſequendo opi-*
*nionem probabilem ſpeculativè, aut etiam*
*pro-*

*probabiliorem, vel probabiliſſimam de veritate, & ſufficientia illius ad Sacramenti valorem.*

Quapropter omninò tenendum, eſſe neceſſarium tactum Phyſicum materiæ in Ordinatione ad validitatem Sacramenti.

## DECISIO IX.

### ARGUMENTUM.

Inquiritur, An Materia ſit tangenda per ordinandum nuda manu? vel ſufficiat, ſi veſtita Chirothecis? velo, aut ſudariolo, cooperta, ſeu impedita? Eruditiones nonnullæ de Chirothecis. Dubii reſolutio; prout etiam declaratio de tempore, quo materia eſt tangenda? Et an in parte, vel tota? An utraque manu? Et an ſit exhibenda ab ipſomet Epiſcopo ordinante?

### SUMMARIUM.

1 *Tactus materiæ an manu nuda faciendus?*
2 *Chirothecarum uſus quibus conveniat?*
3 *Chirothecæ undè dictæ?*
4 *Chirothecis utuntur Epiſcopi in Pontificalibus. Et quale ob myſterium?*
5 *Abbates Caſinenſes quando cœperint uti Chirothecis in Miſſa ſolemni?*
6 *S. Ubaldi Epiſcopi Chirotheca.*
7 *Chirotheca projecta in Urbem obſeſſam à militibus.*
8 *Chirotheca DEIPARÆ ſervatur in Monaſterio S. Bertini Abbatis.*
9 *Chirothecas ferreas portabant milites. CHRISTUS percuſſus alapa manu ferrea.*
10 *Manu cooperta velo, vel Cotta an ſufficiat tangere materiam Ordinum?*
11 *Tactus materiæ quo tempore faciendus?*
12 *Materia Ordinum an tota ſit tangenda?*
13 *Et an utrâque manu?*
14 *Materia an ſit exhibenda ordinando per ipſum Epiſcopum?*
15 *Carthaginenſis Concilii Quarti correctio.*
16 *Clementis VIII. decretum de reiterandis Ordinibus ob materiam non porrectam ab Epiſcopo.*
17 *Sagium quid ſit?*

Sed non inutilis fuit Quæſtio propoſita, occaſione Tactus Phyſici, An ſcilicèt idem Tactus ſit ſufficiens, ſi materia Sacramenti Ordinis tangatur ab ordinando non immediatè nuda manu; 1
ſed mediatè; idest vel veſtita chirothecis, vel aliquo velo, aut ſudariolo amicta, ſivè impedita Superpelliceo, ſeu Cotta?

Pro reſponſione dictum fuit, Quæſtionem quo ad manum veſtitam chirothecis videri metaphyſicam; quia pro- 2
prium quidem eſt Epiſcoporum, dum Pontificalia exercent, uti chirothecis; prout etiam Regum, Principum, Nobiliumque perſonarum, ac Virginum; Militum, & Studentium; ſed Clericorum cenſetur improprium in Eccleſia; & præſertim in Ordinum ſuſceptione.

Quod Chirothecæ, (ſic dictæ, quaſi *manuum thecæ, ſeu tegumenta*) ſint pro- 3
priæ Epiſcoporum Pontificaliter celebrantium, docent DD. quos referunt Gonzalez *in Comment. ad cap.* 1. *de Sacr. Unct. num.* 34. & Emin. Cardin. Bona 4
*Rer. Liturgic. lib.* 1. *cap.* 24. *num.* 12. qui volunt, talem uſum traditum eſſe ab Apoſtolis, etſi hoc non placeat eidem Emin. Bonæ; ea ratione, quia in primis Eccleſiæ ſæculis nullum Chirothecarum reperitur monumentum; habent tamen Chirothecæ, quibus utuntur Pontifices, ſuas myſticas ſignificationes, & præcipuè quòd ſicut aliquando manus Chirothecis velant, aliquando extractis Chirothecis denudant; ſic opera bona interdùm propter arrogantiam declinandam celare debent, & interdùm propter ædificationem populis monſtrare.

Inſuper Chirothecæ Epiſcoporum inconſutiles eſſe debent; quia eorum actiones oportet rectæ fidei eſſe concordes. De his Durandus *in Ration. Divin. offic. lib. 3. cap. 12.* Magrius *in Hierolex. Verb. Chirothecæ.* & Emin. Bo-
5 na *d. num. 12.* qui omnes advertunt, Chirothecarum uſum ſpectare etiam ad Abbates Caſinenſes; quibus à Summis Pontificibus conceſſum eſt, eis uti, ac Sandaliis, dum ſolemniter celebrant; & primus omnium videtur fuiſſe Leo Papa Nonus, qui uſum Pontificalium conceſſit Abbatibus Caſinenſibus, ut narrat Emin. Gard. Baronius *An. 1049. num. 5.* & deindè plurimi alii Summi Pontifices hoc Privilegium iiſdem Abbatibus confirmarunt, quorum Litteræ leguntur in Bullario Caſinenſi. Unam
6 ex Chirothecis S. Ubaldi Epiſcopi aſſervari in Caſtro Pineti apud Baſileam ex approbatis auctoribus refert Marinus *in Schola Chriſt. cap. 15.* propè finem; quam quidem Chirothecam idem Sanctus ſibi exuit, dum mortuus jaceret in loculo, & famulo ſuo Teutonico porrexit.

Quod autem Reges, & Principes ſemper induerint manus ſuas Chirothecis nullus eſt, qui dubitet, cum ad ornatum, & ad reſiſtendum frigori deſerviant; & hinc procedit illud, quod ex traditione antiquorum notat Cornelius à Lapide *Comment. in 2. Reg. cap. 9. Verſ.*
7 14. his verbis: *Mos erat Regum, cum Urbem aliquam munitam obſidebant, ut Chirothecam in Urbem proiicerent, quo ſignificabant, ſe ab Urbe non receſſuros, niſi ea capta, & Chirotheca recepta.* Et hoc etiam innuere voluit Cicero, dum ait *in Philippo. Solet enim ipſe citò accipere Chirothecas, nec diutiùs obſidionis metum ſuſtinere.* Idem eſt aſſeverandum de divitibus, & nobilibus perſonis, ut mos eſt etiam temporibus noſtris; & multò magis de Matronis, ac Virginibus, quarum manus Chirothecis tegere modeſtia docet; & hac de cauſa non videtur difficilè creditu id,
8 quod idem Maſinus ſcribit *in d. Schol. Chriſt. cap. 32.* videlicèt, unam ex Chirothecis, quam adhibebat DEIPARA Sanctiſſima, haberi, ac ſervari inter Sacras Reliquias in Monaſterio Sancti Bertini Abbatis, cujus vitam ponit Surius *tom. 5. die 5. Septembr.* & de eodem differit Trithemius de Viris Illuſtr. Ordinis S. Benedicti *lib. 3. cap. 205.* & Molanus in indice Sanctorum Belgii. De aliis Chirothecis, ac utenſilibus Beatæ MARIÆ Virginis Matris Dei agit Ferreolus Locrius in libro *MARIA Auguſta lib. 5. à cap. 22. & ſequent.* quem citat Menochius in Storeis *part. 2. Centur 4. cap. 76.* De Militibus referunt hiſtoriæ, quòd Chirothecas ferreas induebant; idcircò unus ex illis, qui comprehenderunt JESUM Salvatorem Noſtrum in horto, & dedit ei alapam coram Pontifice, manum Chirotheca ferrea armatam tenebat; quæ quidem, Anno 1099, captâ à Chriſtianis Urbe Jeruſalem, delata Romam cum aliis Do- 9
minicæ Paſſionis Inſtrumentis, donata fuit per Papam Duci Burgundiæ, teſte Octavio Beltiano *part. 1. tract. 7. cap. 2.* quem refert idem Maſinus ubi ante *cap. 21.* Et equidem faciem Redemptoris manu ferrea percuſſam fuiſſe benè probat Cornelius à Lapide *in Matth. cap. 26. Verſ. 59.*

Ab his itaque perſonis Chirothecas in uſu haberi comprobat conſuetudo, & ab aliis Laicis cujuſcunque conditionis; at à Clericis in actu Sacræ Ordinationis non eſt conveniens; adeòut propoſita dubitatio non ſemel poſſit contingere, ſi Clericus, dum ordinatur, vel cotta indutus ſub ea manum tenens materiam Ordinum ſibi ab Epiſcopo porrectam tangat; vel etiam ordinandus in Sacris, habens ſub cingulo in parte anteriori Sudariolum ad abſtergendas na- 10
res, manum in illo implicitam extendat, & ſic manu eo cooperta Ordinationis inſtrumenta, dum ſibi ab Epiſcopo tangenda exhibentur, aut incautè, aut incultè contrectet. Seu fortè inſtrumenta ipſa ſint aliquo velo tecta, ponatque Ordinandus manum ſupra velum, & eo mediante illa tangat. Quæritur itaque an ſic tangens ſit benè, ac validè ordina-

dina-

dinatus? Et reſpondent affirmativè Salmanticenſes *in cit. tract. 8. de Ordine cap. 2. num. 10.* & ibi Averſa *quæſt. 1. ſect. 2.* & Caſtropalaus *tract. 27. diſp. Unica punct. 4. num. 20.* ea ratione, quia requiritur ad validitatem Ordinationis dumtaxat ille phyſicus contactus, quo verificetur, quòd ordinandus verè rem exhibitam attingat, & accipiat: at nemo dubitat, quòd qui illam tangit, vel accipit etiam medio velo, cotta, vel ſudariolo, verè illam accipiat, & tangat, ut de cæteris rebus hoc modo tactis, vel acceptis uſus communis nos certos facit.

Porrò, & aliud dubium proponunt Theologi, an ſcilicet, contactus mate-
11 riæ ſit ab ordinando faciendus uno, & eodem tempore, quo Epiſcopus profert verba formæ, & antequam eamdem formam compleat? Nonnulli arbitrati ſunt, ſimul, phyſicè, & eodem tempore procedere debere & prolationem verborum formæ, & contactum materiæ. Ita Caietanus *tom. 1. Opuſcul. tract. 26.* Torreblanca *lib. 2. pract. cap. 13.* Navarus *in Summa cap. 22. num. 17.* Sed contrarium docent Sotus, Caſtropalaus, Bonacina, Layman, & alii apud eoſdem Salmanticenſes *d. cap. 2. num. 20.* hanc reddentes rationem, quòd ſicut in Baptiſmo, Pœnitentia, & aliis Sacramentis ſufficit moralis conjunctio applicationis materiæ cum prolatione verborum; ita etiam in Ordine: ideòque quamvis verba finita ſint; validè, imò licitè Sacramentum recipitur, ſi poſt parvum tempus materia contingatur; ex quibus deducitur, non eſſe improbandam conſuetudinem illorum Epiſcoporum, qui plures Clericos promoventes ad eumdem Ordinem, prolatis in plurali verbis formæ *Accipite poteſtatem &c.* porrigunt aliquibus materiam tangendam, poſtmodum aliis ſucceſſivè, ne diutiùs in Ordinatione detineantur, abſque repetitione formæ.

Quod ſi quis quærat, an tota materia ſit neceſſariò tangenda? Reſponde-
12 tur negativè, quia ſufficit, ſi aliqua pars ejuſdem materiæ tangatur, & ſic Ordinandus in Sacerdotem ſi tangat Calicem, ac Patenam, non autem Hoſtiam poſitam in illa, eſt benè Ordinatus; prout etiam in Minoribus qui tangeret tantummodò pelvim, in qua ſtarent inſtrumenta eorumdem Ordinum; ita Philibertus *de Ord. tract. 1. part. 1. cap. 16.* Bonacina, Diana, & alii apud eoſdem Salmanticenſes *num. 21.* nec non Averſa *q. 2. ſect. 2.* addentes, non eſſe neceſſe tangere materiam utraque 13
manu, ſed una tantùm; imò non tota manu, ſed extremis digitis; quamvis omninò ſit curandum, ut Ordinandi benè tangant Materiam ipſam, ne eos ſcrupuli invadant circa validam Ordinum receptionem.

Tandem omittendum non eſt illud aliud quæſitum: Utrùm Materia tangenda exhiberi debeat Ordinando ab ipſo Epiſcopo Ordinante? Vel ſatis ſit, 14
ſi ab aliquo ejus miniſtro exhibeatur. Ad quòd quæſitum cum diſtinctione reſpondet S. Thomas *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1.* prout etiam *in 3. p. q. 38. art. 1.* videlicèt in Ordinibus Sacris Materiam eſſe prorsùs exhibendam ab ipſo Epiſcopo; in Minoribus autem nihil officeret, ſi annuente Epiſcopo exhiberetur ab Archidiacono, vel ab aliquo ex ejus Capellanis; ob illam utique rationem, Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. Cæterùm, ſalva reverentia Sancto Doctori debita, etſi ſpeculativè ſic argumentari poſſit; practicè tamen dicendum, & tenendum eſt, tàm in Minoribus, quàm in Majoribus Ordinibus Materiam eſſe tradendam ab ipſomet Epiſcopo Ordinante; nam in cunctis Sacramentis Miniſter, qui verba profert, exhibet etiam Materiam, ut ajunt DD. apud eoſdem Salmanticenſes *d. cap. 2. num. 22. & 23.* & alii plurimi, quos citat, & ſequitur Diana *part. 10. tract. 15. reſol. 20.* nunc impreſſa in Coordinato *tom. 2. tract. 5. reſol. 7.* in qua duo valdè notanda dicit: *Unum*, quòd in Concilio Carthaginenſi IV. *cap. 6.* relato etiam per Gratianum *in 23. diſt. cap. 16.* in Ordinatione Acolythi dicitur, *ab Archidiacono accipiat Ceroferarium*, etſi



Digitized by Google

in aliis Ordinibus idem Concilium præcipiat, quòd Ordinandus de manu Epiſcopi accipiat Materiam. Idcircò Pon-
15 tificale Romanum prædictum antiquum Canonem Carthaginenſem moderatus eſt, jubens, ut etiam Acolytho ipſe Epiſcopus porrigat Ceroferarium tangendum. Nec credatur, prædictam moderationem eſſe modernam; nam in Rituali nono ſæculo Romæ conſcripto, quem per extenſum ponit Morinus *de Sacris Ordinat. part. 2. pag. 259.* in Ordinatione Acolythi ita legitur: *Acolythus cum ordinatur, primùm ab Epiſcopo doceatur; qualiter in officio ſuo agere debeat, & accipiat ab eo Ceroferarium, dicente ſibi Epiſcopo &c.* Alte-
16 rum eſt, quòd Clemens VIII. præcepit iterùm Ordinandos eſſe ſub conditione nonnullos Clericos, quibus Epiſcopus Sagienſis in Ordinatione non tradiderat propriis manibus inſtrumenta tangenda. Sagium, vulgò *Seez* eſt Urbs Gal-
17 liæ Celticæ Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Rhotomagenſi, ſita ad Olinam fluvium propè ejus fontes, diſtans 40. Leucis à Lutetia Pariſiorum in Occaſū, ut notat Ferrarius *in Lexic. Geograph. Verb. Sagienſis Urbs.* Igitur abſque ulla exceptione dicendum eſt, in ſingulis Ordinibus Materiæ traditionem eſſe faciendam ab Epiſcopo Ordinante; quòd etiam tenet noviſſimè Cotonius *Controv. illuſtr. lib. 3. Controv. 1. num. 29.*

## DECISIO X.

### *ARGUMENTUM.*

Agitur de Tonſura Eccleſiaſtica, de ejus Myſtica Significatione, Antiquitate, Speciebus, & forma. Clericalem Tonſuram conſiſtere in abſciſſione omnium capillorum, & in deferenda Clerica, ſeu Corona in Summitate capitis oſtenditur, ac probatur, Conciliis, Decretis Pontificiis, Hiſtoriis, Exemplis Sanctorum, ac pluribus non injucundis eruditionibus.

### SUMMARIUM.

1 *Tonſura Eccleſiaſtica quid ſit?*
2 *Tonſura requirit duo. Et quæ?*
3 *Myſteria tria in Tonſura Clericorum.*
4 *Nazaræi quomodo Votum ſuum complebant?*
5 *Joſeph cur vocetur Nazaræus?*
6 *Clerici Nazaræis ſimiles.*
7 *S. Paulus votum Nazaræorum fecit.*
8 *Aquila, & Priſcilla hoſpites S. Pauli quinam eſſent?*
9 *Nazarææ mulieres an eſſent?*
10 *S. Petrus à Gentilibus tonſus in contemptum Chriſti.*
11 *Tonſuræ Clericorum antiquitas.*
12 *S. Aniceti Papæ præceptum de Tonſura Anno 167.*
13 *Exempla Sanctorum de Eccleſiaſtica Tonſura.*
14 *S. Nicetius natus cum Clericali Tonſura.*
15 *S. Benigni Tonſura manifeſta etiam tempore perſecutionum.*
16 *Gaſparis Ivenini opinio reprobata circa Tonſuram in primis ſæculis.*
17 *Tonſuræ ſpecies quatuor. Et quæ?*
18 *Infantes tondentur à Græcis in baptiſmo.*
19 *Pueri Græci dum Eccleſiæ offeruntur, detondentur.*
20 *Ambonis vox quid ſignificet?*
21 *Monachorum Tonſura quæ?*
22 *Monialium antiquitas Tonſuræ.*
23 *Veſtales Virgines capillos ſuos reſcindebant.*
24 *Clericalis Tonſura in Eccleſiæ initio.*
25 *Monachorum Tonſuræ forma.*
26 *Clericorum Tonſuræ quæ ſit forma?*
27 *Capillos longos Clerici deferentes peccant mortaliter.*
28 *Comæ nutritio in Clericis eſt quædam ſpecies hæreſis.*
29 *Omnis Chriſti actio debet eſſe noſtra inſtructio.*
30 *Chriſtus an ſibi capillos totonderit?*
31 *Hebræi comam nutrire ſolebant.*

32 *Græ-*

32 *Græci Sacerdotes cur comam nutriant?*

His tanquam in genere explicationem Sacramenti Ordinis concernentibus declaratis, deveniendo ad ſingularem tractatum unjuſcujuſque Ordinis, oportet in primis agere de Eccleſiaſtica Tonſura, circa quam quatuor ſunt examinanda, & videnda.

1. Quid, & Quotuplex ſit Tonſura?
2. Quæ, & quot ſint ejus Myſteria?
3. Quæ, & Quanta ſit ejus antiquitas?
4. Quæ, & Qualis olim fuerit, & nunc eſſe debeat ejus forma?

Quo ad Primum. Eccleſiaſtica Tonſura eſt reſciſſio omnium capillorum, &
1 formatio Coronæ, ſeu Clericæ in vertice, ideſt capitis ſummitate. Ex quibus verbis reſultat, quòd duo concurrere debent ad eſſentiam Tonſuræ Eccleſiaſticæ, ſcindere capillos per totum caput; & in ejus ſuperiori parte formare Clericam, ſeu Coronam; adeòut unum non
2 ſufficiat ſine altero, neque verè dicatur quis deferre Eccleſiaſticam Tonſuram, qui portat Coronam, ſeu Clericam in vertice; ſed ſervat capillos oblongos, & comam nutrit. Hoc invincibiliter, & manifeſtè probatur: Primò ex *cap. Clerici*. 15. *De Vita, & Honeſt. Cleric.* Ubi Innocentius Papa III. præcipit, ut Clerici omnes *Coronam, & Tonſuram habeant congruentem*. Ergo non ſolam Coronam, ſed etiam reſciſſionem Capillorum. Secundò ex *cap. ult. de Cleric. conjug.* in quo Honorius Papa III. loquens de quodam milite, cui in minori ætate collata fuerat Eccleſiaſtica Tonſura, ita de illo ait: *Qui Tonſuram tantùm, & Coronam Clericalem aſſumpſit*. Igitur hæc duo concurrere debent ad Eccleſiaſticam Tonſuram efficiendam. Tertiò *ex cap. Prohibete*. 23. *diſt.* in quo S. Anicetus Papa Epiſcopis Galliæ ita ſcripſit: *Prohibete fratres, per univerſas regionum veſtrarum Eccleſias, ut Clerici juxta Apoſtolum comam non nutriant, ſed deſuper caput in modum ſphæræ radant*. En depoſitio comæ, & formatio Clericæ. Quartò ex Gloſſa in *cap. Unico. De Clericis Conjug. in 6.* quæ ſic notat: *Propriè Tonſura eſt illa abſciſſio capillorum, quæ eſt in parte inferiori, ut aures pateant: & Clerica eſt abſciſſio capillorum in parte Superiori*. Quintò tandem ex Emin. Card. de Lauræa, qui in ſuo Epitome Canonum *Verb. Tonſura* hæc habet: *Tonſura Clericorum talis eſſe debet, ut aures videantur; Corona verò debet eſſe rotunda*. Eſt itaque incontrovertibile, quòd illa non poſſit dici vera Eccleſiaſtica Tonſura, quæ non conſtat omnium reſciſſione capillorum, & formatione Coronæ in vertice capitis; quia ex utraque ejuſdem Tonſuræ eſſentia pendet.

Quo ad ſecundum: Tria ſunt præcipua Myſteria, quæ à Clericis repræſentantur in Eccleſiaſtica Tonſura. Unum 3
eſt abominatio ſæcularis faſtus; cum enim mundani homines ex ornatu comæ, cincinnorumque fimbriis calamiſtratis gloriolam captare ſoleant, & valdè intumeſcant; Clerici, qui mancipantur Divino ſervitio, ut ſe ab omni mundano faſtu ſegregatos oſtendant, Comam deponunt, & Capillos reſcindunt, ut poſſint dicere cum Apoſtolo *ad Gal. 6. Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Jeſu Chriſti, per quem mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo*. Alterum Myſterium eſt, ut Clerici, qui ſe Deo offerunt, imitentur Naza- 4
ræos, qui cum ſe Domino devoviſſent, votum ſuum per abſciſſionem crinium, & horum combuſtionem in Altari complebant, ut legitur *Num. 6. 18.* Nazaræus enim idem eſt ac Sanctus & Separatus, ut notat Cornelius à Lapide in *Deuteron. 32. 16.* ubi obſervat, quòd Joſeph Patriarcha fuit Nazaræus. Primò: Quia 5
Sanctus inter fratres. Secundò: Quia ſeparatus ab eis, & venditus in Ægyptum. Tertiò: Quia intonſus manſit, donec exivit de carcere. Et Quartò: Quia fuit exaltatus ad Principatum. Sic Clerici Sancti eſſe debent inter homines, ac ab iſtorum converſatione ſeparati; ideòque tondentur in capite, ut 6
exaltentur ad Sacerdotalem dignitatem.

Hoc

Digitized by Google

Hoc innuit Iſidorus *de Divinis Officiis*,
quem refert idem Cornelius à Lapide
*d. Num. 6.* 18. ita dicentem: *Clerici Do-
mino conſecrantur quaſi Nazaræi, ideſt
Sancti Dei, ut crine præciſo innoventur,
ut hoc ſigno, & religione vitia reſecen-
tur, & criminibus carnis noſtræ, quaſi
crinibus exuamur, expoliantes nos vete-
rem hominem cum actibus ſuis*. Hoc Na-
7 zaræatus votum feciſſe, & adimpleviſſe
Apoſtolum Paulum habetur in Actis
Apoſtolorum *cap.*18 *Verſ.*25. imò idem
Iſidorus *lib.*2.*cap.*4 ſubdit, emiſiſſe hoc
Votum etiam Aquilam, & Priſcillam,
apud quos S. Paulus hoſpitabatur Co-
rinthi, ut in *d. cap.* 18. *Act. Verſ.* 2. E-
8 rant autem Aquila, & Priſcilla coniu-
ges, ex Judaiſmo converſi per S. Pe-
trum ad fidem, & baptizati Romæ; à
qua cum coacti fuiſſent omnes Judæi à
Claudio Imperatore diſcedere, Aquila,
& Priſcilla venerunt Corinthum, ubi
in piis, ac ſanctis operibus ſe exerce-
bant, ſuſcipientes, atque docentes eos,
qui ad fidem Chriſti convertebantur, ut
diſſerit Menochius *in Actis Apoſt. lib.*2.
*cap.*24. & hinc eſt, quòd notat Tirinus
*Num. 6. 1.* Nazaræatus votum fuiſſe
commune utrique ſexui; nam etiam è
9 fœminis multæ Nazaræ fiebant; ſicut
in Religione noſtra Catholica non tàm
Viri, quàm Mulieres Religioſam am-
plectuntur vitam. Tertium Tonſuræ
Eccleſiaſticæ Myſterium eſt imitatio
Principis Apoſtolorum Petri, qui cum
in contemptum Chriſtianæ fidei, quàm
10 Romæ prædicabat, fuiſſet à Gentilibus
detonſus, voluit, ut in memoriam Spi-
neæ Coronæ, qua Chriſtus Dominus
fuit in Paſſione afflictus, Clerici tonſo
capite procederent, & Coronam, ideſt
Clericam in vertice portarent. Ita Ceol-
fridus Abbas in Epiſtola, quam refert
Beda *Hiſt. Angl. lib.*5. *cap.*22. his verbis:
*Neque verò ob id tantùm in Coronam at-
tondemur, quia Petrus ita attonſus eſt;
ſed quia Petrus in memoriam Dominicæ
Paſſionis ita attonſus eſt: idcircò & nos,
qui per eandem Paſſionem ſalvari deſide-
ramus, ipſius Paſſionis ſignum cum illo in
vertice, ſumma videlicet corporis noſtri
parte geſtamus*. Sed copioſiùs id explicat
Rabanus Maurus *lib.* 1. *cap.* 3. ità ſcri-
bens: *Diverſas ob cauſas Petrus Apo-
lus hunc ritum primus ſumpſit. Primi-
tùs, ut formam, & ſimilitudinem Chriſti
in capite geſtaret, dum pro Redemptione
noſtra Crucis patibulum ſubiturus, à ne-
fanda Judæorum gente acutis ſpinarum
aculeis crudeliter coronaretur. Deindè ut
Sacerdotes veteris, & novi Teſtamenti in
Tonſura, & habitu diſcernerentur. Po-
ſtremò ut idem Apoſtolus, ſuique ſucceſ-
ſores, & ſeſquipedes, ridiculoſum natu-
ræ ludibrium in populo Romano porta-
rent; quia & horum Barones, hoſtes
exercitus ſuperatos, ſub Corona vende-
re ſolebant*. Has rationes Myſticas po-
nit etiam Auctor Gemmæ Animæ *lib.*
1. *cap.* 195. Gregorius Turonenſis *lib.
De gloria Martyr. cap.*8. Alcuinus *lib. de
Divin. Offic. tit. de Tonſura Cleric.* & alii
plures, quos allegant Gaſton Chamil-
lard *De Corona, Tonſura, & Habitu
Cleric. cap.*5. Et Joan Morinus *de Sacr.
Ordin. part.*3. *Exercit.* 15. *cap.*1. *à num.*5.
*& ſeqq.* Hæc itaque ſunt Myſteria præ-
cipua, & quidem reverenda, propter
quorum ſignificationem Tonſura Cleri-
cali omnes Eccleſiaſtici decorantur.

Quo ad Tertium: Antiquitas Eccle-
ſiaſticæ Tonſuræ non poteſt eſſe major, 11
cum initium ſumpſerit ab Apoſtolo Pe-
tro, ut ſupra dictum eſt. Hinc Ponti-
ficale Damaſi in vita S. Aniceti Papæ
ait, quod ipſe *Conſtituit, ut Clericus
Comam non nutriat, ſecundùm præceptum
Apoſtolicum*. Idem teſtatur Breviarium
Romanum in Lectione ejuſdem S. Ani-
ceti *die* 17. *Aprilis*: ibi: *Decrevit, ne
Clerici Comam nutrirent*: fuit autem ele-
ctus Papa S. Anicetus *Anno* 167. Idem 12
præceptum Clericalis Tonſuræ innova-
vit Concilium Nicenum *Can.* 74. *An-
no* 325. ac ſubindè illud renovavit Con-
cilium Carthaginenſe IV. *can.* 44. *An-
no* 398. & ſucceſſivis temporibus alia
Concilia, ut obſervaretur, decreverunt,
ut notat Morinus *d. p.*3. *Exercit.*15.*nu.*2.
& legitur in Decretalibus *cap. Si quis ex
Clericis*. 4. *cap. Clericus*. 5. *cap. Clerici*.7.
*De Vita, & Honeſt. Clericor.* & *in cit. cap.*
*Probi-*

Digitized by Google

*Probibete 23. diſt.* Plurimos alios Canones Conciliares, ac Pontificibus à primis Eccleſię ſeculis uſque ad Tridentinam Synodum colligit, & refert Gonzalez *in Commentar. ad cap. Si quis ex Clericis. 4. De Vita, & honeſt. Cleric. num.2. tom. 3. pag.*11. ibi per Studioſum Lectorem videndos, ubi idem Auctor concludit, *ex Apoſtolica Traditione ſemper in Eccleſia obſervatum fuit, ut Clerici Tonſuram deferrent*. Quod etiam demonſtrat Fagnanus *in cap. Cum contingat. num. 84. de Ætate, & Qualit.*

Confirmatur hęc Eccleſiaſticę Tonſurę antiquitas Sanctorum exemplis.
13 Narrat S. Cyrillus *in Vita S. Euthimii*, hunc Sanctum totondiſſe Otrejum Melitenſem, qui poſtea factus fuit Epiſcopus, Theodoſio Seniore regnante. Evagrius *lib.2. cap. 26.* de alio viro ſcribit, qui Coma tonſa Presbyter fuit factus. Sanctus Gregorius Nazianzenus *Orat. in Maximum* de nonnullis conqueritur, qui nihil aliud contulerant ad Epiſcopatum, quàm quod Comam, cui alendę, & ornandę turpiter ſtuduerant, raſerint. Joannes Diaconus in Vita S. Gregorii *lib.2. cap.15.* enuntiat, cum S. Gregorius declaraſſet ſe velle per viros Eccleſiaſticos miniſteria, & negotia quęlibet Eccleſię tractare, magnam Laicorum multitudinem per Capillorum abſciſſionem Eccleſiaſticam vitam aſſumpſiſſe, & Tonſurari cępiſſe. De his forſan idem S. Gregorius conqueritur *lib.7. Epiſt. 112.* dicens *Tonſurâ acceptâ, ſeu potius arreptâ; hoc quoque ad nos perveniſſe, non diſſimili dignum conteſtatione complectimur, quod quidem deſiderio honoris inflati Tonſurantur, & fiunt repentè ex Laicis Sacerdotes*. Arator antiquus Poeta in *Epiſt. ad Parthenium* de ſe ipſo ait:

*Namque ego Romanæ caulis permixtus amœnis*
*Eccleſiæ, Tonſo Vertice factus ovis.*

In vita S. Germani Epiſcopi Antiſiodorenſis, Auctore Conſtantio Presbytero legitur. *Invocato nomine Domini, Cæſariem eius capiti detrahens, habitu Religionis, rejectis ſæcularibus ornamentis, cum promotionis honore induit.* Norgerus Epiſcopus Leodienſis in vita S. Landoaldi dicit: *Ab oratione ſurrexit, capitis Comam ſibi abſcindi fecit, Clericatus adeptus honorem*. S. Gregorius Turonenſis *In Vitis Patrum cap.* 17. rem mi- 14
ram ſcribit his verbis: *S. Nicetius Epiſcopus ab ipſo ortus ſui tempore deſignatus eſt Clericus; nam cum partu fuiſſet effuſus, omne caput ejus, ut eſt conſuetudo naſcentium infantium, à capillis quidem nudum cernebatur, in circuitu verò modicorum Capillorum Ordo apparuit, ut putares ab iiſdem Coronam Clerici fuiſſe figuratam*. Aliis in locis frequenter enuntiat ipſemet Turonenſis, viros ad Clericalem vitam ingreſſos ſuſcepta Capillorum Tonſura, ut in *ſua Hiſtor. lib.6. cap. 9.* de Badegeſilo Majore domus Regię in Epiſcopum deſignato, qui *Tonſuratus, gradus, quos Clerici ſortiuntur, aſcendens poſt quadraginta dies Migrani Sacerdoti ſucceſſit*. In vitâ S. Audoeni *lib.* 10. *cap.*8. ſubjungit: *Clerici Tonſuram accepit uno, eodemque tempore ipſo Eligio viro Dei Comam ponente*. Tandem Auctor vitę S. Svitberti apud Surium 1. *Martii, Scientiam*, ait, *Sacrarum Scripturarum, & bonorum operum ſumens exemplum, Tonſuræ Eccleſiaſticæ Coronam devotè ſuſcepit*. Conſimilia exempla plurima reperiuntur apud Surium, pręter illa, quę exarantur à Morino in *cit. part. 3. Exercit. 15. cap. 1. de Sacra Ordinat.* à Gonzalez *in d. cap. Si quis ex Clericis. num.5. de Vita, & Honeſt. Cleric.* & à Chamillard *in d. Opuſc. de Tonſura cap. 6. per totum*, à quo Lectorem
non tędeat, me tranſcribere ſequentem 15
de S. Benigno narrationem.

„Cum Aurelius Imperator ad Caſtrum, quod Divionem vocant, fuiſſet ingreſſus, ait: Benè muros hos conſtructos video: ędificate nunc Templum Jovi, Mercurio, & Saturno, nec patiamini ullum, qui ſe Chriſtianę Legis affirmat, in locis iſtis reſidere, ne eorum vana religione populus noſter avertatur. Audiens hęc Terentius Comes loci illius ait: an Chriſtianus quiſpiam hîc ſit. In-

„ victiſ-

Digitized by Google

„ victiſſime Imperator, nos non novi-
„ mus. Vidi autem quendam homi-
„ nem peregrinum CAPITE TON-
„ SO, cujus habitus differt ab habitu no-
„ ſtro, vitaque ejus noſtræ diſſimilis
„ eſt, Deorumque cæremonias refutat:
„ populum noſtrum abluit aqua, &
„ balſamo linit: ſigna multa in populo
„ facit; novum Deum patriæ noſtræ
„ annunciat, & poſt mortem aliam vi-
„ tam illi Deo credentibus promittit.
„ His auditis Aurelius, Quantum au-
„ dio, inquit, hic, quem dicis, Chri-
„ ſtianus eſt: inquirite eum, & alliga-
„ tum in conſpectum meum adducite.
„ Ita Surius in vita S. Benigni Presbyte-
„ ri, & Martyris *Kal. Novembr.* ex
„ antiquo M.S. Codice, cui vetuſtiſſi-
„ ma Martyrologia conſentiunt. Obiit
„ Anno CLXIX.

Ex hac Hiſtoria reprobatur opinio Gaſparis Ivenim ſcribentis in d. ſuo *Comment. de Sacram. Ordinis quæſt. 8. cap. 2. non eſſe veriſimile, quod tribus*
16 *prioribus ſæculis Clerici, in quos præſertim ſæviebat perſecutio, externo Tonſuræ Clericalis ſigno ſe ſe non à gentilibus modò, ſed etiam à fidelibus Laicis diſtinxerint.* Siquidem contrarium oſtendit prædicta Hiſtoria de S. Benigno Presbytero; etenim tanta erat Fides, & Pietas Eccleſiaſticorum in illis primis Eccleſiæ Sæculis, ut non timerent vinculorum, carcerum; ac mortis periculum, in deferendo patenter Tonſuram, & Habitum Clericalem; ad confuſionem noſtrorum temporum, in quibus Deo mancipati Sacris Ordinibus, ſe a Mundanis differre verentur, & Comas nutrire contra Apoſtolicam Traditionem, & innumera Eccleſiæ Univerſalis præcepta non erubeſcunt.

Quo ad Quartum: Ut ſciamus, Quæ, & Qualis olim fuerit, & nunc eſſe debeat forma Eccleſiaſticæ Tonſuræ; præmittere oportet, quatuor reperiri ſpe-
17 cies Tonſuræ, ſcilicet Infantium, Puerorum, Monachorum, & Clericorum. Prima ſpecies Tonſuræ eſt Infantium, & hæc viget apud Græcos, qui in eodem inſtanti, in quo baptizant puerulum, non ſolùm eum Chriſmate Sacro in fronte confirmant, ſed etiam capillos capitis ejus in Crucis figuram tondent, ut obſervat Morinus *d. part. 3. de Sacr. Ord. Exercit. 15. cap. 4. num. 8.* allegans Euchologium Jacobi Goartli, & atteſtationem Simeonis Theſſalonicenſis, ita ſcribentis de cauſa, propter quam Tonſura fit in baptizatis: *Poſt Chriſmationem autem, Unguenti Sacri dico unctionem, tondet in Crucis figuram capillos capitis ejus: & capilli Chriſto offeruntur velut Primitiæ, & Sacrificium humani corporis in baptizato; ſunt enim velut tutius corporis exhalatio. Ideò Pontifex iis acceptis non ut ſors tulit, negligenter proiicit, ſed in loco Sacro reponit.* Hic eſt mos Græcorum; ſubditque Morinus ubi ſupra, quòd quibuſdam in locis Sacerdos capillos detonſos in manum Patrini tradit, à quo poſtea reverenter ad imaginem Chriſti Crucifixi appenduntur.

Secunda ſpecies Tonſuræ, eſt Puerorum, & hæc pariter vigebat apud 19
Græcos, qui olim pueros in pupillari ætate alicui Eccleſiæ, ut benè educarentur, & in miniſteriis Sacris poſſent erudiri, offerentes; prout nunc apud Latinos in Seminariis, eorum capilli tondebantur, & veſte talari nigra induti inſerviebant in Sacris functionibus; & de his loquitur Concilium Nicænum II. *can.* 14. ita diffiniens: *Quoniam videmus nonnullos à pueris Cleri Tonſuram accipientes, nondum accepta Epiſcopi manuum impoſitione; & in Synaxi in ambone legentes, id contra canones facientes, fieri in poſterum prohibemus.* (In ambone, ideſt in pulpito, 20
in quo Diaconi legunt Evangelium, ut Venetiis in Baſilica Sancti Marci.) At illa puerorum Tonſura nullam habebat ſpiritualitatem, ſed tantùm externam modeſtiam præferebat, ut differit idem Morinus *part. 2. in Adnotat. in Græcas Ordinationes num. 39. & part. 3. d. Exercit. 15. cap. 4. num. 9.*

Tertia Tonſuræ ſpecies erat Monachorum; ſiquidem omnes Monachi, 21
qui religioſam vitam in Monaſteriis ducendam

cendam

Digitized by Google

uendam ampleƈtebantur, capillos reſcindebant, & ad cutem uſque tondebantur à vertice ad aures deſcendendo. De hac Tonſura teſtatur Divus Dionyſius *part. 2. Hierarch. cap. 6.* his verbis: *Moris eſt poſt omnium abrenunciationem, ſigni Crucis conſignatione à Sacerdote tonderi cum invocatione Trinitatis, & tunc demum veſte nova indui.* Et S. Gregorius Papa de ea meminit *lib. 9. Regiſtr. Epiſt.* 44. dicens de quodam conjugato Monachatum amplexo ejus uxore reclamante: *Volumus, ut maritum ſuum illi, etiamſi Tonſuratus eſt, reddere debeas, omni excuſatione ceſſante.* Plura alia ſunt teſtimonia de hac Monachorum Tonſura in Sacris Conciliis, & apud Sanctos Patres, quos allegat Giballinus *de Clauſura Religioſ. diſquiſit. 2. cap. 4. num.* 44. & Gonzalez *in Comment. in cap. De Clericis. num. 3. de Regularib. tom.* 3. ubi etiam citat Socratem *lib. 3. cap.* 1. ſcribentem, de Juliano Apoſtata, quod *& ipſe abraſa cute vitam Monaſticam ſimulaverat.*

Huic Tonſuræ addere poſſumus illam Monialium; nam antiquitùs etiam conſuetum fuit capillos Virginum, quæ ſe Deo vovebant, reſcindere, proùt
22 etiam Viduarum, ut de utriſque ſcribit S. Hieronymus *Epiſt.* 48. ibi: *Moris eſt in Ægypti, & Syriæ Monaſteriis; ut tam Virgo, quàm Vidua, quæ ſe Deo voverint, & ſæculo renunciantes omnes delicias ſæculi renunciaverint, crinem Monaſteriorum Matribus offerant diſſecandum, non intecto poſtea, contra Apoſtoli voluntatem, inceſſuræ capite; ſed ligato pariter, & velato.* Quinimò etiam
23 apud Gentiles Virgines Veſtales, Auctore Plinio *lib. 16. cap.* 44. inciſos capillos ad arborem Lothos ſuſpendebant, quæ capillaris arbor idcircò à Feſto dicitur, ut notat Raderus in Martialem *lib. 6. Epig.* 17.

Quarta tandem ſpecies Tonſuræ eſt illa Clericorum; de cujus antiquitate locuti ſumus ſupra, & de qua diſſerit Emin. Card. Baronius in Annalibus *ad Annum Chriſti* 58. *num.* 128. ita ſcribens:
24 *Certè adeò pervulgata in orbe res fuit, ut nec Scriptores Ethnici de ea (Tonſura) tacuerint: nam Ammianus Marcellinus teſtatur, temporibus Juliani Apoſtatæ, Theodorum quendam Eccleſiæ ædificandæ præfectum ab Ethnicis ſupplicio affectum, quòd, ut ait, cirros puerorum licentiùs detondebat; nihil aliud ſignificans, niſi quod pœnas dedit, eo prætextu quod complures pueros in Clericos cooptaret; capillorum enim Tonſura ejuſmodi initiari, (ut etiam modò fit) antiquitùs conſueviſſe, ſatis eſt exploratum.*

His ita prænotatis, ſi quærimus, Quæ, & Qualis fuerit olim Eccleſiaſticæ Tonſuræ forma? omiſſis ſpeciebus prima, & ſecunda, quæ propriè non ſpectant ad Tonſuram Eccleſiaſticam, de qua agimus; dicendum eſt, quòd Tonſura Monachalis conſiſtebat in detonſione, ac raſura totius capitis, reli- 25
cto parvo capillorum circulo in ejus inferiori parte in formam coronæ. Ita colligitur ex verbis prælaudati Emin. Card. Baronii *d. Anno 58 num.* 124. quæ ſunt ſequentia: *Verùm diſtinctam fuiſſe Tonſuram Monachorum ab ea, quæ eſt Clericorum, certum eſt, cum illi non tantùm verticem capitis, ſed totum ferè caput radere conſueviſſent; ut ſic nimirum, quòd eſſet ipſorum vitæ ſtudium declararent; abraſionem quippè capitis, ſymbolum ac hieroglyphicum fuiſſe lugentis, atque mœrentis hominis non tantùm proditur teſtimoniis divinæ Scripturæ, ſed aſſertionibus etiam externorum.* Igitur quia Monachorum officium erat, pœnitentiam agere, & peccata deflere, totum caput ſibi radebant, & cute tenus attonſi procedebant. Hanc Tonſuram ſervant etiam noſtris temporibus Regulares Sancti Franciſci ſtrictioris obſervantiæ; Monachi Carthuſiani, & Eremitæ Camaldulenſes, aliique multi antiquitatis imitatores. Clericorum autem Tonſuræ figura, ac forma in duobus requiſitis ſemper conſtitiſſe, apparet
juxta Sacros Canones, & Sanctorum 26
Patrum Teſtimonia, videlicèt in detondendis omnibus capillis, & in formanda Clerica, ſeu Corona in modum ſphæræ in ſummitate capitis, quæ vel major, vel minor eſſet reſpectu majo-

rum , vel minorum Ordinum , quos Clericus ſuſceperit ; maxima verò in Epiſcopo Pontificiam dignitatem aſſecuto . De ſupraditis duobus requiſitis manifeſtè conſtat *in cit. cap. Clerici . 15. De Vita , & honeſt. Cleric. in cap. ult. De Cleric. Conjugat. & in cap. Prohibete. cap. Non liceat . 23. diſt.* adeòut non dicatur deferre Eccleſiaſticam Tonſuram qui ſolam Clericam , ſeu Coronam portat in vertice, nutriendo comam , & prolixos capillos in capite ; ut probatum fuit in reſponſis noſtri Cleri *Anno* 1683. ad Caſum prudentialem Menſis Januarii ; in quibus oſtenſa fuerunt exempla , & Auctoritates Sanctorum Patrum , & Conciliorum , quæ nunc leguntur in meis Deciſionibus Miſcellaneis impreſſis Anno 1703. *in Deciſ.* 109.

Ex his deducitur , peccare mortaliter Clericum inſignitum prima Tonſura
27 nutrientem comam , & portantem prolixos capillos , etſi Clericam , vel Coronam in ſummitate capitis deferat , ea ratione quia non ſufficit Corona , niſi reſcindantur capilli : & quòd horum nutritio , ac delatio ſit culpa gravis conſtat ex pœna excommunicationis inflicta per Sacros Canones contra Clericos nutrientes comam ; *ut in cap. Si quis 23. diſt. & cap Si quis . De Vita , & Honeſt. Cleric.* quæ quidem pœna non infligitur , niſi ubi datur culpa mortalis . Emin. Card. Toletus *in Sum. lib.* 1. *cap.* 8. Et hoc docent Abbas *in d. cap. Si quis . De Vit. & Honeſt. Cler. num.* 1. Diaz *in Praxi Crimin. cap.* 79. *num.* 1. & ibi Adden . Navarrus *in Man. cap.* 25. *num.* 110. Layman *lib.* 5. *tract.* 9. *cap.* 12 *num.* 3. Nec immeritò , quia ſuſcipere Eccleſiaſticam Tonſuram , & poſtea eam non deferre , & capillos prolixos portare eſt Deum irridere ; cujus Divinam Majeſtatem ſic exoravit Antiſtes , dum Clericum totondit : *Oremus , fratres chariſſimi Dominum Noſtrum JESUM CHRISTUM pro hoc famulo ſuo , qui ad deponendum comas capitis ſui pro amore ejus feſtinat .* Violatio hujus promiſſionis nonnè eſt irriſio ? Spernere hoc præceptum , & hanc Tonſuræ formam ab Apoſtolica Traditione promanantem , nonnè eſt quædam ſpecies hæreſis ? Ita diſſerit Concilium Toletanum celebratum ſub Honorio I. *Anno*
633. *Can.* 41. his verbis : *Omnes Cleri-* 28
*ci , vel Lectores , ſicut & Levitæ , & Sacerdotes detonſo ſuperiùs toto capite , inferiùs ſolam circuli Coronam relinquant : Non ſicut huc uſque in Galliciæ partibus facere Lectores videntur , qui prolixis , ut Laici , comis in ſolo capitis apice modicum circulum tondent . Ritus enim iſte in Hiſpania hucuſque Hæreticorum fuit .* Conſiderent hæc verba , qui ſibi ſatis putant deferre Clericam in vertice , & caput tenere comis ornatum : Subdit enim Concilium ibidem , *Qui autem hoc non cuſtodierit , Fidei Catholicæ reus erit .* Legat ſtudioſus Lector Epiſcopum Sarnellium *Epiſt. Eccleſ. tom.* 1. *Epiſt.* 10. ubi plenè de hac Tonſura . Legitur in Hiſtoria Patrum Oratorii per R. P. Joannem Marcianum Congregationis Oratorii Neapolis piè , ac doctè conſcripta , *tom.* 4. *lib.* 3. *cap.* 9. quod Venerabilis Pater Joannes Maria Monſrubeus , Sacerdos ejuſdem Congregationis Oratorii Paduæ , adeò zelabat obſervantiam Sacrorum Canonum circa Clericalem Tonſuram ; ut cuicunque Clerico comam , capilloſvè prolixos deferenti conſtanter abſolutionem Sacramentalem negaret ; & quadam die Capellano cujuſdam exteri Epiſcopi , ac Principis prohibuit celebrare in ſui Eccleſia Oratorii , quia comatus erat ; & eidem Capellano dicenti ſibi uſum deferendi comam ab Eccleſiaſticis eſſe univerſalem , pius Pater reſpondit , abuſum fore , & corruptelam inceſſanter ab Eccleſia , & à Summis Pontificibus damnatam , & ei dedit legendum Edictum Romæ publicatum , & impreſſum de mandato SS. Innocentii Papæ XI. *die* 10. *Octobris* 1681. capillos prolixos in Eccleſiaſticis prohibens ; quapropter Capellanus ille confuſus , & ejus Herus convictus abſque Miſſæ celebratione diſceſſerunt . Quare optimè ibidem ſubdit P. Marcianus : Foſſe in piacere di Dio , „ che in queſti noſtri tempi , nè i quali

„ ſi

„ gl'Eccleſiaſtici, anco Sacerdoti, non
„ contenti de i proprii capelli li prendo-
„ no in preſtito da gl'altri, comprando-
„ li à caro prezzo per vanamente ornare
„ il loro venerando capo, vi foſſero
„ molti imitatori del Monteroſſo, che
„ con petto conſtante latraſſero come ca-
„ ni fedeli contro queſto intolerabile
„ abuſo; e come giuſti, e ſeveri Giudi-
„ ci negaſſero à traſgreſſori l'aſſolutione,
„ che ben toſto ſi vederebbe tolta la va-
„ nità de' capelli, e delle Veſti corte, e
„ quaſi ſecolareſche, che con sì poca
„ edificatione ſi uſano hoggi da molti
„ Eccleſiaſtici.
Sed dicet aliquis. Omnis Chriſti actio
debet eſſe noſtræ vitæ inſtructio. *Clem.*
1. *de Magiſtr.* Sed Chriſtus Dominus ſi-
29 bi capillos non totondit, imò prolixos
portavit. Ergo etiam Clerici, Levitæ,
& Sacerdotes poterunt licitè comam nu-
trire. Minor probatur tùm ex Nice-
phoro Calixto *lib.*1. *cap.* 40. ubi de Re-
30 demptore noſtro ait: *Capitis capillos tu-
lit prolixiores, novacula enim in caput
ejus non aſcendit*: tùm ex Lentulo Ju-
daici populi Præſide, qui ſic Dominum
Noſtrum deſcripſit: *Capillos habebat co-
lores nucis avellanæ præmaturæ, & pla-
nos ferè uſque ad aures: ab auribus verò
concinos, criſpos, aliquantulum cæru-
lèos, & fulgentiores ob oculos ventilan-
tes; diſcrimen erat in medio capitis juxta
morem Nazaræorum; frontem planam,
& sereniſſimam, cum facie ſine ruga.*
Ita ex Malonio *in Notis ad cap.* 3. *Pa-
leotti Archiepiſcopi* refert Gonzalez *in
Comment. ad d. cap. Si quis ex Clericis.
num.*3. *De Vita, & Honeſt. Cleric.* & ex
S. Anſelmo Sherlogus in Cantica *tom.*3.
*Explanat. Hiſt. Veſtig.* 32. *num.* 10. At
huic objectioni reſpondet Gonzalez, ubi
31 ſupra, Hebræos longam comam alere ſo-
litos fuiſſe, ut probat Pineda *lib.* 1. *in
Job. verſ.* 20.*num.*11. Undè Chriſtus Do-
minus prolixioribus utebatur capillis nè
illis, quemadmodum nec in aliis rebus
à communi ſuæ gentis uſu diſcederet;
tùnc enim expediebat Redemptorem
noſtrum, ab uſu ordinario hominum
non abhorrere, ut obſervat Creſollus
*lib.* 4. *Myſtag. cap.*12. *ſect.*2. & Sherlogus
*d. tom.* 3. *Veſtig.* 33. *num.* 3. ſubdens ta-
men quòd Chriſtus ſibi tondebat capil-
los nonnunquam; etſi longam aleret
cæſariem pro uſu Hebræorum. Non
eſt igitur à Clericis trahendum argu-
mentum ab uſu Legis antiquæ, ac Ju-
daicæ; ſed à Traditione Apoſtolica,
& à præceptis Summorum Pontificum,
Conciliorum generalium, Provincia-
lium, & Diæceſanorum, in quibus per
hæc integra decem, ac ſeptem ſæcula
injunctum eſt Eccleſiaſticis hanc Ton-
ſuræ formam ſervare, ut caput ſit to-
tum detonſum; capilli non ſint auribus
longiores, & in vertice Clericam, ideſt
Coronam ſphæricam cuilibet inſpicere
liceat.
Porrò adhuc urgebit Clericus inton-
ſus; ſi ita in præcepto eſt, cur Sacer-
dotes Græci procedunt comati, & Ton-
ſuram non colunt? Huic inſtantiæ ſa-
tisfaciet doctiſſimus Abbas Papadopoli;
qui in ſuis eruditis Prænotionibus My- 32
ſtagogicis *Reſp.* 4. *ſect.*1. *ſub num.* 5. ita
loquitur: Autumo contra morem Ec-
„ cleſiaſticum penes Photianos uſurpari
„ cæptum, ne Sacri Miniſtri, Mona-
„ chique capillos tondeant, ne quid ſer-
„ vile præ ſe ferant, oſtentantes interea,
„ more ſuo, id à ſe fieri in quandam
„ Nazaræorum ſpeciem, cum re verà
„ corruptela ſit omnibus modis emen-
„ danda. Etenim manifeſtum eſt, priſ-
„ cos illos Patres, Majoreſque noſtros
„ à deradendis quidem capitibus abſti-
„ nuiſſe, Tonſuram verò uſurpaſſe per-
„ petuò. Quod, ſi cætera deeſſent, no-
„ bis apprimè inſinuarent antiquiſſimæ
„ tabulæ, atque icones, in quibus nul-
„ lum ex Sanctiſſimis Patribus videre
„ erit promiſſa Cæſarie propoſitum. Huc
uſque prædictus Auctor, qui proſequi-
tur referre exempla cuſtoditæ Tonſuræ
Eccleſiaſticæ apud Græcos, donec in
Photii Schiſmate, de quo infra verba
habebimus, ab Eccleſia Catholica ſegre-
gatos eos puduit tonſum deferre caput,
& capillos ad normam Sanctorum Pa-
trum, & eorumdem Canonum reſcin-
dere.



Digitized by Google

## DECISIO XI.

### ARGUMENTUM.

Proponitur famoſa Controverſia inter Theologos, & Canoniſtas agitata, quadringentis ab hinc annis, Utrùm Tonſura ſit Ordo, & imprimat characterem? Referuntur breviter, ſed clarè argumenta utriuſque Scholæ variis eruditionibus ornata. Diſſidium relinquitur indeciſum, quando non placeat Cardinalis Bellarmini concordatio.

### SUMMARIUM.

1 *Patavinæ diæceſis Parochi Theologi, ac Canoniſtæ plurimi.*
2 *Prima Tonſura an ſit Ordo? Theologi negant.*
3 *S. Caii Papæ nominatio Ordinum, non autem Tonſuræ.*
4 *Leonis Papæ IX. ſimilis nominatio.*
5 *Tonſuræ nullum proprium miniſterium in Eccleſia.*
6 *Officium Divinum olim cantabatur à Laicis unà cum Clericis.*
7 *Tonſura à Presbytero poteſt conferri.*
8 *Tonſura in quacunque hora diei conferri poteſt.*
9 *Diſpoſitio à ſtatu, ad ſtatum. Exempla.*
10 *Ordinum miniſteria habent relationem ad Euchariſtiam.*
11 *Tonſura omiſſa non eſt repetenda. Contrarium* num. 32.
12 *Ordinis Sacramentum requirit ſuam materiam.*
13 Aut *eſt particula, quæ diverſificat.*
14 Etiam *augmentat id, quod priùs non erat dictum.*
15 *Functiones omnium Ordinum reſtituendæ in Eccleſia.*
16 *Suſpenſus an ſit Epiſcopus dans primam Tonſuram non ſubdito?*
17 *Capitulum intra annum dat dimiſſorias pro Tonſura.*
18 *Catechiſmus Romanus quid doceat de Tonſura?*
19 *Canoniſtæ tenent Tonſuram eſſe Ordinem.*
20 *Abbates benedicti conferunt Tonſuram.*
21 *Forma pro Tonſura à quo data?*
22 *Tabernas intrare non debent Ordinati.*
23 *Degradatio datur etiam à prima Tonſura.* Et num.24.
25 *Tonſuræ quænam ſit Materia? & Forma?*
26 *Clericalis Ordo appellatur Tonſura.*
27 *Pontificale Romanum nominat Tonſuram Ordinem.*
28 *Gratia confertur in Tonſura.*
29 *Epiſcopus ordinarius miniſter Tonſuræ.*
30 *Confirmati debent eſſe Ordinandi. An etiam Tonſurandi?*
31 *Tonſuratus non Chriſmatus malè Ordinatus.*
32 *Tonſura omiſſa repetenda.*
33 *Hierarchia Eccleſiæ Militantis ſimilis Cæleſti.*
34 *Effectus plurimi Clericalis Tonſuræ.*
35 *Cauſa per effectus cognoſcitur.*
36 *Rotæ Romanæ opinio an Tonſura ſit Ordo?*
37 *Tridentinum Concilium noluit diffinire, an Tonſura ſit Ordo?*
38 *Ordo dupliciter ſumitur.*

QUoniam in Clero Patavino plurimi ſunt Parochi, ac Confeſſarii Sacræ Theologiæ Doctores, & alii in
magno numero Doctoratus Lauream in 1
utroque Jure, & Sacrorum Canonum profeſſione adepti, congruum viſum fuit iiſdem proponere inſignem illam Theologorum, & Canoniſtarum controver-
ſiam diſcutiendam, *Utrùm Prima Ton-* 2
*ſura ſit Ordo imprimens characterem in anima Tonſurati?* Negarunt Theologi, affirmarunt Canoniſtæ; idcircò utriuſque opinionis potiora argumenta ex eorum reſponſis collecta, placet hic brevi, ac facili ſtylo narrare. Ajunt Theologi, Primam Tonſuram non eſſe Ordinem,

dinem, neque Sacramentum, nec imprimere characterem; ſed eſſe ſimplicem diſpoſitionem ad Ordines. Probant ſuam aſſertionem:

Primò ex verbis S. Caii Papæ, & Martyris (qui ut jam notavimus, fuit electus Pontifex Anno 283.) relatis *in cap. 177. diſt.* ubi nominat omnes Ordines, ſed inter eos non ponit Primam
3 Tonſuram. Ergò ipſa non eſt Ordo. Verba S. Caii hæc ſunt: *Ad Ordines Eccleſiaſticos ſic aſcendant in Eccleſia qui ordinari merentur. Sit primùm Oſtiarius, deindè Lector, poſtea Exorciſta, indè ſacretur Acolythus; demum verò Subdiaconus, deindè Diaconus, & poſtea Presbyter, & exindè, ſi meretur, Epiſcopus.* Ecce nominatio omnium Ordinum, inter quos non eſt Tonſura. Ergo ipſa non eſt Ordo: tantò minus, quia primus Ordo dicitur eſſe Oſtiarius. Igitur ante illum nullus Ordo exiſtit arg. *cap. Joſeph. De Verb. Signif.* & *l. Proximus. ff. eod.*

Secundò per *cap. Seriatim* 32. *diſt.* ubi pariter Leo Papa Nonus, ſic loquitur:
4 *Seriatim, & apertè proſequamur quid Sancta Romana Eccleſia in gradibus Clericorum agat. Clericos tantùm Oſtiarios, Lectores, Exorciſtas, Acolythos &c. uxorem ducere virginem cum benedictione Sacerdotali permittit.* Hi ſunt Ordines minores in Eccleſia; ſed inter hos non recenſetur Prima Tonſura. Ergo hæc non eſt Ordo. Eadem nominatio Ordinum, & non Tonſuræ fit in *cap. A Subdiacono. 93. diſt.* Et in Epiſtola S. Cornelii Papæ ad Fabianum, de qua Euſebius *lib.6. Hiſtor. cap.33.*

Tertiò: Omnes Ordines habent ſuum proprium officium, ac miniſterium in Eccleſia, denotatum per inſtrumenta, quæ Ordinandis traduntur tangenda. Sed
5 prima Tonſura, quæ in jure appellatur etiam *Pſalmiſtatus*, & *Cantoratus cap. Pſalmiſta. 23. diſt.* nullum habet miniſterium, ſed ſolùm poteſt cantare Pſalmos, *cap. Perlectis. & cap. Cleros. 25. diſt.* quæ cantatio olim erat communis omnibus fidelibus, ut notat Epiſcopus Sarnellius *Epiſt. Eccleſiaſt. tom.1. Epiſt.9.*
ubi hæc verba: *Uſo ancora fù della primitiva Chieſa, che il popolo ſoleva can- 6
tare con i Chierici, e riſpondere all'Oratione detta dal Sacerdote; onde S. Girolamo laſciò ſcritto in Præfat. Epiſt. ad Galat. Ad ſimilitudinem cæleſtis tonitrui Amen reboat. &c.* Ergo Prima Tonſura non eſt Ordo.

Quartò: Omnes Ordines conferuntur ab Epiſcopo tantùm. *d. cap. Perlectis. §. Ad Epiſcopum pertinent. 25. diſt.* Concil. Trident. de Sacramento Ordinis *ſeſſ. 23. cap. 4. & Can. 7.* Sed Tonſura, 7
ſeu Pſalmiſtatus confertur etiam à ſimplici Sacerdote. *d. cap. Pſalmiſta. 23. diſt.* Ergo non eſt Ordo.

Quintò: Nullus Ordo datur niſi in Miſſæ celebratione. S. Thom. *3. p. q. 40. art. 3.* Card. Turrecrem. *in cap. Clerici n. 3. 23. diſt.* Sed prima Tonſura poteſt con- 8
ferri in quacunque hora diei, & ſine Miſſa, ut in Pontificali Romano *in Rubr. De Ord. Confer.* Ergo non eſt Ordo.

Sextò: In omni tranſitu de ſtatu ad ſtatum convenienter interponitur aliqua diſpoſitio. Sic inter ſtatum Sæcularem, 9
& Religioſum interponitur Novitiatus; inter Paganiſmum, & Chriſtianiſmum Cathecumenus, inter ſtatum liberum, ac Matrimonialem Sponſalia. Ergo etiam inter ſtatum Laicalem, & Clericalem debet intervenire aliqua diſpoſitio, & hæc eſt Prima Tonſura; quæ non poteſt dici Ordo, ſed diſpoſitio ad Ordines.

Septimò: Omnes Ordines habent relationem ad Euchariſtiam, ad cujus cultum, & obſequium miniſteria Ordi- 10
num ſunt inſtituta. *d. cap. Perlectis 25. diſt.* Concilium Trident. *ſeſſ. 23. cap. 2. & Can. 2.* S. Thomas *in 4. diſt. 24. q. 2. art. 1. qu. 2. ad 3.* Sed Tonſura nullum habet miniſterium reſpiciens Euchariſtiam, & ſecundùm Innocentium *in cap. Cum contingat. in Verb. Ordo. De Ætate, & Qualit.* Si Tonſura ſit omiſ- 11
ſa, & minores Ordines ſint ſuſcepti, ipſa non eſt repetenda. Ergo non eſt Ordo.

Octavò. In omni Ordine neceſſaria eſt ma-

eſt materia, quia ſine illa non perficitur
Sacramentum. Concilium Florentinum
12 in Decreto Fidei *Eugenii IV. in* §.5. Con-
cilium Tridentinum *ſeſſ. 23. de Sacram.*
*Ord. cap.3.* & materia eſt illa res, quæ
traditur tangenda, dum ordinatur, ut
in d. Decreto Eugenii IV. §. *Sextum*
*Sacramentum*. Sed dum confertur Pri-
ma Tonſura nulla materia traditur tan-
genda à Tonſurato; ſed ſolùm reſciſſis
capillis, induitur Superpelliceo non ex
neceſſitate, ſed ex ſola congruitate.
Jo. Monachus *in cap. Degradatio. de*
*Pœnis in 6. num.2.* ubi dicit: *multos ton-*
*deri vidi ſine hac veſte Clericali*. Ergo
non eſt Ordo.

Nonò: Concilium Tridentinum *Seſſ.*
*23. de Ref. cap.6.* ita loquitur: *Nullus*
*prima Tonſura initiatus, aut etiam in mi-*
*noribus Ordinibus conſtitutus ante deci-*
*mumquartum annum beneficium poſſit ob-*
*tinere*. Ergo Prima Tonſura ſecundùm
Concilium Tridentinum non eſt Ordo;
tùm quia ſi eam eſſe minorem Ordinem
cenſuiſſet, non nominaſſet illam de per
13 ſe, & ſeparatim ab Ordinibus; tùm
etiam quia utitur illa particula *Aut*,
quæ ponitur inter diverſa. *l. Iter ſi ſu-*
*ſceperit. ff. de Procurat.* Barboſa *Dict.*
*46. num.6. ubi DD.* Et particula *Etiam*,
14 quæ de ſui natura eſt augmentativa il-
lius, quod priùs non includebatur. Idem
Barboſa *dict. 112. num.11.* Ergo Tonſu-
ra non eſt Ordo, ſed quid aliud, quàm
minores Ordines.

Decimò: Quia idem Concilium Tri-
dentinum *d. ſeſſ.23 cap.7.* præcepit Epi-
15 ſcopis, ut in Eccleſia reſtituant functio-
nes omnium Ordinum ab Apoſtolorum
temporibus receptas, & pluribus in lo-
cis aliquandiù intermiſſas; & nominan-
do eoſdem Ordines, nihil dicit de Pri-
ma Tonſura. Ergo hæc non eſt Ordo.

Undecimò: Quia cum Epiſcopus
Hieracen. dubitaſſet, an incidiſſet in
pœnam ſuſpenſionis, de qua in *d. ſeſſ.*
16 *23. cap. 8. de Ref.* ob datam Primam
Tonſuram cuidam extraneo, ſubdito al-
terius Epiſcopi, abſque ejus dimiſſoriis?
Sacra Congregatio cenſuit, non incidiſ-
ſe; ut teſtatur Fagnanus in *d. cap. Cum*
*contingat. num. 38. de Ætate, & Qual.*
Ergo cenſuit, Tonſuram non eſſe Or-
dinem.

Duodecimò: Cum ſit prohibitum
Capitulis Sede vacante dare dimiſſorias
ad Ordines intra annum à Tridentino
*ſeſſ. 7. de Ref. cap.* 10. & petitum fuerit, 17
an pro recipienda Tonſura dimiſſoriæ
intra annum dari poſſint à Capitulo? Ea-
dem S. Congregatio reſpondit, Poſſe;
teſte eodem Fagnano *d. num.* 38. Ergo
non eſt Ordo.

Ultimò: Catechiſmus Romanus *de*
*Sacram. Ordinis ſect.*14. ita loquitur: *In-*
*cipiendum autem eſt à prima Tonſura*, 18
*quam quidem docere oportet, quandam*
*præparationem eſſe ad Ordines accipien-*
*dos*. Et paulò poſt *ſect.* 15. ſubdit: *Poſt*
*primam Tonſuram ad Oſtiarii Ordinem*
*primus gradus fieri conſuevit*. Igitur, ſi
primus gradus Ordinum eſt Oſtiarius,
Tonſura non eſt Ordo, ſed ſimplex
præparatio ad Ordinem. Ita tenuerunt
Theologi antiqui S. Thomas *3. p. q. 40.*
*art.2.* & in *4. diſt. 24. q. 2. art.1. q. 2.* &
præter Altiſiodoren. Albertum Ma-
gnum, & S. Bonaventuram, Sotus *in 4.*
*diſt.24. q.1. art. 1.* ac Sylveſter *in Verb.*
*Ordo 1. num. 1.* Inter modernos autem
hanc opinionem amplectuntur Salman-
ticenſes *tract. 8. de Sacram. Ord. cap. 1.*
*nu 26. & ſeqq.* ubi allegant Trullench.,
Bonacinam, Reginaldum, Gonetum,
& alios, Gobatus *de Ordine tract.8. nu.9.*
doctiſſimus Maſtrius *in 4. Sent. diſp. 4.*
*num.12.* & cæteris pleniùs Emin. Card.
de Lauræa *de Sacram. Ordinis diſp. 4.*
*art.7. per totum*, referens hujus ſenten-
tiæ fuiſſe etiam Scotum, cujus ætate,
ſcilicèt circa *Annum* 1300., controverſia
hæc fervebat in Scholis inter Theolo-
gos, & Canoniſtas.

Canoniſtæ itaque ab antiquo tempo-
re docuerunt, Primam Tonſuram eſſe
Ordinem, eſſe Sacramentum, & im- 19
primere Characterem ex ſequentibus
non ſpernendis argumentis, juribus, &
rationibus.

Primò ex textu in *cap. Cum contingat*
*11. de Ætate, & Qualit.* ubi Innocen-
tius Papa Tertius interrogatus, an Cle-
rica-

Digitized by Google

ricatus Ordo in Tonſura ab Abbate data conſeratur? reſpondet, ſi Abbas ſit Sacerdos, & benedictus ab Epiſcopo,
20 *per primam Tonſuram juxta formam Eccleſiæ datam Clericalis Ordo confertur*. Ergo Prima Tonſura eſt Clericalis Ordo; & hoc notant omnes DD. ſuper hoc textu ſcribentes.

Secundò: Quia ibi eſt Ordo, & Sacramentum Ordinis, ubi reperitur præſcripta forma in eo conferendo. Sed in collatione Primæ Tonſuræ ſervanda eſt
21 forma Eccleſiæ data, (ut ait ibidem Papa) ideſt, per Chriſtum Eccleſiæ, non data ab Eccleſia. Ergo eſt Ordo.

Tertiò per *tex. in cap. Non oportet*, il primo, 44. *diſt.* in quo præcipitur, ne
22 Ordinati ingrediantur tabernas, & inter eos nominantur *Pſalmiſtæ*, ideſt habentes Primam Tonſuram. Ergo hæc eſt numeranda inter Ordines. Eadem nominatio inter gradus Ordinum legitur de Pſalmiſtatu *in cap. Cleros*. 21. *diſt. in cap. Perlectis*. 25. *diſt. & in cap. Epiſcopus*. 23. *diſt.*

Quartò ex Pontificali Romano; in quo poſt degradationem ab Ordinibus
23 Lectoratus, & Oſtiariatus habetur etiam degradatio à Prima Tonſura per hæc verba: *Exuimus te omni Ordine, beneficio, & privilegio Clericali &c.* Deindè à Pontifice eum tondente dicitur: *Te velut ingratum filium à ſorte Domini, ad quam vocatus fueras, abiicimus, & Coronam de tuo capite amovemus*. Et demùm privatur officio *Pſalmiſtæ*, his verbis: *Quod ore cantaſti, corde non credidiſti, nec opere implevisti; ideò cantandi officium in Eccleſia Dei à te amovemus*. Igitur ſi ſit degradatio etiam à Prima Tonſura, prout ab aliis Ordinibus, ipſa quoque eſt Ordo.

Quintò confirmatur ex Conſtitutione Bonifacii Papæ VIII. in *cap. Degradatio. De Pœnis in* 6. in qua præſcribens
24 formam degradandi Clericos ab Ordinibus loquitur expreſsè etiam de habentibus Primam Tonſuram. Concordat textus *in cap. Si quis Epiſcopus*. 27. *q*. 1. qui loquitur de depoſitione *Pſalmiſtæ*, ideſt de degradatione à Prima Tonſura, ut explicant ibi Canoniſtæ.

Sextò, quia ibi eſt Ordinis Sacramentum, ubi in Ordinatione traditur
materia tangenda. Bulla Eugenii IV. 25
in inſtructione Armenorum. §. *ſextum Sacramentum*. Sed in collatione Primæ Tonſuræ traditur Veſtis, ideſt Superpelliceum pro materia. *d. cap. Degradatio*. ibi: *Uſque ad Primam Veſtem, quæ traditur in collatione Primæ Tonſuræ*. Ergo eſt Ordo. Forma verò eſt *Induat te Dominus*.

Septimò, nam & alibi ſæpè à Sacris Canonibus Prima Tonſura vocatur
Clericalis Ordo; ut in *cap*. 1 *de Apoſtat*. 26
ibi: *relicto Ordine Clericali, & Habitu tanquam Laici converſantur*. in *cap*. 1. *De Vita, & honeſt. Cleric. in* 6. ibi: *Clerici, qui Clericalis Ordinis dignitati non modicum detrahentes. in cap. Cum inter. De Sent. & Re judic.* ibi: *repræſentatione ad Ordines, Tonſuratione*. Et in *cap. Eò libentius. De Servis non Ordin.* ibi: *obligati Ordini Clericali*. ſcilicèt Primæ Tonſuræ. & cæteris omiſſis, Bulla Sixti V. quæ eſt *la* 95. Incipien. *Sanctum, & Salutare*. In qua pluries appellat Tonſuram *Clericalem Caracterem*.

Octavò: Rursùs Pontificale Romanum ſæpè nominat Primam Tonſuram
tanquam Ordinem: videlicèt in *tit. de* 27
*Cleric. facien.* ibi: *Pro Clericis Ordinandis parentur forbices pro incidendis capillis*. Et paulò poſt: *Quilibet Ordinandorum habere debet ſuum Superpelliceum ſuper brachium ſiniſtrum*: & ibi in fine poſt factam Tonſurationem: *Ordinati redeunt ad loca ſua*. Ulteriùs *in tit. De Ordinib. conferen.* ibi: *Ordinati ad Primam Tonſuram*.

Nonò: Quia in Tonſura ſicut in aliis Ordinibus confertur gratia, quæ eſt ef-
fectus Ordinis, nam dum Clericus Ton- 28
ſuratur, ita orat Antiſtes: *Oremus D. N. J. Chriſtum pro hoc famulo ſuo, qui ad deponendum comam capitis ſui pro ejus amore feſtinat, ut donet ei Spiritum Sanctum &c.* nempè gratiam ſanctificantem. *cap. Omnes. & cap. Spiritus Sanctus. De Conſecr. diſt*. 5. Ergo Tonſura eſt Sacramentum, quia in ſolis Sacra-

mentis gratia confertur, non autem in cæremoniis præambulis ad Sacramenta. S. Thomas 1. 2. q. 108. *art.2. ad ſecund.*

Decimò, Quia Ordinarius Miniſter Primæ Tonſuræ eſt Epiſcopus, prout
29 aliorum Ordinum. Idem S. Thomas *3.p. q.38.art.1. in corp.* & *q.40.art.2.ad* 2. Concil. Florentinum in *d. Inſtruct. Armen. §. Sextum Sacramentum*. Et licèt eam conferant etiam Abbates, id faciunt ex privilegio. *cap. Abbates. de Privil. in* 6.

Undecimò, quia omnes Ordines de
30 præcepto Eccleſiæ prærequirunt Sacramentum Confirmationis. S. Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art.* 2. *q.* 4. Sylveſter in *Verb. Ordo.* 2. *num.*1. Sed Prima Tonſura de neceſſitate præcepti prærequirit Chriſmatis Sacramentum. Concil. Trid. *ſeſſ.* 23. *de ref. cap.*4. Ergo ipſa etiam eſt Ordo. Hinc Sacra Congregatio declaravit, Tonſuratũ non ſuſcepto Chriſmate, ac poſtea eo ſuſcepto ad minores Ordines
31 promotum, eſſe malè promotũ, beneficia minùs legitimè acquiſiviſſe, neque ad majores Ordines poſſe promoveri abſq; Apoſtolica diſpenſatione, quidquid ſcripſerit Navarrus *in Man.cap.*22. *De Sacram. Confirm. num.*9. *Verſ. Quintò peccat*, ut teſtatur Fagnanus *in cit. cap. Cum contingat. num.*96. *De Ætate, & Qual.*

Duodecimò: Etiam ex eo, quod ſi ſuſcepti ſint minores Ordines abſque
32 Tonſura, ea eſt poſtea ſuſcipienda, ut ex doctrina Hoſtien. Jo. Andr. Butrii, Cardinalis, & Abbatis oſtendit Fagnanus *ibid. num.* 101. & 102.

Decimotertiò: Quia Hierarchia Eccleſiæ militantis debet eſſe ſimilis illi
33 triumphantis. S. Dionyſius *de Eccleſ. Hier. cap.*6. Sed in Hierarchia cœleſti novem ſunt Ordines Angelorum *cap. Principium. §. Omnis Lapis. De Pœnit. diſt.*2. Ergo tot debent eſſe in noſtra Eccleſia, & ſic præter ſeptem Ordines, duo alii debent numerari, Prima Tonſura, & Epiſcopatus, ut ſint novem. DD. quos citat Fagnanus *in d. cap. Cum contingat. num.* 104.

Ultimò: Quia mirabiles ſunt effectus primæ Clericalis Tonſuræ; ea enim ſuſcepta Tonſuratus transfertur à ſtatu Laicali ad ſtatum Clericalem. *cap. Duo ſunt genera.* 12. *q.* 1. *cap. Cleros* 21. 34
*diſt.* Eximitur à poteſtate Sæculari. *cap. Si Imperator.* 96. *diſt.* Ejus bona non ſubjacent collectis Laicis. *cap. Quamquam. de Cenſib. in* 6. Gaudet privilegio Canonis. *cap. Contingit. De Sent. Excom.* Et fit capax beneficiorum, ac Penſionum. Concil. Trid. *d. ſeſſ.*23. *de ref.cap.*6. Poteſt judicare cauſas ſpirituales, & omnem Juriſdictionem Eccleſiaſticam exercere, tàm ordinariam, quàm delegatam

Card
23. *diſt*
*Bib.* C
ob tant
ram n
Ordine
per eff
tur. c
*Monac*
*Verſ.* C
*tab. De*
*Cum c*
ubi *nu*
Rotam
& 6. 1
*num.*5.
118. bi
ratione
Tonſu
quibus
delis c
ſe Ord

Hi

Racomandatevi di tutto cuore a S. Priſca voſtra Protettrice di queſto Meſe; e pregatela, accioechè v'inſegni il modo di far buona orazione, per ſapere dimandare al Signore le coſe neceſſarie alla voſtra ſalute.

*Tutto l' edificio dell' orazione è fondato ſopra l' umiltà, e quanto più un' anima s' umilierà nell' orazione, tanto più ſarà innalzata da* DIO. S. Tereſa.

Pregate il Signore, acciocchè v' inſpiri a dimandar ſempre nell' orazione coſe convenienti alla ſalute dell' anima voſtra.

*Sapete perchè il Signore ſpeſſo non vi concede quel tanto, che gli addimandate nell' orazione? perchè fate il ſordo a quello, ch' egli vuole da voi: e fate viſta di non udire gl' interni ſuoi impulſi, e gl' inviti eſteriori, ch' ei vi fà per mezzo dei Predicatori Evangelici, e tutto ciò fate per non eſeguire quel tanto, ch' egli brama da voi. Emendatevi, e le voſtre orazioni saranno eſaudite da Sua Divina Maeſtà.*

Solo a gloria di voi fate, o mio DIO,
Che le grazie vi chieda il mio deſio!

plectemur? [illegible] ſtra? Teſtatur Fagnanus *ubi ſupra num.* 132. Sanctam Tridentinam Synodum noluiſſe diffinire hanc controverſiam, 37
ne fortè condemnaret Sacros Theologos, aut honorabiles Canoniſtas, & quia putavit, non neceſſarium eam expedire. Igitur multò minùs convenit humilitati noſtræ ſuper hac controverſia judicium ferre. Tantummodò referemus ea, quæ pro concordia hujus diſſidii notat Emin. Card. Bellarminus *tom.*2. *Controverſ.* 2. *de Cleric. lib.*1. *cap.* 11. vi- 38
delicèt Ordinem Clericalem ſumi poſſe duobus

duobus modis; ſtrictè, & largè. Sumitur ſtrictè, & propriè quando habet certum Miniſterium reſpectu Sacroſancti Euchariſtiæ Sacrificii, & hoc modo dicuntur Ordines tùm tres Majores, tùm quatuor Minores. Largo modo, & communiter dicuntur Ordines, qui non habent relationem ad Sacrificium, ſed ad alia Divina obſequia; ſit exemplum *cap. Diaconiſſam.* 27. *q.* 1. in quo dicitur, Diaconiſſam non debere ante annos 40. Ordinari. Forſan mulieres olim recipiebant Sacramentum Ordinis? Abſit. Sed largo modo dicebantur Ordinari, ideſt benedici, ut declarat Gloſſa ibi. Item in Pontificali Romano ſub Rubrica de benedictione Abbatis ponitur formula juramenti ab eo præſtandi, quæ talis eſt: *Ego N. Ordinandus Abbas promitto &c.* Numquid illa benedictio eſt Sacramentum Ordinis? Minimè ſi ſtrictè, & propriè Ordo accipiatur; ſed tantùm largè, & communiter. Igitur Theologi affirmant, Primam Tonſuram non eſſe Ordinem ſumptum propriè, & ſtrictè. Canoniſtæ aſſerunt eſſe Ordinem largo modo, & communiter intelligendo. Qui non habet ſatis hanc diſtinctionem, & vult adhærere Canoniſtis, legat Fagnanum *in cit. cap. Cum contingat. De Ætat. & Qualit.* ubi *à num.* 119. *& ſeqq.* reſpondet argumentis Theologorum. Qui vult tenere cum Theologis adeat Emin. Card. de Lauræa *in cit. tract. de Sacram. Ordinis diſp.* 4. *art.* 7. *&* 8. ubi evacuat, & reſolvit omnia argumenta Canoniſtarum.

## DECISIO XII.

### ARGUMENTUM.

Inquiritur ad Quem proprio jure ſpectet conferre primam Tonſuram, & Ordines? Oſtenditur pertinere ad Epiſcopum; & quæ requirantur in Epiſcopo, ut conferat Ordines validè, & licitè? An Epiſcopi Schiſmatici, vel cenſuris irretiti validè ordinent? Quid, ſi ſint notorii, ſed non denunciati? Quæſtio difficilis circa Conſtitutionem Martini V. de permiſſa converſatione cum Excommunicatis non denunciatis. Formoſi Papæ Hiſtoria. Auxilii Scriptoris antiqui in ejus defenſam libelli duo. De fraudibus ordinandorum in variando de uno ad alium Epiſcopum. Antidotum Bullæ Innocentii XII. contra prædictas fraudes.

### SUMMARIUM.

1 *Miniſter primæ Tonſuræ, ac quatuor minorum Ordinum quis ſit?*
2 *Epiſcopus jure ordinario confert Primam Tonſuram, & Ordines.*
3 *Lutherus primus fuit, qui negavit in Epiſcopis poteſtatem conferendi Ordines.*
4 *Apoſtolorum, & Diſcipulorum Chriſti differentia.*
5 *Epiſcoporum poteſtas Ordinis eſt indelebilis.*
6 *Conſecratus debet eſſe Epiſcopus, ut conferat Ordines.*
7 *Epiſcopus non Sacerdos nullam habet poteſtatem Ordinis.*
8 *Epiſcopus an Ordines, quos non habet, poſſit conferre?*
9 *Requiſita tria in Epiſcopo, ut validè, & licitè Ordinet Clericos.*
10 *Schiſmatici Epiſcopi validè Ordinant; ſed non licitè.*
11 *Schiſma quid ſignificet?*
12 *Schiſmatici quinam dicantur?*
13 *Schiſmatici ſunt Excommunicatione irretiti.*
14 *Irregulares ſunt Ordinati à Schiſmaticis, ſi celebrent.*
15 *Cap.* Daibertus. 1. q. 7. *declaratur.*
16 *Conſecratio Epiſcopi, non ſervatâ formâ Eccleſiæ, eſt nulla.*
17 *Hæreticorum Ordinationes factæ juxta formam Eccleſiæ, valent.*

18 *Epiſcopus cenſura irretitus validè, ſed illicitè Ordinat.*
19 *Et etiam licitè, ſi non ſit denunciatus.*
20 *Conſtitutio Martini V. de converſando cum excommunicatis non denunciatis, an ſit revocata?*
21 *Excommunicati notorii, etſi non denunciati, ſunt vitandi.*
22 *Lex poſterior derogat priori.*
23 *Communicatio in divinis cum notoriis excommunicatis, eſt peccatum mortale. Et facit incurrere in excommunicationem.*
24 *Diſtingue, in Sacramentis, & non extra.*
25 *Martini V. Conſtitutio recepta eſt in toto Orbe, & in Urbe.*
26 *Ordines illicitè recipiuntur ab Epiſcopis cenſura irretitis, etſi non denunciatis.*
27 *Ignorantia Ordinati ab Epiſcopo notoriè cenſurato eum non excuſat à ſuſpenſione.*
28 *Formoſi Papæ Hiſtoria.*
29 *Joannis VIII. indignatio in eumdem. Et qua de cauſa?*
30 *Joannes VIII. cur vocatus Papiſſa.*
31 *Stephani VII. crudelitas contra Formoſum defunctum.*
32 *Romani Pontificis in rebus Fidei, & Sacramentorum infallibilitas.*
33 *Odium Stephani VII. in Formoſum:* Et num. 37.
34 *Ordinationes ſignificant etiam collationem dignitatum.*
35 *Marinus Papa reſtituit Formoſum ad ſuum Epiſcopatum.*
36 *Papa excommunicari, vel cenſuris affici non poteſt.*
38 *Auxilii antiqui Auctoris ſcripta ad favorem Formoſi.*
39 *Papa redargui non poteſt, niſi de Hæreſi, vel de Simonia.*
40 *Ordinandus debet eſſe ſubditus ſolius Epiſcopi Ordinantis.*
41 *Ordines de jure antiquo ab uno ex tribus Epiſcopis recipi poterant, Originis ſcilicèt, Domicilii, vel Beneficii.*
42 *Bonifacii VIII. de hac re Conſtitutio.*
43 *Variatio an licita de Epiſcopo ad Epiſcopum pro Ordinibus?*
44 *Fraudes, quibus frequenter Clerici ab alienis Epiſcopis ordinabantur.*
45 *Innocentianæ Conſtitutionis de Anno 1694. compendium circa Ordinandos.*
46 *Fraudes omnes circa Ordinationes eradicavit Innocentius XII.*
49 *Diana factus inutilis circa Ordinationum alienorum Epiſcoporum reſolutiones.*

Subindè opportunum viſum fuit quærere, Quinam poſſit conferre Primam Tonſuram? ac etiam, (cum hæc ſecundùm Canoniſtas ſit unus ex minoribus Ordinibus) quinam valeat quatuor minores Ordines conferre? Ad hoc 1
Quæſitum reſponſum fuit, quatuor genera perſonarum poſſe Primam Tonſuram, ac quatuor minores Ordines conferre; Epiſcopos, Angelos, Simplices Presbyteros, atque Abbates. Epiſcopos quidem jure Ordinario; reliquos autem jure delegato, & ex ſpeciali commiſſione.

Quod Epiſcopi jure ordinario conferant Tonſuram, & reliquos minores Ordines nemo eſt, qui dubitet, cum
hoc ſemper ſervatum fuerit in Eccleſia 2
uſque ab ejus initio, & diffinitum in Œcumenicis Conciliis, videlicèt in Nicæno *can.* 4. in Carthaginen. 2. *can.* 12. In Florentino in Decreto fidei. §. *Sextum Sacramentum*. in Tridentino *ſeſſ.* 23. *can.* 4. & *can.* 7. & legitur *in cap. Reliqui*, & *cap. Epiſcopus*. 67. *diſt.* & cum S. Thoma *in* 4. *Sent. diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. atque *in* 3. *p. q.* 38. *art.* 1. tenent Alenſis, S. Bonaventura, Scotus, ac omnes Catholici, ut advertunt Salmanticenſes *de Sacram. Ord. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 11. & Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. diſp.* 8. *art.* 1. ubi *num.* 4. plurima alia Concilia hanc veritatem determinantia cumulat, addens, quòd poteſtas Ordinandi Clericos competit Epiſcopis jure Divino; quam quidem veritatem nullus Hæreticorum, in tot tranſactis ſæculis auſus 3
fuit impugnare, niſi effrontiſſimus Lutherus.

therus . De hac Epiſcopali poteſtate
3 duæ præcipuè ſunt rationes . Una , quia
Epiſcopus in Eccleſia ſe habet , ſicuti
publica Poteſtas abſoluti Principis in
Republica ; ſed ad Publicam Poteſta-
tem ſpectat Magiſtratus deſignare , &
reliquos miniſtros inſtituere . Ergo ad
Epiſcopos jure proprio ſpectat Miniſtros
Eccleſiæ ordinare . Altera ratio eſt ,
quia Dominus Noſter JESUS CHRI-
STUS duo habuit genera diſcipulo-
4 rum ; Apoſtolos ſcilicèt duodecim ; &
diſcipulos Septuaginta duos . Primos
Apoſtolos vocavit , quos non ſolùm Sa-
cerdotes in ultima Cœna ordinavit , ſed
deindè Epiſcopos conſecravit , faculta-
temque dedit , Sacerdotes , ac alios Ec-
cleſiæ ſuæ miniſtros ordinandi ; prout
ipſi Apoſtoli prædictos ſeptuaginta duos
diſcipulos Ordinarunt . Apoſtolis dein-
dè decedentibus ſucceſſerunt Epiſcopi
cum eadem facultate . *cap. In novo . 21.*
*diſt.* Barboſa *de Pot. Epiſc. part. 2. alleg. 3.*
*num. 2.* Pax Jordanus , qui alios DD. al-
legat *tom. 1. d. lib. 3. tit. 6. de Sacram. Ord.*
*num. 5.* addens , quod hæc poteſtas tri-
buitur Epiſcopis in eorum conſecratio-
5 ne , & fundatur in charactere , adeò ut
eis auferri non poſſit neque per priva-
tionem Epiſcopatus , neque per degra-
dationem , neque per mortem ; itaut ſi
quis Epiſcopus reſurgeret , poſſet abſque
nova conſecratione Ordines conferre .

Porrò ut hæc poteſtas Ordines confe-
rendi acquiratur Epiſcopo , ſatis non
eſt , ut ſit electus ; ſed oportet , ut ſit
conſecratus ; quia poſſet quidem poſt
ſuam electionem , & confirmationem
6 concedere dimiſſorias ad Ordines Cleri-
cis ſibi ſubditis , cum talis conceſſio ſit
actus Juriſdictionis , ſed ipſe eos ordi-
nare minimè valeret . Salmanticenſes
*d. tract. 8. de Sacram. Ord. cap. 3. num. 13.*
ubi doctè advertunt , ulteriùs neceſſe
fore , ut talis Epiſcopus conſecratus an-
tea fuerit Ordinatus Sacerdos , quia ſi
quis non Sacerdos conſecraretur Epiſco-
7 pus , non reciperet hanc facultatem , de
qua agimus , Ordines conferendi ; & de
facto ſi eos conferret , invalidè ordina-
ret , ea ratione quia poteſtas in Corpus
myſticum Chriſti , nimirùm fideles , &
maximè poteſtas hæc ſuprema ad con-
ſtituendos Miniſtros in Eccleſia ſuppo-
nit poteſtatem in Corpus Chriſti reale
ad illud conſecrandum , quæ recipitur
per Sacerdotium ; etſi in hoc non om-
nes Doctores conveniant , ut notat Bar-
boſa *d. p. 2. alleg. 1. num. 38.* Quod ſi da-
retur Presbyter Ordinatus per ſaltum ,
omiſſis ſcilicèt minoribus Ordinibus , ac
etiam Subdiaconatu , & Diaconatu ;
qui conſecrationem Epiſcopalem obti-
neret , validè quidem poſſet conferre 8
aliis Clericis eoſdem Ordines minores ,
& duos Sacros , quos ipſe non haberet ,
etſi ſic ordinando peccaret mortaliter ;
non obſtante regula , quod nemo dat
ea , quæ non habet ; quia character Sa-
cerdotalis continet eminenter in ſe om-
nes alios inferiores Ordines ; & adaucto
eodem charactere per conſecrationem
Epiſcopalem , fit habilis hujuſmodi con-
ſecratus ad conferendos Clericis omnes
Ordines . Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 9.*
*num. 8.* Vaſquez *in 3. p. tom. 3. diſp.* 243.
*cap. 2. num. 26.* Salmanticenſes *d. cap. 3.*
*num. 13.* Granadus , Hurtadus , Præpo-
ſitus , & alii apud Dianam *part. 8. tract.*
*2. reſol. 4.* ſedente in Opere Coordinato
*tom. 2. tract. 5. reſol. 27.* ubi nihilominùs
§. 2. referuntur antiqui Theologi , ac
Summiſtæ opinantes , Sacerdotem Epi-
ſcopum non eſſe aptum conferre inferio-
res Ordines , quos ipſe non ſuſcepiſſet ;
at communior eſt opinio contraria te-
nens , ut dictum eſt , quod validè poſſet
Ordines dare , quibus ipſe careret . Et
hæc de Epiſcopi poteſtate quo ad validi-
tatem Ordinum collatorum .

At præter validitatem , ut licitè poſ-
ſit Epiſcopus Ordines , Primamque ,
Tonſuram conferre ; tria requiſita de- 9
bent in eo concurrere . Unum , quod
gratiam , & communionem habeat cum
Sancta Romana Eccleſia . Alterum ,
quod cenſura aliqua non ſit notoriè affe-
ctus . Tertium , quod Ordinandus non
ſit ſubditus alterius Epiſcopi vel ratione
Originis , vel ratione Domicilii , vel ra-
tione Beneficii , quod ſi ſortitus ſit ſubje-
ctionem alibi ex aliqua ex dictis tribus



Digitized by Google

cauſis, tunc neceſſe ſit, ut habeat Litteras dimiſſoriales, & conſenſum illius alterius Epiſcopi ad præſcriptum noviſſimæ Conſtitutionis Innocentii Papæ XII. *de Anno* 1694. de qua infra.

Primum requiſitum eſt, ad licitam Ordinum collationem, ac Primæ Tonſuræ conceſſionem, ut Epiſcopus habeat gratiam, & communionem cum Sancta Romana Eccleſia; ex quo ſequitur,
10 quod ſi quis ordinetur ab Epiſcopo Schiſmatico, validè quidem characterem Ordinis recipiat; ſed Ordinis executionem non habeat, quia illicita eſt talis Ordinatio; & in jure canonico vocatur irrita; ſcilicèt quo ad executionem. *cap. Ordinationes*. 9. q. 1. *cap. Quod à Prædeceſſore*. ubi Gloſſa, Hoſt. Joan. Andr. & alii, *De Schiſmaticis*. Noviſſimè Fagnanus *ibidem* advertens, quod
11 *Schiſma* eſt nomen Græcum ſignificans *Sciſſuram*; & qui ſe ſcindit, ac ſeparat à Sancta Romana Eccleſia, & ejus Apoſtolica Sede, vocatur Schiſmaticus; cum enim unica ſit vera Fides, & unica Sancta Eccleſia, debet omnis Chriſtianus manere in hac unitate; & qui ab ea ſe ſeparat, fit Schiſmaticus. *cap. Schiſma. cap. Sicut Domini veſtimentum* 16. q. 7. *cap.*
12 *Loquitur Dominus*. 24. q. 1. Et quamvis largo modo vocentur Schiſmatici etiam Hæretici; imò omnes criminoſi, & exiſtentes in peccato mortali. *cap. Sacerdotes*. 1. q. 1. *cap. Reſecandæ*. 24. q. 3. quia ſunt extra charitatem, & ſeparati à Deo juxta illud Iſaiæ *cap* 49. *Peccata noſtra diviſerunt inter nos, & Deum noſtrum*, tamen verè, & propriè illi ſunt Schiſmatici, qui dividunt ſe ab unitate Eccleſiæ, & conantur ſibi Epiſcopos, Presbyteros, & Conſtitutiones facere. *cap. Novatianus. cap. Factus eſt. & cap. Denique*. 7. q. 1. recuſantes ſubeſſe Romano Pontifici Vicario Chriſti, qui eſt caput Eccleſiæ. *Clem.* 1. *de Jurejuran.* prout faciunt Orientales, autumantes Eccleſiam Conſtantinopolitanam non eſſe ſub Eccleſia Romana; & Patriarcham C. P. non eſſe inferiorem Romano Pontifice; ut diſſerit idem Fagnanus in *cit. cap. Quod à Prædeceſſore. nu* 16. *De Schiſmat.* ſubdens *num.* 23. *&* 24. quod omnes Schiſmatici ſunt etiam ex- 13
communicati per *cap. Licet de vitanda. De Elect.* per *cap. Nulli* 19. *diſt.* per *cap. Excommunicamus*. 1. & 2. §. *Credentes. De Hæretic.* ac etiam per *Extravag. Etſi Dominici*. Pauli II. & Sixti IV. *de Pœnit. & Remiſſ.* & nunc per *cap.* 1. *in Bulla Cœnæ Domini*. Idcircò, qui ordinantur ab Epiſcopis Schiſmaticis non habentibus gratiam, & communionem cum Sancta Romana Apoſtolica Sede, etſi recipiant characterem, & validè ſint Ordinati, nihilominùs executionem Ordinum non habent, tanquàm illicitè Ordinati; ac ipſo jure ſuſpenſi, & ſtatimhac Ordines ita ſuſceptos exercent, 14
fiunt irregulares. *cap. Quod quidam*. 1. q. 1. *cap. Oſtenditur. de Conſecr. diſt.* 4. Gloſſa *in Summa*. 9. q. 1. Fagnanus ubi ſupra *à num.* 28. *& ſeqq.* ubi reſpondet aliquibus juribus dicentibus prædictorum Ordinationes eſſe irritas; nempè quo ad executionem, uſum, ac miniſterium, non autem quo ad characterem, & validitatem; character enim non confertur à miniſtro, ſed imprimitur in anima immediatè à Chriſto; & infectio miniſtri non impedit characteris impreſſionem. §. *Verum*. 32. *diſt.* S. Thomas *in* 4. *diſt.* 25. q. 1. Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 14. ubi alii DD. & pleniùs Emanuel Gonzalez *in Commentar. Juris Canon. tom.* 5. *ad cap. Fraternitati tuæ, num.* 8. *de Schiſmat.*

Sed aliquis obiiciet *cap. Daibertum*. 1. q. 7. in quo Urbanus Papa II. reſpondit, reiterandam eſſe ordinationem il- 15
lius Daiberti, qui ab Epiſcopo Hæretico promotus fuerat ad Diaconatus Ordinem; & allegat ſententiam Sanctorum Pontificum Innocentii, & Damaſi, qui decreverunt, quod *reiterari oportet, quod malè actum eſt*. Ergo Ordinatio non ſolùm cenſetur illicita, ſed etiam invalida.

Reſpondet Gloſſa *in d. cap. Daibertum*. quod Epiſcopus, qui ordinaverat Daibertum, fuerat conſecratus ab aliis Hæreticis non ſervata forma Eccleſiæ, 16
& ſic nullam poteſtatem adeptus fuerat Cleri-

Digitized by Google

Clericos Ordinandi; & cum de facto contulerit Ordinem Diaconatus prædicto Daiberto, irrita, inanis, & invalida fuit illius Ordinis collatio; & hanc reſponſionem approbat Gonzalez *ubi ſupra num. 8.* eamque pluribus auctori-
17 tatibus confirmat; ſiquidem Ordinationes ab Hæreticis, & Schiſmaticis Epiſcopis factæ ſervata forma Eccleſiæ, ſemper habitæ fuerunt validæ, etſi illicitæ, ut ex reſcripto Anaſtaſii Papæ Primi ad Epiſcopos Africanos narrat Spondanus *in Epitome Ann.* 401. *num.* 5. his verbis: *Sed & illud decretum eſt, ut ad ipſum in primis Anaſtaſium Apoſtolicæ Sedis Epiſcopum, cæteroſque tranſmarinos Antiſtites ſcriberetur, ut Donatiſtis redire volentibus ad Eccleſiam indulgeretur, in iiſdem Ordinibus, & apud ſuos ante ſuſceptis, (ſi hoc recipiens Epiſcopus conducere exiſtimaret) perſeverare; quod quidem olim ſub Melchiade Papa in Romano Concilio cum eiſdem Donatiſtis tranſactum vidimus, &c.* Et ita indultum, & conceſſum à prædicto Anaſtaſio fuit; prout etiam ab Urbano II. relato in *cap. Ordinationes.* 9. *q.* 1. ubi ſic: *Qui verò ab Epiſcopis quondam catholicè Ordinatis, ſed in Schiſmate à Romana Eccleſia ſeparatis, conſecrati ſunt, eos nimirum, cum ad Eccleſiæ unitatem redierint, ſervatis propriis Ordinibus miſericorditer ſuſcipi jubemus*, unde remanet inconcuſſa concluſio, quod Ordinationes factæ ab Epiſcopis Schiſmaticis ſunt quidem illicitæ; ſed ſunt validæ. Concordat Diana *part. 8. tract. 2. reſol. 1. in fine*; jacente in Coordinato *tom. 2. tract. 5. reſol.* 23.

Secundum requiſitum neceſſarium in Epiſcopo, ut licitè conferre valeat Primam Tonſuram, ac alios Ordines, eſt, ut aliqua cenſura non ſit notoriè affectus; quapropter ſi Epiſcopus ſit vel excommunicatus, vel ſuſpenſus, vel interdictus licitas Ordinationes non fa-
18 ceret, & qui ab eo Ordines ſuſciperent, executionem Ordinum non haberent, & ab eorum miniſterio eſſent ſuſpenſi ipſo jure, quod ſi miniſtrare in eis præſumerent, fierent irregulares. Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 5. reſol.* 24. deſumpta *ex part. 8. tract. 2. reſol. 2.* ubi reſpondet nonnullis juribus, quæ videntur dicere eaſdem collationes Ordinum eſſe irritas, & invalidas; advertendo ſcilicèt, ut ſupra dictum eſt, eſſe intelligenda de irrita executione, non autem de valida collatione; quod docent omnes DD. tàm Theologi, quàm Canoniſtæ, quos longa ſerie adducit Barboſa *de Pot. Epiſc. d. part. 2. alleg. 3. num. 3.* in qua ulteriùs *num.* 17. ſubjungit, quod ſi Epiſcopus qualitercumque excommunicatus, vel alia cenſura irretitus, occultus ſit, non ſolùm validè Ordines da- 19
ret, ſed etiam Ordinatus ab eo reciperet Ordinum executionem ex communi placito Doctorum, quos ibi allegat, inter quos Garziam *de Benefic. part.* 11. *cap.* 10. *num.* 160. præcipuè poſt *Extravag. Ad vitanda ſcandala* Martini V. quæ concedit converſationem, & communionem cum excommunicatis, dummodò non ſint publicè denunciati, vel notorii Clericorum percuſſores.

Cæterùm huic doctrinæ mordicùs ſe opponit Fagnanus *in cit. cap. Quod à Prædeceſſore. De Schiſmat. num.* 53. *& ſeqq.* ubi probare conatur, prædictam Martini V. Extravagantem, corre- 20
ctam, & reſtrictam eſſe per aliam poſteriorem Conſtitutionem Concilii Lateranenſis ſub Leone X. *ſeſſ.* 11. *in §. Statuimus*; & habetur *in tom.* 4. *Concilior. part.* 2. *pag.* 117. in qua non ſolùm prohibetur communicatio cum notoriis Clericorum percuſſoribus, & cum Excommunicatis publicè denunciatis: *ſed etiam* (ſunt verba hujus Concilii) *ſi ita notoriè in Excommunicationis ſententiam conſtiterit incidiſſe, quod nulla poſſit tergiverſatione celari, aut aliquo juris ſuffragio excuſari: nam à Communione illius abſtineri volumus juxta Canonicas Sanctiones.* Qua nova Conſtitutione attenta, ut ait *ibidem* Fagnanus, prohibita eſt quæcunque communicatio in temporalibus, ac participatio in ſpiritualibus cum omnibus Excommunicatis etiam non denunciatis, quorum crimen eſt adeò

Digitized by Google

eſt adeò notorium, ut nulla poſſit ter-
21 giverſatione celari, juxta textum in *cap. Tua nos. & cap. fin. De Cohabit. Clericor. & mulier.* non obſtante, quod hæc Conſtitutio Lateranenſis expreſsè non derogaverit prædictæ Extravaganti Martini V. quia tanquam poſterior eſt obſervanda, & cenſetur ſufficienter eidem derogaſſe juxta communem doctrinam
22 Gloſſæ, & DD. *in cap. 1. de Conſtitut. in 6.* & nihil ſuffragante contraria conſuetudine; quæ cenſetur corruptela, & abuſus, nulliuſque valoris contra Concilium Generale, quale fuit illud Lateranenſe, ut ſcribunt Canoniſtæ, quos congerit Fagnanus *eod. loco num.61.* tantò minùs, quia partecipatio in divinis cum Excommunicatis notoriis, eſt culpa mortalis. *cap. Sacris. De his, quæ*
23 *vi, metuſvè cauſa fiunt. cap. Rogo. 11. q.3. cap. Exceptionem. De Except.* ideò conſuetudo prædicta non valet, & eſt irrationabilis tanquam nutritiva peccati. *cap. fin. de Conſuetud. cap. Flagitia. 32.q.7.* Accedit, quod communicantes in ſpiritualibus cum notoriis Excommunicatis, quamvis non denunciatis, excommunicantur majori Excommunicatione. *cap. Significavit De Sent. Excom. cap. Statuimus.* & ibi Gloſſa *in Verb. Conſtitutionibus eod. tit. in 6.* Et ſic etiam ſentit Suarez *in 3.p. q.65. art.4. diſp. 18. ſect.1. col.5. B.*

Circa hanc Fagnani opinionem diſtinguendum puto circa communicationem cum Excommunicato notorio, ſed
24 non ſpecificè nominato, ſeù denunciato in his, quæ non ſunt Sacramenta; & circa participationem in Sacramentis, & præcipuè in Sacramento Ordinis. In primo caſu, dicendum eſt, non eſſe illicitam communicationem, & ſtandum eſſe Conſtitutioni Conſtantienſi, ſcilicèt antedictæ Extravag. Martini V. quia, ut teſtantur Canoniſtæ, ac Theologi citati à Theſauro *de Pœnis Eccleſ.*
25 *part. 2. Verb. Cenſura. cap.4.* ipſa eſt uſu recepta non ſolùm in toto Orbe, ſed etiam in Urbe Romæ, ut profitetur Sayrus *lib. 2. de Cenſur. cap. 13. num.9.* Sacra Rota Romana *part.1. recent. Deciſ. 534. num. 12.* Avila *part. 2. cap. 6. diſp. 2. dub. 5.* & cum aliis plurimis ipſe Theſaurus ibidem. At in ſecundo caſu, aliter eſt dicendum, & ſic ubi agitur de participatione in Sacramento Ordinis, illicita ſemper eſt, & eſſe debet, & ideò quæcunque Ordinatio recepta ab Epiſcopo notoriè cenſura aliqua detento, etſi nominatim non denunciato, non habet executionem; ut docet ipſemet Theſaurus *d. part. 2. Verb. Ordo. cap.24.* ubi recenſitâ primâ opinione, ab ea recedit ita dicens: *Contraria tamen ſententia quoad Epiſcopum Hæreticum, vel Schiſmaticum, vel Simoniacum notorium, etiam non denunciatum, verior eſt, & tenenda, quam obſervat ſtylus* 26
*Curiæ, ut iſti cenſeantur vitandi, ſaltem quo ad Ordines ab illis non recipiendos; itaut ab illis Ordinati irregulares cenſeantur, donec à Sede Apoſtolica cum eis fuerit diſpenſatum; quia iſti ſunt vitandi ratione criminis, & non ſolius cenſuræ, de qua procedit Extravag. Ad evitanda Martini V. in qua ſe fundat magis communis opinio ſupradicta; & ideò non eſt expectanda denunciatio.* Et in terminis hanc ſententiam tenent Azor *part. 2. libr.3. cap.48. q.11.* Alterius *tom. 2. diſp. 9. cap.3. & 4.* Sayrus *lib.4. cap.14. num.4.* Ugolinus *de Irregularit. cap. 40. §. 3. num.2.* Igitur etſi valida quo ad characterem ſit collatio Ordinum facta ab Epiſcopo notoriè irretito aliquâ cenſurâ; eſt tamen illicita, & irrita quo ad executionem, quia Ordinatus à tali Epiſcopo miniſtrare non poteſt abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione; etiamſi aſſereret, ſe ignoraſſe, Ordinantem fuiſſe Excommunicatum, quia talis ignorantia non liberat Ordinatum à ſuſpenſione, ſed eum juvat ad faciliùs obtinen- 27
dam diſpenſationem; ut benè differit Barboſa *de Pot. Epiſc. d.p. 2. alleg. 3. à num.18.* uſque in finem.

Sed adhuc impugnari poſſet validitas Ordinum collatorum ab Epiſcopo Excommunicato ex Hiſtoria Formoſi Papæ, quam ex Luitprando *lib. 1. cap. 8.* 28
narrat Emin. Card. Baronius in Annalibus *ad Annum 897.* & noviſſimè Joannes

nes Palatius Venetus in *Geſtis Pontific. Roman. Vol.2. in Adnotat. ad Formoſum Papam CXIII. num.11.* Hiſtoria eſt hujuſmodi. Formoſus Epiſcopus Portuenſis Legatione egregiè perfunctus pro Apoſtolica Sede apud Bulgaros *Anno* 866. apud Germanos *Anno* 873. & apud
29 Gallos *Anno* 875. reverſus Romam, ubi Summus Pontifex ſedebat Joannes Papa VIII. ejus indignationem incurſus, depoſitus fuit ab Epiſcopatu Portuenſi, & Excommunicatus, non alia de cauſa, ait P. Antonius Foreſti *in Mappamundo Hiſtorico* in Vita Formoſi, *ſe non di zelo fedele nel riprendere alcune azioni poco lodevoli di quel Regnante.* Concordat Palatius ubi ante in Vita
30 Joannis Papæ VIII. *num.*9. ubi cum dixiſſet, hunc Pontificem vocatum fuiſſe *Papiſſam*, ideſt hominem nullius roboris, vel conſtantiæ, ſubdit, quod *quia à Formoſo Epiſcopo Portuenſi argueretur, hunc Epiſcopatu depoſuit, jurare cogens, ſe nunquam repetiturum Epiſcopatum, Laica Communione contentum.* Formoſus, defuncto Joanne VIII. tribuſque aliis Pontificibus Succeſſoribus, reſtitutus in primam ſuam Portuenſem Epiſcopalem Cathedram à Marino Pontifice, electus fuit Papa Anno 891. annos quinque Eccleſiam rexit, & multas fecit Ordinationes. At eo mortuo obti-
31 nuit Apoſtolicam Sedem Stephanus VII. qui (ut ſcribit Luitprandus *d. lib.*1. *cap.*8.) *Formoſum è ſepulchro extrahere, atque in Sedem Romani Pontificatus, Sacerdotalibus indumentis indutum collocari præcepit; Cui, &* ait: *cum Portuenſis eſſes Epiſcopus, cur ambitionis ſpiritu Romanam Univerſalem Sedem uſurpaſti? His expletis, ſacratis mox exutum veſtimentis, digitiſque tribus abſciſſis, quibus benedicere moris eſt, in Tyberim jactari præcepit: Cunctoſque,* (notet Lector) *quos ipſe Ordinaverat, gradu proprio depoſitos iterùm Ordinavit.* Conſonat Leo Oſtienſis *in Chronic. Caſſinen. lib.* 1. *cap.* 45. ubi hanc eamdem refert Hiſtoriam.

Igitur, quia Epiſcopus Portuenſis Formoſus à Papa Joanne VIII. excommunicatus, etſi poſtea ad Apoſtolicam Sedem aſſumptus, pluribus Ordines contulerat, Stephanus VII. ejus Succeſſor declaravit invalidas, & inanes Formoſi Ordinationes, nam, ait Luitprandus, *Cunctos, quos ipſe ordinaverat, gradu proprio depoſitos, iterùm ordinavit.* Si inhæreamus illi Catholicæ Eccleſiæ fundamento, quod Papa errare non poteſt circa articulos Fidei, & Sacramentorum; & quod Romani Pontificis judicium eſt infallibile, de quo nos egimus in Deciſionibus *de Sacramento Pœnitentiæ Deciſ.* 19. *nu.*20. opus 32
eſt aſſerere, quod Ordines collati à Formoſo tanquam Epiſcopo antea Excommunicato, nulliter, invalidè, & incaſſum, etiam quò ad characterem, fuerunt dati: eos enim Stephanus reiteravit. Tres ſunt hujus Hiſtoriæ reſolutiones.

Prima, quod Stephanus VII. quæ fecit, & decrevit contra Formoſum defunctum, non operatus eſt tanquam Papa, ſed tanquam inimicus: non ex 33
motivo veritatis, aut juſtitiæ, ſed impetu rabiei, ac vindictæ; nam ut ex Sigiberto tranſcribit Palatius *in Adnotat. ad vitam ejuſdem Stephani num.*2. *Æſtro furoris percitus Tyrannus, quod non potuit in Formoſum viventem, explevit in mortuum.* Concordat Barboſa *in Collectan. DD. tom.* 4. *ad cap. Anaſtaſius* 19. *diſt. num.*12.

Secunda reſponſio eſt, quod Ordinationes, quas reprobavit, & annullavit Stephanus, non fuerint Sacramentales, ſed Juriſdictionales; ideſt non col- 34
lationes Ordinum; ſed dignitatum Eccleſiaſticarum, quæ dietim Romæ vacant, & conferuntur à Papa; adeòut quos Formoſus fecerat vel Archipresbyteros, vel Canonicos, Decanos, Cancellarios, Theſaurarios, aut etiam Cardinales; hos omnes Stephanus gradu proprio depoſuit, & iterùm ordinavit, ideſt eoſdem nova proviſione in eiſdem Officiis, Muneribus, ac Dignitatibus repoſuit. Ita ex doctrina Emin. Card. de Aguirre *diſp.* 30. *num.* 54. reſpondimus *in d. Deciſ.*19. *de Sacram. Pœnit. ſub num.*20.

Tertia

Digitized by Google

Tertia poteſt dari reſponſio, Ordi-
nationes Sacramentales Formoſi non
fuiſſe factas, eo in Excommunicatione,
vel degradatione manente. Nam vel
ſupponimus plures fuiſſe per ipſum ma-
le Ordinatos antequam ad Papatum aſ-
35 cenderet? Et hoc eſſe non poteſt, quia
à Marino Summo Pontifice Succeſſore
Joannis VIII. fuit reſtitutus ad ſuum
Epiſcopatum Portuenſem; erat enim
notiſſima illius innocentia, ut teſtatur
Palatius in ejus vita *num.* 5. Vel dici-
mus, Formoſum Ordines contuliſſe,
poſtquam ipſe fuerat factus Papa? Et
neque in hoc caſu dici poteſt, quod tunc
fuerit cenſuris irretitus; quia Papa ne-
quaquam poteſt excommunicari, vel
cenſuris irretiri, ea ratione quia Papa
nulli ſubiicitur; & illi tantùm ligari
poſſunt cenſuris, qui Eccleſiæ, ac illas
ferenti ſunt ſubjecti. Valentia *tom.* 4.
36 *diſp.* 7. *q.* 17. *punct.* 4. Barboſa *in Collect.
DD. tom.* 4. *ad cap. Non liceat Papæ* 12.
*q.* 2. *num.* 2. *& ſeqq.* ubi probat, Papam
nulli humanæ poteſtati eſſe ſubjectum.
*cap. Nemo. cap. Aliorum. cum ſeqq.* 9.
*q.* 3. & ideò Papa nec excommunicari,
nec aliis cenſuris ligari certum eſt, ut
docet Navarrus *in cap. Novit. de Judic.
Notabil.* 3. *num.* 78. *& num.* 142. nec non
in Manuali *cap.* 27. *num.* 13. Suarez *de
Cenſur. tom.* 5. *diſp.* 5. *ſect.* 1. *à num.* 27.
Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 20. collocata
*in tom.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 28. §. 2. Idem Bar-
boſa *de Jure Eccl. Univ. lib.* 1. *cap.* 2. *nu.*
184. Quare de primo ad ultimum dici
non poteſt, quod Ordinationes Formo-
ſi Papæ fuerint factæ, eo aliquâ cen-
ſurâ irretito exiſtente; & per conſe-
quens neque invalidæ, nec illicitæ po-
terant declarari; & quidquid factum,
& declaratum fuit à Stephano VII. ejus
Succeſſore, proceſſit ex nimio odio, &
37 appetitu vindictæ; & ejus actio crude-
lis, inhumana, & barbara à Scriptori-
bus vocatur. Contra illam duos libel-
los compoſuit Auxilius, Auctor anti-
quus, ſed incognitus, quos ex Biblio-
theca Archiepiſcopi Toletani extractos
38 tranſcribit Morinus in ſuo *tract. de Sa-
cris Ordinat. part.* 2. *pag.* 282. quibus
Præfationem fecit, & in ea, præter cæ-
tera, dicit, diſſidium illud Stephani
cum Formoſo ad Fidem nullo modo ſpe-
ctaſſe. Defendit Auxilius Formoſum
ab impacto ei crimine, quod de Epiſ-
copatu Portuenſi ad Romanum ex am-
bitione contra Sacrorum Canonum diſ-
poſitionem tranſmigraverit; quam ob
cauſam in eum etſi defunctum ſæviit
Stephanus, quem propterea, excuſari
poſſe ab injuſtitia, ait Morinus, etſi
non ab exceſſivo rigore. Exempla plu-
ra Sanctorum Epiſcoporum, qui Sedem
Epiſcopalem mutarunt abſque culpa,
imò cum laude, narrat Auxilius, aliaſ-
que plures eruditiones Hiſtoricas, &
Morales, quas Studioſos legiſſe non pi-
gebit in prædictis Libellis. Hoc unum
eſt extra omne dubium, quod Formoſi
Papæ Ordinationes fuerunt & licitæ, &
validæ; ea ratione quia ſuppoſita cano-
nica electione in Papam ejuſdem For-
moſi, contra eam nulla alia exceptio
poterat apponi, niſi de Hæreſi, vel de 39
Simonia; ſi & quatenùs quis eum vo-
luiſſet de his criminibus accuſare, & le-
gitimas probationes inducere, ut do-
cent Canoniſtæ, quos allegat, & ſequi-
tur Fagnanus *in cap. Licet de vitanda.
à num.* 11. *& ſeqq. De Elect. tom.* 2. *pag.*
21. ubi demonſtrat, quod quando quis
electus eſt in Papam à duabus partibus
Cardinalium ex tribus, nulla poteſt ex-
ceptio contra electum opponi, exceptis
criminibus Hæreſis, & Simoniæ.

Tertium tandem requiſitum, ut lici-
ta ſit Ordinatio, eſt, quod Ordinandus
non ſit ſubditus alterius Epiſcopi, niſi 40
illius ſolius à quo petit Ordinarii. Con-
cil Trid. *ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de ref.* At cum
ſubjectio conſideretur vel reſpectu Ori-
ginis, vel reſpectu Domicilii, vel reſpe-
ctu Beneficii; ſi ſubjaceat ex prædictis
reſpectibus etiam alteri Epiſcopo, ejus
Litteras dimiſſorias, & aſſenſum debet
priùs obtinere juxta noviſſimam Con-
ſtitutionem Innocentii Papæ Duodeci-
mi, publicatam in Anno 1694.

Pro intelligentia hujus Tertii requiſiti
ſciendum eſt, quod decem prioribus ſæ-
culis omnis Laicus poterat Ordinari à
quocun-

quocunque Epiſcopo; at recepta Tonſura ab uno, non poterat variare, & ad alium Epiſcopum pro reliquis Ordinibus accedere; ut Conciliorum Decretis, & Hiſtoriis probat Ivenim *tom. 2. Comment. Hiſtor. Dogmat. de Sacr. Ord. Diſſert. 8. q. 4. cap. 3.* At deindè quemlibet fidelem uſque ad dictum Annum 1694.
41 potuiſſe recipere Ordines ab uno ex his tribus Epiſcopis, videlicèt vel ab Epiſcopo *ſuæ originis*, ideſt in cujus Diæceſi natus fuiſſet; vel ab Epiſcopo *ſui domicilii*; nempè ab illo, intra cujus Diæceſim cœpiſſet habitare animo permanendi, conſtituto ibi proprio domicilio; vel ab Epiſcopo *ſui beneficii*; ab illo ſcilicèt, ſub cujus Diæceſi beneficium Eccleſiaſticum eſſet adeptus, firmatum, & deciſum fuit *in cap. Cum nullus. De temporib. Ordinat. in 6.* cujus hæc ſunt verba. *Cum nullus Clericum*
42 *Parochiæ alienæ præter ſuperioris ipſius licentiam, debeat Ordinare, ſuperior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus Diæceſi eſt is, qui ad Ordines promoveri deſiderat, oriundus: ſeu in cujus Diæceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum: ſeu habet (licèt alibi natus fuerit) domicilium in eadem.* Ex hac plena, & favorabili Bonifacii Papæ VIII. Conſtitutione, quadringentis ab hinc annis circiter emanata, quamplures nimis laxas opiniones introduxerunt tùm Theologi, tùm Canoniſtæ, quas collegit Antonellus *de Regim. Milit. Eccl. lib. 2. cap. 1.* & Barboſa *de Jure Eccl. Univ. lib. 1. cap. 33. à num. 20. & ſeqq.* inter quas illa præcipua, An ordinatus ab
43 uno Epiſcopo poſſet variare; itaut ſi ab Epiſcopo, exempli gratia, domicilii ſuſceperit primam Tonſuram, & minores Ordines, licitum ei fuerit, conſequi Sacros ab Epiſcopo originis, vel beneficii; aut vice verſa? circa quam Quæſtionem alii aſſerebant, alii negabant, ut videre eſt apud Barboſam, & Antonellum ſupracitatos, apud Bonacinam *tom. 1. de Sacram. Ord. diſp. 8. q. Unic. punct. 4. num. 20.* & pluribus citatis apud Dianam *part. 6. tract. 7. reſ. 35.* Item *part. 8. tract. 2. reſ. 9. & 10.* Nec non *part. 9. tract. 9. reſol. 4.* Quæ nunc translatæ ſunt in Coordinatum *tom. 2. tract. 5. reſol. 35. 36. 37. & 38.*

Ingeniorum acrimonia in ſcribendo, ulcera generavit in operando; nam Ordinandi habitantes in Diæceſibus Epiſcoporum pietate, zelo, ac vigilantia inſignium, cum ſub illis vel ob malos mores, vel ob deficientiam Litterarum, à prima Tonſura ad reliquos, potiſſimùm Sacros Ordines, aſcendere non 44
valerent, ibant ad Epiſcopellos, quibus ſe ſubditos faciebant vel ex paterna, vel ex materna origine; ſeu ex conficto aereo aliquo beneficiali titulo; ſivè etiam ſimulato per breve tempus domicilio, (habitatione in eorum Diæceſibus malitioſè poſita) ab iiſdem conſequebantur Ordinationes, deindè revertebantur in Diæceſim ſuorum Ordinariorum, à quibus Ordines ſibi fuerant denegati, & in eorum contemptum, imò cum eorum irriſione celebrare, Capellanias obtinere, ac etiam ad Confeſſiones audiendas admitti temerè tentabant. Sub regimine Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi S. M. Gregorii Cardinalis Barbadici Epiſcopi Patavini, Heri mei ſemper Venerabilis, cui tanquam Auditor, & demùm tanquam Vicarius Generalis inſerviebam, adeò creverat numerus in hac Diæceſi Patavina ampliſſima harum clandeſtinarum, & fraudolentium Ordinationum ab alienis Epiſcopis illicitè factarum, ut ad eas compeſcendas inutilis foret Suſpenſio à Divinis in Ordinatos fulminata. Electo Summo Pontifice Innocentio Duodecimo, in cujus Diæceſi, & Metropoli Neapolitana, (quam antea piè rexerat,) conſimiles abuſus pariter multiplicaverant, auditis indolentiis etiam Emin. Cardinalis Barbadici prænominati, ad eos extirpandos generalem Conſtitutionem edidit, & promulgavit *die 6. Novembris 1694.* Incipien. *Speculatores domus Iſrael*; relatam à Pignatello *tom. 10. conſult. 13.* & impreſſam poſt mea Erotemata *in 2. Editione*, in qua enarratis ſupradictis abu- 45
ſibus, ad eos penitùs tollendos decrevit:

L 1. Quod

1. Quod nulli Epiſcopo liceat, ſeu cujusvis loci Ordinario, tametſi Cardinalatus honore fulgeat, exterum non ſibi ſubditum ad Clericalem Tonſuram promovere ſub prætextu cujuſvis beneficii Eccleſiaſtici, ei ſtatim conferendi, etiamſi præſentatus, vel à Patronis ad illud nominatus fuerit; aut beneficium ea lege fundatum eſſet, ut quis immediatè poſt Tonſuram in eo inſtituatur.

2. Quod qui promotus fuit a ſuo Epiſcopo ad primam Tonſuram, ſeu minores Ordines, non poſſit ad ulteriores promoveri ab alio Epiſcopo ratione beneficii in ejus Diæceſi obtenti, niſi obtineat Teſtimoniales Litteras ab Epiſcopo ſuæ originis, ac domicilii, eaſque exhibeat Epiſcopo, à quo intendit Ordinari.

3. Quod nemo evadat ſubditus alterius Epiſcopi ratione beneficii obtenti in ejus Diæceſi, niſi beneficium ſufficiat ad ejus ſubſtentationem, detractis oneribus, & pacificè poſſideatur: ſublata facultate cuique ſupplendi quod deficeret fructibus hujuſcemodi beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis.

4. Quod is ſit ſubditus ratione originis, qui natus eſt in ea Diæceſi non ex accidenti, occaſione nimirùm itineris, officii, legationis, mercaturæ, vel cujuſvis alterius temporalis moræ, ſeu permanentiæ ejus Patris in illo loco. Quo caſu hæc fortuita nativitas minimè erit attendenda; ſed vera tantùm Patris origo.

5. Quod ſi quis tanto tempore ſteterit in loco, in quo ex accidenti natus eſt, ut potuerit ibi aliquo Canonico impedimento irretiri; etiam ab ejus loci Epiſcopo teneatur Litteras Dimiſſorias obtinere, & eas Epiſcopo Ordinanti priùs præſentare.

6. Quod ſi pater in illo alieno loco, ubi ejus filius natus eſt, domicilium conſtituerit, tunc pro Ordinatione ejuſdem filii attendatur locus illiuſmet domicilii; non autem originis paternæ.

7. Quod domicilium intelligatur conſtitutum, ſi per decennium in illo loco habitaverit, vel majorem partem bonorum ibi deferendo, per aliquod conſiderabile tempus ibi ſteterit cum animo verè ibi permanendi, quod jurejurando teneatur affirmare.

8. Quod qui adultus diſcedit à Diæceſi ſuæ originis, & vadit alibi ad inhabitandum, teneatur obtinere dimiſſorias, & conſenſum Epiſcopi ſuæ originis antequàm ab Epiſcopo loci, in quo habitat, ordinetur.

9. Quod nullus Epiſcopus ordinare præſumat alienæ Diæceſi ſubjectum familiarem ſuum, niſi habeat teſtimoniales Epiſcopi ſuæ originis, vel domicilii, & niſi per triennium ſecum ſteterit juxta Concilium Tridentinum *Seſſ. 23. cap. 9. de ref.* & eum ſuis ſumptibus aluerit, ac beneficium ad vitam ſuſtentandam ſufficiens verè ei contulerit, vel ſaltem intra menſem à die Ordinationis conferat, de quibus omnibus in Litteris dimiſſoriis Ordinum mentionem teneatur facere.

10. Quod quilibet Epiſcopus ſubditos ſuos ratione originis, vel domicilii ab aliis Epiſcopis, etiam de ſuo conſenſu ordinatos, examinare poſſit, & inquirere, an hujus Conſtitutionis forma fuerit plenè obſervata; aliàs eos à divinis valeat ſuſpendere.

11. Quod hæc Conſtitutio abſolutè ab omnibus obſervetur, itaut ſi ei contraventum in aliqua parte fuerit, Ordinans ſit ſuſpenſus à collatione Ordinum per annum; Ordinati verò ab executione Ordinum ad arbitrium ſuorum Ordinariorum.

12. Quod hæc omnia, & ſingula ſemper, & in perpetuum à quocunque debeant ſervari, præcepit, decrevit, ac injunxit; cum clauſula *ſublata &c.* & cum Decreto *irritanti, &c.*

Supradictæ Conſtitutionis Innocentianæ de Anno 1694. iſte eſt ſenſus, ac tenor compendioſè relatus pro ſtudentium, & etiam Epiſcoporum faciliori intelligentia, ut poſſint deprehendere ex Lectura integræ ejuſdem Conſtitutionis, quam in fine harum Deciſionum imprimi curabo; quod per eam radicitùs evulſæ

evulſæ ſunt innumeræ propè fraudes,
46 quæ à Clericis rudibus, aut vitioſis committebantur in ſuſcipienda prima Tonſura, aliiſvè Ordinibus minoribus, & ſacris à non ſuo Epiſcopo, & in proprii Ordinarii injuriam, ac contemptum ſub fictis prætextibus originis, domicilii, beneficii obtenti, vel obtinendi, etiamſi tenuis, & cum adjectione Patrimonii, vel etiam, fraudolenta familiaritate, de quibus omnibus Theologi, ac Canoniſtæ impleverant tot papyros, foventes, ut plurimùm, iſtorum ignorantiam, ac vitioſorum Ordinandorum malitias, ut videre eſt in Diana Coordinato de Sacramento
47 Ordinis *in d. tom.* 2. *tract.* 5. *à reſol.* 31. *uſque ad reſol.* 70. in quibus diſputat de ſupradictis omnibus prætextibus, & caſibus; concludens, ut plurimùm, contra proprium Epiſcopum, & verum Superiorem fugitivi (ut ita dicam) Ordinandi; quapropter in præſenti inutiles remanent ſupracitatæ quadraginta reſolutiones, tanquam expunctę per eamdem noviſſimam Innocentianam Conſtitutionem, à qua opportunum ſanè antidotum repertum eſt huic pernicioſo morbo, per totam ferè Italiam diffuſo; contra quem in hac Diœceſi Patavina, antequam eadem Sanctiſſima Conſtitutio ederetur, magnoperè mihi inſudandum fuit.

## DECISIO XIII.

### *ARGUMENTUM.*

Quæſtio illa proponitur, & examinatur, Utrùm SS. Angeli, ac Animæ beatæ poſſint miniſtrare Sacramenta, ac proindè primam Tonſuram, & Ordines conferre? Præmittuntur ſeptem ſymboleitates Angelorum cum Sacerdotibus, & ſeptem genera rerum, quas illi cuſtodiunt. Fiunt argumenta pro utràque opinione propoſitæ Quæſtionis. Eadem ſub diſtinctione reſolvitur, & pluribus Hiſtoriis Sacris exornatur.

### SUMMARIUM.

1 *Angeli an poſſint eſſe Miniſtri Sacramentorum.*
2 *Angelorum, ac Sacerdotum ſymboleitas, & convenientia.*
3 *Angeli ad ſeptem cuſtodienda deputantur. Et quæ?*
4 *Lauretana Domus quando ab Angelis tranſportata?*
5 *Sacellum cum Imagine Deiparæ alibi ab Angelis delatum.*
6 *Angeli elevant de terra Cereum ardentem, ne Veſtes Epiſcopi incendat.*
7 *Angeli adſtant Sacerdoti celebranti.*
8 *Angeli cuſtodiunt Civitates, & Exercitus.*
9 *Navibus cur imponatur nomen Sanctorum?*
10 *Monaſteria ab Angelis cuſtodiuntur.*
11 *Angeli conferre Ordines non poſſunt. Contrarium num.* 19.
12 *Hominibus data eſt à Chriſto poteſtas Sacramentorum.*
13 *Senſibilia formant Sacramentum.*
14 *Angeli non loquuntur humano modo. Et cur?*
15 *Angelorum zelus pro ſalute hominum.*
16 *Ordines minores à non Presbyteris dari non poſſunt.*
17 *Cenſuras Angeli fulminare non poſſunt.*
18 *Lutheri error circa Miniſtros Sacramentorum.*
19 *Deus poteſt facere Angelos Miniſtros Sacramentorum.*
20 *Locutio Angelorum cum hominibus multiplex. Et quæ?*
21 *Eucharistia per Angelos data pluribus.*
22 *Extrema Unctio data ab Angelis; ac ſepultura.*
23 *Michael Archangelus conſecravit Eccleſiam in Monte Gargano.*

L 2 24 *S. Am-*

24 *S. Amphilochius Ordinatus ab Angelis.*

25 *Angeli non ſunt Miniſtri ordinarii Sacramentorum, ſed poſſunt ex ſpeciali Dei commiſſione delegari.*

26 *Argumentorum reſolutio quod Angeli non poſſint miniſtrare Sacramenta.*

27 *Animæ Beatæ an Sacramenta valeant miniſtrare?*

28 *S. Philemon M baptizatus à Chriſto.*

29 *S. Catharina Senenſis V. à Chriſto communicata.*

30 *Sacellum Deiparæ conſecratum à Chriſto.*

31 *S. Petrus Apoſtolus Anno 610. conſecrat Eccleſiam Londini.*

32 *S. Thomæ Apoſtoli annua apparitio, & Euchariſtiæ diſtributio.*

SEcundum genus Miniſtrorum, à quibus conferri poſſunt prima Tonſura, & quatuor minores Ordines, concernit Angelos, ac Beatos in Cælo exiſtentes; undè in præſenti examinare oportet Quæſitum, jam Clero noſtro decidendum, tempore harum Exercitationum Sacramentalium demandatum,
1 *Utrùm Angeli, ac Beati poſſint eſſe Miniſtri, & Collatores Ordinum, ipſiuſque primæ Tonſuræ?* Pro majori intelligentia dicendorum ſtudioſiores præmiſerunt duo.

Unum eſt, inter Angelos, ac Sacerdotes magnam eſſe ſymboleitatem, ac convenientiam præcipuè ob ſeptem rationes. Primò, quia Angelus interpre-
2 tatur Nuncius, ut ait S. Hieronymus ſuper Malachiam Prophetam; Sacerdos pariter eſt Dei Nuncius, ac Legàtus, quia, ut ſcribit S. Jo. Chryſoſtomus, ſicut Legatus non aliud, quàm Principis ſe legantis voluntatem annunciat, eique nihil addere, aut demere poteſt; ita & Sacerdos Dei voluntatem nihil addendo, aut demendo debet annunciare. *Homil.2. in Epiſt. ad Rom.* Secundò, quia ſicut Angeli, ita Sacerdotes miniſtrant Deo, juxta illud Tertulliani *Libr. contra Judæos cap. 9. Deus eos vocare conſuevit Angelos, quos virtutis ſuæ Miniſtros præfecit.* Tertiò, quia ſicut Angeli jugiter aſtant Deo, in eum intentam habent aciem mentis, ei jubilant, & pſallunt *Sanctus, Sanctus &c.* Ita Sacerdotes debent jugiter orare, ac pſallere prout in *Pſalm. 137. Verſ. 2. In conſpectu Angelorum pſallam tibi.* Quartò, quia Sacerdotes imitari debent Angelorum veritatem, ſinceritatem, caſtitatem, puritatem, virtutem, & zelum, ut latè diſſerit Iſidorus Peluſiota *libr. 1. Epiſt. 319.* Quintò, quia Sacerdotes recipiunt poteſtatem ſupra humanam in conſecratione. Sextò, quia ſicut Angelorum tria ſunt munia, ſcilicèt, *purgare, illuminare, & perficere,* ut ait S. Dionyſius Areopagita in cæleſti Hierarchia; ita Sacerdotes erga populum eadem munia exercere debent, teſte S. Ambroſio *in Libr. de initiandis cap.2.* ita ſcribente. *Sacerdos eſt Angelus, qui regnum Chriſti, & viam æternam annunciat, non ſpecie tibi æſtimandus, ſed munere.* Septimò, quia ſicut Angelorum, ita Sacerdotum eſt perſeverare in Sanctificatione, & Sanctitate, *qui enim,* ut dicit S. Baſilius *in Hom. de Spiritu Sancto, in ea non perſeverarunt, facti ſunt Dæmones; ita Sacerdotibus neceſſaria eſt perſeverantia in eorum opere, & officio.*

Alterum præmiſſum eſt; quod Angeli deputantur à Deo ad ſeptem gubernia, cuſtodias, & præſidentias, videlicèt, Elementorum, Provinciarum, 3
Templorum, Altarium, Civitatum, Exercituum, & Monaſteriorum. Primò Angeli præſident quatuor Elementis, hinc ait S. Joannes in *Apoc. cap. 14. cap. 16, & cap. 17.* quod *Angelus exivit, qui habebat poteſtatem ſuper ignem.* Et iterùm: *Audivi Angelum aquarum.* Et poſtea ipſe vidit. *Angelos coercentes ventos.* Secundò Angeli deputantur Præſidentes Provinciarum, idcircò legitur in Daniele *cap.10. Princeps regni Perſarum reſiſtit mihi,* hoc eſt Angelus Perſiæ; & ibi etiam fit mentio de Angelo Græcorum. Et cum Jacob dixiſſet *Gen. 32. Caſtra Dei ſunt hìc,* docent Toſtatus, & Lyranus, eum locutum eſſe de Angelis

gelis Cuſtodibus Regionum Syriæ; &
Chanaam, qui ibidem ſe oſtenderunt
ei, ne periculum aliquod incurreret in
Terra, cui præſidebant. Tertiò Angeli
præſident Templis: & hoc eſt, quod
narrat Joſephus Hebræus *lib.6. de Bello
Judaic. cap.*31. Spondan. *ad Ann.* 34. *nu.*
38. & alii, priuſquàm ſcilicet Jeroſo-
lima à Tito Veſpaſiano ſubverteretur,
auditas fuiſſe voces Angelorum, qui ad
Templi cuſtodiam adhibiti erant, cla-
mantium & dicentium: *Migremus hinc*.
4 Sanctam domum Beatiſſimæ Virginis
MARIÆ Matris Dei *Anno* 1291. mi-
rabiliter ab Angelis aſportatam fuiſſe è
Galilæa in Dalmatiam; & indè *Anno*
1294. advectam in Picenum, in locum
Lauretum appellatum, nemo eſt, qui
ignoret. Sacellum quoque in quo depi-
cta erat Imago ejuſdemGlorioſiſſimæ
5 Deiparæ, in Territorio Aſciani propè
Senam; propter agrum, in quo extru-
ctum erat, cum duo fratres ſe ad duel-
lum provocaſſent, à fundamentis evul-
ſum Angelorum miniſterio ad collem
vulgò di *Verſighe* propè pagum Montis
S. Savini in Tuſcia fuit translatum, ut
legitur in *Chronic. Montis S. Savini lib.* 1.
Dum S. Fulcranus Epiſcopus Lodo-
venſis Baſilicam in Arvernia dedicaret,
& in ſuo Subſellio Pontificalibus indutus
6 ſederet, Clero Gradualia Miſſæ canen-
te, Cereus ardens de pariete contiguo
cecidit ſuper ejuſdem S. Epiſcopi indu-
mento ſericeo, & tandiu manſit, ut
damnoſa combuſtio fieri potuiſſet, mi-
niſtris non advertentibus; quem poſtea
cum conſpexiſſent, & accurrerent ad
eum tollendum, per manus Sanctorum
Angelorum, mirantibus omnibus Ce-
reus ille ardens ad ſuum locum fuit re-
ſtitutus, ut notat Bollandus *in actis SS.
Februarii tom.*2. Quartò SS. Angeli Al-
taria cuſtodiunt; ideò in *Prato Spiri-
tuali lib.*4. legitur, quemdam Eremitam
vidiſſe penes Altare, quod Prælatus
conſecraverat, cœleſtem Angelum, qui
rogatus reſpondit, poſt Conſecrationem
cuſtodiæ ſuæ fuiſſe deputatum. Conſi-
milem viſionem in alio Altari habuit
Abbas Leontius. Hanc ob cauſam Sa-
cerdos celebrans poſt elevationem Cali-
cis orat dicens, *Supplices Te rogamus
Omnipotens Deus, jube hæc perferri per
manus Sancti Angeli tui in ſublime Al-
tare tuum in conſpectu Divinæ Majeſtatis
tuæ &c.* ſcilicèt Sancti Angeli Cuſtodis 7
illius Altaris; in quibus verbis in Mo-
naſterio Sabinenſi, tempore Serionis
Abbatis, vidit Religioſus celebrans circa
Altare plures Angelos, quorum unus
cæteris altior Sacram Hoſtiam Deo vi-
ſibiliter offerebat, ut narrat Marcan-
tius in *Horto Paſtorum lib.*1. *tract.* 2. *lect.*
5. *propoſ.* 3. *Verſ.* 4. Quintò, omnes Ci-
vitates habent ſuos ſpeciales Angelos,
à quo cuſtodiuntur, de quibus, (adver-
tente Toſtato ſuper *Iſa. cap.* 62.) ſcri-
ptum eſt, *Super muros tuos Jeruſalem
conſtitui cuſtodes &c.* & notante Spon-
dano ad *Annum* 400. *num.*8. Angeli Cu-
ſtodes Urbis Conſtantinopolitanæ ſer- 8
varunt eam ab incendio Gainæ Gothi.
Sextò, quod autem Sancti Angeli ſint
Exercituum Tutores legitur in *lib.* 2.
*Machab. cap.*11. & quod ab eis adjutus,
fuit Gallicanus Dux pugnans contra
Scythas. Spondan. *ad Ann.* 330. *num.*
11. prout etiam Ardaburius pro Theo-
doſio Juniore Imperatore contra Perſas
*Anno* 420. *num.* 3. Hinc Emanuel Por-
tugalliæ Rex nomen Gabrielis Archan-
geli impoſuit primariæ Navi, quæ ad
Indias novum ſubactura orbem deſtina-
batur, ut milites ſub protectione illius 9
Beatiſſimi Spiritus progrederentur, qui
primus inveterati mundi renovationem
in Angelica Salutatione Deiparæ nun-
ciaverat. Marchant. *d. propoſ.* 3. ſub-
dens, quod etiam Judith ſtrenua Du-
ciſſa Exercituum Hebræorum id intel-
lexit, dum dixit: *Vivit Dominus, quia
cuſtodivit me Angelus ejus, & hinc eun-
tem, & ibi morantem, & indè huc re-
vertentem. Judith* 13. 20. Septimò tan-
dem, ut ait Marcantius *ibidem*, Cui-
libet Monaſterio particularis Angelus 10
attribuitur ex doctrina Divi Thomæ
1. *p.q.* 133. *art.* 2. *ad* 1. cui adhæret Mo-
lina; & adſtipulatur F. Alexander Bo-
vius in ſuis Obſervationibus de Angelis
*Obſerv.* 29. *in fine*; & Marcantius *ubi*

*ſupra*

*ſupra Verſ. Denique*. Confirmari poteſt hæc doctrina ex traditis per Gregor. Turonenſem *Lib.1. de Glor. Mart.cap.11.* ubi narrat quod deficiente cibo in magno quodam Monaſterio, & Monachis ad Abbatem clamantibus, ipſe illis ait, vigilemus, & oremus Dominum; quod cum feciſſent, & poſt Matutinas Laudes ſe dediſſent ſomno; venit Angelus Domini (utique cuſtos ejuſdem Cœnobii) & poſuit ſuper Altare multitudinem innumeram auri, etſi eſſent Oſtia ædis obſerata; quod ut ſcivit Abbas, redditis Deo gratiis, victui neceſſaria comparavit.

His ita præmiſſis reſpondentes Studioſi noſtri ad propoſiti Quæſiti primam partem, *Utrum Angeli poſſint primam Tonſuram, & quatuor minores Ordines*
11 *conferre ?* alii negarunt, alii affirmarunt. Qui pro negativa opinione fuerunt, hæc fundamenta adduxere.

Primò: Quia Chriſtus Dominus, quando inſtituit Sacramenta Eccleſiæ, eorum adminiſtrationem commiſit Apoſtolis, dicendo illis circa Baptiſmum, *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* ut habetur *Matth.* 28. circa verò Euchariſtiam iiſdem dixit: *Hoc facite in meam commemorationem Luc.* 22. 19. & circa Pœnitentiam *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*. *Joan.* 20. 23. ex his deducitur, quod illi tantùm habent aliquam poteſtatem in Eccleſia, quibus data eſt à Chriſto. Sed
12 Chriſtus ſolis hominibus dedit poteſtatem miniſtrandi Sacramenta. Ergo ſoli homines, non etiam Angeli poſſunt primam Tonſuram, & minores Ordines conferre.

Secundò: Quia teſtatur Apoſtolus *ad Hebr.5.1.* quod *omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus pro hominibus conſtituitur &c.* Ergo ſi ex hominibus, non ex Angelis; hinc S. Jo. Chryſoſtomus in *Lib.3. de Sacerdotio* inquit: *Qui terram incolunt, atque in ea verſantur, iis commiſſum eſt, ut ea, quæ in cælis ſunt, diſpenſent; iis datum eſt, ut poteſtatem habeant, quam Deus Optimus neque Angelis, neque Archangelis datam eſſe voluit: neque enim ad illos dictum eſt, quæcunque alligaveritis in terra erunt ligata & in cælo; & quæcunque ſolveritis in terra, erunt ſoluta & in Cælo*.

Tertiò: Chriſtus inſtituit omnia Sacramenta in rebus ſenſibilibus, ut in eiſdem ſenſibilibus conſiſtant, & per
ſenſibile conferantur. Sed Angelus ne- 13
que eſt ſenſibilis, neque ſenſibilia poteſt miniſtrare, etſi enim aſſumat corpus aereum, illud non informat; ſed apparenter eo utitur. Ergo non poteſt eſſe Miniſter Sacramentorum.

Quartò: Omnia Sacramenta efficiuntur ex materia, & forma; forma autem
debet proferri voce humana juxta inſtitu- 14
tionem factam à Chriſto. Sed Angeli humano modo non loquuntur; quia ut ait Damaſcenus *lib. 2. de fide cap. 3.* quem refert Maſtrius *in 2. Sent.diſp.2. de Angelis num. 263.* commentitium eſt inter Angelos locutionem fieri per ſenſibilia ſigna ſicut inter homines; nam intellectus humanus pro ſtatu iſto à ſenſibus pendet, & ideò nequeunt homines ſibi invicem ſuos manifeſtare conceptus, niſi per ſenſibilia ſigna: at intellectus Angelicus eſt omninò ſeparatus à ſenſibus, & ideò à ſenſibilibus ſignis non pendet in ſua locutione. Igitur cum Angelus non poſſit proferre formam Sacramenti humano modo, neque poterit eſſe Miniſter Sacramentorum.

Quintò: Si Angeli poſſent miniſtrare Sacramenta, nullus homo moreretur ſine Baptiſmo; ipſi enim maxima
vigilantia procurant ſalutem animarum. 15
Sed ſic eſt quod multi infantes decedunt abſque Baptiſmo, & plures adulti obeunt ſine Sacramentis. Dicendum itaque ea ab Angelis non poſſe conferri.

Sextò: Collatio Sacramenti Ordinis, & ſic primæ Tonſuræ, ac minorum
ſupponit in conferente characterem ſal- 16
tem Presbyteratus, ut infra de Abbatibus, & Cardinalibus oſtendemus. Sed Angeli non ſunt capaces characteris Sacramentalis, & de facto eum à nullo recipiunt, quia neque Ordinantur, neque Ordinari poſſunt. Ergo neque Ordines valent conferre.

Septi-

Septimò: Angeli non poſſunt ferre cenſuras, neque aliquem Excommunicare. Reginaldus *lib. 9. num.* 114. Sal-
17 manticenſes *tom.* 12. *tract.* 10. *de Cenſuris cap.* 1. *num.* 54. ubi Bonacina, & alii DD. Ergo à ſimili neque aliquem Tonſurare, vel ad minores Ordines initiare.

Octavò, quia inter errores Lutheri refertur aſſertio, qua ipſe dicebat, non
18 ſolùm homines, ſed etiam Angelos, imò etiam diabolum poſſe miniſtrare Sacramenta; ut refert Emin. Card. Bellarminus *lib.* 1. *de Sacram. in genere cap.* 24. & legitur apud Dianam *part.* 12. *tract.* 1. *reſol.* 111. translata in Coordinatum *tom.* 4. *tract.* 8. *eadem reſol.* 111. Ergo affirmare non licet, poſſe Angelos eſſe primæ Tonſuræ, ac Ordinum collatores.

His tamen non obſtantibus multò plures amplexi ſunt opinionem affirmativam, ex ſequentibus rationibus, & argumentis.

Primò, quod ſicut Deus virtutem ſuam non alligavit Sacramentis, quin ſine eis poſſit effectum Sacramentorum conferre; ita etiam virtutem ſuam non
19 alligavit miniſtris Eccleſiæ, quin etiam Angelis poſſit tribuere virtutem miniſtrandi Sacramenta; quæ ratio eſt D. Thomæ *in* 3. *p. q.* 64. *art.* 7. & ante ipſum eam conſideravit S. Auguſtinus *libr.* 2. *contra Parmenionem cap.* 15.

Secundò, quia Angeli in corporibus aſſumptis abſque ulla difficultate poſſunt adhibere materias Sacramentorum, &
20 eorum formas proferre per verba humano more prolata; ſiquidem, etſi Angeli poſſint loqui hominibus, vel ſecundum phantaſmata rerum ſenſibilium, vel per modum actuationis phantaſiæ apprehendentis ſermonem; vel per immediatum influxum ſpecierum in potentiam hominis intellectivam, ut diſſerit Bartholom. Sybilla *in Speculo Peregr. Quæſt. Deca* 1. 2. *cap.* 8. *quæſt.* 4. faciliùs tamen loquuntur voce humana, & idiomatica exteriori, formata vel immediatè per ſe in aereo corpore aſſumpto, vel mediante lingua alicuius animalis, cui taliter illapſus eſt, ut uſu organorum ejus loqui poſſit, ut ait Sybilla *ibidem*; & de utroquemodo loquendi voce humana habemus innumera propè exempla in Scriptura Sacra, ut de Agar, quam ſolatus eſt Angelus in deſerto, & de Jacob in Via; de Angelis, quos hoſpitatus eſt Abraham; & qui eduxerunt Loth de Sodomis; & hac voce humana Gabriel Archangelus ſalutavit Deiparam, nuncians ei Divini Verbi Incarnationem; & Petrum in Carcere dormientem Angelus Domini excitavit dicens, *Surge velociter. Act.* 12. 8. De locutione autem humana per organa, & linguam alicujus animalis conſtat, quando mediante Angelo locuta eſt Aſina Balaami; imò & Serpens ad Evam, diabolo verba proferente per os illius. Idcircò cum Angeli poſſint proferre humana voce formas Sacramentorum, & eorum materias applicare, concedi debet, eos eſſe poſſe miniſtros Sacramentorum, quæ quidem Sacramenta ab Angelis adminiſtrata cenſenda ſunt ejuſdem ſpeciei ſimpliciter cum Sacramentis miniſtratis ab homine, ut demonſtrat Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *Sent. tom.* 1. *De Sacram. in gen. diſp.* 10. *num.* 6. contra Card. de Lugo *eod. tract. diſp.* 8. *ſect.* 1. *num.* 1. ubi admittit hanc facultatem in Angelis, & docet validum fore Sacramentum ab iiſdem Angelis miniſtratum, ſed non eſſe reputandum ejuſdem ſpeciei cum Sacramentis collatis ab homine.

Tertio, quia teſtantur Hiſtoriæ non ſemel Angelos fuiſſe Sacramentorum Miniſtros; nam Marco Monacho eos miniſtraſſe SS. Euchariſtiam ſcribit Sozomenus *lib.* 9. *cap.* 29. Et S. Bonaventuræ, S. Bertrandæ, B. Onuphrio, B. 21
Staniſlao, & aliis notat Cornelius à Lapide *Comm. in Levitic. cap.* 21. *in fin. & in Apocal. cap.* 8. *Verſ.* 3. nec non Gobatus *tract.* 1. *num.* 50. Et ego in meis Deciſionibus de Virtute, ac Sacramento Pœnitentiæ *Deciſ.* 39. *num.* 29. ubi de Viatico Sacro per Angelos exhibito S. Raymundo. Concordant pariter exempla relata à Marchantio in *Candelabr. Myſt. tract.* 1. *lect.* 7. *propoſ.* 1. *col.* 3. & 4. in

Digitized by Google

& 4. in qua narrat ex Cæſario, quod
22 Einulpho puero in extremis ægrotanti Angelus miniſtravit Sacramentum Extremæ Unctionis; & ab Angelis etiam datam eſſe ſepulturam tùm Moyſi, tùm B. Catharinæ Virgini, ac Martyri in ſummitate Montis Sinæ advertit idem Cornelius à Lapide *Comm. in Eccleſ. cap.38. ſub Verſ. 16.* Et quod magis eſt, addit Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.10. num.2.* quod ſicut notat Scotus *in 4. diſt. 6. q.1. ſub B. Archangelus Michael con-*
23 *ſecravit Eccleſiam in Monte Gargano, & proindè Epiſcopo prohibuit, ne iterùm eam conſecraret.* Si itaque Archangelus conſecravit Eccleſiam, & exercuit munus ſpectans ad ſolum Epiſcopum, poterit etiam Primam Tonſuram, & Ordines conferre.

Quartò: Sed in terminis collationis Ordinum relata fuit Hiſtoria de S. Amphilochio Iconii Epiſcopo, quæ habetur apud Nicephorum *lib. 11. cap. 20.* & eam tranſcribit Marchantius *in d. Can-*
24 *delabr. Myſtico tract.1.lect.7.propoſ.1.col.3.* his verbis: *S. Amphilochius cum vitæ, & doctrinæ gratia emineret miſit Deus ad eum Angelos, qui Myſtica, & arcana benedictione ad Epiſcopalem eum dignitatem conſecrarent. Paulò verò poſt venere Epiſcopi, ut eum eligerent, & ordinarent: at ubi ex ipſo agnoverunt ab Angelis Dei conſecrationem accepiſſe; data de tàm ſacra, & divina gracia Deo gloria, ut Pontificem Dei, & Evangelii præconem, ac fidei defenſorem cum timore reverenter admiſere, & ſolita ſalutatione, atque oſculo impertito; ea, quæ Epiſcopalis functionis ſunt, adminiſtrare permiſerunt.* Scio Auguſtinum Bernal Theologum apud Dianam Coordinatum *d. tom.4. tract.8. reſol.111.* §.9. cavillare veritatem hujus Hiſtoriæ; ſed eam tanquam indubiam admittunt graviſſimi, & doctiſſimi Auctores, quos allegat Diana *ibidem* §. 10. quibus conſentientes addo Salmanticenſes *tract. 8. de Sacram. Ord. cap.4.num.16.* Gobatum *d. tract.1. num.* 50. Emin. Card. de Lugo *de Sacram. in gen. d. diſp. 8. ſect.1. num.1.* nec non Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. diſp.10. num. 3.* Legitur eadem Hiſtoria etiam apud Surium in Vita S. Amphilochii *die 23. Novembris*. Igitur ex his omnibus videtur confirmata hæc opinio affirmans, poſſe SS. Angelos Primam Tonſuram, & alios Ordines conferre.

Hanc controverſiam Theologi omnes concordant ſub hac diſtinctione. Vel quærimus, an Angeli ſint, & eſſe poſſint Ordinarii collatores Tonſuræ,
& Ordinum? & tenenda eſt opinio ne- 25
gativa; quia Deus commiſit hominibus miniſtrare Sacramenta, & non Angelis, ut advertunt omnes Doctores mox citandi. Vel petimus, an aliquando poſſit Angeli ex particulari Dei commiſſione miniſtrare Sacramenta, & ſic Ordines conferre? & amplectenda eſt opinio affirmativa; quia Deus nullo motivo neceſſitatur, ut per ſolos homines Sacramenta miniſtrentur; ſed ejus ſupremæ voluntati ſemper liberum eſt delegare miniſterium Sacramentorum, etiam Angelis, ut fatentur DD. quos cumulat Diana Coordinatus *d. tom. 4. tract. 8. reſol. 111.* & iiſdem noviſſimè adſtipulantur Gobatus *d. tract. 1. num.* 50. Volpi *reſol. 168. num.7.* Marchantius *in Candel. Myſt. d. tract.1. lect. 7. propoſ.1. col.2.* Quartus *in Rubr. Miſſal. part.3.tit.1. ſect.2. dub.2.* P. Macedo *de Clavib. Petri lib.4.cap.9.* Et prælaudati Emin. Cardinales de Lugo *d. diſp. 8. de Sacram. in gen. ſect.1. num. 1.* & de Lauræa *eodem tract. diſp.10. num.2. & ſeqq.*

Hac diſtinctione ſtante, & concordia retenta, non obſtant argumenta pro opinione negativa adducta: Non primum, ac ſecundum; quæ intelligenda ſunt de
miniſtris ordinariis Sacramentorum; ut 26
ſunt homines, quibus à Chriſto Domino data eſt facultas illa conferendi; ſecùs autem de extraordinariis, quales aſſerunt DD. poſſe eſſe Angelos ex ſpeciali delegatione iiſdem à Deo facienda, ut aliquod Sacramentum conferant. Non tertium, quia etſi Angelus non habeat ſenſus in ſe, & dicatur formaliter ſenſibilia non agere; objectivè tamen operatur ſenſibile, quia habet virtu-

virtutem applicandi hominibus, & inſinuandi ſenſibus hominum ea, quæ ſibi demandata ſunt à Deo, ut doctè docet Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 10. *de Sacram. in gen. num.*7. non Quartum, quia ſicut Angeli poſſunt applicare materias Sacramentorum ſenſibiliter; ita valent proferre formas voce humana; quæ autem dicta ſunt à Damaſceno de locutione Angelorum procedunt, dum ipſi inter ſe loquuntur; tunc enim eorum locutio non eſt per ſenſibilia, neque per vocem humanam; ſed ſpirituali modo inſinuando conceptus ſuos adinvicem, ut ex S. Thoma *in* 2. *diſt.*11. *q.*2. *art.*3. nec non *de Veritate quæſt.* 9. *art.*4.5. & 7. tradunt Salnianticenſes *tom.* 2. *part.*2. *de Angelis tract.*7. *diſp.* 15. Et ex Scoto *in* 2. *diſt.*9.*q.*2. demonſtrat Maſtrius *in* 2. *lib. Sent.diſp.*2.*q.*9. *per totam*. Non quintum, quia cum Angelis non ſit demandatum jure ordinario, & ex officio miniſtrare Sacramenta, eorum vigilantia, cura, & ſollicitudo ſalutis hominum redargui non poteſt, ſi aliqui moriuntur ſine Sacramentis, ſic Deo permittente ex imperſcrutabili ſua providentia. Non Sextum, quia ut ait Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.*10. *nu.*8. procedit regulariter in hominibus, non autem in ſpeciali commiſſione, quam Angelis Deus daret; ipſe enim non alligavit virtutem ſuam characteribus præcedentium Sacramentorum. Non obſtat Septimum, quia & illud intelligendum eſt ex officio proprio, & de jure ordinario. Nec Ultimum, quia error Lutheri reſultabat ex eo, quod poteſtatem conferendi omnia Sacramenta, aſſerebat eſſe communem omnibus hominibus, imò & Angelis, & Diabolo, ut negaret illam ſpectare ad Presbyteros tantùm ex Chriſti inſtitutione, ut declarat Diana *d. reſol.* 111. & Eminent. Card. de Lauræa *d. diſp.* 10. *num.* 10. At quod Deus, ſi velit, poſſit aliquando committere Angelis Sacramentorum adminiſtrationem, nullus eſt error, cum id affirmetur à S. Thoma 3.*p. q.*64.*art.*7. à Scoto *in* 4. *diſt.* 6. *q.*1. & ab utriuſque Scholę tantorum Magiſtrorum Diſcipulis Suarezio *tom.*3. *in d.* 3.*p. diſp.* 64. Leſſio *ad d. q.*64. D. Thomæ *d. art.* 7. *num.* 17. Maſtrio *in Theolog. Morali diſp.* 16. *num.*35. & præter alios ſupra citatos ab Eminentiſſimis Card. de Lugo *diſp.*8. *de Sacram. in genere ſect.*1. & Card.de Lauræa *diſp.*10 *art.*1.

Altera pars propoſiti quæſiti continebat; *Utrùm Animæ Beatorum in Cælo exiſtentes poſſint miniſtrare Primam Tonſuram, ac Ordines?* Ad quod pariter reſponſum fuit, & reſpondendum venit, 27
jure ordinario negativè; ex ea repetita ratione, quod de facto ſolus homo viator habere poteſt ordinariam facultatem miniſtrandi Sacramenta. Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 10. *art.* 1. *num.* 3. & *ſeqq.* ubi *num.*8. ſubdit, quod licèt Beati ſint ejuſdem ſpeciei cum viatore, & habeant eoſdem characteres, itaut ſi aliquis Sacerdos Beatus reſurgeret, poſſet iterùm conſecrare, nihilominùs non habent ampliùs hanc poteſtatem in actu, & ſunt ſicut aliquis Commiſſarius, qui complevit tempus exercendi juriſdictionem ante habitam; nam etſi retineat adhuc patentes Litteras ſignificantes dignitatem, & poteſtatem olim ſibi traditam, non poteſt eam ampliùs exercere; & quidem congruenter, quia cum Beati non degant nobiſcum, inutilis, & fruſtratoria eſſet hæc poteſtas in ipſis miniſtrandi Viatoribus Sacramenta. Ex particulari autem commiſſione Dei, & ob aliquam cauſam infinitæ ejus Sapientiæ beneviſam, benè poſſent Beati Sacramentum Ordinis, & alias Sacramentales, & Epiſcopales functiones miniſtrare, & facere; prout aliquando ab eis factum fuiſſe ſequentia exempla, ac Hiſtoriæ demonſtrant.

Primò quidem Chriſtus Dominus glorioſus in Cælis non dedignatus eſt S. Philemonem Martyrem baptizare. Nam, (ut refert Surius ex Metaphraſte *in Vita S. Thyrſi, & ſocior. die* 14. *Decembris*, atque Gobatus *tract.*2. *num.* 222. ex iiſdem auctoribus, & Lipoma- 28
no;) *Glorioſo Chriſti pugili Philemoni Catechumeno pro religione inter carnifices decertanti objecit Præſes, ei nihil profuturam*

*turam tormentorum perpeſſionem pro Chriſto, eò quod non eſſet baptizatus.* Tunc Philemon magna voce adſtantes rogare cœpit, ut ſi qui Chriſtiani eſſent, & tormenta non formidarent, ſibi Sacrum Lavacrum impertirent. At præ timore cum nullus ad tam pium officium explendum ſe exhiberet; Martyri Chriſti ejus flagitanti opus, ecce advenit nubes rorida de Cælo, & in ea Chriſtus Dominus, qui benignè Philemonem baptizavit, & in eadem nube Cælum repetiit. At non ſemel Chriſtum de Cælo venientem, & alios baptizantem oſtendit ex Vitis SS. Bagatta *tom.2. lib.3. cap.1. §.3.*

Secundò: Sanctæ Catharinæ Senenſi Virgini, concupiſcenti Communionem, nec ob quorumdam murmuratio-
29 nes ſumere valenti, Chriſtus ipſe Particulam Hoſtiæ Conſecratæ detulit ex Altari, ut teſtatur Raymundus Capuanus, è cujus manibus Catharina eam in ore recepit. Ita in ejus vita *cap. 82. & 83.* & ex eadem Cornelius à Lapide *in Levitic. cap.21. in fin.* & Bagatta *de Admirand. tom.2. lib.3. cap.3. num.45. & 46.*

Tertiò: Ipſemet Clementiſſimus Salvator noſter Chriſtus Dominus dignatus fuit propriis manibus Conſecrare au-
30 guſtiſſimum Sacellum Beatæ Virginis Eremitanæ pridie, quàm S. Conradus Epiſcopus ejuſdem inaugurationem aggrederetur; cumque de hac Chriſtiferà functione admonitus non acquieſceret, ſed ad eam repetendam acceſſiſſet, prohibitus fuit ab Angelis his vocibus: *Ceſſa, ceſſa, Frater, Capella divinitùs jam conſecrata eſt.* Ita ex Annalibus Heremitanis per R. P. Chriſtophorum Hartmannum conſcriptis *ad pag. 50. & 51.* tranſcribit idemmet Gobatus *d.tract. 2. num.* 158. Verùm, cum hujus Sacræ functionis Hiſtoriam ponat per extenſum P. Guilielmus Gunpperberg. è Societate Jeſu, In Atlante Mariano, in quo agit de Imaginibus DEIPARÆ per Orbem Chriſtianum Miraculoſis, mihi exhibito per Reverendiſſimum, atque Religioſiſſimum P. D. Cletum Caſpi Abbatem Caſinenſem S. Georgii Majoris Venetiarum; *in eodem lib.1.* ad Imaginem Miraculoſam Beatæ Mariæ Virginis Eremitanæ *pag.* 20. ſic ſcribit:

*Hic* (ideſt Eberardus Decanus Argentinenſis è Regio Burgundiorum ſanguine) *ædificato Cœnobio* (quod nunc poſſident Monachi Caſinates cum Eccleſia, in qua ſervatur eadem Imago Miraculoſa) *S. Conradum Epiſcopum Conſtantienſem invitavit, rogavitque, ut tam nobile Templum, tandem Eccleſiæ ritu Virgini Deiparæ dedicaret. Annuit ille, & Udaricum Auguſtanum Præſulem, quem tunc habebat hoſpitem, unà deductum, tanto Virginis feſto intereſſe voluit. Cum ecce pridiè, quàm inſtitueretur Dedicatio, dum Conradus nocte ad preces pro more è lecto ſe proripit, videt inſolito fulgore feneſtras cubiculi relucere. Tum non parùm attonitus, ipſum quoque Templum, quantum erat, reſplendere accenſis luminibus advertit. Ingreſſus itaque Sacellum vidit delapſos Cælo Divos peragere, quam ipſe poſtridiè peracturus venerat, Dedicationem. Ne quid in tanti momenti re abeamus à vero, viſum eſt mihi apponere ea, quæ ipſe Conradus in* Libro de Secretis Secretorum, *hac de re à ſe ſcripta reliquit in hæc ferè verba:*

Anno à nato Salvatore 948, imperante Othone, ſedente Agapito II. anno decimo tertio Epiſcopatus Conradi, in feſto S. Crucis in Autumno, fuit ab ipſo CHRISTO Domino Noſtro, & à ſuis Sanctis Angelis conſecrata Capella Beatæ V. in Eremo in hunc modum. CHRISTUS Dominus Noſter deſcendit de Cælo Caſulâ Sacerdotali ſivè purpureâ, ſivè violaceâ indutus, ſeque ante Altare B. Virginis ſiſtitit; ibique Sanctiſſimum Miſſæ Officium complevit, præſentibus quatuor Evangeliſtis, qui ritu Eccleſiæ mitram imponebant Sacro Capiti, vel amovebant. Sancti Angeli accenſis aureis Thuribulis, odoribus replebant Templum, non ſine ſuavi ſono, qualem Zephyrus ſolet efficere, cum inter arborum folia ludit. Aſtitit lateri uni S. Gregorius tenens

manu

Digitized by Google

manu aſpergillum ; alterum latum tenuit S. Petrus, Pedumque Paſtorale præ ſe tulit. Aſtitit quoque cum S. Auguſtino S. Ambroſius. Ipſa verò Virgo Deipara ſuper Altare inter coruſcos, & pluſquam ſolares radios cœleſti cum Majeſtate apparuit. S. Michael Archangelus Symphoniacorum Præfectus Angelorum, quorum nonnulli ſuffraganeorum Epiſcoporum officio fungebantur. Cantus is ipſe, & omnium cæremonia fuit, quam ritus Eccleſiæ in Templorum Cathedralium Conſecratione præſcribit. Epiſtolam cecinit Sanctus Stephanus, S. Laurentius Evangelium. Reliquum, quod ſupererat, Cantus fecere Angeli non ſine præſtantiſſimis inſtrumentis. Quædam verba etiam mutarunt. Etenim cum ad SANCTUS ventum eſt, ſic auditi ſunt verba variare. *Sanctus Deus in Aula glorioſæ Virginis MARIÆ; Sanctus Deus in Altari S. Crucis; Sanctus, & immortalis Dominus Deus Sabaoth. Pleni ſunt Cœli, & Terra gloriâ tuâ. Benedictus ſit Filius MARIÆ in æternum, qui venit in nomine Domini, Hoſanna in excelſis*. Nonnulla quoque mutata ſunt, cum ad Agnus Dei ventum eſt. *Agnus Dei miſerere omnibus, qui credunt in te, miſerere noſtri. Agnus Dei miſerere defunctorum, qui in te requieſcunt. Agnus Dei da pacem vivis, & defunctis, qui te benedicunt*. Quoties verò oportebat ex ritu Eccleſiæ dicere, *Dominus vobiſcum*, reſpondebant Angelis, *Qui ſedet in throno Cherubinorum, & videt abyſſum Inferni*.

Mane orto, omnibus pro Templi Conſecratione ritè compoſitis, Epiſcopus Conradus in Templo permanſit uſque ad meridiem, dulciſſimâ præteritorum recordatione ſuſpenſus, ſperans aliis modis ea, quæ viderat, ad aliorum notitiam perventura. Elapſo penè meridie, monent primi Clericorum, tempus abire, nec tamen populi expectationi ſatisfactum. Ille, quæ noctu facta eſſent, quæque vidiſſet, veriſſima narratione ingenuè fatetur. Illi pium ſomnium arbitrati inſtant obtruſis ſacris veſtibus, coguntque nolentem ad Sacras cæremonias peragendas. Vix autem datum Sacris eſt principium, cum vox clara omnium auribus de Cœlo inſonuit: FRATER CESSA CONSECRARE, &c, ut firmiùs hæreret, ter repetita eſt. Territi, qui negabant, fidem dedere verbis Conradi, Deumque in miraculis ſuis laudaverunt. Ex eo tempore VIRGO quoque, nunquam non antè liberalis, favores cœleſtes etiam prodigè effudit, etiam ultra ſpem petentium. Hucuſque ejuſdem P. Gumppenbergi narratio.

Trinas hujuſcemodi Templorum miraculoſas Conſecrationes à CHRISTO Domino factas refert Bagatta *in Admir. Orb. Chriſt. tom.2. lib.5. cap. §.2. num.3. 4. & 5.* ibi à devotis ſtudioſis legendas. Et ne quis excipiat, has functiones Sacras factas eſſe à Dei Filio ob auctoritatem Excellentiæ, qua ſolus præfulget; addere volui

Quartò: Conſecrationem Baſilicæ Londonienſis in Anglia, quam *Anno* 610. ut ibi notat Emin. Card. Baronius, perfecit S. Petrus Apoſtolus, & deſcribit Surius in vita S. Eduardi Regis *die* 5. *Januarii* his verbis: *Tempore, quo* 31
*Rex Ethelbertus qui regnavit in Cantia, prædicante B. Auguſtino, fidei Sacramenta ſuſceperat, nepos ejus Sebertus, qui Orientalibus Anglis præfuit, fidem eodem Epiſcopo evangelizante ſuſcepit. Hic Londoniis, quæ regni ſui caput habebatur, intra muros Eccleſiam Beati Pauli fabricavit, & Epiſcopali honore Mellitum Epiſcopum inſtituens honoravit. Extra muros verò in Occidentali parte, in honorem B. Petri Monaſterium inſigne fundavit, & multis poſſeſſionibus ditavit. Nocte autem Dedicationem ejuſdem Eccleſiæ præcedente, piſcatori cuidam Thamenſis fluvii, qui idem Monaſterium præterfluit, ulteriori ripa in habitu peregrino Beatus Petrus apparens, promiſſa mercede, tranſponi ſe ab eodem, & petiit, & promeruit. Egreſſus autem de navicula, Eccleſiam piſcatore cernente ingreditur. Et ecce ſubitò lux cæleſtis emicuit, miroque ſplendore illuſtrans om-*

*nia, noctem convertit in diem. Adfuit cum Apoſtolo multitudo Civium ſupernorum, ingredientium, & egredientium; melodiaque cæleſtis inſonuit, & indicibilis odoris fragrantia nares perfundebat. Peractis autem omnibus, quæ ad Eccleſiæ Dedicationem ſpectant ſolemniis, rediit ad piſcatorem piſcium Piſcator egregius hominum.* Illum nimio timore trementem cum Apoſtulus confortaſſet, & retia in capturam piſcium laxare juſſiſſet, eaque piſcibus impleviſſet, ſubjunxit. *Piſcem hunc, qui præ cæteris pretio, & magnitudine præcellit, Mellito ex mea parte defer Epiſcopo; cætera pro nautica mercede tibi tolle. Ego ſum Petrus, qui loquor tecum, qui cum meis concivibus conſtructam in meo nomine Baſilicam dedicavi, Epiſcopalemque benedictionem meæ ſanctificationis auctoritate præveni. Dic ergo Pontifici, quæ vidiſti, & audiſti; tuoque ſermoni ſigna parietibus impreſſa teſtimonium perhibebunt. Superſedeat à Dedicatione, ſuppleat, quod omiſimus, Dominici Corporis, & Sanguinis Sacroſancta Myſteria.* Et paulò infra. *His dictis confeſtim ab oculis ejus diſparuit. Mane autem facto, Epiſcopo Mellito ad dedicandam Eccleſiam procedenti eum piſce piſcator occurrit, & omnia, quæ ſibi mandata fuerant, pandit. Stupet Antiſtes, reſeratiſque Eccleſiæ valvis, videt pavimentum utriuſque Alphabeti inſcriptione ſignatum, parietem bis ſenis in locis Sanctificationis Oleo linitum; totidem cereorum reliquias duodenis Crucibus inhærere, & quaſi recenti reſperſione adhuc cuncta madeſcere. Quod videns Epiſcopus unà cum populo Deum benedixit, & retulit gratias &c.* Hujus Hiſtoriæ ex probatis auctoribus deſumptæ præter Emin. Card. Baronium meminit Spondanus *ad d. Annum* 610. *num.*6. Emin. Card. de Lugo *d. diſp.*8. *d. Sacram. in gen. num.*4. Bagatta *d. tom.*2. *lib.*5. *cap.*3. §. 2. *num.*6. & Diana Coordinatus *d. tom.*4. *tract* 8. *reſol.*111. §.8. quæ habetur in veteri *part.* 12. *tract.*1. pariter *reſol.*111. Itaque Beatorum Animæ, ex ſpeciali Dei commiſſione Sacramenta poſſunt nobis miniſtrare. Confirmatur hoc ipſum

Quintò: Narratione Stapletoni *in Collectan. S. Thomæ Apoſt.* quam referunt non ſolùm Diana *in cit. reſol.* 111. & ex Nauclero *in Chronic. vol.*2. Bagatta *de Admirand. d. tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.*14. ſed etiam Eminentiſſimi Cardinales de Lugo *d. diſp.* 8. *num.*4. & de Lauræa *d. diſp.* 10. *num.* 3. quæ eſt hujuſmodi. Joannes Patriarcha Indorum 32
Annò ſalutis MCXX. peregrinationis cauſa Romam veniens, Calliſto II. tunc Romano Pontifici, Cardinalibus, aliiſque præſentibus in Conciſtorio teſtatus eſt, Sanctum Thomam Apoſtolum omni anno, in die feſtivitatis ejus, viſibilem apparere in propria Eccleſia, ibique populum manu propria communicare, Sacram Euchariſtiam porrigendo dignis, ab indignis verò retrahendo. Ex quibus omnibus Doctores deducunt, ex Dei juſſu etiam Beatos nunc in Cœlo exiſtentes ad nos properare poſſe, Sacramenta hominibus miniſtraturos. Ita S. Thomas 3. *p. q.* 63. *art.* 5. Nugnus, Dicaſtillus, Averſa, Turrianus, & Henriquez apud Dianam Coordinatum *d. tom.*4. *tract.*8. *reſol.*111. §.4. Marcantius *in Candel. Myſt. d. tract.* 1. *lect.*7. *propoſ.* 1. Quartus *in Rubr. Miſſal. d. part.*3. *tit.*1. *ſect.*2. *dub.*2. & prælaudati Cardinales de Lugo, & de Lauræa ubi ſupra allegati.

## DECISIO XIV.

### ARGUMENTUM.

Demonſtratur, ſimplices Presbyteros poſſe conferre primam Tonſuram, ac minores Ordines, ſed è ſolius Papæ commiſſione, prout ex antiqua praxi Eccleſiæ, & ex nova conceſſione per Alexandrum VIII. facta Primicerio Sancti Marci Venetiarum. Difficilia argumenta in contrarium proponuntur, & evacuantur. Agitur

Digitized by Google

tur de Chorepiſcopis? Quinam eſſent? Quando introducti? Quandiù ſervati? Cur, & quando extincti? Quo jure ipſi Ordinarent Clericos?

## SUMMARIUM.

1 *Presbyteris an poſſit committi collatio Ordinum minorum? Et à quo?*
2 *Abbates Presbyteri Ordinant ſuos Monachos in minoribus*. Et num. 3.
4 *S. Sequanus Tonſura Inſignitus ab Euſtadio Presbytero.*
5 *Parochi jus dandi primam Tonſuram olim habebant.*
6 *Emerita, vulgo* Merita *Urbs Luſitaniæ antiquitùs Metropolitica. Ejus prærogativæ; & deſtructio.*
7 *Cardinales Presbyteri conferunt Tonſuram, & Minores Ordines.*
8 *Primicerius S. Marci Venetiarum confert Tonſuram, & quatuor Minores Ordines ex Privilegio Alexandri VIII.*
9 *Olim conferebat tantùm primam Tonſuram.*
10 *Confirmationis Sacramentum poteſt Presbyter miniſtrare ex delegatione Papæ.*
11 *Miniſtri Sacramentorum ſunt à Chriſto deſignati.*
12 *Ordinum collatio valida pendet à charactere Epiſcopali.*
13 *Presbyteris in primitiva Eccleſia denegata facultas Ordinandi.* Et num. 14.
15 *Papam delegare poſſe collationem Ordinum Presbyteris non reperitur, ubi id ſit ei conceſſum.*
16 *Eccleſia Romana habet veram Fidem circa Sacramenta, & eſt Magiſtra veritatis.*
17 *Factum à Papa ſatis probatur benè factum, quia ab eo factum:*
18 *Chriſtus non abſtulit Vicario ſuo poteſtatem deputandi Presbyteros miniſtros Confirmationis, & Ordinum.*
19 *Papæ commiſſio in Sacramentis Confirmationis, & Ordinis æquivalet charactheri Epiſcopali.*
20 *Apoſtolicarum Conſtitutionum libris an ſtandum in omnibus?*
21 *Diaconis nunc permiſſa ea, quæ olim erant eis prohibita.*
22 *SS. Benedictus, Maurus, & Placidus quos Ordines ſuſceperint?*
23 *Cardinales Diaconi ſolemnem dant benedictionem.*
24 *Papa ſolus, non autem Epiſcopi delegant Presbyteros Miniſtros Ordinum.*
25 *Chorepiſcopi olim ex delegatione Epiſcopi etiam Sacros Ordines dabant. An eſſent ſimplices Sacerdotes?*
26 *S. Iſidorus quo tempore factus Epiſcopus Hiſpalenſis?*
27 *Chorepiſcopatus dignitas quænam olim eſſet? & quando incœperit?*
28 *Quanto tempore duraverit?*
29 *Chorepiſcopi alii ſimplices Presbyteri, alii Epiſcopi.*
30 *Saracenorum Tyrannis in Chriſtianos Sæculo quinto, & ſexto.*
31 *Chorepiſcopi conferentes Ordines Sacros erant Epiſcopi Titulares.*
32 *Endymionis ſomnum dormire quid ſignificet?*
33 *Chorepiſcopis Presbyteris facultas Ordinandi non erat data ab Epiſcopis privatis, ſed ab Eccleſia, ideſt à Papa capite Eccleſiæ.*
34 *Conciliorum decreta à Papâ confirmata dicuntur Papalia.*

Dictum fuit in initio Deciſionis XII. quatuor eſſe genera perſonarum, à quibus Prima Tonſura cum quatuor minoribus Ordinibus conferri poteſt; ſcilicèt ab Epiſcopis jure ordinario, ex ſpeciali autem, ac extraordinaria commiſſione ab Angelis, & Beatis; à Presbyteris, & ab Abbatibus. Actum eſt de primis duobus, nunc videre oportet de tertio; & examinare, an Presbyteri poſſint eſſe miniſtri, & collatores tùm primæ Tonſuræ; tùm etiam minorum Ordinum?

Hujus Quæſiti duæ ſunt partes. Una eſt, an ſimplici Presbytero poſſit delegari primæ Tonſuræ, & minorum Ordinum

dinum collatio? altera, à quo ſit facienda talis delegatio? Circa primam partem, communis eſt Theologorum, & Canoniſtarum reſponſio, quod ſimplices Presbyteri poſſunt ex ſpeciali delegatione conferre primam Tonſuram, & quatuor minores Ordines. Ita S. Thomas *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 2.* Scotus *diſt. 24. q. Unica. §. de Tertio.* Sylveſter *Verb. Ordo 3. q. 7.* Covaruvias *lib. 1. Var. cap. 10. num. 9. & 10.* Morinus *de Sacris Ordinat. part. 3. Exerc. 4. cap. 3. num. 1.* ubi ait, ſic omnes Doctores ſentire, uno, vel duobus tantùm exceptis. Fagnanus *in cap. Cum contingat. num. 9. de Ætate, & Qualit. tom. 2.* Diana *part. 8. tract. 1. reſol. 33.* Quæ reperitur in Coordinato ejus opere *tom. 3. tract. 1. reſol. 68.* Noviſſimè Salmanticenſes, qui plurimos Theologos ita docentes cumulant *tom. 12.* in tractatu de Sacram. Ordinis *tract. 8. cap. 3. à nu. 18. & ſeqq.* Nec non Emin. Card. de Lauræa *eod. tract. diſp. 8. num. 17.* Hæc communis opinio probatur:

Primò *ex cap. Quoniam. 69. diſt.* ubi conceditur Abbati conferre minores
2 Ordines ſuis Monachis, *dum tamen conſtet ipſum eſſe Presbyterum.*

Secundò *ex cap. 1. De Ordinatis ab Epiſc. qui renunc.* ubi Alexander III. reſpondens ad ſibi propoſitam difficultatem, diſtinguit Ordines Sacros à minoribus; & poſtea ſubdit, *Hujuſmodi Ordines* (minores) *à non Epiſcopis quandoque conferuntur.*

Tertiò *per cap. Cum contingat. 11. De Ætate, & Qual.* ubi Innocentius III. repetit, & confirmat circa collationem Tonſuræ, & minorum Ordinum factam ab Abbate in ſuo Monaſterio, quod *Si conſtet eum eſſe Sacerdotem per primam Tonſuram, juxta formam Eccleſiæ datam, Clericalis Ordo confertur.*

Quartò per *cap. Abbates 3. de Privileg. in 6.* ubi Alexander IV. loquens de
3 Abbatibus Monaſteriorum, qui Sacerdotes ſunt, inquit, *Nec eis licitum ſit aliis, quam Monaſteriorum ſuorum converſis, & qui ad illa convolaverint, & in quos Eccleſiaſticam, & quaſi Epiſcopalem juriſdictionem obtinent, primam Clericalem conferre Tonſuram.* Ergo ſuis ſubditis eam poſſunt conferre.

Quintò Ex *Concil. Trid. ſeſſ. 23. cap. 10. de Ref.* docente, Abbates, qui Sacerdotes ſunt, non poſſe niſi ſuis ſubditis Ordines minores, aut Tonſuram conferre.

Sextò probatur ex uſu Eccleſiæ, quæ pluribus Sacerdotibus, qui non ſunt Epiſcopi, talem facultatem conferendi primam Tonſuram, & minores Ordines conceſſit, quod eſt apud omnes receptiſſimum, ut notant Salmanticenſes *d. tract. 8. cap. 3. num. 17.* & teſtatur Magrius in *Hierolexico Verb. Ordo col. 4.* 4
ubi duo refert teſtimonia; Unum de Santo Sequano, quod legitur in Hiſtoria Rhemenſi ſic dicente: *Erat autem tunc temporis in Magnimontenſi oppido Presbyter moribus, & ætate nomine Euſtadius Vir Deo dignus, atque ſanctiſſimus: quem parentes B. Sequani ad tondendum eum adduxerunt cum lætitia: qui cum veniſſet, & preces Deo profudiſſet, ejus capitis verticem divino charactere ſignatum totondit; & poſt detonſionem, caſta oſcula capiti, atque labiis ejus infigens, benedixit eum &c.* Alterum teſtimonium deducit ex Concilio Emeritano *can. 18.* in quo ſic fuit ſtatutum: *Omnes Parochiani Presbyteri, juxta ut in re-* 5
*bus à Deo creditis ſentiunt habere virtutem, de Eccleſiæ ſuæ familia Clericos ſibi faciant.* Utique iiſdem primam Tonſuram, & minores Ordines conferendo. Emerita, vulgò *Merida* olim 6
erat totius Luſitaniæ Metropolis; cujus à Mauris everſæ nunc nihil ſupereſt, niſi parietinæ, & rudera, ut notat Cabaſſutius *in Notitia Eccleſiaſtica Concil. ad Annum 666.* quo anno in ea dictum Concilium fuit celebratum, Vitaliano Papa exiſtente. Tunc ipſa nobilitabatur natalitio, & Martyrio Sanctæ Virginis Eulaliæ, de qua Prudentius canit in ejus Hymno:

*Carmine nobilis Eulalia*
*Mortis, & indole nobilior:*
*Emeritam Sacra Virgo ſuam,*
*Cujus ab ubere progenita eſt,*
*Oſſibus ornat, amore colit.*

Eratque

Digitized by Google

Eratque Urbs famoſa ob granum ru-
brum in ipſa naſcens, quo vellera tinge-
bantur Tyrio ſplendori neutiquam ce-
dente, teſte Plinio *lib. 9. cap. 41.* Con-
dita fuerat à Cæſare Auguſto, & poſt
ejus everſionem Calliſtus Papa II. tran-
ſtulit ejus Jus Metropoliticum in Eccle-
ſiam Compoſtellanam. Nunc eſt Urbi-
cula tenuis conceſſa Equitibus S. Jacobi
de Spatha, ut notat Ferrarius *in Lexic.
Geograph. V. Emerita*. Eſt tamen ad-
vertendum quod noſtris temporibus
opus eſt ſpeciali delegatione, quia nunc
ſi quis Parochus, Archipresbyter, vel
Præpoſitus propria auctoritate Tonſu-
ram, vel minores Ordines conferret,
nihil ageret, ut reſpondit Sacra Con-
gregatio apud Nicolium *in Floſcul. Verb.
Ordo num.4.*

Septimò; quod ſimplices Presbyteri
poſſint delegari ad primam Tonſuram,
& minores Ordines conferendos con-
firmatur ex prærogativa S. R. E. Car-
dinalium, qui etſi non ſint Epiſcopi,
7 dummodò Presbyteratus characterem
ſint adepti, promovent ad primam Ton-
ſuram, & Ordines minores tàm ſuos
familiares, quàm alios ſibi ſubditos reſ-
pectu ſuæ dignitatis Cardinalitiæ Titu-
lorum; ut ex antiquiſſima conſuetudine
teſtantur omnes Canoniſtæ, inter quos
Hoſt. & Jo. Andr. *in cap. 1. de Suppl. ne-
glig. Prælat.* Felinus *in cap. Inter Mona-
ſterium num.2. de Re Judic.* Cardin. Jaco-
bat. *de Concilio lib.1. art.12.* & alii, quos
cumulat Fagnanus *in d. cap. Cum contin-
gat num.9. De Ætate, & Qualit.* & la-
tiùs *in cap. His, quæ. num. 25. & 26. de
Majo. & obed.* ubi allegat etiam Rotam
Romanam ſic ſentientem *in part.1. di-
verſ. Deciſ. 731. num.10.* & idem docent
Theologi Victoria, Valentia, Ledeſ-
ma, Sotus, Vaſquez, & alii plurimi,
quos citat, & ſequitur Diana *part. 5.
tract. 2. reſol. 5.* quæ in Coordinatum
ejus opus tranſvolavit *tom.9. tract.7. re-
ſol.51.* ubi confutat Germonium, qui
docuit contrarium *in tractat. de Indult.
Cardin. §. Tam ratione num.29.* Concor-
dant cum Diana Salmanticenſes *d.tract.
2. cap.3. num.19.* Suarez *de Relig. tom.4.
lib. 2. num. 4.* Tamburin. *de Jure Abb.
tom.1. diſp.11. quæſ.4. num. 4.* & cæteris
meliùs Emin. Card. Brancatius *in Opu-
ſcul. de Benedict. Diacon. pag. 292.* & ibi
Joan. à Turri *de Legat. à latere §. 4.
libr.2.*

Octavò probatur ex Brevi Apoſtoli-
lico Alexandri Papæ VIII. directo Se-
reniſſimo Duci, ac Senatui Veneto
Anno 1690. in quo teſtificans obſervan-
tiam ſuam erga Patriam, & Patricios 8
Venetiarum, de quorum gremio erat,
concedit Primicerio Eccleſiæ Ducalis
Sancti Marci ſimplici Presbytero, ut
præter uſum Pontificalium à Pontifici-
bus Romanis antea ei conceſſium, poſ-
ſit etiam conferre Tonſuram, ac qua-
tuor Minores Ordines Clericis ejuſdem
Ducalis Baſilicæ, & aliarum eidem ſub-
ditarum. Verba Brevis Alexandrini,
totumque ipſum Breve ponetur infra
poſt Deciſionem XV, in quo ulteriùs
narratur, eumdem Primicerium Sancti
Marci ſolitum fuiſſe conferre primam
Tonſuram perſonis inſervientibus præ-
dictæ Baſilicæ S. Marci, & aliis Ec- 9
cleſiis eidem ſubjectis, tùm ex imme-
morabili conſuetudine, tùm ex indulto
Apoſtolicæ Sedis, à Romanis Pontifi-
cibus Prædeceſſoribus ſuis ipſi Primice-
rio conceſſo; quod quidem Indultum
opus eſt, ut emanaverit poſt Concilium
Tridentinum, aliàs ſublatum, & ex-
tinctum remanſiſſet, ex eo quod ipſum
Concilium in *d. ſeſſ. 23. cap. 10.* caſſa-
vit, annullavit, & abolevit quæcunque
indulta, & conſuetudines etiam imme-
morabiles conferendi primam Tonſu-
ram, & Ordines minores, exceptis il-
lis, quas habebant Abbates reſpectu ſuo-
rum Regularium ſubditorum, ut dice-
tur in Deciſione XV.

Ultimò, quod ſimplices Presbyteri
poſſint eſſe Miniſtri primæ Tonſuræ,
ac Ordinum Minorum probatur ab 10
exemplo Sacramenti Confirmationis,
quod licèt ſpectet jure ordinario ad Epi-
ſcopum; tamen ex ſpeciali Papæ dele-
gatione etiam ſimplices Sacerdotes poſ-
ſunt illud miniſtrare; ut nos latè proba-
vimus in noſtris Deciſionibus *De Sa-*

*cram.*

*cram. Confirm. Deciſ.* 57. per totam, & do-
cent S. Thomas *3. p. q. 72. art.* 11. Suarez,
Hurtadus, Sanchez, & alii, quos citat &
ſequitur Diana *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 3. po-
ſita in Coordinato *tom.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 11.
Pignatellus *tom.* 10. *conſul.* 155. *num.* 2. &
Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 8. *num.*
24.

Cæterùm, quod Presbyteris delegari
non poſſit facultas conferendi primam
Tonſuram, ac minores Ordines vide-
tur dicendum ex ſequentibus.

Primò: In omnibus Sacramentis præ-
ſcripta eſt à Chriſto Domino materia,
forma, & perſona Miniſtri. S. Tho-
11 mas *3. p. q.* 64. *art.* 4. Catechiſmus Ro-
manus *de Sacram. in gen. ſect.* 24. Sed
nullus poteſt mutare materiam, & for-
mam Sacramentorum à Chriſto inſtitu-
tam. Ergo neque perſonam Miniſtri.
Hinc ſequitur, quod Miniſter Sacra-
menti Ordinis inſtitutus à Chriſto cum
ſit Epiſcopus, ut probavimus ſupra
*Deciſ.* 12. *à num.* 2. *& ſeqq.* & docent
S. Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. &
ibidem S. Bonaventura; Item Scotus
*in* 4. *diſt.* 24 *q. Unica*, ſequitur, inquam,
quod nemo poteſt mutare perſonam
Miniſtri hujus Sacramenti, & ejus col-
lationem committere ſimplici Sacerdo-
ti, vel alteri, qui non ſit Epiſcopus.

Secundò: Poteſtas conferendi Ordi-
nes pendet à charactere Epiſcopali;
adeò ut qui ordinatur ab illo, cui Epi-
copalis deeſt character, nihil recipiat,
12 & iterum debeat Ordinari. *cap. Pro-
pter totius. diſt.* 19. *cap. Per illicitam.* 9.
*q.* 1. Ergo fruſtra, & inaniter Ordinum
collatio committitur ſimplicibus Presby-
teris non habentibus characterem Epi-
ſcopalem.

Tertiò: In Apoſtolicis Conſtitutio-
nibus *lib.* 3. *cap.* 11. ſic legitur ſtatutum:
13 *Neque Presbyteris poteſtatem damus Or-
dinandi Diaconos, aut Diaconiſſas, aut
Lectores, aut Miniſtros, aut Cantores,
aut Janitores: ſed Epiſcopis tantùm.*
Ergo illis, qui non ſunt Epiſcopi, Or-
dinationes Clericorum delegari non poſ-
ſunt.

Quartò: In iiſdem Conſtitutionibus
Apoſtolicis *lib.* 8. *cap. ult.* legitur: *Unuſ-
quiſque in Ordine ſibi dato maneat, neque
tranſeat regulas; non enim noſtræ ſunt,
ſed Dei.* Et deindè poſt comminationes
pœnarum in exercere præſumentibus
Ordinem, quem non habent, ſubjun-
gitur: *Neque enim fas eſt Diacono Sa-* 14
*crificium offerre; aut baptizare; aut be-
nedictionem ſivè parvam, ſivè magnam
facere; neque Presbytero Ordinationes
Clericorum facere.* Igitur cum ab ho-
mine mutari non poſſint, quæ à Deo
ſunt ordinata, ac inſtituta, poſſibile
non videtur, ut in miniſtrum Tonſuræ,
& minorum Ordinum deputetur ſim-
plex Presbyter etiam à Papa; cum à
Deo ſit deſignatus, & deputatus mini-
ſter ſolus Epiſcopus.

Hæc argumenta eſſe quidem difficilia
fatentur doctiſſimi Salmanticenſes *in d.
tract.* 8. *de Sacram. Ord. cap.* 3. *num.* 18.
Diana Coordinatus *d. tom.* 3. *tract.* 1. *de
Poteſtate Pontificia reſol.* 68. quæ decer-
pta eſt ex veteri *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 33.
ac etiam Emin. Card. de Lauræa *eod.
tract. de Sacram. Ord. diſp.* 8. *num.* 13. *&
num.* 34. ubi ſubdit, quod neque aſſigna-
ri poteſt, ubi ſit conceſſum, ut Papa 15
diſpenſet in eſſentialiter requiſitis ad
Sacramenta, cujuſmodi eſt Miniſter
Ordinum, aliàs dici poſſet, quod in om-
nibus Sacramentis poſſet diſpenſare cir-
ca perſonam Miniſtri; & ſic quod Miſ-
ſam diceret, qui non eſt Sacerdos, vel
abſolveret à peccatis, aut Extremam
Unctionem daret.

Nihilominùs prædictis non obſtanti-
bus aſſeverandum eſt, poſſe Papam
committere ſimplici Sacerdoti, & non
Epiſcopo collationem Tonſuræ, ac mi-
norum Ordinum; quia talis eſt, & ab 16
antiquo fuit praxis Eccleſiæ Romanæ,
in qua eſt vera fides Sacramentorum,
nec aliter quis de eis poteſt ſentire, quàm
ipſa Eccleſia ſentiat. *cap. Ad abolendam.
de Hæretic.* ſiquidem apud illam fideli-
ter cuſtodiuntur, & ſervantur traditio-
nes Apoſtolorum; & dicitur Magiſtra
veritatis. *cap. In novo. & cap. Quamvis.
diſt.* 21. quæ non poteſt errare, imò ipſa
eſt, quæ deſtruit omnes errores fidei;

juxta

Digitized by Google

juxta id, quod ſcriptum eſt *Matth.* 16. *& Portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. cap. Si Petrus*. 24. *q.*1. Idcircò, ut ſcribit Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Confirmat. diſp.* 2. *num.* 44. prout Papa delegat ſimplici Presbytero miniſtrationem Sacri Chriſmatis, etſi illius Sacramenti Ordinarius miniſter ſit Epiſcopus; & nulla alia ratio illius delegationis adduci poteſt, niſi quia Sedes
17 Apoſtolica eamdem delegationem facit; & tale factum ſatis eſt ad probandum, quod ſic facere poteſt, ob illud inconcuſſum principium, non poſſe Papam errare in fide; eodem modo dicendum venit, poſſe Apoſtolicam Sedem committere collationem primæ Tonſuræ, & minorum Ordinum ſimplicibus Presbyteris, ea ratione, quia ſic facere poteſt, & antiquitùs ſic fecit; undè tenendum eſt, ſic facere potuiſſe, ut reſpondet idem Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 8. *de Sacram. Ord. num.* 35. ſubdens ibidem: *Non apparere explicitam conceſſionem hujus privilegii pro Papa; ſed negari non poſſe implicitam, quæ Petro facta putatur, cum ei Eccleſiæ gubernium traditum eſt: imò omnis poteſtas, quâ utitur Papa, quæ aliquibus videtur exorbitans, propria ejus eſt, à Chriſto in Petro accepta, & per Succeſſores ejus manifeſtata.* Quo principio fidei incontrovertibili ſtante circa Sedis Apoſtolicæ infallibilitatem in rebus fidei, moribus, ac Sacramentis; reſpondetur

Ad Primum: deſignatum eſſe quidem à Chriſto Domino Epiſcopum miniſtrum Ordinarium Sacramenti Ordinis;
18 ſed non eſſe ablatam ab eodem Chriſto Domino facultatem Petro, ac Pontificibus Romanis Vicariis ſuis delegandi cum commiſſione ſpeciali etiam ſimplices Presbyteros in miniſtros ejuſdem Sacramenti, prout etiam Sacramenti Confirmationis; imò iiſdem talem poteſtatem reliquiſſe. Ita Diana, & DD. quos allegat *d. tom.*3. *tract.* 1. *reſol.* 68. & Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 3. *num.*18.

Ad ſecundum reſpondetur; concedendo, collationes Ordinum pendere à charactere Epiſcopali; & quod nihil facit, & invalidè agit, qui non habens dictum characterem Epiſcopalem præſumit alios ordinare: ſed hoc procedit, ubi deficit etiam Commiſſio, ſeu delegatio Summi Pontificis; ea autem in- 19
terveniente, ob poteſtatem, quam habet à Chriſto, valida eſt collatio Ordinum, ut teſtatur praxis Eccleſiæ, quæ in hoc puncto eſt irrefragabilis, ut ajunt Salmanticenſes *d. num.* 18. & Diana, Coordinatus *d. reſol.* 68.

Ad Tertium reſpondetur, in primis præſtari non poſſe indubiam fidem omnibus, & ſingulis contentis in iiſdem Conſtitutionibus, & Canonibus Apoſtolicis per ea, quæ latè deducit Cabaſu- 20
tius *in d. Notitia Eccleſ. Hiſtor. & Concilior. pag.*7. *&* 8. *de eorumdem propemptica Diatriba;* ſed eſtò fuerint ab Apoſtolis, deducitur, eo tempore delegatam non fuiſſe Presbyteris collationem Ordinum; at non conſequitur, ut futuris temporibus juſtâ interveniente cauſâ, & utilitate Eccleſiæ ſuadente, non poſſit delegari.

Ad Quartum reſpondetur, hoc idem ſcilicèt tunc talem fuiſſe uſum; ſed non impedire, quin mutari non poſſit; 21
imò ex iiſdem verbis *lib.*8. *cap. ult.* colligi, alia eſſe prohibita impoſſibilia, nempè Diaconos Sacrificare; alia, quia tunc non erant expedientia, ut Diaconos prædictos Baptizare, ac benedicere; quæ quidem functiones non multò poſt fuerunt Diaconis permiſſæ ab Eccleſia; ut de poteſtate ſolemniter Baptizandi habetur *in cap. Perlectis. diſt.* 25. *& in cap. Diaconos diſt.* 93. ac apud Tertullian. *lib. de Baptiſm. cap.*17. & de facultate benedicendi populum teſtatur Niſſenus in vita S. Gregorii Taumaturgi, in qua refertur exemplum de quodam Diacono, qui ſua benedictione publica repreſſit ſceleratas hominum fraudes; quod etiam notat Emin. Card. Brancatius in *d. Opuſculo de Benedict. Diaconali pag.* 256. *& pag.* 261. ubi ſumma cum eruditione demonſtrat, S. Be- 22
nedictum Patriarcham, ſanctoſque ejus ſpirituales Filios Maurum, & Placidum alium Ordinem ſupra Diacona-

tum non ſumpſiſſe; nihilominùs ſolitos fuiſſe benedicere tùm in Choro, tùm extra, quia erant Abbates; & nunc
23 Cardinalibus Diaconis jus ſolemnem benedictionem impertiendi competere, & olim etiam competiiſſe affirmat S. Antoninus *in Summa par. 3. tit. 14. cap. 16. §. 9.* Quapropter ſi hæc conceſſa ſunt Diaconis poſt illas Conſtitutiones, quæ appellantur Apoſtolorum, etſi in eis eſſent prohibita; ita concedi poteſt Presbyteris Ordinatio Clericorum, quæ tunc in iiſdem Conſtitutionibus interdicebatur; etſi enim Epiſcopi ſint à Chriſto Domino deſignati ordinarii Ordinum collatores, non fuit denegata poteſtas Summo Pontifici ejus Vicario delegandi in miniſtros eorumdem Ordinum aliquos Presbyteros non Epiſcopos. Et hæc de prima parte Quæſiti.

Altera Quæſiti propoſiti pars requirit, à quo fieri poſſit hæc delegatio Presbyteris Ordinandi Clericos? videlicèt an à ſolo Papa? vel etiam ab Epiſcopis?
24 Et communis eſt reſponſio, quod à ſolo Papa fieri poteſt; non etiam ab Epiſcopis. Fagnanus *in cap. Aqua num. 5. de Conſecr. Eccl. vel Altar.* Ciarlinus *lib. 2. cap. 220. num. 53.* ubi DD. & hoc patet manifeſtè, quia à principio Eccleſiæ uſque adhuc ſolus Papa delegavit Presbyteris Ordinum collationem; Epiſcopi autem numquam tales delegationes fecerunt; quod eſt argumentum, eos minimè poſſe illas facere; ſiquidem, ſi hanc facultatem habuiſſent, non fuiſſent otioſi in illa exercenda; prout delegant, & delegare conſueverunt alias ſuæ juriſdictionis Epiſcopalis partes, nempè judicare cauſas, beneficia conferre, cenſuras fulminare, & ab illis abſolvere, Confeſſarios approbare, & ſimilia; prout ſcribit Fagnanus *in cap. Aqua num. 2. de Conſecr. Eccl. vel Altar.* & prout conſiderat Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 8. de Sacram. Ord. num. 20. & 21.* & Reginaldus *tom. 2. lib. 30. tract. 1. cap. 5. num. 25.* Diana Coordinatus *d. tom. 3. tract. 1. reſol. 68. §. 5.* & Salmanticenſes *d. tract. 8. de Sacram. Ord. cap. 3. num. 21.*

Verùm prædictæ reſponſioni obſtare videtur, quod in diverſis Conciliis antiquitùs reperitur ſtatutum circa Chorepiſcopos, videlicèt quod jure proprio poſſent minores Ordines conferre; ex 25
delegatione autem Epiſcopi etiam Ordines Sacros; & tamen ipſi Chorepiſcopi erant ſimplices Sacerdotes, carentes Epiſcopali charactere, ut fusè probat Morinus *d. part. 3. Exercit. 4. cap. 2.* Exempla Conciliorum, ut ſupra ſtatuentium, habentur in Concilio Ancyrano *can. 13.* ſic loquente: *Chorepiſcopus abſque permiſſu Epiſcopi Presbyterum, vel Diaconum non Ordinato. Lectores autem, Subdiaconos, & Exorciſtas, hoc eſt Catechetas Ordinato. Qui aliter fecerit, gradu excidat.* Sic Canonem hunc ex Græco in Latinum effert Harmenopolus *in Epitome Canonum ſect. 1. tit. 9.* Item in Concilio Antiocheno *can. 10.* ſic mandante: *Chorepiſcopi conſtituant Lectores, Hypodiaconos, & Exorciſtas, & eorum promotionem ſufficere exiſtiment. Nec Presbyterum, nec Diaconum Ordinare audeant abſque Urbis Epiſcopo, cui ſubiicitur ipſe, & regio.* Idem etiam in Concilio Aquiſgranenſe ſub Carolo Magno *Anno 789. cap. 2. in 2. tomo Conciliorum Galliæ* pariter hoc idem præcipiente his verbis: *Conſtituere autem his* (Chorepiſcopis) *permittitur Lectores, & Subdiaconos, & Exorciſtas; quibus ſufficiat iſtorum tantùm graduum licentiam accepiſſe; non autem Presbyterum, non Diaconum audeant ordinare præter conſcientiam Epiſcopi Civitatis, vel Eccleſiæ, cui adjacens invenitur, ſeu ipſe, ſeu regio, in qua præeſſe dignoſcitur.* Igitur cum conſcientia, id eſt cum conſenſu, delegatione, & permiſſione Epiſcopi Diæceſani, ſolebant Chorepiſcopi ſimplices Presbyteri conferre Ordines minores.

Accedit teſtimonium Sancti Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi, qui Epiſcopalem illam ſedem poſſedit ab *Anno 596.* uſque *ad Annum 636.* ipſe enim in *lib. 2.* 26
*de Offic. Eccleſiaſt. cap. 6.* agens de poteſtate Chorepiſcoporum inquit: *Hi in vicis, & villis inſtituti gubernant ſibi commiſſas Eccleſias, habentes licentiam conſtituere*

*ſtituere Lectores, Subdiaconos, Exorciſtas; Presbyteros autem, & Diaconos Ordinare non audeant præter conſcientiam Epiſcopi, in cuius regione præeſſe noſcuntur*. Conſimiles aliorum Conciliorum Canones allegat Morinus *d.p.3. Exercit.4. cap.4.* ubi *num.5.* in fine concludit: *Eſt igitur evidentiſſimum, & antiquorum auctorum ſuffragio teſtatiſſimum, Chorepiſcopis omnium Ordinationum infra Epiſcopatum, & Chorepiſcopatum, factam eſſe poteſtatem; eo tamen diſcrimine, ut minores Ordines poſſent pro prudentia conferre; majores verò cum Epiſcopi ſui ſcientia, & conſenſu.*

Pro hujus difficultatis reſolutione prænotare oportet, in Oriente, ac in Occidente antiquitùs invaluiſſe quendam
27 Dignitatis gradum, medium inter Presbyteros, ac Epiſcopos, qui vocabatur *Chorepiſcopatus*. Ad hanc dignitatem promoti reſidebant vel in Villis, vel in Oppidis, & dicebantur Chorepiſcopi, à *Chore* verbo Græcò, quod ſignificat Latinè *Oppidum*, vel *Villam*, undè etiam prædicti appellabantur Epiſcopi Viliani. Barboſa *de Jure Eccl. Univ. lib.1. cap.16. num.2.* & ibi DD. noviſſimè Morinus *de Sacris Ordinat. d.part.3. Exercit.4. cap.1.num.1. & ſeqq.* ubi *nu.3.* demonſtrat, incæpiſſe Chorepiſcopos in Oriente circa finem tertii ſæculi; in Occidente autem multò ſerùis, nempè circa medietatem ſæculi quarti, & erant verè, & propriè Miniſtri Epiſcoporum atque eorum Vicarii ſuperintendentes Eccleſiaſticæ diſciplinæ, tùm circa mores Clericorum, & eorum officia, tùm circa nitorem Eccleſiarum, & animarum gubernium intra certos terminos villarum, ſeu oppidorum ſibi aſſignatos; prout nunc fit à Vicariis Foraneis Epiſcoporum, habentibus hanc ſuperintendentiam, in octo, novem, aut decem Parochiis ſibi aſſignatis, cum facultate eas viſitandi, quæ recta non ſunt corrigendi, reſcribentes Epiſcopo Superiori ſuo, quæ fecerint & ab ejus auctorita-
28 te dependentes. Quatuor circiter ſæculis gradus iſte *Chorepiſcopatus* perduravit; ſed quia in eo conſtituti, ex nomine ad inanem gloriolam aſpirabant, & quaſi jure proprio Clericis, ac populis dominantes, Epiſcopoſque ſpernentes odioſi evaſerant, & contra eos multis delatis querelis ad Apoſtolicam Sedem ſuper uſurpatione Jurium Epiſcopalium, præcipuè in concernentibus Ordinationes Clericorum, Conſecrationes Virginum, Eccleſiarum, Altarium, ac Oleorum; decreta fuit eorum abolitio, ut conſtat *ex Can.12.* Concilii Romani, aliàs Ravennatis *Anno* 904, ſub Joanne IX Papa; quem refert Morinus, cæteris penitiùs agens de origine, progreſſu, & exterminio eorumdem Chorepiſcoporum *d.part.3. Exercit.4.* per totam.

Porrò non una tantùm, ſed duæ erant eorumdem ſpecies, videlicèt alii Chorepiſcopi erant ſimplices Presbyteri,
alii verò Epiſcopali charactere inſigniti 29
reperiebantur, qui vel lapſi in hæreſim, & deindè ea abjuratâ ad fidem reverſi, vel ob aliquod crimen à Sede Epiſcopali depoſiti, pœnitentiâ peractâ, ex miſericordiæ motivo in pagis, aut villis permittebantur aliquam portionem ſuæ, vel alterius Diæceſis, dependenter à proprio Epiſcopo, gubernare; vel quod credibilius eſt, erant hi Epiſcopi Titulares Ordinati ad titulum Cathedralium in partibus infidelium exiſtentium,
præcipuè ſub Tyrannide Saracenorum, qui 30
ſæculo quinto reduxerant ſub tributum Imperatores Orientales, ſexto autem ſæculo devaſtarunt totam Arabiam, Ægyptum, Syriam, totam Africam, Cyprum, Perſiam, Armeniam, mox etiam Hiſpaniam;& idcircò Prælati Eccleſiarum illarum regionum, mercenariorum more, veri Paſtoris officium obliti, potiùs aliis Epiſcopis ob parvum ſalarium inſervire, quàm pro ſalute ſuarum ovium ſanguinem fundere, eligebant; & de his duabus Chorepiſcoporum ſpeciebus teſtimonia plurima ex Conciliis collecta allegat Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. 1. de Privileg. num. 7. & 8. tom.5.* & cum ipſo concordant Frances *de Eccleſ. Cathedr. cap. 1. num.128.*

*num.* 128. Ricciullus *Eccleſ. Lucubrat. lib.2.cap.*1. Barboſa *de Jure Eccleſ. Univ. d. lib.*1. *cap.*16. *num.* 4. Magrius *in Hierolex. Verb. Chorepiſcopus col.* 3. & fatetur ipſemet Morinus *d. part.* 3. *Exercit.* 4. *cap.*2. *num.*12.

His ita prænotatis ad difficultatem ſupra propoſitam duæ reſponſiones dantur: Una quod Chorepiſcopi, qui Ordines minores conferebant ex proprio arbitrio, ac etiam maiores de mandato Epiſcoporum Diæceſanorum, erant &
31 ipſi conſecrati, & Epiſcopali charactere inſigniti, ideòque validè ordinabant, prout etiam faciunt temporibus noſtris Epiſcopi Suffraganei, qui à Principibus Cathedrales Eccleſias poſſidentibus,conducuntur, ut onus Epiſcopale ſivè benè, ſivè malè totum portent, ipſis Endymionis fabuloſi quondam Paſtoris
32 ſomnum dormientibus, ut loquitur idem Morinus *d. Exercit.* 4. *cap.* 5. *num.*4. In hoc autem peccabant hi Chorepiſcopi, quod abſque licentia ſui ſuperioris Epiſcopi etiam Sacros Ordines dabant, & alia munia Epiſcopalis dignitatis ſibi uſurpabant, Conſecrando Virgines, Altaria, & Baſilicas, & Confirmationis Sacramentum adminiſtrantes; & hac de cauſa emanarunt in diverſis Conciliis Canones, has functiones iiſdem Chorepiſcopis interdicentes, Præſulibus reclamantibus; ſed non erant irritæ, etſi illicitæ, ut reſpondit Nicolaus I. Pontifex in Epiſtola ad Rodulphum Archiepiſcopum Bituricenſem, quæ habetur *tom.*3. *Concilior. Galliæ Anno Chriſti* 864. & quam refert ipſemet Morinus *ead. Exercit.*4. *cap.*5. *num.*2. Hæc reſponſio, & difficultatis reſolutio datur à doctis Salmanticenſibus *d. tom.* 12. *tract.* 3. *de Sacram. Ordinis cap.* 4. *num.*24. à Cabaſutio *in Notitia Concil. Sæculo IV. ad Concil. Ancyranum. pag* 95. & à doctiſſimo, ac Emin. Domino Cardinali de Lauræa *eod. tract. diſp.*8. *num.*33. Altera reſponſio eſt, quod eſtò Choreſpicopi conferentes Ordines minores (inter
33 quos olim reputabatur etiam Subdiaconatus) ſimplices Presbyteri fuiſſent, non proveniebat illis facultas ipſa ordinandi Clericos à ſpeciali delegatione unius Epiſcopi, ſed à tota Eccleſia, & ſic à capite ipſius Eccleſiæ, qui eſt Pontifex Romanus; ſiquidem talis poteſtas data erat Chorepiſcopis pro minoribus Ordinibus conferendis per Concilia vel generalia, vel Provincialia à Papa confirmata; quapropter proveniebat ab Apoſtolica Sede, ea ratione, quia Conciliorum diffinitiones poſt impartitam illis auctoritatem à Papa cenſentur Papales, ut benè probat Fagnanus *in cap. Maiores. n.*36. *De Baptiſmo.tom.*5. ac ulterius, quia quotieſcunque legitur in 34
Conciliis, vel in Sanctis Patribus aliquid conceſſum eſſe ab Eccleſia, intelligitur à capite ipſius Eccleſiæ, ut in puncto huius difficultatis dicit prælaudatus Emin. Card. de Lauræa *in eadem diſp.* 8. *num.*22.

Quod ſi quis petat, An ſimplicibus Presbyteris, & non Epiſcopis poſſit à Papa committi collatio Ordinum Sacrorum? de hoc agemus in Deciſione XVI.

## DECISIO XV.

### *ARGUMENTUM.*

Agitur de poteſtate Abbatum circa collationem Tonſuræ, & minorum Ordinum. Præmiſſis variis eruditionibus ad intelligentiam materiæ, oſtenditur Quinam Abbates conferant Ordines, & Quibus? An etiam Novitiis? An extraneis venientibus cum dimiſſoriis ſuorum Epiſcoporum? Referuntur variæ Declarationes S. Congregationis, & opiniones Doctorum. Utrùm exteri ordinentur ab Abbatibus non ſolùm illicitè, ſed etiam invalidè? Abbates habentes Territorium ſeparatum cum omnimoda Juriſdictione Epiſcopali an poſſint dare dimiſſorias ad Ordi-

Ordines etiam ſuis ſubditis ſæcularibus? Privilegium Primicerii Sancti Marci Venetiarum pro conferenda prima Tonſura, & quatuor minoribus Ordinibus.

## SUMMARIUM.

1 Abbatis *nomen quid ſignificet? & quid* Abba?
2 *Abbatis titulus convenit omni Superiori Collegiorum.*
3 *Abbates alii Sæculares, alii Regulares.*
4 *Patavina Diæceſis quot beneficiatos habeat?*
5 *Commendæ Abbatiarum quando cæperint?*
6 *Abbates Regulares in duplici ſunt differentia.*
7 *Abbates, ut Ordines conferant, tria debent habere requiſita. Et quæ?*
8 *Differentia inter poteſtatem Epiſcoporum, & Abbatum quo ad Ordines?*
9 *Abbates Monaſteriorum quare non benedicantur?*
10 *Cardinales Presbyteri Ordinant in minoribus ex privilegio Papæ.*
11 *Abbatibus tria ſunt jura, quæ dant facultatem Ordinandi.*
12 *Privilegia Caſinentium Abbatum pro Ordinibus conferendis.*
13 *Communicatio Privilegiorum inter Ordines Monaſticos.*
14 *Concilii Tridentini diſpoſitio circa Abbates quo ad dandos Ordines.*
15 *Abbatum facultas circa Ordines reſtricta eſt ad ſolos ſubditos regulares.*
16 *Abbates ſæculares non poſſunt conferre minores Ordines?*
17 *Abbates Monaſteriorum Ordinant ſuos Regulares ſubditos tantùm.*
18 *Novitii an ab Abbatibus poſſint Ordinari?*
19 *Abbates utrùm poſſint Ordinare extraneos cum dimiſſoriis Epiſcoporum?*
20 *Favori pro ſe introducto quilibet renunciare poteſt.*
21 *Epiſcopi Titulares non poſſunt ordinare ſine conſenſu Ordinariorum.*
22 *Abbates Regulares antiquitùs ordinabant exteros habentes dimiſſorias à ſuis Epiſcopis.*
23 *S. Congregationis declaratio de Anno* 1572. *quod Abbates Regulares poſſint Ordinare extraneos cum dimiſſoriis.*
24 *S. Caroli Borromei Decretum circa poteſtatem Abbatum conferendi Ordines.*
25 *Fagnani opinio circa exteros Ordinandos ab Abbatibus.*
26 *Exteri etſi cum dimiſſoriis ſuorum Epiſcoporum non poſſunt ab Abbatibus Ordinari.*
27 *Rota coram Seraphino, quod Abbates non poſſunt Ordinare Clericos.*
28 *Ordinare alienum ſubditum abſque dimiſſoriis eſt in jure prohibitum.*
29 *S. Congregationis prohibitio de Anno* 1641, *quod Abbates non ordinent alienos quàvis dimiſſorias habentes.*
30 *Doctores, qui ſe retractarunt circa Ordinationes Abbatum.*
31 *S. Congregationis Decreta habent vim legis.*
32 *Abbates ſi Ordinent alienos, utrùm validè ordinent? diſtinctio notabilis.*
33 *S. Congregationis declaratio Anno* 1668. *ordinationis illicitæ.*
34 *Primicerius S. Marci Venetiarum an poſſit Ordinare alienos Clericos cum dimiſſoriis ſuorum Epiſcoporum?*
35 *Abbas Regularis finito ſuo officio An poſſit Ordinare Monachos ejuſdem Monaſterii?*
36 *Abbates habentes Territorium ſeparatum, an poſſint Ordinare ſubditos ſæculares, & dare dimiſſoria iiſdem?*
37 *Quod non, ex doctrina Fagnani.*
38 *Quod ſi, ex multis fundamentis.*
39 *Abbas Montis Caſini dat dimiſſorias ad Ordines etiam Clericis ſæcularibus ſibi ſubditis. Item alii Abbates Caſinenſes.*

40 No-

Digitized by Google

40 *Nonantulæ, ac Vangadiciæ Abbates dant dictas Dimiſſorias.*
41 *Georgius Cornelius Epiſcopus Patavinus Senior laudatus.*
42 *Dimiſſorias ad Ordines etiam ſæcularibus ſubditis Abbates quando poſſint concedere?*
43 *Privilegium Primicerii S. Marci Venetiarum pro collatione Tonſuræ, & Ordinum Minorum.*

QUartum genus perſonarum, quæ poſſunt conferre primam Tonſuram, & quatuor minores Ordines, comprehendit Abbates, ideò de his in præſenti eſt agendum. Ad intelligentiam autem dicendorum circa poteſtatem, quam habent Abbates in minoribus Ordinibus conferendis, ſunt præmittenda quatuor.

Primum, quod hoc nomen *Abbas* idem eſt ac *Pater*, ut cum S. Hierony-
1 mo notat S. Thomas *in Epiſtola ad Galatas cap.* 4. & S. Auguſtinus *Epiſt.*177. & ideò Apoſtolus Paulus non ſemel conjunxit utramque vocem ſimul, videlicet in *Epiſt. ad Roman. cap. 8. Verſ.* 15. ibi: *In quo clamamus Abba Pater*. Pariterque *in Epiſt. ad Galat. cap.* 4. *Verſ.* 6. ibi: *clamantem Abba Pater;* tùm ad majorem explicationem ejuſdem vocis *Abba;* tùm, ut ait ibidem Cornelius à Lapide, ut ſignificetur idem eſſe Deus, eademque apud Deum eſſe adoptio Judæorum, & Gentium: *Abba* enim Judæorum, *Pater* Græcorum, & Gentium eſt vox, atque idioma. Hinc Canoniſtæ deducunt, quod hoc nomen *Abbas*, eſt nomen laboris, & ſollicitudinis, quia cum idem ſit, ac *Pater*, iſte debet inſudare, & eſſe ſollicitus pro bono ſpirituali, & temporali filiorum. Gloſſa *in cap. Tuum V. Non naſcendat.* & ibid. Abbas *num.*3. *de Ætate, & Qual.*
2 Lotterius de *Re benefic. lib.* 1. *cap.* 17. *à num.*2. *& ſeqq.* & hac de cauſa nomen Abbatis convenire poteſt cuicunque Præpoſito, & Superiori Collegiorum, ut tradit Alciatus *in l.*2. *num* 2. *de in Jus vocando.* Et *in l. Collegiorum: num.*4. *ff. de Verb.Signific.* Cardinalis in *Clem. Attendentes. §. Statuimus. num.* 2. *De Statu Monachorum:* ea ratione, quia omnis Superior cujuſcumque Univerſitatis ſatagere tenetur in concernentibus utilitatem eiuſdem; ut latè differit Joſeph. Langlus *in Polyanthea. v. Abbas*, ubi etiam addit, quod in Aquitania plures nobiles Laici vocantur *Abbates*, idest *Comites, & Titulati.*

Alterum præmittendum eſt, quod duo ſunt genera Abbatum, ſiquidem alii ſunt Abbates ſæculares, & alii Regulares. Lezana *in Summa tom.* 3. *Verb. Abbas num.* 2. Barboſa *de Jure Eccleſ. Univ. lib* 1. *cap.*17. *num.* 17. Sæculares Abbates illi ſunt, qui beneficia ſæcularia obtinent, Abbatias appellata; etſi verè, & propriè ſint beneficia Parochialia, aut etiam ſimplicia cum hoc nomine; & de his teſtatur Barboſa ubi ſupra *num.* 19. complures extare in 3
Hiſpania, & in Regno Luſitaniæ; addens, quod etiam in Regno Neapolitano omnes digniores Clerici hoc honorario titulo decorantur; undè fit, ut rariſſimi ſint Abbates Sæculares, quibus verè competat nomen Abbatis; & equidem in hac Diæceſi Patavina, etſi ampliſſima, & millenario circitèr numero 4
beneficiatorum ſæcularium gaudente, nullus eſt in veritate Abbas. Illud tamen eſt verum, quod non pauci ſunt Abbates ſæculares Commendatarii, qui obtinent Monaſteria ab Apoſtolica Sede in commendam; cæperunt autem commendari Monaſteria regularia, & Clericis ſæcularibus dari ſub Leone IV. ſæculo nono; ut colligitur *ex cap. Qui* 5
*plures.* 21. *q.* 1. Exempla habentur in Sæculis Benedictinis *tom.* 4. *part.* 1. *ad Annum* 821. *num.* 54. ubi Abbates Regulares in Gallia Narbonenſi impetrarunt ne ampliùs eorum Cænobia darentur in Commendam Clericis ſæcularibus, qui proindè vocabant ſe Abbates. Et quamvis Clemens V. curaverit retractare omnes huiuſmodi commendationes; fuerunt firmatæ ab Urbano VI. à Bonifacio IX. & à Paulo II. cujus exemplum tranſivit in uſum uſque in præſentem diem, ut latè differit Tamburin

rin *de Jure Abb. tom.1. diſp.4. quæſ.1. & ſeqq.*

Regulares Abbates ſunt illi, qui præſunt Monaſteriis, & habent ſub ſe Monachos; & hi ſunt in duplici differen-
6 tia: alii enim ſunt tantummodò exempti à Juriſdictione Ordinariorum, & Sedi Apoſtolicæ immediatè ſubjecti, ut ſunt omnes Abbates Lateranenſes, Caſinenſes, Camaldulenſes, Olivetani, & conſimiles, qui præſunt ſuis Monaſteriis in Civitatibus, & in Diæceſibus Epiſcopalibus: Alii verò non ſolùm gaudent prædicta exemptione, ſed ſunt etiam Prælati Ordinarii habentes Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem in Clerum, & populum cum territorio ſeparato; & poſſunt omnia, quæ ſpectant ad Juriſdictionem Epiſcopalem. Tales ſunt Abbates Montis Caſini Ordinis S. Benedicti; SS. Trinitatis de Cava; S. Ambroſii Mediolanenſis, & alii plurimi, quos recenſet Barboſa *d. lib. 1. cap. 17. num. 22.* & hi, quamvis eorum Monaſteria, oppida, & populi ſint in aliqua Diæceſi, & intra confines unius, aut plurium Epiſcopatuum, dicuntur non eſſe in Diæceſi, neque de Diæceſi, ad differentiam Abbatum Regularium exemptorum tantummodò, qui etſi cenſeantur non eſſe de Diæceſi, quia non ſunt ſubjecti Epiſcopo niſi in aliquibus caſibus, præcipuè concernentibus curam animarum; tamen dicuntur eſſe in Diæceſi; prout loquitur Rota *part. 2. diverſ. deciſ.207.* & poſt *tom.3.* Tamburini *de Jure Abb. deciſ.45. & 46.* & latè explicat Loterius *de Re benefic. lib.1.q.24. à num.44. & ſeqq.* & in puncto *num.87. 88. 89.* advertens, quod hæc exemptio unà cum Clero, Populo, & Territorio ſeparato non proficiſcitur à Jure communi; ſed à Privilegio particulari Pontificio, cujus verba ſunt attendenda, pro cognoſcendo effectu hujus exemptionis. Idcircò quando alicui Abbati conceſſa eſt per Sedem Apoſtolicam exemptio ab omnimoda Epiſcopali Juriſdictione non ſolùm pro toto ejus Monaſterio, ſed etiam pro toto Clero, & populo degente in locis dependentibus ab auctoritate Monaſterii, cui aſſignatur proprium Territorium, in quo nullum Jus, nullavè Juriſdictio Epiſcopo Diæceſano remaneat, tunc ille Abbas vocatur Ordinarius in toto illo Territorio, & in eo exercet plenam Juriſdictionem Epiſcopalem in Clero, & populo privativè quo ad Epiſcopum, & habetur tanquam Diæceſanus. Jo. Andr. *in cap. Cum contingat num.4.* & Butrius *num.11. de Foro compet.* Rota Romana *part.1.recent. deciſ. 324. num. 1.* ubi DD. cumulat; ac latiùs *part. 14. deciſ. 99. num.4.* & latiſſimè *part.17. deciſ.274.num.12.*

Tertium præmittendum eſt, quod in Abbatibus, ut poſſint eſſe habiles ad conferendum primam Tonſuram, & quatuor minores Ordines, tria requiſi- 7
ta debent concurrere; *Unum*, ut ſint Sacerdotes; *Alterum*, quod ſint benedicti; *Tertium*, quod habeant ſub ſe ſubditos regulares, quibus eoſdem Ordines, ac Tonſuram conferant. Barboſa *de Offic. & pot. Epiſc. part.3. alleg. 3. num. 14.* Ciarlin. *lib. 2. Controv. Forenſ. cap. 220. num.51.* Tamburin. *de Jure Abb. tom 2. diſp. 2. quæſ. 2.* ubi advertit hæc tria requiſita eſſe de jure antiquo, ut legitur in *cap. 1. diſt. 69.* in *cap. Cum contingat. de Ætate, & Qualit.* & *in cap. Abbates. De Privileg. in 6.* & quidem valdè rationabilia; nam quod ſint Presbyteri convenit, quia Ordinare Clericos, eſt eos diſponere, ac præparare ad conficiendum Corpus Chriſti: igitur hanc diſpoſitionem, & præparationem provenire oportet ab eo, qui habeat poteſtatem Conſecrandi Corpus Chriſti. *cap. Ex Litteris. De Exceſſib. Prælator.* Quod ſolemnem benedictionem ab Epiſcopo receperint, eſt congruum; nam largo modo in jure vocatur Conſecratio, & eſt adinſtar Conſecrationis Epiſcopalis, per quam confertur poteſtas conferendi Ordines. Felin. *in cap. Inter Monaſterium. in princ. de Re Judic.* Fagnanus *tom.2. in cap.1. de Supplend. neglig. Prælat. à nu.3. & ſeqq.* ſubdens *num. 6.* quod hoc intelligi debet proportionabiliter, quia eidem benedictioni naturaliter, ſeu de jure divino non eſt annexa poteſtas confe-

conferendi Ordines, prout Conſecrationi Epiſcoporum; ſed ipſa poteſtas pro-
8 venit Abbatibus ex indulto, & conceſſione Eccleſiæ; & hinc fit, quod ſi Epiſcopus prohibeatur à Papa conferre Ordines, & conferat, imprimit characterem, & validè ordinat, etſi illicitè: at Abbates etiam poſt ſuſceptum benedictionis munus, non imprimunt, & nihil conferunt. Innocent. *in cap. Quanto num. 4. de Conſuetud.* idem Fagnanus *in cit. cap. 1. num. 9. & 10. De Supp. neglig. Præl.* Porrò antiquitùs omnes Abbates, quia erant perpetui, ſolemniter benedicebantur ab Epiſcopis, ut legitur in Sæculis Benedictinis *tom. 2. in Præfat. num. 51.* & ex his licet etiam cognoſcere, qua de cauſa Abbates Temporales Monaſteriorum non ſuſcipiant hodiè ſolemnem benedictionem ab Epiſcopis, & nihilominùs conferant Tonſuram, & minores Ordines; nam hæc
9 poteſtas Ordinandi, ut dictum eſt, non ineſt ipſi benedictioni; ſed emanat à Privilegio, & conceſſione Sedis Apoſtolicæ; quod quidem Privilegium ſupplet munus benedictionis, ut tractat in puncto ipſe Tamburinus *d. tom 2. diſp. 2. quæſ. 3.* ubi allegat Privilegium Eugenii IV. conceſſum Congregationi S. Juſtinæ de Padua Anno 1536. & *in tom. 1. diſp. 11. quæſ. 3.* docens ibidem, quod non benedicuntur Abbates Monaſteriorum his temporibus, quia non ſunt perpetui, ſed triennales, & quia prædicta benedictio non imprimit characterem, neque eſt inſtituta à Chriſto Domino, & ideò non eſt de eſſentia, neque ſimpliciter neceſſaria in Abbatibus, cum ex Pontificia conceſſione poſſint exer-
10 cere actus Ordinis ſine illa; adinſtar Cardinalium Presbyterorum, qui ſine alia benedictione ex ſolo Privilegio Papæ conferunt Tonſuram, & minores Ordines; quod notarunt Canoniſtæ antiqui Cardin. *in Clem. Attendentes. §. Statuimus q. 5. de Stat. Monach.* Jo. Andreas *in cap. Ut Apoſtolicæ. De Privil. in 6.* Et ſcribentes moderni Gratianus *Diſcept. for. cap. 871. à num. 11. & ſeqq.* Ciarlinus *lib. 2. cap. 220. num. 110.* & Fagnanus *in cap. Aqua num. 18. de Conſecr. Eccl. vel Altar.* Tandem quod Abbates debeant habere ſubditos regulares, & quod iiſdem ſolis ſuis ſubditis conferant Ordines, juxta tertium requiſitum, congruentia eſt manifeſta, quia collatio Ordinum pendet non ſolùm à poteſtate Ordinis, ſed etiam à poteſtate Juriſdictionis. Fagnanus ubi proximè *nu. 17. & 18.* cumque Juriſdictio non exerceatur niſi in ſubditos, eos ſolummodò poſſunt Abbates Ordinare.

Quartum præmiſſum notandum eſt, tria eſſe Jura concedentia Abbatibus facultatem conferendi Tonſuram, & quatuor Ordines minores ſubditis ſuis, videlicèt jus antiquum, jus medium, & 11
jus novum. Habetur jus antiquum in *cap. Quoniam. diſt. 69. in cap. Cum contingat. De Ætate, & Qualitate; & in cap. Abbates. De Privileg. in 6.* In his tribus canonibus cònceditur Abbatibus, ſi ſint Presbyteri, & benedicti Tonſurare, & in minoribus Ordinare in eorum Monaſteriis ſubditos ſuos, ac alios, in quos Eccleſiaſticam Juriſdictionem exercent. Jus medium reperitur in Indultis, & Privilegiis per Summos Pontifices Religionibus Monaſticis conceſſis ab Anno 1200. citra, quæ in Bullario Caſinenſis *tom. 1.* infraſcripta leguntur diverſorum Monaſteriorum Abbatibus ejuſdem Caſinenſis Congregationis elargita: videlicèt, ab Innocentio III. Anno 12
1203. *Conſt.* 22. Ab Honorio III. Anno 1218. *Conſt.* 25. A Gregorio IX. Anno 1263. *Conſt.* 30. Ab Alexando IV. Anno 1255. & à Paulo III. Anno 1537. *Conſt.* 156. quæ etiam exiſtit in Bullario Romano Laertii Cherubini inter illas ipſius Pauli III. *Conſt.* 15. & eam allegat Tamburinus *de Jure Abb. d. tom. 2. diſp. 2. quæſ. 1. ſub num. 7.* unà cum Privilegio Eugenii IV. conceſſo Abbati religioſiſſimi noſtri Monaſterii S. Juſtinæ de Padua *Anno 1436.* in quibus omnibus Privilegiis, præter alias honorificas facultates, exemptiones, & prærogativas, iidem Summi Pontifices indulgent Abbatibus Caſinenſibus, ut Monachis, ac ſubditis ſuis primam Tonſuram,

Digitized by Google

ſuram, & quatuor minores Ordines valeant conferre; quæ quidem Privilegia, & alia plurima pluribus Ordinibus conceſſa inter eoſdem communia ſunt, & & ut dicunt Theologi adinvicem communicantur. Lezana *in Summa tom.* 2.
13 *cap.*1. *à num.*52. *&* *tom.* 4. *Verb. Privilegia Regularium num.* 24. & ibi DD. Jus novum habetur in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *de Ref.* in quo ſtatutum fuit, quod *Abbatibus, ac aliis quibuſcunque, quantumvis exemptis, non liceat in poſterum, intra fines alicujus Diœ-*
14 *ceſis conſiſtentibus, etiamſi nullius Diœceſis, vel exempti eſſe dicantur, cuiquam, qui Regularis ſubditus ſibi non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre &c. nec litteras dimiſſorias aliquibus Clericis ſæcularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant &c. ſed horum omnium ordinatio ad Epiſcopos, intra quorum Diœceſis fines exiſtant, pertineat, non obſtantibus quibuſvis privilegiis, præſcriptionibus, aut conſuetudinibus, etiam immemorabilibus.* Per hoc decretum omnes ſcribentes,
15 quos cumulat Barboſa *d. ſeſſ.* 23. *cap.*10. *num.*1. advertunt, reſtrictam eſſe facultatem Abbatum quo ad Ordines conferendos, itaut eam exercere non valeant, niſi in ſuos proprios ſubditos Regulares; & caſu quo habeant ſub ſe ſubditos laicos, vel Clericos ſæculares, horum ordinatio non ſpectet ampliùs ad Abbates, ſed ad Epiſcopos, intra cujus Diœceſis fines reperitur Monaſterium; & per hoc derogatum eſt diſpoſitioni ſupracitati *cap. Abbates. De Privileg. in* 6. in quo dabatur facultas Abbatibus tonſurandi, & ordinandi quoſcunque ſuos ſubditos, non tàm regulares, quam etiam ſæculares, & laicos, ut diſſerit noviſſimè Fagnanus *in cit. cap. Aqua nu.*12. *De Conſecr. Eccleſ. vel Alt. tom.*5.

His ita præmiſſis, ac prænotatis, ſi quæramus, quam poteſtatem habeant Abbates circa collationem primæ Tonſuræ, ac minorum Ordinum? diſtinguere oportet, Abbates ſæculares, ab Abbatibus Regularibus; nec non Abbates Regulares ſimpliciter exempti; ab Abbatibus? non ſolùm exemptis, ſed omnimodam Juriſdictionem Epiſcopalem exercentibus in Clero, & populo, ac Territorium habentibus ſeparatum. Abbates ſæculares primi generis, de quibus diximus ſupra, qui vel ſunt nomine tenùs; vel aliquod beneficium Eccleſiaſticum Abbatiam appellatum poſſident, niſi habeant ſpeciale Indultum ab Apoſtolica Sede, poſt Tridentinum Concilium obtentum, nullo modo poſſunt Clericos tonſurare, vel in minoribus ordinare; quia de Jure Canonum, ut 16
demonſtratum eſt, talis facultas conceſſa erat Abbatibus Regularibus tantùm, non etiam Abbatibus ſæcularibus; & hi ſi per Privilegium Apoſtolicum, vel ex præſcriptione, aut conſuetudine, etiam immemorabili talem poteſtatem olim acquiſiviſſent, nunc eis eſt ablata per Concilium Tridentinum *d. ſeſſ.* 23. *cap.*10. dum illam ibi reſervavit pro ſolis ſubditis regularibus; undè fit, quod Abbates ſæculares, qui non habent, nec habere poſſunt ſub ſe ſubditos Regulares, nullum habeant quem tonſurare, aut ordinare poſſint, quia eſtô quod illis ſubditi ſint Laici, vel Clerici ſæculares, horum ordinatio ſpectat ex Tridentino ad Epiſcopum Diœceſanum. Barboſa in Collect. DD. ad ejuſdem Tridentini Concilii *cap.* 10. *ſeſſ.* 23. *num.*2. Quapropter S. Congregatio Concilii *die* 4. *Aprilis* 1637. cenſuit, Ordinatos ab Abbate Titulari Montis Regalis in Sicilia, tàm Sæculares, quàm Regulares eſſe iterùm ordinandos, quia Ordines fuerunt nulliter collati ex defectu poteſtatis, ut refert Pignatellus *tom.*1. *conſult.*366. *n.*5. & latè docet Fagnanus *in cap. Statuimus de Sup. neglig. Prælat. num.* 14. *&* 15. *tom.*2. Et hoc adeò eſt verum, ut etiamſi talis Abbas ſæcularis eſſet Epiſcopus minimè poſſet ordinare, aut tonſurare ſubditos Laicos, vel Clericos ſæculares ejuſdem Abbatiæ per eum poſſeſſæ; ut declaraſſe S. Congregationem *die* 8. *Auguſti* 1621. ait Barboſa *ubi ſupra nu.*8. Idcircò dixi, opus eſſe Indulto Apoſtolico obtento poſt ipſum Tridentinum Concilium, quale eſt illud conceſſum per Alexandrum VIII. Illuſtriſſimo, ac



Digitized by Google

Reverendiſſimo Primicerio Sancti Marci Venetiarum; in quo data eſt ei facultas tonſurandi, & ordinandi Clericos illius Ducalis Baſilicæ, & Eccleſiarum eidem ſubjectarum, etſi præfati Clerici ſint ſæculares; & aliàs eorum tonſuratio, & ordinatio etiam in minoribus de jure ſpectaret ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Patriarcham Venetiarum tanquàm Ordinarium, & Diœceſanum illius inclytæ Urbis.

Quo verò ad Abbates ſecundi generis, nempè ad Prælatos Regulares Monaſteriorum ſimpliciter exemptos, qui non omnimodam exercent Juriſdictionem Epiſcopalem, ſed tantùm præſunt perſonis ſubjectis ſuis Monaſteriis, manifeſtum eſt ex hucuſque dictis, & deductis, quod attento decreto Concilii Tridentini in *cit. ſeſſ. 23. cap. 10. de ref.*
17 ſi ſint Presbyteri, poſſunt quidem tonſurare, & ad Minores Ordines promovere, ſed ſubditos ſuos regulares tantùm, & non alios, adeòut ſi ex aliqua cauſa habeant juriſdictionem in Clericos ſæculares, vel in perſonas Laicas, quæ cupiant clericari; nihil poſſunt Abbates Regulares circa illas, ſed debent adire Epiſcopum Diœceſanum, à quo promoveantur juxta tenorem ejuſdem Concilii Tridentini; quod abrogavit *cap. Abbates. De Privilegiis in 6.* & ſi quæ alia erant indulta Pontificia concedentia Abbatibus Regularibus facultatem ordinandi Laicos, vel Clericos ſæculares, & hæc eſt concors doctrina Theologorum, & Canoniſtarum, quos cumulat Barboſa *in Collect. DD. ad d. cap.* 10. quibus addo Pacem Jordanum *tom. 1. lib. 5. tit. 4. num. 60.* Macedonem *de Clavibus Petri lib. 4. cap. 5. in princ.* & Emanuelem Gonzalez *in Comment. ad cap. Cum contingat. num. 5. & 6. De Ætate, & Qualit. tom. 1.* Porrò circa hos Abbates Regulares ſolent Doctores tres agitare Quæſtiones.

Prima eſt, An ipſi poſſint tonſurare,
18 & ad minores promovere Novitios? Affirmativam ſententiam tenet Suarez *4. tom. de Relig. tract. 8. lib. 2. cap. 29. num.* 12. Pellizarius *in Manuali Regularium tom. 2. tract. 8. cap. 2. num. 177.* Sanchez *in Opuſc. Moral. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 19. num. 15.* & Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 9. num. 2.* Ea ratione, quia Beneficium Principis eſt latè interpretandum, qualia ſunt Indulta Pontificia conceſſa Abbatibus conferendi Tonſuram, & minores Ordines; ac etiam quia ex Tridentino cum facultas ordinandi conceſſa Abbatibus ſit reſtricta ad ſuos ſubditos regulares, Novitii cenſentur ſubditi regulares, ſaltem in favorabilibus; nam & in pluribus aliis legibus Religionis tales reputantur; prout latiùs oſtendit Hurtadus *tom. 2. tract. 12. cap. 1. reſol. 33. num. 1854.* & Leander *de Ord. quæſt. 11.* quibus adhærent ipſimet Salmanticenſes *tract. 8. de Sacram. Ord. cap. 4. num. 39.* Contraria tamen opinio negativa communior eſt, ſiquidem Novitii non ſunt verè Regulares, neque propriè ſubditi Abbatum, cum degant in Monaſteriis ad experiendum, an velint, & valeant profiteri; poſſintque quandocunque diſcedere, ac ad ſæculum reverti, & ideò Abbatum facultas circa Ordines non extendi ad Novitios non ſolùm docent Canoniſtæ *Card. Tuſcus tom. 1. litt. A concl. 9. num. 7.* Ugolinus *de Offic. Epiſc. cap. 26. §. 20. num. 7.* Barboſa in *Collect. DD. ad d. ſeſſ. 23. cap. 10. Concil. Trident.* Jordanus *d. lib. 5. tit. 4. num. 60.* & Antonellus *de Regim. Mil. Eccl. lib. 2. cap. 1. num. 17. & 18.* Sed etiam Theologi Regulares, quos cumulat Barboſa ubi proximè *num. 2.* & præcipuè ipſe Tamburinus *de Jure Abb. d. tom. 2. diſp. 2. quæſ. 10. per totum*, & quod mirum ſtudentibus facit, ita tenet etiam Diana *part. 11. tract. 2. reſol. 30.* collocata in Opere ejus Coordinato *tom. 2. tract. 5. reſol. 81. §. 6.* ubi in margine notat Coordinator alias reſolutiones, in quibus ipſemet Diana amplectitur hanc opinionem; cui adhæret noviſſimè Paſqualigus *in addit.* ad Lauretum de Franchis *de Controverſ. inter Epiſc. & Regular. part. 1. nu. 10.* & hæc opinio eſt in praxi tenenda.

Secunda Quæſtio valdè famoſa eſt, An prædicti Abbates Prælati Monaſte-

riorum

Digitized by Google

riorum poſſint tradere Tonſuram, & minores Ordines tùm Clericis ſæcularibus ad eos accedentibus cum ſpecialibus dimiſſoriis ſuorum Epiſcoporum; tùm Regularibus aliorum Conventuum, vel Religionum, miſſis expreſsè ad illos ab eorumdem ordinandorum Superioribus?
19 Affirmant innumeri propemodum Doctores infra citandi, innixi ſequentibus rationibus, ac auctoritatibus. Primò, quia ad conferendos Ordines requiritur poteſtas Ordinis, & poteſtas Juriſdictionis. S. Thomas 2. 2. *q. 39. art. 3.* Poteſtatem Ordinis obtinent Abbates vel ob receptam benedictionem Epiſcopalem, vel ob Indultum, & Privilegium Pontificium, ut oſtendimus ſupra *num. 9.* Hanc poteſtatem Concilium Tridentinum nec ademit, nec limitavit iiſdem Abbatibus, quia poteſtas Ordinis tanquàm indiviſibilis non recipit reſtrictionem, nec poteſt pro parte auferri, & pro parte non, ut latiſſimè probat Fagnanus *in cap. 1. De ſupplen. neglig. Prælat. tom. 2.* Poteſtatem juriſdictionis abſtulit quidem Concilium Abbatibus circa omnes, qui non ſunt eorum ſubditi regulares; ſed hanc concedunt iiſdem Abbatibus ipſimet Epiſcopi, & alii Superiores ordinandorum, concedendo dimiſſorias ſpeciales, & conſentiendo, ut ab iiſdem Abbatibus ordinentur; poteſtas enim Juriſdictionis ſimplici voluntate, & verbo confertur. *cap. Nullus. de Paroch.* Gloſſa in *cap. Aqua. Verb. Juriſdictionis. De Conſecr. Eccl. vel Altar.* Secundò, prohibitio facta in Tridentino *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. ne Abbates ordinent alios, quàm ſuos ſubditos regulares, concernit favorem ipſorum Epiſcoporum, & aliorum Superiorum quorumcunque. Sed quilibet poteſt renunciare favori pro ſe introducto. *cap.*
20 *1. & ſeqq. 71. diſt. cap. Lugdunenſis 9. q. 2.* Ergo accedentes de conſenſu Epiſcoporum, ac aliorum Superiorum ordinandi cum ſpecialibus dimiſſoriis ad Abbates, ab his poterunt ordinari. Tertiò
21 etiam Epiſcopi Titulares prohibiti ſunt ab eodem Tridentino *ſeſſ. 14. De ref. cap. 2.* & ab eis ablata eſt poteſtas Juriſdictionis, ne quemvis Clericum poſſint ordinare. Nihilominùs de conſenſu Ordinariorum, & cum eorum dimiſſoriis ordinant Clericos alienos, ut praxis demonſtrat, & quotidie videmus. Ergo etiam Abbates cum prædicto conſenſu, & dimiſſoriis ſibi ſpecificè directis poterunt eos ordinare. Quartò reſtrictio Abbatialis poteſtatis facta à Tridentino quo ad ordinandos tantùm ſubditos regulares concordat cum diſpoſitione Juris communis antiqui in *cap. Quoniam. 69. diſt. & in cap. Cum contingat. De Ætate, & Qualit.* nam in iiſdem juribus prohibitum erat Abbatibus ordinare alios, qui non eſſent iiſdem ſubditi degentes in eorum Monaſteriis. Et tamen non obſtante illa prohibitione Abbates ordinabant extraneos, accedente conſenſu Epiſcoporum, vel Superiorum perſonarum, quæ ordinari deſiderabant, ut teſtatur Gloſſa in *d. cap. Quoniam. in Verb. Monaſterio;* & Canoniſtæ ſuper eo ſcribentes; nec non Henric. Boich. Jo. de Anania & Bellam. *in d. cap. Cum contingat.* Ergo idem poterunt facere etiam in præſenti poſt Tridentinum; nam lex nova diſponens in materia antiqua recipit interpretationes, & limitationes, quas materia ab antiquis legibus recipiebat. *l. In contractibus. §. Præterea. C. De non numer. pecun.* Gloſſa, Bartolus, & DD. *in l. Sciendum. ff. Qui ſatiſd. cogan.* Quintò tandem, quia tenendo hanc opinionem non redditur inutilis determinatio Concilii Tridentini, nam ſubſiſtit prohibitio ordinandi Clericos ſæculares ſubditos eorumdem Abbatum; & repelluntur ab hac poteſtate conferendi Tonſuram, & Ordines Abbates illi, qui innitebantur Indultis Pontificiis, etſi nullos ſubditos ſub ſe haberent; & ut ita dicam, erant Abbates ſimplices beneficiati, quos noluit Concilium poſſe de cætero uti dictis Indultis ſub quovis prætextu. 22

Auctoritate autem firmatur hæc affirmativa opinio, quia ſic reſponſum fuit à Sacra Congregatione Concilii Tridentini *in una Bononien. die* 11. *Aprilis*

*prilis* 1572. de qua meminit Fagnanus *in d. cap. Aqua. nu.8. de Conſecrat. Eccl. vel Alt.* & quæ extracta ex Actis Curiæ Archiepiſcopalis Bononiæ legitur per extenſum in Bullario Caſinenſe *tom.* 1. *Conſt.* 200. in litteris ejuſdem Sacræ Congregationis directis Cardinali Paleotto tunc Archiepiſcopo prædictæ Civitatis, per hæc verba conceptis:

*Illuſtriſſime, & Reverendiſſime Domine. Ex Sacra Congregatione Cardinalium, qui præpoſiti ſunt Decretis Tridentini Concilii interpretandis, quæſitum eſt*
23 *Illuſtriſſimæ Amplitudinis tuæ nomine, per Libellum confectum cum his litteris: An Abbates Regulares, habentes jus deferendi baculum, & Mitram, poſſint ex decreto Concilii ſeſſ.* 23. *cap.* 10. *intra fines alicujus Diœceſis, cuique qui Regularis ſibi ſubditus non ſit, Tonſuram, vel minores Ordines conferre? Quod ubi in conſultationem venit, Congregatio cenſuit, hujuſmodi Abbates, poſtquam benedictionis munus, & Sacerdotalem Ordinem ſuſceperint, Tonſuram, & minores Ordines Sæcularibus, Epiſcopi Juriſdictioni ſubjectis conferre, ſi modo ipſius Epiſcopi conſenſus accedat, iſque ſpecialiter fuerit ab eodem Epiſcopo conceſſus, ſed hac ſemper conceſſione ſingulis opus ſit, Poſſe. Item eoſdem Ordines conferre aliis Regularibus, qui Litteras Dimiſſorias ſpeciales Superiorum ſuorum, nec non ſpecialem conſenſum Epiſcopi loci habuerint. Ac præterea aliis ſæcularibus, qui aliorum Epiſcoporum ſint juriſdictioni ſubjecti, dummodò, & ipſi attulerint ſpeciales Litteras Dimiſſorias ſuorum Ordinariorum, & ſpecialem conſenſum Epiſcopi loci illius. Quod Illuſtriſſima Amplitudo Tua, pro ſua prudentia, integrè ſervandum curabit; cui Deum benignum, & propitium exoptamus. Romæ die* 11. *Aprilis* 1572. *Illuſtriſſimæ, & Reverendiſſimæ Amplitudinis Tuæ*

*Humilis Servus*

*Philippus Boncompagnus Cardinalis S. Sixti.*

Huic Magiſtrali Sacræ Congregationis Declarationi ſe conformavit S. Carolus Borromeus, qui in ſuo Concilio Provinciali Mediolanenſi V. *part.* 3. *de Sacram. Ordinis* ſic ſuis Epiſcopis ſuf-
ſraganeis iniunxit: *Abbates etiam Ba-* 24
*culi, & Mitræ jure utentes, aliovè hujuſmodi privilegio, & auctoritate conferendi minores Ordines munitos, non patiatur Epiſcopus Diœceſanus Tonſuram, atque minores Ordines (id, quod Tridentina Synodus vetuit) aliis conferre, quàm iis, qui Regulares ſunt, & eorum juriſdictioni ſubjecti; niſi & ipſius Epiſcopi conſenſus ante accedat, & illi initiandi à ſuo Epiſcopo, vel Regulari Superiore attulerint Litteras Dimiſſorias, non generatim, ſed ſpeciatim conceſſas; nec verò quibuſvis Abbatibus id permitti liceat; ſed iis tantùm, qui Sacerdotio initiati ſint, & ſtatis Benedictionis precibus conſecrati.* Ivit igitur S. Carolus cum tota illa ſua Synodo Provinciali in hanc ſententiam, nec immeritò, quia eamdem profeſſi ſunt triginta Doctores partim Theologi, partim Canoniſtæ, quos allegat Ciarlinus *d. lib.* 2. *cap.* 220. *num.* 119. inter quos Zerola in *praxi Epiſc. part.*1. *Verb. Abbas.* Rodericus Acuna Archiepiſcopus Bracarenſis *Comment. ſuper cap. Præſenti. diſt.* 95. *num.* 6. Hieronymus Venero *in Exam. Epiſcop. lib.* 1. *cap.* 12. *num.* 62. & 63. Qui quatuor DD. ſunt digni notatu, quia non ſunt Regulares propenſi Abbatiali dignitati; ſed ſunt Epiſcopi, & ut plurimùm adverſi; & cum iiſdem conſentiunt Azorius *tom.* 1. *lib.* 12. *cap.* 20. *q.* 7. Vaſquez *3.p. tom.3. diſp.243. nu.33.* Suarez *tom.4. de Relig. tract.* 8. *lib.* 2. *cap.* 49. *num.* 20. Fornarius *de Sacram. Ord. cap.5. num.8.* & plures alii apud Tamburin *de Jure Abb. tom.2. diſp.2. quæſ.* 7. apud Barboſam *de Jur. Eccl. Univ. lib.1. cap.17. nu.* 68. & Salmanticenſes *tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 38. Quibus omnibus adhæſit Fagnanus, qui fuit Secretarius eximius Sacrarum Congregationum in Romana Curia, in *d. cap. Aqua. De Conſecr. Eccl. vel Altaris à num. 8. uſque ad nu.19.* ubi diſputata ex Cathedra hac Quæſtio-
ne, allegatis pluribus fundamentis Ca- 25
nonicis, & prædicta declaratione Sacræ Congregationis in eadem Bononien. ſu-

pra

pra tranſcripta, firmat, quod Epiſcopi poſſunt mittere Clericos ſibi ſubditos cum ſuis dimiſſoriis ad Abbates, ut ab eis recipiant primam Tonſuram, & quatuor Ordines minores.

Quis non crederet hucuſque dictis, & deductis ad favorem Abbatum? Et quis faceret ſcrupulum Abbati ordinaturo Clericos Sæculares, vel Regulares non ſibi ſubditos, venientes ad ſe cum Litteris dimiſſoriis ſuorum Superiorum, &
26 Epiſcoporum? Et nihilominùs contrarium eſt omninò tenendum; quia tùm Rota Romana, tùm eadem Sacra Congregatio Concilii maturiùs eàdem quæſtione examinatâ, & diſcuſsâ, improbavit antecedentem opinionem; & ſtatuit, decrevit, ac firmavit, Non poſſe ab Abbatibus ordinari alienos ſubditos ſivè Sæculares, ſivè Regulares, etſi deferant ſpecificas dimiſſorias, & conſenſum tùm Epiſcoporum, tùm Superiorum ſuorum; quia juxta Litteram, & tenorem Concilii Tridentini in *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. Abbates non habent hodie aliam poteſtatem conferendi Tonſuram, & minores, niſi ſuis ſubditis Regularibus; idcircò cæteri omnes ſivè ſæculares eorum ſubditi, ſivè non ſubditi Sæculares, atque Regulares, non obſtantibus Dimiſſoriis ſuorum Superiorum non poſſunt mitti ad Abbates, pro iiſdem Ordinibus recipiendis.

Rota Romana ita judicavit *die* 27. *Aprilis* 1592. coram Emin. Card. Sera-
27 phino de mandato Clementis Papæ VIII. ex duobus præcipuis fundamentis, ut legitur *in Deciſ.* 985. inter impreſſas ejuſdem Cardinalis.

Primum fundamentum fuit, quod Tridentinum *in d. ſeſſ.23. cap.10. de ref.* non ſolùm decrevit, ut Abbates poſſent ordinare tantummodò eorum ſubditos regulares; ſed etiam prohibuit iiſdem Abbatibus dare dimiſſorias aliis eorum ſubditis ſæcularibus; cumque eiuſdem poteſtatis ſit dare dimiſſorias, & ordinare *cap.1.diſt.72.* & à Concilio ablata ſit Abbatibus facultas dandi dimiſſorias Clericis Sæcularibus eorum ſubditis, ſequitur, etiam abſtuliſſe Concilium Abbatibus poteſtatem ordinandi quoſcunque Clericos ſæculares, ſivè habeant, ſivè non habeant dimiſſorias à ſuis Superioribus, & Epiſcopis; quia ſicut Papa non poteſt dare licentiam ei, qui ordinatus non eſt, conferendi Ordines Sacros, ut docet Innocentius *in cap. Quanto. De Conſuetud.* cum nemo det id, quod non habet; ita non poſſunt Epiſcopi, vel alii Superiores Clericorum per dimiſſorias ſuas dare facultatem ei, qui ex diſpoſitione Concilii ea facultate caret.

Alterum Rotæ fundamentum fuit, quod ſi admitteretur contraria ſententia, concedens Abbatibus ordinare poſſe alienos ſubditos vigore dimiſſoriarum, diſpoſitio Concilii Tridentini remaneret inutilis, ac ſuperflua; ſiquidem jam antea in jure erat ſtatutum, quod nemo ordinaret alienum ſubditum abſque dimiſſoriis ſui Superioris. *cap. Nullus* 28
*Epiſcopus. De Tempor. Ordinat.* Igitur, ſi concedatur Abbatibus ordinare alienos cum dimiſſoriis, ſequitur, Concilium Tridentinum nihil aliud voluiſſe diſponere, niſi quod non ordinent ſine dimiſſoriis; quæ quidem diſpoſitio hoc modo intellecta, ſupervacanea, & inutilis foret; ut latiùs conſiderat eadem Rota coram Seraphino *in d. Deciſ.* 985.

Huic voluit ſe conformare Sacra Congregatio Concilii; forſan ob frequentes indolentias, & reclamationes Epiſcoporum, in quorum Diœceſibus Abbates Monaſteriorum magnificas ordinationes faciebant, etiam alienorum Clericorum Sæcularium, & regularium, cum ſolis dimiſſoriis Superiorum eorumdem ordinandorum; & ideò *die* 13.
*Novembris* 1641. emanavit ſequens Magiſtralis Declaratio ab ipſo Summo Pontifice Urbano VIII approbata; quam ponunt per extenſum Nicolius *in Lucubrat. Canonicis tom.2. lib.1. tit.* 14. *num.2.* nec non Pignatellus *tom.* 1. *conſult.* 366. *num.*1. hujuſmodi tenoris. 29

*Catanien.*

*Die* 13. *Novembris* 1641. *Sacra Congregatio Eminentiſſimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, utraque parte informante ore, & ſcriptis, ac rationi-*

*rationibus hinc indè deductis maturè examinatis, inhærendo Deciſioni Rotæ Romanæ ſub die 27. Aprilis 1592. coram b.m. Cardinale Seraphino, de ordine fælicis recordationis Clementis Papæ Octavi factæ, nec non Declarationibus ejuſdem Sacræ Congregationis, dictæ Deciſioni conformibus ſubſecutis; Cenſuit, improbata opinione contraria, Abbates Regulares Benedictinos ejuſdem Congregationis Caſinenſis, ſeu alterius Congregationis, vel Ordinis, aut Inſtituti, habentes etiam jura Epiſcopalia, uſumque Mitræ, & Baculi, & benedicendi, ac facultatem primam Tonſuram, & minores Ordines conferendi, Non poſſe dictam Tonſuram, vel minores Ordines, niſi ſuis ſubditis Regularibus, conferre, non autem Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, vel Inſtituti, etiamſi habeant Litteras Dimiſſorias Superiorum ſuorum Regularium, & conſenſum Ordinariorum, intra quorum Diæceſum fines ipſi Regulares Ordinandi exiſtunt: & multò minùs perſonis ſæcularibus etiam habentibus Litteras Dimiſſorias à ſuis Ordinariis. Ac propterea inhibet Archiepiſcopis, Epiſcopis, & aliis Prælatis inferioribus, tàm Secularibus quàm Regularibus, ut in futurum concedere non audeant ſupradictas Litteras Dimiſſorias hujuſmodi Abbatibus directas, nec ab iſtis recipi. Quod ſi ſecùs fiat tàm concedentes, quàm ordinantes à collatione Ordinum ſuſpenſi remaneant, præter alias pœnas arbitrio ejuſdem Sacræ Congregationis reſervatas.*

*Quam Declarationem S. D. N. Urbanus VIII die 17. Januarii 1642. ad ſe delatam approbavit, & inviolabiliter obſervari juſſit.*

Petrus Aloyſius Card. Caraffa

*Franciſcius Paulutius S. C. C. Secretar.*

Hanc eamdem Declarationem ponunt, & integram referunt ultra ſupradictos DD. Diana *part.7. tract.11. reſol. 42.* quæ tranſmigravit in Operis Coordinati *tom.2. tract.5. reſol.80.* Lezana in ſuis Conſultis Variis *Conſult. 22. ſub nu. 26.* & Hyacinthus Donatus *Rer. Regular. tom.3. tract.3. quæſt. 35. num.9.*

Eam legant Reverendiſſimi Monaſteriorum Præſules Mitrati, & huic
Declarationi acquieſcant, prout acquie- 30
verunt Miranda, Rodriquez, Barboſa, Naldus, Novarius, & alii, quos allegat Donatus *d. quæſt.35. num.2.* ſubdens *ibi in fine*, quod non eſt ampliùs diſputationi locus; undè & Lezana, qui contrariam opinionem defenderat, & ad favorem Abbatum ſcripſerat *in Summa tom.1. cap.18. num.65. & tom.4. Verb. Ordines Sacri num.6.* viſâ ſupradictâ Catanienſi Declaratione à præcedente opinione ſe removit *in cit. Conſult. 22. num.26.* & idem facere non erubuit ipſemet Fagnanus *in cit. cap. Aqua de Conſecr. Eccl. vel Altar. num. 19.* ubi reponit eamdem declarationem, dicens, quod emanavit poſtquam ipſe in contrarium ſcripſerat, & quod reperitur ipſamet Declaratio *In lib. Memorial. pag.* 427. Imò ibidem ſubdit, quod eadem Sacra Congregatio Concilii *die* 10. *Maii* 1658. iterum reſpondit juxta prædictam Declarationem, eamdem confirmando. Igitur non eſt diſputandum, ſed obediendum; & jure quidem, cum Declarationes Sacræ Congregationis Concilii habeant vim legis, & obligent in
utroque foro, ut, confutatis DD. con- 31
trarium aſtruentibus, oſtendit Barboſa *de Jur. Eccl. Univ. lib.1. cap. 4. num.* 83. & dixit Rota coram Burato *Deciſ.* 479. *num.* 21. præcipuè quando approbatæ ſunt à Sanctiſſimo, ut in præſenti caſu, in quo habetur confirmatio Urbani VIII. adeòut, & in foro fori, & in foro poli opus ſit obedire, ut tradunt DD. apud Peyrinum *de Subdito q.1.cap.25.* & Nicolius *Lucub. Canonic. in Proemio n.13.*

Sed dicet aliquis; ſi de facto aliquis Prælatus inferior, contra tenorem prædictæ Declarationis Catanienſis præſumat ordinare alienos ſubditos ſive Seculares, ſive Regulares habentes dimiſſorias à ſuis Epiſcopis, vel Superiori-
bus, ordinatio eritnè tantùm illicita, 32
vel etiam irrita, nulla, & invalida? Hoc dubium diffuſè examinatur à Fagnano *in cit. cap. Sta tuimus. de Supplen. neglig. Præl. à num.11. uſque in fine*, ubi

vocat

vocat illud difficile ob diverſa reſponſa, quæ ad illud dedit Sacra Congregatio, quæ adinvicem videntur pugnare, cum aliquando reſponderit, Ordinationes fuiſſe irritas, & invalidas, & ideò reiterandas; & aliquando dixerit, characterem fuiſſe impreſſum, & Ordinationes validas, etſi tantùm illicitas; ut apud eumdem Fagnanum *ibid. num.* 12. 13. & 14. Cæterùm hac diſtinctione ſubdit ipſe, eſſe dubium reſolvendum. Vel Prælatus inferior, qui ordinat alienos ſubditos cum dimiſſoriis, non habet ſub ſe ſubditos proprios regulares? Et in hoc caſu Ordinatio eſt irrita, nulla, & invalida; quia cum Tridentinum Concilium abſtulerit omnia privilegia Abbatum, & inferiorum Prælatorum non habentium ſubditos regulares circa collationem Tonſuræ, & minorum Ordinum, prædicti Prælati, qui non habent ſubditos regulares, carent omninò poteſtate ordinandi, & ſic ſi Ordines conferant, nihil faciunt, & Ordinatio eſt irrita. At ſi ſubditos habent regulares, & præſumant ordinare ſubditos alienos cum dimiſſoriis contra declarationem S. Congregationis, vel ſubditos ſuos ſæculares contra decretum Concilii Tridentini *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 10. quia in hoc caſu non carent poteſtate ordinandi, etſi illam reſtrictam habeant ad ſuos regulares ſubditos, nihilominùs in hoc caſu validè ordinant, & imprimunt characterem; ſed ob defectum juriſdictionis illicita eſt Ordinatio, & ſubjacet ſuſpenſioni. Hoc probat Fagnanus ibidem pluribus rationibus, & auctoritatibus Doctorum; & ſub *num.* 50. confirmat hoc exemplo: Si ego, inquit, tradidero tibi ſigillum, ut imprimas in aliqua materia centum dumtaxat imagines, & tu excedendo, facias imagines, & impreſſiones centum, & quinquaginta, vel plures, certè omnes erunt veræ imagines, & validè impreſſæ, quamvis illicitè contra meum mandatum. Ita in Ordinatione Prælatorum inferiorum. Eccleſia dedit eis ſigillum, ideſt poteſtatem imprimendi characterem ſpiritualem in anima ordinandorum per collationem minorum Ordinum; ſed eam reſtrinxit ad ſolos ſubditos regulares ejuſdem Prælati inferioris. Is, ſi excedat ordinando etiam non ſibi ſubditos, vel ſibi ſubditos ſæculares, quia poteſtas Ordinis eſt indiviſibilis, validè ordinat omnes; ſed illicitè ob prohibitionem Eccleſiæ. Quod ſi non habeat ſubditos regulares, tunc non habet ſigillum, ideſt nullam habet poteſtatem ordinandi, & ſi de facto ordinet, nihil agit. Qua diſtinctione retenta concordantur Declarationes Sacræ Congregationis, quæ videntur adinvicem contrariæ; ut ſcilicèt, quæ dicunt, Ordinationes fuiſſe irritas, procedant in Ordinationibus datis à Prælatis inferioribus non habentibus ſubditos regulares; quæ verò declarant Ordines validos, ſed illicitè collatos, intelligantur de collatione Ordinum facta ab habentibus ſubditos regulares circa perſonas vel ſæcularium ſibi ſubditorum, vel alienorum venientium cum dimiſſoriis ſuorum Epiſcoporum, & Superiorum.

Hujuſmodi eſt ſequens declaratio, quam ponit Pignatellus *tom.* 3. *conſult.* 8. *num.* 9. his verbis.

33 *Clericus Carolus Corbellus Terræ Mattoſollonis narrat, ſibi fuiſſe aliâs conceſſas à Vicario tunc exiſtentis Epiſcopi S. Marci litteras dimiſſoriales, ut promoveri poſſit ad duos primos minores Ordines à quodam Abbate Ciſtercienſi, uti reipſa fuit ab ipſo Abbate promotus. Nunc verò cupiens Orator ad alios Ordines aſcendere, renuente moderno Epiſcopo illum promovere, eò quia dictus Abbas ſibi non ſubditis Ordines conferendi facultatem nullatenus habebat, ſupplicat declarari, An ipſe Orator fuerit validè promotus in caſu, de quo agitur?*

*Die prima Decembris* 1668. *Sacra Concilii Congregatio reſpondit, Oratorem validè quidem fuiſſe promotum, ſed non licitè.*

Ex ſupradictis pariter reſultat, quid ſit dicendum, ſi Prælatus inferior habeat Privilegium Pontificium ſibi à Sede Apoſtolica conceſſum poſt Concilium Tridentinum conferendi Tonſuram,

ram, & quatuor minores Ordines certo generi perſonarum, prout habet Illuſtriſſimus Primicerius Sancti Marci Venetiarum, & ordinet Clericos non ſibi ſubditos venientes ad ſe cum dimiſſoriis ſuorum Superiorum? Reſpondet enim huic caſui ipſemet Fagnanus *in d. cap. Statuimus* in fine his Verbis: *Si habet Privilegium poſt Concilium, & tunc aut ordinat perſonas deſignatas in privilegio, & ordinati ab ipſo recipiunt characterem, & executionem Ordinum, quia Concilium non ſuſtulit privilegia futura, nec eſt opus ut Tridentino Concilio in Litteris Privilegii fuerit ſpecialiter derogatum; ſed ſatis eſt, ut fuerit expreſsè conceſſum contrarium ejus, quod Concilium diſponit, ut ſæpiùs cenſuit Sacra Congregatio. Aut ordinat perſonas in privilegio non comprebenſas, ut in caſu præſentis Quæſtionis; & valida eſt ordinatio ratione abſolutæ poteſtatis; ſed ob defectum Juriſdictionis, Ordinis executio non confertur, ut patet ex ſupradictis.*

Sed adhuc inſtabit aliquis, Abbas Monaſterii Regularis finito ſuo triennali officio, vel eo depoſito, ut ſui ipſius quieti vacet, poterit ordinare in minoribus Clericos regulares ejuſdem Monaſterii ex commiſſione actualis Abbatis? Reſpondendum eſt huic inſtantiæ negativè, ex illa inconcuſſa regula, quod Abbas non poteſt ordinare niſi Monachos ſibi ſubditos. At certum eſt, quod Monachi non ſunt ampliùs ſubditi illius Abbatis, qui complevit officium, vel eidem renunciavit. Ita reſpondit Gobatus *tract. 8. de Ord. num.* 348. Confirmatur reſponſio Declaratione Sacræ Congregationis *diei* 5. *Aprilis* 1636. quam ponit Pignatelius *d. tom.* 1. *Conſult.* 366. *num.* 5. in qua dictum fuit, quod *Abbas finito officio non poteſt conferre Ordines minores, licèt ſit Procurator generalis in Curia.*

Reſtat loquendum de tertio genere Abbatum, illorum ſcilicet, qui non ſolùm ſunt exempti à Juriſdictione Epiſcopi; ſed etiam habent omnimodam Juriſdictionem Epiſcopalem in Clerum, & populum cum Territorio ſeparato, & vocantur Ordinarii, & Diæceſani in ſua Abbatia. De his igitur etiam diſputatur, & dubitatur, An poſſint dare Tonſuram, & minores Ordines omnibus ſuis ſubditis tàm regularibus, quàm ſæcularibus, & iiſdem omnibus concedere Dimiſſorias, ut à quocumque Catholico Antiſtite etiam ad Sacros Ordines promoveantur?

Fagnanus *in cap. Significaſti à num.* 12. *& ſeqq. De Offic. Archid. tom.* 2. tractat hoc quæſitum in virga ferrea, & poſt multas diſtinctiones, & inductiones *ſub num.* 24. deducit, quod *Nullus Prælatus inferior Regularis, aut ſæcularis hodie reperitur, cui liceat Tonſuram, & minores Ordines conferre perſonis ſæcularibus, tametſi omnimodam Juriſdictionem Ordinariam, & quaſi Epiſcopalem, ac etiam Temporalem habeant in Clerum, & populum, excluſis Epiſcopis; & ſivè illorum Territorium ſit intra fines alicujus Diæceſis, ſivè extra.* Et ſubindè adducit varias Declarationes S. Congregationis Concilii, quibus præcipitur Abbatibus poſſidentibus Abbatias exemptas, & habentibus plenam Juriſdictionem Epiſcopalem in Clerum, & populum, ac Territorium ſeparatum, ut abſtineant à conceſſione Dimiſſorialium pro Clericis ſæcularibus, quorum ordinatio ex d. decreto Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. ſpectat, & ſpectare debet non ad ipſos Abbates, ſed ad Epiſcopos intra quorum Diæceſeon fines exiſtunt dictæ Abbatiæ; quæ ſi reperiantur extra fines cujuſcunque Epiſcopatus, ordinatio antedictorum Clericorum ſæcularium pertineat, & pertinere debeat ad Epiſcopum viciniorem, ut ex iiſdem Sacræ Congregationis reſponſis, quæ ſtudioſus Lector apud eumdem Fagnanum poterit videre *in d. cap. Significaſti. à num.* 26. *uſque in finem.*

Cæterùm contra hanc doctrinam Fagnani plura ſunt argumenta, quæ ſuadent, poſſe prædictos Abbates dare dimiſſorias ad Ordines tàm minores, quàm majores Clericis ſæcularibus ſibi, ut ſupra, ſubjectis. Hæc autem ſunt:

Primò Deciſio Rotæ *coram Emin. Card.*

*Card. Otbobono*, qui fuit Alexander Papa VIII. in una Avellina Juriſdictionis 4. *Julii* 1646. inter ejus impreſſas *Deciſ.* 82. *num.* 11. & 12. ubi tenet, quod Abbatibus habentibus plenam Juriſdictionem Epiſcopalem in Clerum, & populum, ac Territorium ſeparatum, non obſtat Decretum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 23. *cap.* 10. quia ſunt Ordinarii, & Diæceſani in ſua Abbatia, & ſic poſſunt dare dimiſſorias ad Ordines etiam ſuis ſubditis ſæcularibus.

Secundò: Alia Deciſio Rotæ, equidem Magiſtralis, in Cavenſi collationis Ordinum 26. *Junii* 1654. *coram R. P. D. Veroſpio*, quam ponit per extenſum Pignatellus *tom.* 8. *Conſult.* 59. *à num.* 9. & *ſeqq.* & quæ impreſſa reperitur in Bullario Caſinenſi *tom.* 2. *Conſt.* 521. in qua deciſum fuit, Sacrum Monaſterium SS. Trinitatis Cavenſe habere proprium Territorium, Nullius Diæceſis fore, Abbatem illius omnimodam Juriſdictionem Epiſcopalem poſſidere; & ideò Litteras Dimiſſoriales concedere, & minores Ordines conferre omnibus ſuis ſubditis etiam ſæcularibus poſſe.

Tertiò: Opinio Stephani Gratiani in *ſuis Diſceptationib. Forenſib. tom.* 2. *cap.* 212. ubi tractat in terminis hanc Quæſtionem, & *num.* 25. 26. & 27. ita loquitur: *Quibus adde, quod Abbas, qui exercet Juriſdictionem ordinariam in aliquo Territorio ex conſuetudine immemorabili, confirmata à Sede Apoſtolica, poterit concedere hujuſmodi Litteras Dimiſſorias ad Ordines, itaut ei non obſtet ſupradicta diſpoſitio Concilii Tridentini cap.* 10. *ſeſſ.* 23. *de ref.* Hanc Gratiani opinionem ratam habet Barboſa *de Jure Eccl. Univ. lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 69.

Quartò: Conſultatio Jo. Baptiſtæ Ciarlini ad favorem Archipresbyteri Carpenſis, quem *lib.* 2. *cap.* 220. demonſtrat habere Territorium ſeparatum cum omnimoda Juriſdictione Epiſcopali in Clerum, & populum; & idcircò poſſe omnibus ſuis ſubditis etiam ſæcularibus Ordines minores conferre; & dimiſſorias dare; imò *num.* 99. ſubdit quod ſi hujuſmodi Abbates eſſent Epiſcopi, poſſent eoſdem etiam in Sacris ordinare; & allegat Sellium *in Selectis Canonicis Quæſt. cap.* 19. *num.* 21. aſſerentem, ſic fuiſſe reſolutum à Sacra Congregatione Concilii *die* 8. *Auguſti* 1621. & hoc idem teſtatur Barboſa *in Apoſtol. Deciſ. Verb. Abbas num.* 20.

Quintò: Reclamatio RR. PP. Carthuſianorum, quibus cum fuiſſet prohibitum à Sacra Congregatione *Epiſc. & Regul. die* 21. *Febr.* 1631. ne Prior S. Stephani de Buſco daret dimiſſorias Clericis ſæcularibus ſibi ſubditis ad Ordines, ipſi oſtenderunt, Prioratum illum eſſe exemptum, habere Territorium ſeparatum, & omnimodam Epiſcopalem Juriſdictionem. Quibus attentis eadem S. Congregatio *die* 18. *Junii* 1632. revocavit prohibitionem, & admiſit tanquàm juridicam earumdem Litterarum dimiſſorialium conceſſionem. Ita Tamburin. *de Jure Abb. tom.* 2. *diſp.* 2. *quæſ.* 26. *num.* 3. & Barboſa *d. Verb. Abbas num.* 21.

Sextò: Quia Abbas Monaſterii Montis Caſini tanquam Ordinarius, & Diæceſanus concedit ſuis ſubditis ſæcularibus dictas dimiſſoriales ad omnes Ordines prout ex Bulla Sixti V. *diei* 6. *Auguſti* 1586. quæ legitur in Bullario Caſinenſi *tom.* 1. *Conſtit.* 227. Eamdem facultatem ſibi competere ob prædictas qualitates omnimodæ Juriſdictionis Epiſcopalis cum Territorio ſeparato obtinuerunt declarari Abbas Caſinenſis SS. Trinitatis de Cava à Paulo Papa V. *die* 23. *Octobris* 1620. ut in eodem Bullario Caſinen. *tom.* 1. *Conſtit.* 286. Et Abbas Monaſterii S Pauli de Urbe pariter Caſinenſis ab Urbano Papa VIII. *die* 10. *Julii* 1625. ut in eodem Caſinen. Bullario *tom.* 1. *Conſtit.* 296.

39

Septimò: Quia multi Abbates Commendatarii profitentes habere eamdem plenam Epiſcopalem Juriſdictionem, ac Territorium ſeparatum, abſque ſcrupulo concedunt dimiſſorias ad omnes Ordines ſubditis ſuis ſæcularibus, ut de Abbate Nonantulæ. teſtatur Ciarlinus *d. lib.* 2. *cap.* 220. *num.* 52. & de Abbate Vangadiciæ ego teſtis ſum tempore glo-

40



Digitized by Google

rioſæ memoriæ Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Georgii Cornelii Senioris Epiſcopi Patavini, & dum viveret, ejuſdem opulentiſſimæ Abbatiæ Vangadicenſis Commendatarii Abbatis, Heri mei beneficentiſſimi, qui eiuſdem Abbatiæ Clericos ſæculares ordinabat, & dimiſſorias iiſdem ad Ordines concedebat; nec argui poterat de inſcitia;
41 fuerat enim Sacræ Rotæ Romanæ Auditor clariſſimus; & quoſcunque Prælatos coætaneos ſuos ſcientia, prudentia, zelo, Paſtoralique ſollicitudine ſuperabat.

Quid igitur terminandum? & cui ex his contrariis opinionibus adhærendum? Puto, contrarietatem de medio tolli, ſi Abbatias exemptas, & nullius Diœceſis dictas, ſed abſque Territorio penitùs ſeparato, ab illis Abbatiis, quæ ultra omnimodam Juriſdictionem Epiſcopalem, etiam Territorium ſeparatum habent, diſtinguamus. In Abbatiis, veram Territorii ſeparationem non habentibus, non poſſunt Abbates ordinare ſubditos ſæculares, nec eis Litteras dimiſſorias pro ordinibus concedere juxta doctrinam Fagnani *in cit. cap. Significaſti: De Off. Archidiac.* & Pignatelli *in cit. tom. 8. Conſult. 59.* in qua *à num. 19.* facit ſe amanuenſem, tranſcribendo de verbo ad verbum dicta per eumdem Fagnanum. Ratio eſt, quia ſunt intra fines Epiſcopalis Diœceſeos, ut ait Concil. Trid. de quo *ſupra num. 14.* At in Abbatiis, de quibus diximus ſupra in ſecundo præmiſſo, ſuum Territorium verè,
42 & propriè ſeparatum habentibus cum totali Epiſcopali Juriſdictione legitimè præſcripta, præcipuè circa judicandas cauſas matrimoniales, & dandas dimiſſorias ad Ordines etiam ſubditis ſæcularibus, non videtur negandum, quod Abbates earum poſſeſſores poſſint ſubditos ſæculares ordinare, & iiſdem impartiri dimiſſoriales Litteras, ea ratione quia ſunt extra fines cujuſcunque Epiſcopalis Diœceſis; & de eis non fuit diſpoſitum in Concilio Tridentino *d. cap. 10. ſeſſ. 23.* & ſic ſentit Barboſa *de Jur. Eccl. Univ. d. lib. 1. cap. 33. num.* 62. ubi hæc verba: *Verùm ſi inferiori hujuſmodi Prælato Territorium ſeparatum cum plena juriſdictione in omnes homines tàm de Clero, quàm de populo fuerit conceſſum; Epiſcopuſque omne jus, omnemque Juriſdictionem, & correctionem, quæ ei competebat, à ſe penitùs abdicaverit, nullumque jus in eis retinuerit, etiam quo ad conſecrationes, ordinationes, cæteraſque Epiſcopalis officii indigentias; ſed eas à quocunque voluerit Epiſcopo recipiendi illi tribuerit facultatem; per donationes Apoſtolicis confirmationibus munitas, credo tali caſu, poſſe Inferiorem dimiſſorias concedere, nec eſſe adeundum viciniorem Epiſcopum ad notata per Rotam In Nullius, ſeu Squillacen. Juriſdictionis 4. Martii 1616. coram b. m. Martino Andræa, & in eadem coram eodem 15. Januarii 1618.* Harum prima habetur in *recent. part. 4. deciſ. 234. tom. 1.* & poſt Tamburinum *de Jure Abb. tom. 3. deciſ. 69.* Prædictam ſuam opinionem ratificat Barboſa etiam *de Pot. Epiſc. alleg. 7. num. 8.* & in Votis Deciſivis *lib. 2. Vot. 57. num. 6* ubi ſic tenentem ex Declaratione *S. Congregationis Epiſc. & Regul.* allegat Florem de Menna *Var. QQ. lib. 3. q. 24. à num. 6. & ſeqq.* Cum iiſdem concordat Tamburinus *de Jure Abb. tom. 2. diſp. 2. quæſ. 26. num. 2. & 3.* ubi citat Rotam coram Card. Seraphino *in Una Salamantina Juriſdictionis die 9. Maii* 1594. quam per extenſum ponit poſt *tom. 3. deciſ.* 117. in ea enim dicitur, Concilium Trid. *ſeſſ. 23. cap. 10.* non obſtare Abbatibus Territorium penitùs ſeparatum, atque omnimodam Juriſdictionem Epiſcopalem, cum totali excluſione Epiſcopi, habentibus, quin poſſint dimiſſorias ſæcularibus ſubditis ſuis dare; & ita etiam eſſe deciſum à Sacra Congregatione die 16. Julii 1601. teſtatur Nicolius *in Floſculis Verb. Abbas num. 8. in fine.* His omnibus adjungo Dianam *part. 7. tract. 2. reſol. 4.* exiſten. in Coordinato *tom. 3. tract. 3 reſol. 5.* Campanilem *Rubr. 9. cap. 8. num. 4.* Theſaurum *de Pœnis Eccleſ. part. 2. Verb. Ordines. cap. 20.* Sanchez *in Opuſcul. lib. 7. cap. 1. dub. 21. num. 6.*

Leza-

Digitized by Google

Lezanam *tom. 3. Verb. Dimiſſoriæ nu. 3. & tom. 4. Verb. Ordines ſacri num. 13.* & Paulum Squillantem *De Obligat. & Privil. Epiſc. part. 3. cap. 24. num. 16.* qui omnes ſunt favorabiles poteſtati ſupradictorum Abbatum circa conceſſionem dimiſſorialium pro ſuis ſubditis ſæcularibus ad Ordines à quocunque Antiſtite promovendis.

## PRIVILEGIUM

*Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Primicerii S. Marci Venetiarum pro collatione Tonſuræ, & Ordinum minorum.*

ALEXANDER VIII. Ad perpetuam rei memoriam. Ad Apoſtolicæ Dignitatis faſtigium, nullo licèt meritorum noſtrorum ſuffragio, per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam evecti, circa ſtatum omnium Eccleſiarum, præſertim Inſignium, quarum Nobis à Domino commiſſa eſt ſollicitudo, Perſonarumque in eis primarias Dignitates obtinentium propenſis ſtudiis jugiter intendimus, earumque decori, ac dignitati paterna benignitate conſulimus, ſicut Perſonarum, & locorum qualitatibus maturè conſideratis ſalubriter expedire in Domino arbitramur. Cum itaque, ſicut accepimus, Inſignis Collegiatæ Eccleſiæ Sancti MARCI Venetiarum, quæ ab Ordinarii Juriſdictione exempta, Sedique Apoſtolicæ immediatè ſubjecta exiſtit, Primicerius pro tempore exiſtens, qui Dignitatem inibi principalem obtinere dignoſcitur, quamplurimis hucuſque per Romanos Pontifices Prædeceſſores noſtros, & Sedem Apoſtolicam conceſſis privilegiis decoratus reperitur, adeò ut inter cætera, vigore Privilegiorum hujuſmodi primam Tonſuram perſonis eidem Eccleſiæ inſervientibus conferre, ac propterea in omnibus actibus ſolemnibus, atque etiam Proceſſionibus Mitra, & Baculo, aliiſque Pontificalibus inſigniis in Eccleſia præfata, & aliis Eccleſiis illi ſubjectis uti, & indumenta, ac ornamenta Eccleſiaſtica quæcunque, in quibus Unctio ſacra adhibenda non ſit, pro uſu earumdem Eccleſiarum benedicere; nec non in prædicta S. MARCI, & aliis ſubjectis Eccleſiis ſolemnem Benedictionem impendere poſſit. Quinimò etiam ulteriùs ab immemorabili tempore idem Primicerius perſonis Eccleſiaſticis hujuſmodi ſervitio addictis Litteras Dimiſſoriales ad omnes, etiam ſacros, & Presbyteratus Ordines concedere, nec non Presbyteros, quos prævio examine per ſe, vel alium, ſeu alios, ad Sacras Chriſti fidelium confeſſiones audiendas approbandos duxerit, pro iiſdem Chriſti fidelium ad Eccleſias præfatas confluentium confeſſionibus excipiendis deputare, iiſque opportunam etiam concedere licentiam hactenùs conſueverit.

Nos conſiderantes Eccleſiam Sancti MARCI ſupradictam ingenti olim ſumptu ſplendidiſſimè extructam, ac ditiſſimè exornatam, præclarioribus in dies Dilectorum, filiorumque Nobilium Virorum, DUCIS, & DOMINII VENETORUM pietatis, & magnificentiæ in eam argumentis celebriorem evaſiſſe, nec non ſingularibus in Nos, & hanc Sanctam Sedem Ducis, & Dominii præfatorum Catholicæ Fidei conſervandæ, & propagandæ Zelo, aliiſque eximiis virtutibus, atque decoribus multipliciter præfulgentium adducti; ipſamque Eccleſiam Sancti MARCI, & illius pro tempore exiſtentem PRIMICERIUM amplioris honoris prærogativa decorare, ac aliquod paternæ noſtræ erga Civitatem Venetiarum, Patriam noſtram dilectiſſimam, Benevolentiæ monumentum extare cupientes; nec non dilectum Filium modernum dictæ Eccleſiæ Primicerium, à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis Sententiis, Cenſuris, & pœnis, à Jure, vel ab homine, quavis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum,

harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, Motu proprio, ac ex certa ſcientia, & matura deliberatione Noſtra, deque Apoſtolicæ Poteſtatis plenitudine, eidem moderno, ejuſque Succeſſoribus Eccleſiæ Supradictæ Primiceriis, in perpetuum, ut eiſdem perſonis, quibus de præſenti vigore Privilegiorum præfatorum Primam Tonſuram conferre poſſunt, etiam quatuor minores Ordines, dummodò aliàs idoneæ ſint perſonæ prædictæ, ſimiliter conferre; nec non ad majorem cautelam, & quatenùs opus ſit, ut idem modernus, & pro tempore exiſtentes Primicerii, prout hactenus conſueverunt, perſonis hujuſmodi Litteras Dimiſſoriales ad Clericalem characterem, & ad omnes, etiam Sacros, & Presbyteratus Ordines, ad effectum illos extra tempora ad id à Jure ſtatuta, vel non ſervatis temporis interſtitiis, ſi licentiam à Sede Apoſtolica deſuper obtinuerint, aut in decretorum Concilii Tridentini, & in caſibus ab eodem Concilio conceſſis intra annum, annique curriculo non expectato, à quocunque, quem maluerint, Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente ſuſcipiendi concedere; nec non prout hactenùs ſimiliter conſueverunt, Presbyteris, qui ab iiſdem moderno, & pro tempore exiſtentibus Primiceriis, per ſe, vel alium, ſeu alios, priùs ad Sacras Chriſti fidelium confeſſiones audiendas examinati, & approbati fuerint, quarumcunque utriuſque ſexus perſonarum ad præfactam Sancti MARCI, & alias ſubditas Eccleſias, devotionis cauſa confluentium confeſſiones audiendi, iiſque ſalutari pœnitentia, aliiſque injungendis injunctis abſolutionem impendendi, licentiam impartiri liberè, & licitè poſſint, & valeant, Tenore præſentium, facultatem concedimus, & impartimur. Decernentes eaſdem præſentes Litteras, & in eis contenta quæcunque, etiam ex eo, quod quicunque etiam ſpecifica, & individua mentione digni, in præmiſſis intereſſe habentes, ſeu habere quomodolibet prætendentes illis non conſenſerint, nec ad ea vocati, citati, & auditi, nec cauſæ, propter quas præſentes emanarunt, ſufficienter adductæ, verificatæ, & juſtificatæ fuerint, aut ex alia quacunque, quantumvis juſta, legitima, pia, & privilegiata cauſa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore Juris clauſo, nullo unquam tempore, de ſubreptionis, obreptionis, aut nullitatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, aut intereſſe habentium conſenſu, aliovè quocunque, etiam quantumvis magno, & ſubſtantiali, & incognito, & inexcogitabili, individuamque expreſſionem requirente defectu notari, impugnari, infringi, retractari, limitari, ad terminos juris reduci, aut in controverſiam vocari, ſeu adverſus illos aperitionis oris, reſtitutionis in integrum, aliudque quodcunque Juris, facti, vel gratiæ remedium impetrari, vel intentari, aut impetrato, ſeu etiam motu, ſcientia, & poteſtatis plenitudine paribus conceſſo, vel emanato, quemquam in judicio, vel extra illud uti, ſeu ſe juvare poſſe; ſed ipſas præſentes Litteras ſemper, & perpetuò firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quoſcunque ſpectabit, in omnibus, & per omnia pleniſſimè ſuffragari, ſic, & non aliter in præmiſſis per quoſcunque Judices &c. judicari, & definiri debere, ſublata &c. ac irritum &c. Non obſtantibus &c. Quibus omnibus ſpecialiter, & expreſsè derogamus, & derogatum eſſe volumus, cæteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, ſub Anulo Piſcatoris die 8. Aprilis 1690. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

## DECISIO XVI.

*ARGUMENTUM.*

Proponuntur, & reſolvuntur quatuor curioſa dubia. Primò: An ex com-

ex commiſſione Papæ poſſint Clerici non Presbyteri conferre Tonſuram, & Ordines minores? Secundò: An Presbyteri ex eadem Papali delegatione poſſint conferre Subdiaconatum? Tertiò: An etiam Diaconatum? Quartò: An & Presbyteratum? Dantur non inutiles obſervationes legales præcipuè circa famigeratum Privilegium Innocentii VIII ad Abbates Ciſtercienſes pro collatione Sacrorum Ordinum.

SUMMARIUM.

1 *Miniſter Ordinis an eſſe poſſit qui non eſt Sacerdos?*
2 *Errori proximum eſt aſſerere, non Sacerdotem poſſe Ordines dare.*
3 *Diana aſſerit, non Sacerdotem poſſe eſſe Miniſtrum Ordinum.*
4 *Epiſcopi conſecratio an ab uno ſolo Epiſcopo fieri poſſit?*
5 *Dianæ opinio ſingularis, quod non Sacerdos poſſit conferre Ordines.*
6 *Cardinales Diaconi non conferunt Ordines, neque Tonſuram.*
7 *Abbates, qui non ſunt Presbyteri, numquam dederunt Ordines.*
8 *Abbates olim non ordinabantur ultra Diaconatum.*
9 *Laici olim dabant primam Tonſuram. Imo aliqui ſibi ipſis.*
10 *Tonſura illa non erat character Clericalis, ſed ſignum contemptus ſæculi.*
11 *Miniſter Ordinis eſſe non poteſt, qui non eſt Sacerdos.*
12 *Subdiaconatus à Presbytero an ex delegatione Papæ poſſit conferri? Quod non Ratio num. 13. Quod ſic* num. 17.
14 *Chorepiſcopi an darent Ordines Sacros? Et cur?* num. 16.
15 *Subdiaconatus olim non erat Ordo Sacer. &* num. 19.
17 *Presbyter poteſt ex commiſſione Papæ ordinare Subdiaconos.*
18 *Innocentii VIII. Privilegium, ut Abbates Ciſtercienſes conferant Ordines Sacros, &* num. 24. *ejus Verba* num. 25.
20 *Diaconi olim miniſtrabant Communionem in Miſſa.*
21 *Diaconatus an poſſit conferri à ſimplici Presbytero?* & num. 22. & 27.
23 *Gloſſæ opinio prævalet aliis Doctoribus.*
26 *Franciſcani non Epiſcopi in India conferunt Ordines Sacros.*
28 *Ciſtercienſium Privilegium Autenticum nemo vidit de Ordinibus Sacris conferendis.*
29 *Privilegium qui aſſerit habere, debet Autenticum monſtrare.*
30 *Victoria Theologus quid legerit in Privilegio Innocentii VIII.*
31 *Sumptum de ſumpto non probat.*
32 *Privilegia omnia Prælatorum inferiorum circa collationem Ordinum Sacrorum à Tridentino revocata.*
33 *Presbyter an poſſit conferre Presbyteratum ex commiſſione Papæ? quod ſic. Rationes* num. 34. *Quod non* num. 35.
34 *Aerii, & Wicleſi error.*

Adhuc autem occaſione poteſtatis, quam habent Abbates conferendi primam Tonſuram, & quatuor minores Ordines ſubditis ſuis regularibus, ut in præcedenti demonſtratum eſt, reſtant tres aliæ Quæſtiones breviter diſcutiendæ, ac terminandæ. Prima eſt, an qui non ſunt Presbyteri, ſed ſunt exempli gratia Diaconi, vel Subdiaconi tantùm, aut ſolùm in minoribus Ordinibus conſtituti, poſſint deputari à Papa miniſtri primæ Tonſuræ, ac minorum Ordinum? Secunda eſt, an ſimplices Presbyteri poſſint ab eodem Papa delegari ad conferendos Sacros Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines? Tertia, an etiam ad conferendum Presbyteratum?

Quo ad Primam Quæſtionem. Negativè reſpondent Salmanticenſes *in tract. 8. de Sacram. Ordin. cap. 4. num.* 20. ea ra-

ea ratione, quia cum hoc, quod eſt Ordines conferre, ſoli Epiſcopo ut ordina-
1 rio Miniſtro ex jure divino competat; juſtum eſt, ut nulli alteri hæc poteſtas ex delegatione conferatur, niſi illi, qui ſit miniſter proximus eidem Epiſcopo, nempè habenti characterem Sacerdotalem, in quo radicaliter ineſt Ordo Epiſcopalis, & reperitur ipſamet ordinandi facultas. Idcircò ſubdunt ibidem Salmanticenſes, inauditum eſſe hucuſque in Eccleſia, ut aſſerunt communiter Doctores, quod facultas Ordines minores conferendi, conceſſa unquam fuerit alteri, niſi Sacerdoti. Ita etiam docet S. Thomas *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 2.* nec non *3. p. q. 38. art. 1. ad tertium*. Sylveſter *V. Ordo 3. q. 7.* Dicaſtillus, & Nugnus apud eoſdem Salmanticenſes, qui aſſerunt, oppoſitum dicere eſſe erro-
2 ri proximum. Cum his concordant Capreolus, Ledeſma, Victoria, Paludanus, & Tabiena, quos citat, & ſequitur Sanchez *in Opuſc. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 18. num. 7.* & Bonacina *tom. 1. de Sacram. Ord. diſp. 8. q. Unic. punct. 4. num. 4.*

Contrarium tamen ſcribit Diana Coordinatus in *tom. 3. tract. 1. reſol. 74.* deſumpta ex veteri *part. 8. tract. 1. reſol.*
3 *38.* ubi allegat Gloſſam ſic tenentem *in cap. Quanto. de Conſuetud.* & movetur ex eo, quod etſi qui alium ordinat, & elevat ad Eccleſiaſticum Ordinem, debeat ordinandos dignitate ſuperare; hæc ſuperioritas ſemper reperietur in ordinante quamvis non Presbytero; ſiquidem ſupponitur, hunc habere Ordines, quos vult aliis conferre; cumque in tali collatione procedat tanquam delegatus à Papa; ex hac delegatione adipiſcitur ſuperioritatem, & excellentiam, qua fit dignior ordinandis ab eo. Ulteriùs nemo eſt, qui non concedat, poſſe Pontificem concedere ex privilegio, ut quis conſecretur Epiſcopus ab
4 uno ſolo Epiſcopo, licèt ex divina inſtitutione ad hujuſmodi conſecrationem tres requirantur Epiſcopi. Id probatur ex S. Gregorio Magno, qui *Lib. 12. Epiſt. Regiſtri Epiſt. 31.* reſpondit ad S. Auguſtinum Legatum ejus in Anglia, poſſe in caſu neceſſitatis ab uno ſolo Epiſcopo alium in Epiſcopum conſecrari. Et Henriquez *in Summ. tom. 1. cap. 24.* refert, quod Gregorius XIII. peculiari Brevi diſpenſavit, ut Patriarcha Æthiopiæ ſolus, ubi eſſet opus, conſecraret Epiſcopos, & concordat circa hæc Cotonius *Lib. 3. Controv. 1. num. 126.* Hoc idem eſſe practicatum pro Miſſionariis in America notat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 8. num. 74.* Ergo à ſimili, ait Diana, poterit Pontifex concedere ſpeciali ſuo privilegio, ut Subdiaconi, aut Diaconi, vel etiam Clerici in minoribus ordinibus conſtituti poſſint Ordinem, quem ipſi habent, aliis conferre.

Hæc opinio Dianæ eſt ſingularis, quia nullum alium Auctorem reperio, qui eam amplectatur; imò neque ipſe 5
reputat eam probabilem, nam ſe remittit judicio Summi Pontificis; ego autem credo, contrariæ eſſe omninò adhærendum. Primò, quia Gloſſa, quam allegat *in cap. Quanto. de Conſuetudine* hoc non dicit, etſi hoc dixerit *in cap. Manus quoque de Conſecr. diſt. 5. in Verb. Irritum*. Secundò, quia Cardinales non Presbyteri, etiamſi ſint Diaconi non poſſunt Ordines minores conferre, ut probat Emin. Card. Brancatius *in Opuſc. de Benedict. Diacon. pag. 292. Verſ. Confirmatur Secundò*. Et nihilominùs Cardinales Diaconi longè 6
præſtantiores ſunt ne dum Abbatibus, verùm etiam Epiſcopis, Archiepiſcopis, & Patriarchis, ut ajunt DD. apud Azorium *tom. 2. lib. 4. cap. 1. q. 1. & 9.* Tertiò, quia qui non habet poteſtatem Ordinis in verum Chriſti Corpus, quæ confertur in Sacerdotio, non debet habere eamdem Ordinis poteſtatem in Corpus Chriſti myſticum; quæ exercetur in Ordinibus conferendis, & deputandis Miniſtris in Eccleſia. Quartò, quia etiam in antiquiſſimis ſæculis, quando conceſſum primitùs fuit Abbatibus, conferre primam Tonſuram, & quatuor Ordines minores, poſitum fuit expreſsè hoc requiſitum; 7
ut ſcili-

Digitized by Google

ut ſcilicèt Abbates conſtituti eſſent in Ordine Sacro Presbyteratus, ut legitur in ſeptima Synodo Œcumenica *cap.14.* relato *in cap. Quoniam. diſt.69.* Quandoquidem tunc plures ex Abbatibus ob humilitatem nolebant aſcendere ad Ordinem Sacerdotalem, ſed contenti erant Subdiaconatus, vel Diaconatus gradu, ut de S. Benedicto Patriarcha totius Ordinis, & de S. Mauro Abbate notant Sæculi Benedictini in eorum Vitis. Et nos diximus ſupra *Deciſ. XIV. num. 22.* Hinc S. Gregorius Magnus *Libr. 1. Epiſt. 12. & Libr. 4. Epiſt. 5.* mentionem
8 faciens de Abbate Monaſterii Portuſveneris nominat eum Diaconum; & *Lib.5. Epiſt.44.* conceſſit ex ſpeciali gratia Urbico Abbati, ut Presbyter ordinaretur. Igitur tunc Abbates, qui non erant Presbyteri, Ordines minores conferre non poterant, neque ſuis ſubditis; ut latè demonſtrat Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. Cum contingat. De Ætate, & Qual. tom.1.* & per conſequens multò minùs, nunc qui neque ſunt Abbates, neque characterem Sacerdotalem poſſident, poterunt delegari miniſtri ad collationem primæ Tonſuræ, & minorum Ordinum.

His obſtare videtur id, quod ſcribit Mabillon in obſervationibus ad Sæcula Benedictina *tom.1. Anno 580. ſub Litt. A.* videlicèt, quod antiquitùs nonnumquàm ipſimet Laici pietatis, ac devo-
9 tionis nota conſpicui primam Tonſuram conferebant, de quibus exempla non carere ait uſque ad Sæculum Nonum: & ſub *num.30. ibid.* ſubdit, quod in miraculis S. Maximini Abbatis Miſiancenſis ita legitur: *Cui miniſterio præfuit Venerabilis Simon nomine, à Laico quidem tonſuratus, ſed modeſtiæ, & gravitatis moribus non improbabiliter adornatus.* Imò nonnulli ſibi ipſis capillos præſcindebant, & ſic in Clerum adlegebantur, ut de S. Chlodoaldo narrat Gregorius Turonenſis *Lib.3. Hiſt. cap. 18.* inquiens: *Is poſtpoſito Regno terreno ad Dominum tranſiit, & ſibi manu propria capillos incidens Clericus factus eſt.* Ergo Laicis etiam collatio Tonſuræ olim erat permiſſa; idcircò multò magis habentibus Ordines infra Presbyteratum poterit ejuſdem, ac minorum Ordinum collatio delegari.

Reſpondetur, falſam eſſe conſequentiam; & ad exempla adducta dicendum eſt, Tonſuram à Laicis collatam antiquitùs non fuiſſe illam, quam Sacri Canones appellant Clericalem characterem, & eſt preparatio ad Ordines, de 10
qua egimus ſupra *Deciſ. 10. num. 1. & 2.* ſed extitiſſe materialem abſciſſionem Capillorum ad denotandum firmum propoſitum ſerviendi Deo, & mundum deſerendi; qua viſa vel Prælati Regulares recipiebant in Monaſterium perſonam ſic detonſam, ut ingrederetur Novitiatum, ad experiendum ſtatum Religioſum; vel Epiſcopi ſic detonſos introducebant in Eccleſiam, ſuis loco, & tempore Tonſurâ Eccleſiaſticâ, & habitu Clericali decorandos. Quapropter idem Mabillon *loco antè citato* adjungit, quod etiam *S. Sigirannus ſui capitis comam totondit; licèt poſtea ab Epiſcopo Turonenſi Clericus factus dicatur.* Epiſcopus enim, ut dictum eſt, confert tanquam Miniſter Ordinarius Sacramentum Ordinis; Presbyter autem, non
autem carentes Presbyteratu, poteſt 11
delegari Miniſter extraordinarius pro collatione primæ Tonſuræ, & minorum Ordinum.

Secunda Quæſtio eſt: An ſimplices Presbyteri quemadmodum delegantur à Papa miniſtri Tonſuræ, & minorum Ordinum; ita etiam deputari poſſint ad collationem Subdiaconatus, & Diaconatus? Pro majori intelligentia dicendorum in hac quæſtione diſtinguere oportet Ordinem Subdiaconatus ab Ordine Diaconatus. Quo ad Ordinem Subdiaconatus non pauci ſunt Theologi, qui tenent negativam ſententiam,
& docent, non poſſe Papam committe- 12
re ſimplici Sacerdoti collationem Ordinis Subdiaconatus ex doctrina S. Thomæ *in 4. ſent. diſt.25. q.1. art.1. ad 3.* ubi ſic loquitur. *Ad tertium dicendum, quod Papa, qui habet plenitudinem poteſtatis Pontificalis poteſt committere non*

*Epiſco-*

*Epiſcopo ea, quæ ad Epiſcopalem dignitatem pertinent, dummodò illa non habeant immediatam relationem ad verum Corpus Chriſti: & ideò ex ejus commiſſione aliquis Sacerdos ſimpliciter poteſt conferre Ordines minores, & confirmare, ut ſupra diſt. 7. dictum eſt, non autem aliquis non Sacerdos. Nec iterum Sacerdos* (notet Lector) *majores Ordines, qui habent immediatam relationem ad Corpus Chriſti, ſupra quod conſecrandum Papa non habet majorem poteſtatem, quam ſimplex Sacerdos*. Eamdem doctrinam, imò eadem verba Angelici Doctoris obſervare licet in ejus Summa *3. part. in ſuppl. q. 38. art. 1. ad 3.* & Ideò cum dicat S. Doctor, quod Sacerdos non poteſt à Papa delegari, ut conferat Ordines Sacros; non poſſe ſimplicem Sacerdotem ex commiſſione Papæ conferre Subdiaconatum ſcripſerunt Paludanus, Capreolus, Sylveſter, Nugnus, Petrus de Ledeſma, Sylvius, & Gonetus, qui eos allegat, *tom. 5. diſp. 3. de Sacram. Ord. num. 2. in fine*. Quibus adhærent Sylveſter *in Verb. Ordo 3. q. 7.* Emin. Card. Bellarmin. *de Sacram. Ord. cap. 7. in fine*. Sotus *in 4. diſt. 25. q. 1. art. 1.* Covaruvias *lib. 1. Var. cap. 10. nu. 10.* Sanchez *in Opuſcul.* ſeu *Conſil. Moral. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 18. num. 10.* Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 9. num. 4.* & aliis omiſſis, Bonacina *tom. 1. diſp. 8. de Sacram. Ord. quæſt. Unica punct. 4. num. 3. Verſ. Ordo verò Subdiaconatus*.

Declarant prædicti DD. & præcipuè Gonetus rationem à S. Thoma allegatam pro hac opinione negativa ſic:
13 Tanta eſt auctoritas ſimplicis Sacerdotis in verum Chriſti Corpus, quanta Summi Pontificis; ea enim conſiſtit in conſecratione ſpecierum panis, & vini; quę tranſubſtantiantur in verum, & naturale Chriſti Corpus. Sed ſimplex Sacerdos ex propria auctoritate nō poteſt conferre Ordines Sacros, qui habent relationem ad verum Chriſti Corpus. Ergo neque poterit ex commiſſione Summi Pontificis. Ulteriùs commiſſio Papæ, ut ſimplex Sacerdos conſecrare, & ordinare poſſit Subdiaconos, vel eſt actus Juriſdictionis, vel eſt actus Ordinis. Si dicamus eſſe actum Juriſdictionis, nihil valet, quia Juriſdictio Pontificia non objectatur in verum, & naturale Chriſti Corpus, & in illa, quæ habent immediatam relationem ad ipſum; ſed tantummodò in Corpus Chriſti myſticum, quod eſt populus Chriſtianus. Si verò dicamus eſſe actum Ordinis, nihil operari poteſt eadem commiſſio Pontificia, quia non auget Ordinem Sacerdotalem, cujus eſt conſecrare idem verum, & naturale Chriſti Corpus.

Nec obſtare opinioni S. Thomæ, inquiunt præfati Theologi, quod olim Ordo Subdiaconatus conferebatur à Chorepiſcopis, qui erant ſimplices Sacerdotes, ut *in Concil. Antiochen. can. 10.* & *in cap. Quamvis. 68. diſt.* ubi Chorepiſcopis prohibetur tantùm conſecratio Diaconorum, Presbyterorum, & Virginum; non autem Subdiaconorum. Emin. Cardin. de Lauræa *in Epitome Canon. Verb. Chorepiſcopi*. Nam reſpondent; quod eo tempore Subdiaconatus non reputabatur Ordo Sacer, ſeu major, ſed inter minores computabatur, ut 15
ait Innocentius III. *in cap. A multis. De Ætate, & Qual. præfic.* & quatenus etiam eo tempore fuiſſet ordo major, & Sacer; reſpondent, ideò fuiſſe collatum à Chorepiſcopis, qui Epiſcopalem gradum, & characterem fuerant conſecuti, ut notat idem Emin. Card. de Lau- 16
ræa *in d. Verb. Chorepiſcopis*; & fuſiùs *in tract.* de Sacramento Ordinis *diſp. 8. num. 30* atque dictum fuit à nobis ſupra *Deciſ. XIV. num. 31.*

His tamen minimè obſtantibus magis communis opinio eſt affirmativa, quam ampleċtuntur Theologi Scholaſtici utriuſque Scholæ, & Moraliſtæ, & Canoniſtæ infra citandi; qui omnes docent, poſſe ex delegatione, & commiſſione 17
Papæ ſimplicem Sacerdotem fieri miniſtrum Ordinis Subdiaconatus, & illum conferre, & hoc probant: Primò, quia Concilium Florentinum in Decreto Eugenii IV. agens de Sacramentis *in §. Sextum*, ait, Ordinis Sacramenti Epiſcoporum eſſe miniſtrum ordinarium, prout etiam

Digitized by Google

ut etiam ſupra dixerat de Sacramento Confirmationis. Ergo ſuppoſuit dari poſſe miniſtrum extraordinarium; nempè ſimplicem Sacerdotem ex delegatione Papæ; prout fit etiam in adminiſtratione ejuſdem Sacramenti Confirmationis, ut probatum fuit in noſtris Deciſionibus *De Sacram. Confirm. Deciſ.57. n.6.* Secundò, quia Alexander III. interrogatus de validitate Ordinum collatorum ab Epiſcopo, qui Epiſcopatui renunciaverat, in *cap. 1. De Ordin. ab Epiſc. qui renunc.* diſtinguendo reſpondit: *Si Ordines poſtea contulerat uſque ad Subdiaconatum, validè contuliſſe, quia hujuſmodi Ordines*, ait, *à non Epiſcopis quandoque conferuntur*. Ergo Subdiaconatus dari poteſt per delegationem Papæ à ſimplici Sacerdote non Epiſcopo. Tertio, quia in *lib. 3. Apoſtol. Conſt. cap. 11.* dicitur, *Neque Presbyteris poteſtatem damus Ordinandi Diaconos, aut Diaconiſſas, &c. Sed Epiſcopis tantùm*. Ergo Subdiaconatus Ordinatio non erat Presbyteris interdicta. Et quartò ex facto Romanorum Pontificum, qui hanc delegationem fecerunt, nam Innocen-
18 tius VIII. *Anno* 1489. conceſſit Privilegium Abbati Ciſtertii, ut ipſe, & ejus ſucceſſores omnibus Monachis Ordinis Ciſtercienſis poſſent Subdiaconatus Ordinem conferre, necnon alii quatuor Co-Abbates pro ſuis Monaſteriis, de quo Privilegio loquemur infra; & teſtantur de eo omnes infraſcripti DD. qui proterea conſtanter docent, Subdiaconatum poſſe ex delegatione Papæ à ſimplici Sacerdote conferri; & ita tenent Suarez *tom.3. in 3. p. diſp.11.* Turrian. *in Annotat. ad Concil. Nicen. can.* 54. Vivald. *in Candel. Aur. 1.p.tit. de Sacram. Ord. num.* 17. Diana Coordinatus *tom.3. tract.1. de Poteſtate Pontificis reſol.69.* deſumpta ex *part.8. tract.1. reſol.* 34. in qua citat Granadum, Victoriam, Henriquez, Rodriquez, Jo. Præpoſitum, Navarrum, Opatovium, Ochagaviam, Hurtadum, Caramuelem, & Averſam hanc opinionem ſuſtinentes; & reſpondentes ad doctrinam S. Thomæ, eam procedere de poteſtate ordinaria Papæ; ſecùs autem de poteſtate abſoluta. Hæc eadem opinio placet Emin. Card. de Lauræa *in d. diſp.8. de Sacram. Ord. num.* 23. ubi alios Theologos allegat; quibus adhærent noviſſimè doctiſſimi Salmanticenſes in *cit. tract.8. de Sacram. Ord. cap.4.num.28.* quorum verba hic inſerere volui, nam evacuant meliùs oppoſitionem ex doctrina S. Thomæ ſupra factam, & ſunt iſta: *Aſſerimus, poſſe Summum Pontificem præbere facultatem ad conferendum Ordinem Subdiaconatus; Diaconatus verò non ita. Nec D. Thomas loco citato oppoſitum tenet; ipſe enim locutus fuit de Ordinibus majoribus, & Sacris,* 19
*qui omni tempore inter Sacros computati ſunt, qualiter non Subdiaconatus, ut eſt omnibus notum. Et hanc eſſe ejus mentem ex eo liquet, quia loquitur de Ordinibus majoribus dicentibus immediatam habitudinem ad Corpus Chriſti, uti non eſt Subdiaconatus, qui ſolùm mediatam dicit eam: benè autem Sacerdotium, & Diaconatus, quia Sacerdos immediatè Corpus Chriſti conſecrare poteſt; & Diaconus illud tangere, & fidelibus per ſe ipſum Corpus, & Sanguinem diſtribuere*. Ita Salmanticenſes, cum quibus abſque hæſitatione eſt tenendum. De officio Diaconi miniſtrandi Corpus, & Sanguinem Domini fidelibus in Miſſa ſolemni dixi 20
in meis Deciſionibus *De Vener. Euchar. Sacram. Deciſ.14.n.6.* ubi præter alia teſtimonia adduxi illud vetuſtiſſimi Ritualis manuſcripti, exiſtentis in Archivio hujus mei Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Capituli Eccleſiæ Cathedralis Patavinæ.

Quo verò ad Diaconatum, (& eſt ſecunda pars ſecundæ propoſitæ Quæſtionis) an ipſum conferre poſſit ſimplex Sacerdos ex delegatione Summi Pontificis? negant tùm Thomiſtæ ſupra *num.* 12. allegati, tùm ipſi Salmanticenſes, ut ex eorum verbis deprehen- 21
ditur, tùm etiam Richardus *in 4. diſt. 25. art.1.q.7.* Candidus *tom.4. diſp.4. art. 3. dub.* 17. Molfeſius *in Summa tom.1. tract.2. cap.2. num.3.* Azorius *tom.2.libr.3. cap.* 48. *q.* 16. Sayrus *de Cenſuris lib.6. cap.8.num.8.* & noviſſimè Franc. Hallier *de Sacris Electionib. & Ordin.ſect.4.cap.1.*

Q § 5. nec

§. 5. nec non Martinus de S. Joſeph *in Monit. Confeſſar. tom. 1. lib. 1. tract. 3. de Ordine num. 2.* ex rationibus ſupra conſideratis pro negativa circa Subdiaconatum, quæ magis urgent, ne quæſita delegatio fieri valeat pro Diaconatu immediatam relationem habente ad verum Chriſti Corpus.

Nihilominùs affirmativam ſententiam tuentur Leander, Baunius, Pa-
22 laus, Dicaſtillus, Iſambertus, & alii, quos cumulat, & ſequitur Diana *part. 10. tract. 16. reſol. 22.* tranſportata à Coordinante in Coordinatum *d. tom. 3. tract. 1. reſol. 71.* & (quod magis huic opinionis adſtipulatur) Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 8. de Sacram. Ord. num. 23.* Duo ſunt fundamenta hujus opinionis. Unum eſt aſſertio Gloſſæ *in cap. Pervenit. 95. diſt.* quæ *in Verb. Concedimus*, dicit, quod Presbyter ex delegatione Papæ poteſt conferre omnia Sacramenta, quæ ipſe recepit. Gloſſæ autem opinionem in re dubia prævalere
23 debere opinionibus aliorum Doctorum, & eis anteponendam eſſe, ſcribit Fagnanus *in cap. Cum Vos. in fine. De offic. Ordin. tom. 2.* & hoc idem notaverat ante illum Calcaneus *conſil. 6. num. 5. & 6.* Alterum fundamentum eſt Privilegium ſupranominatum Innocentii VIII. Abbatibus Ciſtercienſibus conceſſum Anno 1489. de quo teſtantur omnes ſupracitati Theologi apud Dianam; ex quibus Vaſquez *de Sacram. Ord. diſp. 243. cap. 4. num. 39.* affirmat, ſe in quodam vetuſto Codice Collegii Complutenſis, qui inſcri-
24 bitur *Collecta Bullarum Ordinis Ciſtercienſis*, legiſſe Bullam, qua conceſſum fuit ab eodem Innocentio VIII. Anno 1489. ejuſdem Ordinis Abbatibus, ut ſuis Ordinis Monachis Subdiaconatus, & Diaconatus Ordines conferre liberè poſſint, & in dicta compilatione eſt Privilegium CXVIII. Joannes Iſambertus Doctor Sorbonæ *in 3. p. D. Thomæ diſp. 6. de Sacram. Ord. art. 1. n. 5.* fidem facit de eodem Privilegio, ſubdens illud eſſe in uſu videntibus, nec repugnantibus, imò conſentientibus Epiſcopis, in quorũ Diœceſi Abbatiæ illæ Ciſtercienſium exiſtunt; nam Religioſos à ſuis Abbatibus in Subdiaconos, & Diaconos ordinatos, & ad ſe pro ſuſcipiendo Ordine Presbyteratus miſſos, viſis eorum præcedentibus Ordinationibus, ſine ulla difficultate, vel ſcrupulo ordinant Sacerdotes. Caramuel *in Commentar. ad Regul. S. Benedicti diſp. 129. cap. 62. num. 1626.* referens idemmet Privilegium Ciſtercienſium ait: *Hoc Privilegium eſt in Praxi, & hodie ſuperſunt qui ad majores Ordines ab his Abbatibus fuerunt promoti.* Et, quod magis apud me pondus habet, Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 8. num. 13.* fatetur ſe vidiſſe, & legiſſe ipſum Privilegium, in Tomo Privilegiorum Ordinis Ciſtercienſium, qui inſcribitur *Regula, Conſtitutiones, & Privilegia &c.* pag. 190. ubi verba Innocentii VIII. circa medium Bullæ hæc ſunt. 25
*Ac, ne Monachi dicti Ordinis pro ſuſcipiendis Subdiaconatus, ac Diaconatus Ordinibus extra clauſtrum hinc indè diſcurrere cogantur, Tibi, & Succeſſoribus tuis, ut quibuſcunque dicti Ordinis Monachis, aliis verò quatuor Abbatibus præfatis, ac eorum ſucceſſoribus, ut ſuorum Monaſteriorum prædictorum Religioſis, quos ad id idoneos repereritis, Subdiaconatus, ac Diaconatus Ordines hujuſmodi ritè conferre poſſitis, concedimus &c.* His accedit, quod teſtatur Tannerus *lib. 7. q. 3. dub. 1. num. 30.* & Henriquez *lib. 10. in addit.* relatus à Morino *De Sacris Ordinat. part. 3. cap. 3. num. 2.* 26
videlicet, conſimile Privilegium conceſſum recenter fuiſſe per Summos Pontifices Prælatis Franciſcanis in India.

Ex hucuſque dictis concludunt ſupracitati Doctores, & alii apud Morinum *d. cap. 3.* eſſe probabilem opinionem, quod Presbyter ex delegatione Papæ poſſit conferre Diaconatum, & eam 27
firmant tribus fundamentis. Unum, quod valet argumentum circa auctoritatem Papæ de facto ad poſſe. Alterum, quod non eſt major ratio de Subdiaconatu ad Diaconatum, uterque enim eſt Sacramentum, & Ordo Sacer. Tertium, quod poteſtas Ordinandi miniſtros Altaris radicaliter ineſt in Sacerdotio,

nam

Digitized by Google

nam Epiſcopus non Sacerdos, invali-
dè ordinaret. Non eſt igitur impoſſibi-
le, ut Papa ex ſuprema Auctoritate ſibi
à Chriſto attributa deputet extraordina-
rium miniſtrum Ordinis Diaconatus
Presbyterum,habentem in ſe radicaliter
hanc habilitatem ob poteſtatem, quam
tenet, conſecrandi, & conficiendi ve-
rum Corpus Chriſti.

Suppoſita veritate Privilegiorum, de
quibus ſupra, temerarium eſſet, hanc
affirmativam opinionem improbabilem
appellare. Duo tamen ſunt, quæ me
difficilem reddunt in ea ſubſcribenda.
28 Primum, quod nullus ex præallegatis
Auctoribus refert, ſe vidiſſe Privilegium
Innocentii VIII. conceſſum Ciſtercien-
ſibus originale, & authenticum; prout
conveniret referre in materia tàm gra-
vi, & inuſitata; circa quam non eſt re-
prehenſibile dubitare, an aſſertum Pri-
vilegium ſit apocryphum; ac fictitium,
quamvis conſcriptum in antiquis codici-
bus, vel etiam in libris impreſſis inſer-
tum; multa enim typis data legimus,
vel exarata in vetuſtis papyris reperi-
mus, quæ tamen à Doctoribus convin-
cuntur de falſitate; ut apud Neotericos
Hiſtoriarum, vel Controverſiarum Scri-
ptores paſſim obſervamus. Nullus Stu-
dioſus eſt, qui neſciat deciſionem Boni-
facii VIII. relatam *in cap. Cum perſo-*
29 *næ. De Privileg. in* 6. in qua deciditur,
quod aſſerenti ſe habere Privilegium à
Sede Apoſtolica jam obtentum, non ſit
credendum, niſi ipſum Privilegium au-
thenticum oſtendat, & ad legendum
exhibeat; juxta quem canonem non de-
decet, non præſtare fidem circa exiſten-
tiam, & veritatem prædicti Privilegii
Ciſtercienſium, donec reperiantur teſtes
legitimi, qui deponant vidiſſe illud vel
originale, vel authenticum, & quod in
ipſo conceſſa verè fuerit ab Innocentio
VIII. prædicta facultas Abbatibus illis
conferendi Subdiaconatum, & Diaco-
30 natum Monachis ſuis. Siquidem Victo-
ria *num.*235. *in Summa* ait legiſſe ante-
dictum Privilegium, in quo tantum-
modò concedebatur facultas conferendi
Subdiaconatum; ut notanter dicunt ipſe
Diana Coordinatus *d. tom.*3. *tract.* 1. *re-*
*ſol.* 71. *propè finem*. Et Salmanticenſes
*d. tract.* 8. *cap.*4. *num.*29. quapropter tran-
ſumptis, ſeu copiis, aut regiſtris non
authenticis, etſi typis impreſſis, non
eſt credendum circa tenorem aſſerti
Privilegii Innocentiani, cum nemo at-
teſtetur vidiſſe illud in ſuo originali,
vel in forma authentica, ut ait Rota
coram Buratto *deciſ.* 472. *num.* 4. & il-
lud quod legiſſe referunt Vaſquez, &
Emin. Card. de Lauræa erat ſumptum
de ſumpto, quod de Jure nihil probat. 31
Rota *part.* 18. *rec. deciſ.* 84. *num.* 2. &
*deciſ.* 345. *num.* 6. ubi quod tranſumptis
Privilegiorum non eſt credendum, niſi
ſint extracta cum ſolemnitatibus præ-
ſcriptis *in cap. fin. de Fide Inſtrum.*

Sed eſtò, fuerit verum aſſertum Pri-
vilegium Ciſtercienſium ab initio, non
videtur poſſe eſſe verum id, quod affir-
mant Iſambertus, & Caramuel, de
præſenti uſu ejuſdem Privilegii, quia à 32
Concilio Tridentino prorsùs eſt revoca-
tum, & annullatum, ut probant Na-
varrus *de Privil. lib.* 5. *conſ.* 14. Averſa
*de Sacram. Ord. quæſt.*3. *ſect.* 3. Layman
*d. lib.*5. *tract.*9. *cap.*9.*n.*4. Vaſquez *d.diſp.*
243. *cap.*4. *num.*4. Cotonius *d. libr.*3. *con-*
*trov.*1.*num.*129.ipſe quoque Diana Coor-
dinatus *d. tom.*3. *tract.*1. *reſol.* 70. deſum-
pta ex *part.* 8. *tract.*1. *reſol.* 35. in qua §.
*ult.* prædictam revocationem, & annul-
lationem probat, tùm ex *cap.* 8. *ſeſſ.*23.
*de ref.* ubi præcipitur, ut unuſquiſque à
proprio Epiſcopo ordinetur; tùm ex
*cap.* 10. *ejuſdem ſeſſ.* in quo non permit-
titur Abbatibus niſi collatio Tonſuræ,
& quatuor minorum Ordinum ſubditis
ſuis Regularibus; tùm etiam in ſubſe-
quenti *cap.* 12. præcipiente circa Regu-
lares, quod non ordinentur ab Epiſco-
pis, niſi prævio ejus diligenti examine,
privilegiis quibuſcunque penitùs exclu-
ſis, & non obſtantibus conſuetudinibus,
ſeu præſcriptionibus etiam immemora-
bilibus? Nec ſuffragatur, ſi quis dicat,
Privilegia fuiſſe confirmata per Grego-
rium XIII. poſt Concilium Tridenti-
num, teſte Navarro *d. conſ.*14. quia in
confirmatione inſerta eſt iſta clauſula re-

Q 2 ſtricti-

ſtrictiva: *Dummodò ipſi Concilio non adverſentur*; ut notat idem Diana Coordinatus *d. reſol. 70. in fine*. Quare præfati religioſiſſimi Abbates Ciſtercii ſicut obligati ſunt obedire Decrètis Concilii, ita eos feciſſe credendum eſt, & abſtinuiſſe poſt Concilium Tridentinum à collatione Sacrorum Ordinum, quatenùs antea eam facere ſoliti fuiſſent.

Tertia, & ultima propoſitarum quæſtionum eſt, An ſimplex Sacerdos ex commiſſione Papæ poſſit conferre etiam
33 Ordinem Presbyteratus? Morinus vocat hanc difficultatem maximam *in cit. Part.3. Exercit.4. cap. 3. ubi à num.3. & ſeqq.* allegat Gloſſam, Innocentium IV. & plures antiquos Canoniſtas, & Theologos affirmativam opinionem amplectantes ex illo apud eos firmato principio, quod omnis Clericus ex commiſſione Papæ poteſt conferre Ordines, quos ipſe habet. Ita d. Gloſſa *in cap. Manus quoque impoſitionis. de Conſecr. diſt. 5.* & *in cap. Pervenit. diſt. 95.* Innocentius IV. *in cap. Quanto. De Conſuetud.* Angelus *in Summa Verb. Ordo 2. num.2.* & ante hos omnes ita tenuit, teſte eodem Morino, Hugo antiquiſſimus, & celebris Canoniſta, cujus verba refert Jo. Bachonius *in 4. ſent. diſt.7. q.1. art.4.* Ugolinus in *cap. Porrò. 66. diſt.* Guilelmus anriquus Raymundi Romæ Gloſſator, Guilelmus Antiſiodorenſis, Summa Aſtenſis, Abbas Panormitanus in *cit. cap. Quanto. num.9. de Conſuetud.* Petrus Aureolus Franciſcanus ob doctrinæ præſtantiam poſtea factus Archiepiſcopus Aquenſis, Nicolaus de Orbellis, Vaſquez, Præpoſitus, & Meratius, quos allegat cum eorum verbis idem Mori-
34 nus, ſubdens *cap. 4.* ita illos omnes tenuiſſe, opinatos, poſſe Presbyteros vi characteris Sacerdotalis, qui idem eſt cum Epiſcopali, Ordines conferre, ſed Jure Eccleſiaſtico id eis eſſe interdictum, & ſolis Epiſcopis demandatum; & ſe extendit in allegandis Ordinationibus, quas faciebant Chorepiſcopi conferentes etiam Ordines ſacros de licentia Epiſcoporum, quamvis, ut ipſe Morinus conatur probare, eſſent ſimplices Preſbyteri. Hanc affirmativam opinionem tenet etiam Diana in *part. 8. tract.1. reſol.36.* quæ ſortita eſt ſedem in Coordinato *tom.3. tract.1. reſol.72.* in qua *num.2.* allegat etiam Ochagaviam, & Hurtadum idem ſentientes ex his rationibus; Primò, quod Eugenius IV. cum dixerit in Concil. Florentino, Epiſcopum eſſe miniſtrum Ordinarium Sacramenti Ordinis, ſuppoſuit, poſſe dari miniſtrum Extraordinarium. Secundò, quia etiam in Sacramento Confirmationis Presbyter poteſt miniſter delegari. Tertiò exemplo Chorepiſcoporum, qui licèt ſimplices Presbyteri eſſent, Sacerdotes ordinabant, ut *in Concil. Antiochen. can. 10.* Quartò, quia de Jure divino Papa habet hanc poreſtatem delegandi Presbyteros miniſtros omnium Ordinum etiam majorum; nam Chriſtus, qui inſtituit Materiam, Formam, & Miniſtros Sacramentorum, conceſſit Vicario ſuo hanc libertatem circa Miniſtrum Confirmationis, & Ordinis; quam opinionem tacitè ſequitur Emin. Card. de Lauræa *in cit. diſp. 8. num. 23.* ſed doctiſſimus Scotiſtarum Maſtrius hanc quæſtionem neque tangere voluit, illam ſub ſilentio præteriens.

Ceterùm negativam opinionem tutati ſunt Candidus *tom.4. diſp.4. art.3. dub. 17.* Optatovius *de Sacram. Ordinis diſp. 5. num. 16.* & præter alios Averſa *eod.*
*tract. q.3. ſect.3.* ita ſcribens: *Extra du-* 35
*bitationem eſſe debet, non poſſe Sacerdoti non Epiſcopo committi Ordinationem alterius Sacerdotis, ſeu collationem Ordinis Sacerdotalis; & meritò, quia cum jam conſtet, Miniſtrum ordinarium eſſe Epiſcopum, non debet ſanè, nec poteſt hoc miniſterium extendi ad alium per commiſſionem abſque ſolido antiquitatis fundamento: quare pro hujus rei perſuaſione ſufficiet, ſi nullum tale fundamentum reperiatur.* Quapropter cum ab initio Eccleſiæ uſque adhuc numquam legamus, hanc delegationem factam fuiſſe à Summis Pontificibus, probabilior cenſenda eſt hæc opinio negativa, quam tenent etiam Nugnus, Granadus, Palaus, & Salmanticenſes *d. tract. 8. de*

*Sacr.*

Digitized by Google

Sacr. Ord. cap. 4. num. 25. hanc ponderoſam adducentes rationem: *Quia conſecrare Sacerdotem, illique præbere facultatem conſecrandi verum, & reale Corpus Chriſti, & reconciliandi fideles, abſolvendo, vel ligando eos, eſt Excellentiſſimum miniſterium, & inter omnes ſpirituales, & ſupernaturales facultates Supereminens. Ergo à ſolo Miniſtro conſecrato, & Principe Eccleſiæ habente facultatem ſupremam, uti eſt Epiſcopus, debuit impertiri*. Notatu dignum eſt, quod ſcribit Cornelius à Lapide *Com-*
36 *ment. in Epiſt. ad Philipp. cap. 1. Verſ. 2.* hoc eſt, æquales facere Presbyteros in ordinationibus cum Epiſcopis, eſſe errorem Aerii, & Uvicleſii, qui aſſerebant, eamdem eſſe poteſtatem utrorumque; idcircò poteſtatem Ordinum, quæ eſt propria Epiſcoporum, non eſſe de facili attribuendam Presbyteris, ut notat etiam Emin. Card. Bellarmin. *libr. 1. de Cleric. cap. 5.*

## DECISIO XVII.

*ARGUMENTUM.*

Præmiſſa narratione Oſtiariorum Templi Salomonici in Lege Hebraica, oſtenditur exiſtentia Ordinis Oſtiariatus in Lege nova ab initio Eccleſiæ, eumque eſſe Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum. Declaratur ejus Materia, & Forma, quæ ſemper eadem fuit, prout ex variis antiquiſſimis Ritualibus ante Milleſimum Annum conſcriptis. Recenſentur Oſtiariorum Officia, inter quæ duo præcipua. Unum, quod non permittant, populum adhærere Altaribus, in quibus celebratur Miſſa. Alterum, quod non ſinant, pauperes deambulare per Eccleſiam, eleemoſynam petentes tempore Sacrificii, vel Orationis.

### SUMMARIUM.

1 *Oſtiariatus Ordo in Lege Hebraica.*
2 *Levitarum alii Cantores, alii Judices, alii Oſtiarii.*
3 *Oſtiariorum Hebraicæ Legis officia.*
4 *Eorumdem numerus, & Duces.*
5 *Portæ Templi Salomonici quot?*
6 *Atria ejuſdem Templi quæ, & quot?*
7 *Oſtiarii Hebræorum adſtabant portis Templi, & Atriorum ejus.*
8 *Exedræ in atriis Templi quid eſſent?*
9 *Exedrarum cuſtodes de quo ſtipite nati eſſent?*
10 *Oſtiarii Hebræorum quomodo, & quando inſerviebant Templo?*
11 *Oſtiariatus Ordo in Lege nova à Chriſto Domino inſtitutus. Et quando?*
12 *Oſtiariatus Ordo erat in uſu ab initio Eccleſiæ?*
13 *Ordinum ſeptem gradus exiſtere in Eccleſia eſt de fide.*
14 *Oſtiariatus Legis novæ in quo differat ab illo Legis veteris?*
15 *Oſtiariatus Ordo eſt Sacramentum.*
16 *Dictionis* ſimiliter *ſignificatio.*
17 *Materia, & Forma Oſtiariatus quænam ſint?*
18 *Rituales antiquiſſimi oſtendentes Materiam, & Formam Oſtiariatus.*
19 *Pictavii Civitas ubi ſit? & qualis ſit?*
20 *Idioma Latinum quinto ſæculo barbarum valdè.*
21 *Abbatia Corbejenſis ditiſſima, & ubi ſit?*
22 *Rodradus Scriptor antiquus quis fuerit?*
23 *Ambiani Civitas ubi ſit?*
24 *Rodradus factus fuit Sacerdos ex obedientia.*
25 *Rodradi ejuſdem carmina antiqua.*
26 *Horis diſtinctis olim recitabatur divinum Officium.*
27 *Horologia antiquorum quænam eſſent?*
28 *Horologia hydraulica quæ? & à quo inventa?*

29 *Oſtii*

29 *Oſtii Eccleſiæ tactus in Ordinatione Oſtiariorum* Anno 900.
30 *Officium Oſtiariorum duplex*, & *quale ſit?*
31 *Oſtiariorum munus ex Synodo S. Caroli.*
32 *Abuſus contra reverentiam Eccleſiarum plurimi.*
33 *Laicorum adhæſio Altari, dum celebratur Miſſa, abuſus.*
34 *Cancelli ante gradus Altarium ponendi.*
35 *Egenorum per Eccleſiam Stipem petentium tempore Miſſæ abuſus.*
36 *B. Pii V. Conſtitutio, ne egeni quærant eleemoſynam per Eccleſias.*
37 *Libri pro Eccleſiarum reverentia cuſtodienda legendi.*
38 *Oſtiarii à quatuor abſtinere debent. Et quæ?*
39 *Pœnitentes publici irregulares cenſentur.*

POſt tractatum de Prima Tonſura, & de perſonis, quæ illam, unà cum quatuor minoribus Ordinibus, poſſunt, vel non poſſunt conferre, opus eſt, eorumdem minorum Ordinum aggredi explicationem. Cumque hi ſint quatuor, Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolythatus, ut diximus ſupra *Deciſ. III. num.* 2. nec non *num.* 35. & 38. ubi *texx.* & *Concilia*, eos omnes ita nominantia; in præſenti de Ordine Oſtiariatus eſt agendum. Itaque videbimus.

1 An Oſtiariatus Ordo fuerit in Lege Hebraica?
2 An ſit in Lege Evangelica, & in quo differat ab illo Hebræorum?
3 Quænam ſit ejus Materia, & Forma?
4 Quodnam ejus Officium? & quæ Oſtiariorum obligatio?

Quo ad Primum. Reſpondetur, fuiſ-
ſe in Lege Hebraica Ordinem Oſtiaria-
tus. Pro intelligentia ſciendum, quod
deſcendentium de Tribu Levi, Divino
1 mancipata ſervitio, diverſi erant gra-
dus; ex eis enim alii erant Pontifices,
alii Sacerdotes; alii verò, qui vocaban-
tur Levitæ, dividebantur in Cantores 2
in Judices, & in Oſtiarios; ut ex Abu-
lenſi, Torniello, Saliano, & aliis
ſcripſimus in noſtris Deciſionibus de
Sacrificio Miſſæ *Deciſ. XXII.* & *XXIII.*
Cantores erant, qui in Templo Do-
mini Muſicis vocibus, & inſtrumentis
Pſalmos, & Hymnos canebant; Judi-
ces, qui populum inſtruere in manda-
tis Domini; & cauſas concernentes
Divinum cultum judicare tenebantur;
Oſtiarii, quorum munus erat excubias 3
facere ad portas Templi, ne immundi,
aut incircumciſi ingrederentur in ipſum:
& Exedras, in quibus theſauri, & res
pretioſæ ejuſdem Templi erant, cuſto-
dire, ut narrat Salianus *ad Annum
Mundi* 3021. *num.* 18. ubi notat, quod 4
Oſtiariorum numerus erat quatuor mil-
lia; & iſtorum Principes, ſeu Duces,
& capita proveniebant ex tribus ſtipiti-
bus; quorum unius Auctor fuit *Meſele-
mias*, alterius *Obededon*, tertii *Hoſa*,
omnes de genere Levitarum, ſed ob
eorum egregia facinora in bello contra
Philiſthiim fuerunt Duces Oſtiariorum
deputati, poſt fabricatum à Salomone
Templum, ut latiùs *ibidem* Salianus
*num.* 37. Ipſius Templi tres tantùm
erant portæ: Orientalis una, Meridio- 5
nalis altera, Septentrionalis tertia; at,
cum Templum circumdatum eſſet tri-
plici Atrio; primum quorum patebat
omnibus etiam Gentilibus; ſecundum
verò Iſraelitis, qui aliqua legalis im-
munditiæ macula non eſſent affecti; 6
tertium verò, ipſi Templo annexum,
ſolis Sacerdotibus, & Levitis; ac ea-
dem atria conſtarent ex porticibus; &
ædificiis, cum areis quadratis in medio,
prout ſunt noſtris temporibus clauſtra
Monaſteriorum; ſingula ex prædictis
Atriis habebant plura oſtia, quæ manè
aperiebantur, & claudebantur ſero,
unà cum portis Templis; & prædictis
omnibus & ſingulis Oſtiis, tùm Tem-
pli, tùm Atriorum, adſtabant Levi-
tæ Oſtiarii, ſeni, vel quatuor, atten-
dentes, & obſervantes, ne incircum- 7
ciſi introirent in Atrium Iſraelitarum;
nec in iſtorum Atrium aliquis Iſraeli-
ta im-

ta immundus; & eo minùs in atrium Levitarum, qui non eſſet ex hac Tribu.

Ulteriùs, quia præter alia ædificia ad habitandum conſtructa in iiſdem atriis, & ſupra prædictas porticus, plures erant Exedræ, ſcilicèt cameræ am-
8 plæ continentes theſauros, reſque pretioſas Templi, vaſa aurea, argentea, ærea, pecunias, veſtes ſacras; pro Sacerdotibus miniſtrantibus in Templo, & Sacrificantibus, aliaque donaria multa, à Regibus, Principibus, aliiſque perſonis ex voto Deo dicata, Duces Oſtiariorum vacabant harum Exedrarum cuſtodiæ; & hi Duces deſcendebant à duobus filiis Moyſis
9 Gerſone, & Eleziere, quibus in obſequium Parentis fuit hic honos datus, ut cuſtodirent Theſauros Domus Domini, ut ſcribit Joſephus Hebræus *lib. 7. Antiquit. Judaic. cap.* 11.

Tandem cum eſſet ingens Oſtiariorum prædictorum numerus, ne confuſionem facerent, ſi omnes ſimul convenirent, diviſi fuerunt in viginti quatuor vices, prout etiam factum fuerat de Sacerdotibus, & Cantoribus; & unicuique vici aſſignatæ familiæ; itaut
10 juxta vicem ſuam accederent Oſtiarii ad januas Atriorum, & Templi, quibus aſſidebant per totam hebdomadam, & mutabantur de Sabbato in Sabbatum; & inter ſe partiebantur horas diurnas, (quia de nocte portæ Templi, & Atriorum omninò claudebantur) itaut qui aſſiſtebant mane, vacabant veſpere; & qui veſpere ſtabant ad oſtia, liberi erant de mane, & ſic officium ſui Oſtiariatus Ordinis exercebant, & completo tempore vicis ſuæ quilibet Oſtiarius revertebatur ad proprios lares, & familias: prout etiam faciebant Sacerdotes, ut ex Abulenſi, Serario, & aliis exactiſſimè ſcribit ipſe Salianus *d. Anno* 3027. *num.* 40. & relatum fuit in noſtris Deciſionibus prænominatis *de Sacrif. Miſſæ Deciſ. XXIII. num.* 25. ubi docuimus, quod Sacerdotes Aaronici non turmatim, & pro libito ſe intrudebant in functionibus Sacris, ac Sacrificiis peragendis, ſed in ſua hebdomada tantùm juxta vicem ſuam, & hoc idem à Levitis Oſtiariis ſervabatur; ut conformiter ſcribunt Sacræ Scripturæ Interpretes *in* 1. *Paralipom.* 23. *& in* 2. *ejuſdem libri cap.* 8.

Quo ad ſecundum: Reſpondetur in Lege Evangelica inſtitutum eſſe Ordinem Oſtiariatus ad exemplum Legis Hebraicæ, quæ erat umbra, & typus Legis novæ à Dei Filio publicandæ; ut advertit Emin. Card. de Lauræa *De Sacram. Ordinis diſp.* 5. *num.* 1. ſubdens 11
*num.* 45. quòd fuit inſtitutus à Chriſto Domino, & hujus Ordinis officium ab eodem expletum, cum ingreſſus in Templum, facto flagello de funiculis ejecit ex eo ementes, & vendentes tanquam indignos, ac ejuſdem Templi profanatores dicens: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum Patris mei domum negotiationis*, ut legitur *Joan.* 2. 15. Quod autem iſte Ordo ſit à Chriſto Domino inſtitutus probatur, quia fuit in uſu ab initio Eccleſiæ; Siquidem: Primò in Apoſtolicarum Conſtitutionum *Libr.* 3. *cap.* 11. dicitur: *Neque Presbyteris poteſtatem damus Ordinandi Diaconos, aut Diaconiſſas, aut Lectores, aut Miniſtros, aut Cantores, aut JANITORES, ſed Epiſcopis tantùm; hic enim eſt Ordo Eccleſiaſticus, & concentus.* Janitores autem erant Oſtiarii. Secundò S. Dionyſius Areopagita Apoſtolorum diſcipulus *de Eccleſ. Hierarch. cap.* 3. hæc habet: *Miniſtrorum hi quidem ad JANUAS Templi clauſas conſiſtunt, alii verò aliud quid proprii muneris exequuntur.* S. Ignatius Martyr, qui pariter vixit tempore Apoſtolorum, & fuit eorum alumnus *in Epiſt. ad Antiochenos* ait: *Saluto Lectores, Cantores, OSTIARIOS, Exorciſtas &c.* utrorumque verba hæc refert Magrius *in Hierolex. Verb. Anagnoſta*. Imò de Oſtiariis, Lectoribus, Exorciſtis, & Acolythis expreſsè meminit S. Clemens Papa Diſcipulus Petri *Epiſt.* 2. *ad Jacob. fratrem Domini*, ut obſervat Cabaſutius *in Notitia Eccleſ. Sæcul.* 2. *Diſſert.* 9. *num.* 1. Tertiò S. Cornelius Papa,

qui

Digitized by Google

qui in Sede Apoſtolica erat *Anno* 254. *in Epiſt. ad Fabium Antiochenum* (quam ponit Euſebius *Hiſt. libr. 6. cap.* 35.) Loquens de Novato ſic dicit: *Is ergo, qui Evangelium vindicabat, neſciebat, in Eccleſia unum Epiſcopum eſſe debere, ubi videlicèt eſſe Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos, Exorciſtas, & Lectores cum OSTIARIIS quinquaginta duos*. Quartò S. Cajus Pontifex Romanus *Anno* 296. in Epiſtola ad Felicem Epiſcopum, (quæ habetur etiam *in cap. Illud.* 77. *diſt.*) nominat tùm minores, tùm majores Ordines dicens: *Sit primùm OSTIARIUS, deindè Lector, poſtea Exorciſta, indè ſacretur Acolythus, demùm verò Subdiaconus, deindè Diaconus, & poſtea Presbyter*. Quintò Concilium Carthaginenſe IV. celebratum tempore Siricii Papæ *Anno* 398. decreta facit de omnibus Ordinibus, & præcipuè de Oſtiariatu; ut legitur etiam *in cap. Oſtiarius* 23. *diſt.* Sextò De Oſtiariis nominatim mentionem faciunt S. Cyprianus *Epiſt.* 34. Concilium Laodicenum *can.* 34. & S. Epiphanius *in expoſitione Fidei Catholicæ*, ut notat Menardus *in Libr. Sacrament. S. Greg. Papæ pag.* 272. *in fine*. Septimò imò de iiſdem quatuor minoribus Ordinibus loquuntur Imperatores Valentinianus, & Valens fratres, qui imperabant Anno 370. *in l. Presbyteros. C. de Epiſc. & Cleric.* concedentes iiſdem immunitatem à muneribus perſonalibus, ita decernentes: *Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, atque Exorciſtas, Lectores, Oſtiarios, & Acolythos, etiam perſonalium munerum expertes eſſe præcipimus*. Ecce igitur, quod ab initio Eccleſiæ per quatuor priora Sæcula tùm SS. Apoſtoli, tùm eorum diſcipuli, Pontifices Romani, Concilia, ac Imperatores nominant hunc Oſtiariatus Ordinem, ac alios tres minores tanquam à Chriſto Domino inſtitutos in ſua Eccleſia; & ideò relictis tot, & tantis poſterioribus Conciliis, de eodem Ordine mentionem facientibus, ſatis eſſe debet teſtimonium Tridentini Concilii *in ſeſſ.* 23. *cap.* 2. ita affirmantis: *Non ſolùm de Sacerdotibus, ſed & de Diaconis Sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, & quæ maximè in illorum ordinatione attendenda ſunt, graviſſimis verbis docent; & ab ipſo Eccleſiæ initio ſequentium Ordinum nomina, atque uniuſcuiuſque eorum propria miniſteria, Subdiaconi ſcilicèt, Acolythi, Exorciſtæ, Lectoris & OSTIARII in uſu fuiſſe cognoſcuntur*. Quapropter cum id ſit de fide, ſequentia Anathemata Concilium ipſum fulminavit contra alitèr aſſerentes *in d. ſeſſ.* 23. *can.* 2. *Si quis dixerit, præter Sacerdotium non eſſe in Eccleſia Catholica alios Ordines & majores, & minores, per quos velut per gradus quoſdam in Sacerdotium tendatur, Anathema ſit*. Deindè *in can.* 3. *Si quis dixerit Ordinem, ſive Sacram Ordinationem, non eſſe verè, & propriè Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum, vel eſſe figmentum quoddam humanum, excogitatum à viris rerum Eccleſiaſticarum imperitis, aut eſſe tantùm ritum quendam eligendi Miniſtros Verbi Dei, & Sacramentorum, Anathema ſit*. 13

Ex his autem facilè cognoſcitur in quo differat Ordo Oſtiariatus legis novæ à Chriſto Domino inſtitutus ab Oſtiariatu, qui erat in lege veteri; ſiquidem illud Hebræorum non erat Sacramentum conferens gratiam, & imprimens characterem in anima; at Ordo Oſtiariatus, quem habemus in Eccleſia Catholica, eſt verum, & reale Sacramentum, per quòd confertur gratia in Ordinato, & character in eius anima imprimitur, ut docet Magiſter Sententiarum *in* 4. *diſt.* 24. & ſcribunt omnes Thomiſtæ, ac Scotiſtæ, quos abundè citant Averſa *de Sacram. Ord. Sect.* 4. & Halier. *de Sacram. Ord. tom.* 2. *Sect.* 1. *cap.* 2. *art.* 2. § 7. noviſſimè Eminen. Card. de Lauræa *d. diſp.* 5. *de Sacr. Ord. à num.* 7. *& ſeqq.* ubi conſiderat, id eſſe definitum à Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. in quo cum definierit, Sextum Sacramentum eſſe Ordinis, & hoc docuerit conferri in-

14 (margin, beside "illud Hebræorum non erat Sacramen-") · 15 (margin, beside "per quòd confertur gratia in Or-")

tradi-

traditione materiæ, ac expreſſerit materias Ordinum majorum, ſubdit, *Et ſimiliter de aliis per rerum ad miniſteria ſua pertinentium aſſignationem*. Igitur ſicut Ordines Sacri ſunt Sacramenta, quia conferuntur per materiæ traditionem; ita & minores, quia & ipſi per traditionem inſtrumentorum conferan-
16 tur; verbum enim, *ſimiliter*, quo utitur Concilium, denotat identitatem in facto, in modo, & in cæteris qualitatibus, excluſa prorsùs omni difformitate, ut loquitur Innocent. *in cap. Ex reſcripto. De Jurejur.* DD. & Rota apud Barboſam *de Dictionib. uſufrequen. dict.* 367. *num.* 5. Hanc eamdem definitionem, quod Oſtiariatus Ordo ſit Sacramentum, denotat Concilium Tridentinum, dum *in cit. ſeſſ.* 23. *cap.* 2. inter ſeptem Eccleſiæ Ordines nominat Oſtiariatum, deindè in *cap.* 3. ſubdit: *Sacram Ordinationem, quæ ex rebus, & verbis perficitur, eſſe unum ex ſeptem Eccleſiæ Sacramentis*: atque *cap.* 4. dicit: *Per Sacramentum Ordinis characterem imprimi; & in Ordinatione Epiſcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum non requiri conſenſum populi, aut Magiſtratus Sæcularis*; Ea utique ratione, quia ſicut Sacerdotium, ita & cæteri Ordines ſunt Sacramentum; & his omnibus argumentis addi poteſt & illud, quod Oſtiariatus, ſicut alii Ordines, eſt irreiterabilis. *cap. Non licet. De Conſecr. diſt.* 4. nam, ut dictum eſt, imprimit characterem, & eſt verum Sacramentum, à Chriſto Domino inſtitutum conſtans ex Materia, Forma, & Miniſtro.

Quo ad Tertium. Materia Ordinis Oſtiariatus eſt clavium traditio, quam
17 facit Epiſcopus Ordinato; Forma autem ſunt Verba illa, quæ idem Epiſcopus, dum claves porrigit, profert; nempè: *Sic age, quaſi rationem redditurus Deo pro his rebus, quæ his clavibus recluduntur*, ut in Pontificali Romano *De Ordinatione Oſtiarii*; ad quæ verba in margine notatur, cum traduntur claves, *Hoc actu imprimitur character*. Et de hac materia, & forma habemus textum in *cap. Oſtiariatus. diſt.* 23. deſumptum ex Concilio Carthaginenſi *IV. cap.* 9. quod celebratum fuit, (ut antea diximus.) *Anno* 398. Cæterùm, ut Studioſus Lector videat, & materiam, & formam Oſtiariatus uniformem fuiſſe in Eccleſia Latina, & ab antiquioribus ſæculis poſt prædictum Carthaginenſe Concilium ſemper ſer-
vatam, placet hic referre verba diver- 18
ſorum Ritualium, quos collegit doctiſſimus Morinus, & per extenſum poſuit in ſuo Tractatu *de Sacris Ordinationibus part. II. à pag.* 110. *& ſeqq.* ut ex locis, & temporibus, quibus ipſi Rituales conſcripti fuerunt, magis eluceat antiquitas, uniformitas, & obſervantia ejuſdem materiæ, & formæ Ordinis Oſtiariatus.

Primò: In antiquiſſimo Codice in gratiam Eccleſiæ Pictavienſis deſcripto ante Annum Domini DLX. (exiſtente in Bibliotheca Ampliſſimi Viri Petavii Senatoris Pariſienſis) habentur benedictiones, dum minores, & majores Ordines conferuntur, ab Epiſcopo recitandæ; inter quas in Ordinando Oſtiario hæc legitur. *Benedictio Uſtearii. Deum Patrem Omnipotentem ſuppliciter deprecemur, ut hunc famulum ſuum benedicere dignetur, quem in officii Uſtearii eligere dignatus eſt, ut ſit ei fideliſſima cura in diebus, ac noctibus, ad diſtinctionem horarum certarum ad invocandum nomen Domini. Per*... *Alia. Domine Sancte Pater Omnipotens æterne Deus, benedicere digneris, famulum tuum hunc Uſtearium, ut inter Janitores Eccleſiæ, paret obſequia, & inter partem tuam mereatur habere mercedem. Per Dominum*. Circa has duas benedictiones duo ſunt notanda. Unum, 19
quod Pictavium, vulgò *Poitiers*, eſt Urbs ampliſſima Galliæ Aquitanicæ, gaudens celebri Academia, & pingui Epiſcopatu Suffraganeo Archiepiſcopi Bituricenſis. Hujus Urbis Eccleſiam olim rexit S. Hilarius, de quo cecinit Fortunatus *libr.* 2.

*Si Hilarium quæris, quis ſit? cognoſcere, Lector*,

R *Allo-*

*Allobroges referunt, Pictavii genitum.*
Et libr. 6. *Pictavas aſfigit arces.*
Et libr. 8. *Pictavii reſidens, qua Sanctus Hilarius olim.*

Alterum notandum eſt, quod in illo quinto Sæculo Idioma Latinum ſatis
20 barbarum erat, ut notat Morinus ad d. Rituale; ideò nil mirum ſi pro *Oſtiario* ſcribatur *Uſteario*; erant enim tunc populi illi, prout etiam totius Germaniæ barbarie fœdati.

Secundò: In antiquiſſimo Codice Manuſcripto olim Abbatiæ S. Petri
21 Corbejenſis, & nunc pertinente ad Monachos Benedictinos S. Germani, vulgò nuncupatos *de Pratis*, in Suburbano Pariſienſi, conſcripto Anno Domini DCCC. (quem etiam Hugo Menardus Monachus Benedictinus Notis illuſtravit,) agitur de collatione tàm majorum, quàm minorum Ordinum; & quo ad Oſtiarium ita habet. *Ordinatio Oſtiarii. Oſtiarius cum ordinatur, poſtquam ab Archidiacono inſtructus fuerit, qualiter in Domo Dei debeat converſari ad ſuggeſtionem Archidiaconi tradat ei Epiſcopus Claves Eccleſiæ dicens: Sic age quaſi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ iſtis Clavibus recluduntur. Et tradat ei Diaconus Oſtiariæ Eccleſiæ.* Benedictio eſt eadem, quæ ſupra in Rituali Pictavienſi. Corbeja, vulgò *Corbiè*, eſt Urberula Galliæ, in Pichardia regione parva, ſed munita, ad Somonam fluvium cum celebri Abbatia, antiquitùs Divo Petro dicata. Abbatia verò S. Germani in Pratis eſt ditiſſima; ejuſque taxa annuorum redituum in libris Rev. Cameræ Apoſtolicæ aſcendit ad Summam Scutorum octo millia.

Tertiò: In alio pervetuſto Rituali manuſcripto per Rodradum Presbyterum Anno DCCCL. circiter, & cuſtodito in Bibliotheca ejuſdem Monaſterii S. Petri de Corbeja, habetur eadem forma Ordinationis Oſtiarii, ejuſque benedictio, qualis in præcedenti Codice S. Germani, ut legitur apud Morinum, qui illum ponit per extenſum *d. part. 2. pag. 226.* Rodradus ſcriptor illius Ritualis fuit Presbyter, & 22
Ordinatus Sacerdos ex obedientia *Anno* 853. ab Hilmerado Epiſcopo, ut in ſequenti ejus Præfatione: Hilmeradus autem Epiſcopus fuit Ambianenſis, ut demonſtrat d. Hugo Menardus *in Præfat. ad Sacram. S. Gregor. Verſ. Secundus Codex.* Ambianum verò eſt Urbs Galliæ, Provinciæ Pichardiæ præcipua, vulgo *Amiens*, cujus Epiſcopus eſt ſuffraganeus Archiepiſcopi Rhe- 23
menſis. Prædictum Codicem excripſit ex vetuſtiſſimis S. Gregorii Papæ libris ipſe Rodradus, qui valdè pius, nec poeſis ignarus conſpicitur ex Præfaciunculis, quibus ornavit idem ſuum opus, & ſunt ſequentes:

*Ego Rodradus Miſericordiâ Dei indigens, victus Hilmeradi Antiſtitis juſſionibus, vinctuſque Epiſcopalis auctori-* 24
*tatis excommunicationibus IV. Non. Martii Sacerdotalis Miniſterii trepidus ſuſcepi officium, Anno Incarnat. Dom. DCCCLIII. Quicunque hanc Ordinationis meæ adnotatiunculam legeris, & per hunc Codicem Dominici Corporis recitaveris conſecrationem, tuis quæſo precibus adiutus, dicatum Chriſto exhibere Sacerdotem, ut ſupernæ viſionis conſequi merear bravium.* Duæ enim erant illius Ritualis Codicis deſcriptæ partes. Una de modo celebrandi Miſſam more Romano. Altera de ritu Sacrarum Ordinationum. Secunda Præfatiuncula, quam poſuit Menardus, & extat in Codice Rodradi poetica hæc eſt:

*Hunc ego Rodradus Sanctorum indignus alumnus* 25
*Compoſui librum, Chriſti ſub honore dicandum:*
*Officiis Sacris Agni dum Victima digni*
*Religione pia Sacram mactatur ad Aram.*
*Qui licèt indignus meritorum dote bonorum*
*Deſtituar, noxæ nimio ſub pondere vilis,*
*Saltem hujus ſtudii donet pietate placere*

*Alti-*

*Altithrono Regi ferimus quo Judice cuncti,*
*Pro merito noſtro mercedis præmia digna.*
*Te quoque ſuppliciter, Chriſti benedicte Sacerdos,*
*Codicis iſtius fueris qui forſitan uſu,*
*Inter Sacrorum Solemnia ſis memor ipſe*
*Poſco mei, precibuſque Deum mihi conciliato,*
*Obſequio cujus cœleſtia munera libas.*

Quartò: In alio Codice antiquiſſimo
Rotomagenſis Eccleſiæ Anno DCCC.
circiter exarato pro uſu Epiſcoporum
Angliæ, apud eumdem Morinum *d.
part. 2. pag.* 230. Ordinatio Oſtiarii
concepta eſt iiſdem verbis, quibus &
ſupra poſitæ, ideſt: *Ad ſuggeſtionem
Archidiaconi tradat ei Epiſcopus Claves
Eccleſiæ de Altari dicens: Sic age, quaſi
redditurus Deo rationem &c.* Benedictio
pariter ejuſdem Oſtiarii hæc eſt:
*Deum Patrem Omnipotentem ſuppliciter
deprecemur, ut hunc famulum ſuum N.
benedicere dignetur, quem in officium
Oſtiarii eligere dignatus eſt, ut ſit ei fideliſſima
cura in Domo Dei diebus, ac
noctibus, ad diſtinctionem horarum certarum,
ad invocandum nomen Domini,
adjuvante Domino Deo noſtro JESU
CHRISTO, qui cum eo vivit, & regnat
Deus, in unitate &c.* Hic autem
eſt notatu dignum, inſerta fuiſſe verba
illa: *Ad diſtinctionem horarum certa-*
26 *rum ad invocandum nomen Domini &c.*
quia antiquitùs omnes horæ Canonicæ
recitabantur in Choro tàm à Sæcularibus,
quàm à Regularibus die, ac nocte
horis diſtinctis; ad quas horas Oſtiarii
Campanam pulſabant, & Choro
addictos vocabant; ad hunc autem
effectum in nocte obſervabant Syderum
curſus; in die verò corporis huma-
27 ni umbram, & hæc erant eorum Horologia,
ut obſervat Menardus *in cit.
Not. in libr. Sacramentor. pag.* 273. de
quibus ait, ſcripſiſſe Bedam librum de
Ratione Temporum. Memini me legiſſe
in Hiſtoria Monaſtica S. Benedicti
Abbatis, Auctore P. D. Petro Antonio
Tornamira Monacho Benedictino,
*libr. 3. cap. 2. §. 9.* Horologia hy-
draulica, ideſt ex aquæ motu, & 28
cum aqua horas demonſtrantia fuiſſe
adinventa à Giliberto Monacho Floriacenſe
Ordinis S. Benedicti, qui ob
inſignes ſuas virtutes factus fuit Rhemenſis
Epiſcopus, deindè Archiepiſcopus
Ravennæ, tandem ad Apoſtolicam
Sedem aſſumptus nomen Sylveſtri
II. ſibi impoſuit, Anno Domini
Milleſimo. Hunc per Epichejam referunt
fuiſſe ſolitum recitare carmen hoc,
denotans aſcenſus Cathedrarum, quos
fecerat:

*Scandit ab R. Gilibertus ad R; poſt Papa viget R.*

Ideſt aſcendi ad Epiſcopatum Rhemenſem,
ex eo ad Ravennatenſem,
deinde ad Romanum.

Quintò: exhibet idem Morinus *d.
part. 2. à pag.* 236. uſque *ad pag.* 280.
novem alios Rituales libros diverſarum
Cathedralium Eccleſiarum, conſcriptos
partim ante milleſimum Annum,
partim poſt, & in ipſis eadem
ſunt verba exprimentia tùm traditionem
clavium, tàm prolationem formæ
in Ordinando Oſtiario: hæc tantummodo
eſt additio in Codice, Anno
*CM.* circiter conſcripto, ſpectante ad
antenominatum Monaſterium S. Ger- 29
mani in Suburbio Pariſienſi; videlicet
poſt traditas claves Eccleſiæ Oſtiariis,
dum ipſi tangunt ejuſdem Eccleſiæ
Oſtium, Archidiaconus dicit: *Per hoc
Oſtium traditur vobis miniſterium, ut ſitis
Janitores Templi Dei; habeatiſque
poteſtatem recipiendi bonos, & expellendi
indignos.* Igitur ex his omnibus
manifeſtè patet, quænam ſit, & quæ
ſemper fuerit materia, ac forma Ordinis
Oſtiaratus.

Quo ad Quartum: Officium, ac
obligatio Oſtiariorum, conſiſtit tùm in
faciendo, tùm in abſtinendo. Ea, quæ 30
facere debent, ſunt, aperire, & claudere
Januas Eccleſiarum; earumdem
Oſtiis aſſiſtere, indignos, nempè excommunicatos
excludere, ut conſtat ex
Decretis Concil. Laodicen. *cap.* 19. To-

letan. *cap.* 8. ac ex *cap. Perlectis diſt.* 25. cujus hæc ſunt verba: *Ad Oſtiarium pertinent Claves Eccleſiæ, ut claudat, & aperiat Templum Dei; & omnia, quæ ſunt intùs, extraque cuſtodiat, fideles recipiat, excommunicatos, & infideles excipiat*. His addit Gobatus *tract.* 8. *num.* 65. *Oſtiariorum munus eſt, res, & depoſita Eccleſiæ fideliter cuſtodire*. At meliùs cæteris, quæ facienda ſunt ab Oſtiariis declarat S. Carolus Borromeus in *Concil. Mediol.* 1. *part.* 2.
31 *tit. De Oſtiario*, ubi hæc de eo ponit. *Arceat populum, ne accedat ad Sacerdotem facientem divina. Campanas pulſet. In Eccleſia deambulantes, dormientes, vendentes, tumultum facientes ad Superiorem deferat, & expellat. Mendicantes ab Eccleſia excludat. Eccleſiam verrendam curet. Canes, & alia bruta expellat, & omne indecens ab Eccleſia removeat*. Referuntur hæc eadem Divi Caroli præcepta ab Emin. Card. de Lauræa *in Epitome Canonum Verb. Oſtiarius*.

Sanè adeò noſtris temporibus creverunt in Eccleſiis abuſus, quibus prædicta Synodus Mediolanenſis præcipit Oſtiariis, occurrere, ut ad eos elimi-
32 nandos puto minimè ſatis fore numerum Oſtiariorum, quem notavimus ſupra *num.* 4. in Lege Hebraica. Duo præcipui ſunt, & quidem moleſtiſſimi. Unus eſt acceſſus Laicorum ad Altare, in quo Sacerdos celebrat Miſſam, Alter mendicorum per Eccleſiam deambulantium, dum Sacra fiunt, videntibus, & tacentibus Oſtiariis, nempè Clericis omnibus tàm majoribus, quales ſunt Canonici, Parochi, & alii Eccleſiarum Rectores; quàm minoribus, puta Capellanis, Sacriſtis, aliiſque, qui Eccleſiaſticis ſtipendiis vivunt.
33 Paucis ab hinc Annis cum acceſſiſſem ad Altare celebraturus, & Introitum Miſſæ recitarem, ecce Matrona quædam Nobilis Patavina, ætatis Annorum quadraginta circiter, quæ pietatem, ac devotionem profitebatur, Miſſam meam auditura ſiſtit ſe in gradibus Altaris in cornu Epiſtolæ, & genuflectens, facie ſua tangebat Miſſale. Exarſi, an ira, neſcio, an zelo? Antequam legere in Miſſali inciperem, illam increpando voce gravi dixi. *Recede. Decet hic ſitus Matronam piam?* Erubuit ipſa, & diſceſſit; lacrymatuſque fui in corde meo tantam in populo ignorantiam, provenientem à Parochorum deſidia, qui aut neſciunt, aut negligunt ſuos Parochianos docere, illicitum, & indecens eſſe genuflectere in Altari, in quo Miſſæ ſacrificium offertur. Legant, quæſo, Paſtores animarum, & Eccleſiarum Rectores, quæ in Sacris Conciliis, & à Sanctis Patribus ordinata ſunt de cancellis ante 34
Altaria ponendis, & de prohibito Laicis ingreſſu in illos. S. Germanus Epiſcopus Coſtantinopolitanus *Hiſt. Eccl. pag.* 148. ſcribit: *Cancelli locum orationis deſignant, quouſque extrinſecùs populus accedit: intrinſecùs autem ſunt Sancta Sanctorum ſolis Sacerdotibus pervia*. Concilium Laodicenum *can.* 19. ſtatuit: *Solis miniſterio Sacro deditis ad Altare ingredi, & communicare ibidem licet*. Concilium Nannetenſe *can.* 3. præcipit ita: *Hoc ſecundum auctoritatem Canonum modis omnibus prohibendum, ut nulla fœmina ad Altare præſumat accedere*. Ac hujuſmodi prohibitiones leguntur etiam *in cap. Pervenit. & cap. Sacerdotum. de Conſecr. diſt.* 2. Parochos, ac alios Sacerdotes meminiſſe oporteret, ſe Ordinem Oſtiariatus ſuſcepiſſe; ideòque de eo reddituros eſſe Deo rationem, ſi vel ob ignaviam, vel ob inſcitiam hos irreverentiæ actus, ac abuſus compeſcere omiſerint, permittendo Laicas perſonas propè Altaria, & in eorum gradibus genuflectere, tanto cum incommodo Celebrantis.

Sed non minor eſt importunitas egenorum, ac mendicantium per Eccleſiam tempore Sacrificii deambulantium, eleemoſynam ab audientibus 35
Miſſam petentium; ac diſtractionem non parvam iiſdem, nec non Sacerdoti Sacrificanti cauſantium. Antiquus mos Eccleſiæ fuit, ut pauperes ad fores

Eccle-

Eccleſiæ ſtarent, ibi eleemoſynam recepturi, ut ait S. Jo. Chryſoſtomus *Homil.* 28. *ad Popul. Antioch.* ibi: *Ante Eccleſias pro foribus pauperes ſedent.* Legant Eccleſiaſtici Conſtitutionem V. B. Pii Quinti, Incipien. *Cum primum*:
36 Datam *Kal. Aprilis* 1566. & videant pœnas ſtatutas in Rectores Eccleſiarum tàm Sæculares, quàm Regulares, qui ſinùnt, pauperes, & egenos deambulare per Eccleſiam, ſtipem petentes, tempore Divinorum Officiorum; & negligunt eos expellere, huncque moleſtiſſimum abuſum de medio tollere; quem etiam damnant, & frequenter prohibent uniuſcujuſque Diœceſis Synodales Conſtitutiones, & Epiſcopalia præcepta. Et quoniam plures alii ſunt abuſus, atque actus irreverentes, qui committuntur in Eccleſiis, quos tolli oportet ab Oſtiariis, ideſt ab omnibus Oſtiariatus Ordinem habentibus, cum ſint Deo injurioſi valdè, legant P. Pau-
37 lum Segnerium *in Chriſt. Inſtr. part.* 3. *ſerm.* 4. & noſtras Deciſiones Miſcellaneas *Deciſ. CLI.* ubi, occaſione caſus prudentialis, de reverentia Eccleſiis debita, & de remediis in ea procuranda, plenè, & abundè differitur de illis.

Quo ad aliam partem officii Oſtiariorum, conſiſtentis in non faciendo, quatuor notantur in Collatione Maxima Conciliorum omnium Hiſpaniæ, & novi Orbis facta ab Emin. Card. de
38 Aguirre *tom.* 3. *à pag.* 8. ubi hæc habet. I. Oſtiarii non debent Secretarium ingredi, nec vaſa Dominica tangere ex *Concilio Laodiceno Can.* 21. II. Quod neque Oſtiarii, neque Lectores, neque alii gradus Ordinum habentes audeant ingredi tabernas. *d. Concil. Laodicen. Can.* 23. III. Quod Oſtiarii non ſe abſentent à foribus Eccleſiæ, eaſque deſerant, etiam brevi tempore, neque ſub prætextu, ut Orationi vacent. *d. Concil. Can.* 4. IV. Nullus Pœnitens Oſtiarius, aut Lector fiat, niſi ad hoc neceſſitas cogat. *Concil. Toletan.* 1. *tit.* 3. *à cap.* 44. Appellatione Pœnitentis intelligitur ille, qui ob aliquod publicum delictum publicam feciſſet pœnitentiam; hic enim irregularis erat, & ab Ordinibus excludebatur, ut conſtat ex Origene *libr.* 2. *contra Celſum*. Ex 39
S. Hieronymo *in Dialog. adv. Luciferian.* Ex S. Siricio Papa *Epiſt.* 1. Ex Innocentio Papa *lib.* 4. *de Pœnit. cap.* 12. Et ex decretis plurium Conciliorum, quæ allegantur ab Illuſtriſſimo Sarnellio Epiſcopo Vigiliarum in ejus eruditiſſima *Baſilicographia cap.* 18. *numer.* 11.

Sed dicet aliquis, Qua de cauſa Eccleſia Græca non confert Ordinem Oſtiariatus? Huic inſtantiæ ſatisfaciam in Deciſione ſequenti.

## DECISIO XVIII.

### *ARGUMENTUM.*

Propoſita, & diſcuſſa Quæſtione, Quare Græci non conferant Ordinem Oſtiariatus, neque Exorciſtatus, neque Acolythatus? Et relatis doctiſſimis argumentis tàm pro, quàm contra eorum omiſſionem; agitur de Ordine Lectoratus, & oſtenditur, quæ ſit ejus Materia, & Forma? & quæ ejus officia tàm apud Latinos, quàm apud Græcos. Eruditiones multæ de libris Hebræorum antiquis tùm realibus, tùm Metaphoricis; ideſt de libro Vitæ, de libro finalis Judicii, & Mortis. Exempla plura SS. Lectorum.

### SUMMARIUM.

1 *Oſtiariatus Ordinem non conferunt Græci, & cur?*
2 *Græci ex minoribus Ordinibus ſolum Lectoratum habent.*
3 *Euchologia Græca de quot Ordinibus meminerint?*
4 *Concilii Generalis VIII. decretum quin-*

Digitized by Google

*quinque tantùm Ordines nominat.*
5 *Nicetæ antiqui Scriptoris teſtimonium de quinque tantùm Ordinibus.*
6 *Pontifices Romani numquam conqueſti de Græca trium Ordinum omiſſione.*
7 *Elias Cretenſis quinque Ordines tantùm nominat.*
8 *S. Jo. Damaſcenus ſimiliter, &*
9 *Metaphraſtes.*
10 *S. Theodorus ordinatus primùm Lector, deinde in tribus ſacris.*
11 *Juſtinianus Imperator nihil de Oſtiariis, Exorciſtis, & Acolythis.*
12 *S. Clementis Papæ Conſtitutiones Apoſtolicæ, nihil de iiſdem.*
13 *S. Ignatius Martyr nominat Oſtiarios, Exorciſtas, ac Acolythos.*
14 *Laodicena Synodus ſimiliter; nec non*
15 *S. Epiphanius; atque*
16 *Concilium Antiochenum.*
17 *Et Conſtitutiones Apoſtolicæ S. Clementis.*
18 *Morini tria dicta pro excuſandis Græcis ab omiſſione trium minorum Ordinum.*
19 *Cabaſutii dictum de horum trium Ordinum Græca omiſſione.*
20 *Lectoratus materia in Eccleſia Latina.*
21 *Libri Sacri vel Protocanonici, vel Deuterocanonici.*
22 *Concilii Tridentini Decretum de Libris Canonicis.*
23 *Libri antiquorum convoluibiles ad cylindrum.*
24 *Libri cur dicebantur ſcripti intus, & foris?*
25 *Hyſterolia quid ſit?*
26 *Chriſtus quomodo dicatur* Luc. 4. 17. *plicuiſſe librum?*
27 *Libri Sacri, vel Reales, vel Metaphorici.*
28 *Moyſes cur ſanguine aſperſit Librum Legis?*
29 *Libri ſacri Metaphorici qui ſint? Et qualis Liber Vitæ?*
30 *Romani cur vocabantur Patres conſcripti?*
31 *Liber vitæ dupliciter ſcriptus. Inchoatè, & Completè.*
32 *Liber finalis judicii qualis ſit?*
33 *Facta uniuſcujuſque quomodo ab omnibus videbuntur in die Judicii?*
34 *Angeli, & Animæ beatæ quomodo adinvicem loquantur?*
35 *Peccata electorum an ab omnibus videnda in judicio?*
36 *Liber mortis quiſnam ſit?*
37 *Libri Sacri an omnes ſint materia Lectoratus? Et an*
38 *Liber Pontificalis?*
39 *Forma Lectoratus quæ in Eccleſia Latina?*
40 *Quæ in Eccleſia Græca?*
41 *Phelonium quid ſit? & quid Omophorium?*
42 *Lectoris Officium quadruplex in Eccleſia Latina.*
43 *Lectores an poſſint prædicare?*
44 *S. Apollonii Lectoris cum S. Philemone M. jucundus eventus.*
45 *Cantare in Eccleſia ſpectat ad Lectores.*
46 *Lectores cur aliquando nominati etiam Cantores, & Notarii?*
47 *Lector occiſus ab Arianis dum cantaret Alleluja.*
48 *Benedicere panem, & novos fructus, eſt officium Lectorum.*
49 *Lectorum Officia apud Græcos.*
50 *Græci Lectoratui unitum eſſe ajunt Oſtiariatum, & Acolythatum.*

DE Lectoratus ordine, qui eſt ſecundus inter minores, agendum
eſt in præſenti; & de eo oſtendere oportet, extitiſſe in primitiva Eccleſia;
ejuſque materiam, & formam decla- 1
rare; nec non Lectorum officia quæ, & quot ſint exponere, ac exemplis confirmare; ſed priùs ſatisfaciendum eſt curioſitati petentium, qua de cauſa Eccleſia Græca non conferat Ordinem Oſtiariatus, de quo locuti ſumus in præcedenti.

Joannes Morinus in ſuo erudito Commentario *De Sacris Eccleſiæ Ordi-*
*nationibus part. 3. Exercit. 14. cap. 1.* diſ- 2
ſerit de omiſſione trium minorum Ordinum, quam faciunt Græci, à quibus tantùm

tantùm Lectoratus Ordo confertur, & hanc quæſtionem ſpinoſiorem vocat, & difficiliorem cæteris *in d.part.3.Exercit.* 13. *cap.* 1. *num.* 1. Cæterùm in prædicta *Exercit.* 14. *cap.* 1. conatur probare ab annis mille, & centum ſupra, quando ipſe ſcribebat, (videlicet à ſæculo quinto citra) memoriam Oſtiariatus, Exorciſtatus, & Acolythatus apud Græcos eſſe ſepultam. Imò ab iiſdem Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus in Orientali Eccleſia eoſdem tres Ordines fuiſſe omiſſos; quandoquidem omnia
3 Euchologia Græca etſi vetuſtiſſima nullam de iiſdem tribus Ordinibus memoriam faciunt; ſed tantummodò loquuntur de collatione Ordinum Lectoratus, Subdiaconatus, Diaconatus, Preſbyteratus, & Epiſcopatus; quod oſtendimus etiam nos ſupra *Deciſ. III. à num.* 40. *& ſeqq.* Argumenta collecta per eundem Morinum, quibus cohoneſtat, imò protegit trium minorum Ordinum neglectum, ſunt:

Primò: Decretum Octavi Concilii Generalis celebrati, & concluſi Anno 870. Conſtantinopoli, in quo damnatus fuit Photius Patriarcha intruſus in illa Sede, & reſtitutus Ignatius inde-
4 bitè ex ea pulſus: in quo Patres illi Græci circa Sacramenta *act.*10. *cap.* 10. ſic decreverunt in deteſtationem ejuſdem Photii, qui ex Laico factus fuerat intra ſex dies Epiſcopus: *Quod ſi quis nulla ſuſpicione dictæ ambitionis, vel honoris ſpe tactus, ſed recta, boneſtaque diſciplina inductus, in Clericum, & Monachum attonſus eſt, perque omnes gradus Eccleſiaſticos definitis temporibus vitam agendo inculpatam tranſiiſſe reperiatur; itaut in Lectoris munere annum; in Subdiaconi duos, in Diaconi tres, Sacerdotii quatuor annos expleverit, ad Epiſcopatus bonorem evehatur.* En quinque tantùm Ordinum nominatio, & recognitio ſimul cum Epiſcopatu in hoc decreto. Illud refert etiam Emin. Card. Baronius *ſub Anno* 869. *num.* 49. Vim hujus argumenti Morinus exaltat; quia hæc Synodus fuit ab Apoſtolica Sede confirmata; & nihil circa omiſſionem trium minorum Ordinum fuit oppoſitum.

Secundò: id, quod aſſerit Nicetas in vita S. Ignatii prædicti Patriarchæ Conſtantinopolitani, viri Sanctiſſimi ad ſuam Sedem, intruſo Photio depul- 5
ſo, reſtitui; de eo enim ita aſſerit: *Primùm quidem Lector, Sacrarum Litterarum præco ſanctus: deindè Hypodiaconus, tùm Diaconus, ac deinceps Sacerdos; ordine, ac lege Eccleſiaſticorum graduum conſecratur.* Ergo tunc talis erat conſuetudo, & legitima exiſtimabatur.

Tertiò: Quia Summi Pontifices Nicolaus I. & Adrianus II. toties Photio præpoſteræ Ordinationis crimen exprobarunt; ſed nunquam trium omiſ- 6
ſorum Ordinum minorum à Photio, aut aliis Græcis mentionem fecerunt. Proculdubio graviſſimè conqueſti fuiſſent de hac omiſſione, ſi novam, aut ſpuriam reputaſſent. Ulteriùs Ignatius Patriarcha, ut antea, ad ſuam Sedem reſtitutus ſcripſit ad Adrianum II. Papam, quid eſſet agendum de Lectoribus per Photium ordinatis? & nihil de Oſtiariis, Exorciſtis, & Acolythis; quod ſignum eſt, horum Ordinationem tunc non fuiſſe in uſu.

Quartò: Elias Cretenſis, Senior prædicta Synodo, in Commentariis ſuper operibus S. Gregorii Nazianzeni 7
*in Orat.* 19. *verſ. finem* loquens de Ordinibus Eccleſiaſticis, Sacerdotium, Diaconatum, Subdiaconatum, ac Lectoratum ſolummodò nominat; & præter hos nullum alium.

Quintò: S. Joannes Damaſcenus, qui vivebat Anno 728 initio Dialogi adversùs Manichæos, declarans vocem *Principium* tanquàm æquivocam 8
variis exemplis, inter cætera, hoc utitur: *Principium inſuper de Ordine dicitur: prima dignitas Lector eſt, deindè Subdiaconus, poſt Diaconus, poſt Præsbyter, atque ita demum Epiſcopus dicitur.* Non ita loqueretur, ſi tunc quatuor minores Ordines fuiſſent in uſu.

Sextò: Metaphraſtes apud Surium

*die 26.*

*die* 26. *Septembris*, narrat S. Cyprianum Antiochenum aſcendiſſe ad Epiſcopatum, per quatuor præcedentes
9 Ordinum gradus, dicens; quod Anthimius Antiſtes: *Octavo quidem die fecit eum Sacrum preconem, & expoſitorem Chriſti myſteriorum: viceſimo autem Subdiaconum: triceſimo verò refert in numerum Diaconorum: cum autem totus annus eſſet tranſactus, dignus judicatus eſt Cathedra Presbyterorum.*

Septimò: Conſimile exemplum legitur de Sancto Theodoro apud eumdem Surium *die* 22. *Aprilis*, ubi Ge-
10 orgius Presbyter ejus diſcipulus narrat, prædictum Sanctum promotum fuiſſe à Theodoſio Anaſtaſiopolis Epiſcopo ad Lectoratus primùm, deindè ad Subdiaconatus, Diaconatus, ac Presbyteratus Ordines.

Octavò: Argumentum ſumitur *ex l. Sacris Canonibus* 43. *C. de Epiſc. & Cleric.* in qua Juſtinianus Imperator,
11 qui regnabat & ſuum Codicem promulgavit Anno 528. inhærendo Sacris Canonibus inhibet nuptias Presbyteris, Diaconis, Subdiaconiſque illas autem permittit *Pſaltis*, & *Lectoribus*. Ergo nullus erat uſus Oſtiariorum, Exorciſtarum, ſeu Acolythorum.

Nonò: Tandem pro legitima excluſione horum trium minorum Ordinum
12 apud Græcos conſiderat Morinus varios Canones in Conſtitutionibus Apoſtolicis S. Clementis Papæ, in quibus ipſi non referuntur, etſi de Lectoribus mentio habeatur.

Cæterùm adversùs hæc Orientalis Eccleſiæ argumenta urgent ſequentia teſtimonia. I. S. Ignatii Martyris ter-
13 tii à S. Petro Antiocheni Epiſcopi, qui in fine Epiſtolæ ad Antiochenos omnes iſtos Ordines ſigillatim enumerat: *Saluto Sanctum Presbyterorum Collegium. Saluto Sacros Diaconos, Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorciſtas, Confeſſores. Saluto Cuſtodes Sacrorum veſtibulorum in Chriſto, Diaconiſſas. Saluto Chriſto afflatas Virgines, quibus fruar in domino JESU. Saluto populum Domini à parvo uſque ad magnum*. In his verbis *Janitores* indicant Oſtiarios, & non incongruè Acolythos *Cuſtodes Sacrorum veſtibulorum*. II. verba Ca- 14
nonis 24. Concilii Laodiceni celebrati ſecundum aliquos tempore Liberii Papæ, vel ſecundum alios ſub Damaſo ejus Succeſſore Anno 360. circiter, quæ ita loquuntur: *Quod non oportet Sacratum à Presbytero uſque ad Diaconum, & deinceps quemlibet Eccleſiaſtici Ordinis uſque ad Miniſtros, vel Lectores, vel Cantores, vel Exorciſtas, vel Oſtiarios, vel Exercitatorum Ordinis in cauponam ingredi*. En omnes quatuor minores Ordines expreſſi, ſi per *ly Miniſtros* intelligamus Acolythos miniſtrantes Diaconis, ac Subdiaconis in Miſſa. III. Notata per S. Epiphanium in expoſitione Fidei, quam inſeruit operi ſuo poſt omnium hæreſeon confutationem; ubi poſt enarratas perſonas Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum; nec non Lectorum, & Diaconiſſarum, ſubjicit:
*Poſt illos omnes deinceps Exorciſtæ ſe-* 15
*quuntur, & Linguarum interpretes, tàm in Lectionibus, quàm in Concionibus. Sequuntur Laborantes, qui mortuorum corpora curant. Tùm Janitores, ac reliqui diſciplinæ cauſa Ordines inſtituti*. IV. *Canon.* 10. Concilii Antiocheni celebrati tempore Julii Papæ Primi qui fuit creatus Pontifex Anno 330. in eo enim Canone, dum agitur de poteſtate Chorepiſcoporum circa Clericos ordinandos, ita dicitur: *Ordinent etiam Lectores, & Subdiaconos, atque Exorciſtas, quibus promotiones iſtæ ſufficiant*. V. Urgent ſequentes Canones in Apoſtolicis Conſtitutionibus à S. Clemente Papa conſcriptis, & per ipſos Apoſtolos, ut communis opinio eſt, dictati;
videlicet *Lib.* 2. *cap.* 57. in quo agentes de 17
modo verſandi in Eccleſia tempore divinorum officiorum, præcipiunt, quod *Ianitores*, ideſt Oſtiarii, *ſtent ad introitus virorum, cuſtodiendi cauſa, &c.* Deindè *Libr.* 3. *cap.* 11. ita: *Neque reliquis Clericis poteſtatem facimus baptizandi, ut Lectoribus, Cantoribus, Ianitori-*

*nitoribus*, *aut miniſtris*; Et paulò poſt: *Neque Presbyteris poteſtatem damus ordinandi Diaconos*, *aut Diaconiſſas*, *aut Lectores*, *aut Miniſtros*, *aut Cantores*, *aut Janitores*. Per ly *Miniſtros* non incongruè denotari *Acolythos* multi dicunt, ex eo quod eorum officium erat, & eſt miniſtrare Diaconis, & Subdiaconis in Sacrificio. Tandem *lib.6. cap.* 17. dum præcipitur, Epiſcopos, Presbyteros, ac Diaconos non ordinari, niſi ſint unius Uxoris viri, ſubditur: *Item Miniſtros*, *Cantores*, *Lectores*, *& Janitores monogamos*, *ideſt unumquemque eorum unius Uxoris virum eſſe præcipimus*. Ergo ex his omnibus decretis ſimul conſideratis deducitur, quod in primitiva Eccleſia, ac tempore Apoſtolorum extabant omnes quatuor minores Ordines Oſtiariatus, Lectoratus, Exorciſtatus, & Acolythatus; & de iiſdem omnibus mentionem fecerunt etiam Sancti Patres Græci, qui fuerunt Apoſtolorum diſcipuli, vel vivebant non multò poſt eoſdem Apoſtolos; & per conſequens quod erant in uſu etiam in Eccleſia Orientali.

Morinus, ut ſe expediat ab his oppoſitionibus, quibus de omiſſione trium minorum Ordinum Orientales argu-
8 untur, tria dicit; quæ an ſint plauſu digna, judicabunt ſtudioſi; mihi enim videntur potiùs puteſcere. Unum eſt, quod promit *d. part. 3. Exercit. XIII. ſub num.* 1. nempè quatuor minores Ordines eſſe inſtitutionis Eccleſiaſticæ, ideoque apud plures nationes fuiſſe neglectos, etſi fuerint in Eccleſia Romana ſemper ſervati; eorum tamen materias, & formas non ſemel eſſe immutatas. Alterum eſt, quod enunciat ſub *num.* 10. hos quidem minores Ordines prorſùs eſſe inutiles, cum eorum officia, & miniſteria à quolibet occurrente, & non initiato, & vix aliquando ab initiatis adminiſtrentur. Undè ſibi proponi facit hanc interpellationem. *Quamobrem igitur*, *inquies*, *iſtos Ordines retinuit Eccleſia*, *& non abolevit? Aut ſaltem tribus abolitis*, *ut Græci*, *unum ſolum non conſervavit?* Et quamvis rationes reddat eorundem conſervandorum in Eccleſia Romana, non ſe alienum oſtendit à commendandis Orientalibus, qui Oſtiariatum, Exorciſtatum, & Acolythatum tanquam inutiles aboleverunt. Tertium Morini dictum habetur in *d. part. 3. Exercit. XIV. cap. 2. num. 3.* & eſt quod Ordines tres minores prædicti, etſi nominentur apud antiquos Patres Græcos, tamen tales non erant, niſi quo ad nomen latè ſumptum pro aliquo officio Eccleſiaſtico, quod conferebatur non per chirotoniam, ideſt per Ordinationem; ſed per ſolam electionem, ſeu deputationem, ut noſtris temporibus fit de Theſaurariis in Eccleſiis Collegiatis, aut de Vicariis foraneis in Villis; idcircò, ait, Janitores, Exorciſtæ, & Miniſtri apud Græcos antiquiſſimos, (nam Acolythi vox apud eos non reperitur) non innuebant Ordines Eccleſiaſticos; ſed officia, ſeu miniſteria in Eccleſia, quæ à non Ordinatis explebantur; prout fit noſtra ætate circa Oſtiariorum, Exorciſtarum, & Acolythorum functiones, quas, (ut ejus verbis utar) præſtant viles perſonæ, mercede conductæ.

Hac in altercatione meum non eſt Judicis veſtem induere; ſed præter ea, quæ notata fuere ſupra *Deciſ. III. num.* 42. *& ſeqq.* ex doctiſſimis Magrio, & Papadopoli; duo adiiciam; Unum, quod dicit eruditiſſimus Cabaſutius in Notitia Conciliorum *ſæcul.* 2. *Diſſert.* 9. *num.* 3. in fine verbis iſtis: *Cum verò* 19
*nonnulli negant eſſe uunc Græcorum ullos Ordines*, *quàm Lectorum*: *ſi hoc ita ſit*, *nuperum eſt*: *cum ex ſuperiùs adductis priſcorum Græcorum teſtimoniis*, *per omnem Græciam viguiſſe minores Hypodiaconorum*, *Lectorum*, *Exorciſtarum*, *& Oſtiariorum*, *ſeu Janitorum Ordines*, *liquido conſtet*. Alterum, quod plenè fuit per me extenſum *in cit. Deciſ. III. num.* 38. *&* 39. ſcilicet in Eccleſia Latina ſemper veneratos, & adhibitos fuiſſe eoſdem omnes quatuor Ordines minores, ut ex Summis Pontificibus, qui in primis ſæculis rexerunt Eccle-



Digitized by Google

ſiam, & ex Sacris Conciliis ibidem adductis manifeſtè conſtat; quod etiam repetit præcitatus Cabaſutius *d. Diſſert. 9. num.* 1. adeout non ſit amplius immorandum circa eorum in Orientali Eccleſia omiſſionem; quam ubique in facto praticari negat Maſtrius *in Hierolexic. Verb. Anagnoſta*; ut innui pariter in *d. Deciſ. III. num.* 44.

Ex his itaque ſufficienter Studioſi noſtri comperiunt, Lectoratus Ordinem ſemper in utraque Eccleſia Latina, & Græca extitiſſe; & de ejus materia, forma, & officio, ut ab initio hujus Deciſionis propoſuimus, oporteat verba facere. Sanè circa materiam
20 Lectoratus diſcrepantia adhuc eſt inter Græcos, & Latinos; hi enim porrigunt librum continentem lectiones utriuſque Teſtamenti tangendum ordinando, nempè *Breviarium*. Gobatus *de Sacr. Ord. tract. 8. num.* 42. Salmanticenſes *eod. tract. 8. cap. 3. num.* 14. illi verò nullum librum porrigunt, ſed Antiſtes manus imponit ſuper Lectore ordinando, & orationem quamdam recitat, & ſic eum ordinat, ut demonſtrant omnia Ritualia Græcorum, transcripta ab eodem Morino, & inſerta in dicto ſuo opere de Sacris Ordinationibus *part. 2. à pag. 17. uſque ad pag.* 154. & ipſemet Morinus docet in *part. 3. Exercit. XIV. cap. 6. num.* 1. & 2. ubi ſubdit, non obſtare, quod Græci dum ordinant Lectorem, tradunt ei librum epiſtolarum; quia cum illa traditio per eos fiat, completa jam Lectoris ordinatione, non deſeruit pro materia; ſed pro ſigno poſſeſſionis, quam Lectores capiunt, legendi Epiſtolam intra Miſſarum ſolemnia, ut mos eſt inter Græcos. Igitur in Eccleſia Latina Lectoratus Ordo confertur per traditionem libri; & ita ſemper practicatum fuit, & ſervatum ab initio Eccleſiæ ad hæc uſque tempora, ut legitur in decem, & ſeptem Ritualibus magis principalium Epiſcopatuum Occidentalis Eccleſiæ tàm ante, quàm poſt decimum ſæculum conſcriptis, quæ non abſque magno labore collegit, & inſeruit ipſe Morinus *in d. ſuo tract. de Sacr. Ordin. part. 2. à pag.* 210. *& ſeqq.* incipiendo à Concilio Carthaginenſi IV. celebrato Carthagine Anno 398. in quo ſic fuit ſtatutum: *Lector cum Ordinatur, faciat de illo verbum Epiſcopus ad plebem, indicans ejus fidem, ac vitam, atque ingenium. Poſthæc ſpectante plebe, tradat ei codicem, de quo Lecturus eſt, dicens ad eum: Accipe, & eſto Lector Verbi Dei, habiturus, ſi fideliter, & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui Verbum Dei miniſtraverint*. Concordant circa hujus Ordinationis materiam, & formam antedicta Ritualia antiquorum, ac modernorum temporum unà cum Pontificali Romano, juſſu Gregorii XIII. reformati, & editi.

Verùm quia conſtat, materiam Ordinis Lectoratus eſſe traditionem libri; Hujus occaſione, notet ſtudioſus tria. Primum quod libri Sacri, idest Sacræ Scripturæ, ſunt in duplici differentia; 21
alii enim vocantur Protocanonici, alii Deuterocanonici. Illi ſunt Pentateuchus Moyſis, Quatuor Evangelia, Epiſtolæ Divi Pauli, & alii nonnulli; qui appellantur Protocanonici quaſi primi Canonici, eò quod omni ævo apud omnes habiti ſunt canonici; itaut de eorum auctoritate nullus unquam ortodoxus dubitarit. Reliqui ſunt Liber Eſther, Baruch, Danielis pars, Tobias, Judith, Sapientia, Eccleſiaſticus, duo Machabeorum, & alii quidam; dicti Deuterocanonici, quaſi ſecundi Canonici eò quod aliquando Eccleſia, aut Patres de eorum auctoritate dubitarint, poſteriori tamen ævo ab omnibus in Canonem ſunt recepti, ut ſcribit Cornelius à Lapide in *proemio Epiſt. 1. S. Joannis*, in principio, At nunc nefas eſſet dubitare de auctoritate, ac legitimitate omnium librorum tùm veteris, tùm novi teſtamenti, attento Decreto Sacri Tridentini Concilii *ſeſſ.* 4. in quo nominatim omnes Sacræ Scripturæ libros authenticos, ac Canonicos declarat, & tanquam tales haberi ab omnibus præcipit ſub anathematis pœna; 22

ut ad

Digitized by Google

ut ad idem Decretum notat Barboſa,
colligens DD. de Sacris Libris tractantes.
Alterum à Studioſis notandum eſt,
quod antiquorum Libri, (& potiſſimum
Hebræorum, ipſiuſque Sacræ Scripturæ)
non erant ſimiles noſtris, ideſt per
23 folia diviſi, & colligati; ſed convolvibiles
in cylindrum; ſiquidem veteres
ſcribebant in membranis, ſivè pellibus
ab una, putà mundiori, pellis parte,
eamque deinde convolvebant, colligabant,
& obſignabant, ut obſignantur
teſtamenta; & à tali convolutione libri
veterum vocabantur volumina; ut advertunt
Tirinus *in Comment. ad. Iſaiam
cap. 8. Verſ. 1.* & Cornelius à Lapide in
*Proverb. Salomon. cap. 25. Verſ. 1.* nec non
*in Apocalyp. Joan. cap. 5. Verſ. 1.* Subdens,
quod aliquando Hebræi ſcribebant
ab utraque parte membranæ; &
tunc liber dicebatur ſcriptus intùs, &
24 foris; ideſt in interiori parte membranæ,
& ſimul in exteriori; taliſque fuerat
liber, quem in extaſi raptus teſtatur
vidiſſe Joannes *d. cap. 5. Verſ. 1.* dicens:
*Et vidi in dextera ſedentis ſupra
thronum, librum ſcriptum intus, & foris
ſignatum ſigillis ſeptem.* Quod ſi
Lector petat, quomodo videre potuit
Apoſtolus, librum ſcriptum fuiſſe intùs,
& foris, ſi involutus, & ſignatus
erat ſigillis ſeptem? Reſpondet Commentator
prædictus, ita Joannem lo-
25 cutum per hyſterologiam; quæ figura
eſt in loquendo; dum narratur priùs,
quod poſteriùs contigit; undè hyſterologus
dicitur, qui præpoſterè loquitur.
Itaque antiqui Scriptores libros ſuos
non in foliis ſubſequentibus, ut nos facimus,
exarabant, ſed in longiſſimis
membranis ſcribebant, quas inſtar mapparum
geographicarum convoluebant;
ac tales pervetuſtos Hebræorum Bibliorum
libros ſe vidiſſe in Bibliotheca Vaticana
Romæ teſtatur idem Cornelius
*d. cap. 5. in Apoc. Verſ. 1.*
Exemplum hujuſmodi formæ ſcribendi
libros Hebraicos habemus etiam
apud S. Lucam *cap. 4. Verſ. 17.* ubi narrat,
quod JESUS intravit die Sabbati
in Synagogam, & ſurrexit legere:
*Et traditus eſt ei Liber Iſaiæ Prophetæ:
& ut revolvit librum invenit locum, ubi
ſcriptum erat, Spiritus Domini ſuper me
&c. Et cum plicuiſſet librum, reddidit* 26
*miniſtro, & ſedit.* Quo loci Vatablus,
aliique interpretes obſervant, Chriſtum
Dominum expandiſſe, ſeu explicuiſſe
Iſaiæ librum, ut legeret, & lecto eo
Verſu, *Spiritus Domini ſuper me*, plicuiſſe
librum ipſum; quia, ut dictum
eſt, non erat ſcriptus in foliis ſimul
colligatis; ſed in una membrana longa,
& continua, quæ circa cylindrum
ab initio ad finem convolvebatur, uti
convoluta videmus inſtrumenta antiqua
contractuum, ſeu teſtamentorum in
chartis hædinis per publicos Notarios
conſcripta, quæ vulgò *rotoli* vocantur.
Tertium notandum eſt, quod libri
ſacri, vel ſunt reales, vel metaphorici.
Primi ſunt omnes libri utriuſque 27
Teſtamenti; quos recenſet Tridentina
Synodus *in cit. ſeſſ. 4. in Indice libror.*
qui quidem libri teſtamenti veteris per
omne Sabbatum legebantur pro aliqua
parte ad populum in Synagogis ad
exemplum Moyſis, de quo ait Apoſtolus
Paulus *in Epiſt. ad Hebr. cap. 9.
Verſ. 19. Lecto enim omni mandato legis
à Moyſe univerſo populo, accipiens ſanguinem
vitulorum, & hircorum, cum
aqua, & lana coccinea, & hyſſopo ipſum
quoque Librum, & omnem populum
aſperſit.* Cujus aſperſionis tres rationes
reddit Cornelius à Lapide ibidem. Pri- 28
mò. Ut ſignificaret, leges fœderis in
libro contentas, & ſanguine victimarum
aſperſas, eſſe ſanctas. Secundò.
Ut ſcirent qui violarent illas leges, proprio
ſanguine violationem eſſe luituros.
Tertiò. Ut indicaret myſterium
effuſionis futuræ Sanguinis Chriſti, per
quem omnes fideles eſſent ſanctificandi,
& ad obſervantiam Divinæ legis
muniendi.
Libri Metaphorici ſunt tres, nempè
Liber vitæ, Liber judicii finalis, &
Liber mortis. Primus Liber Vitæ eſt 29
præſcientia Dei, & Prædeſtinatio, in
qua ipſe Deus tanquam in libro deſcribit
electos, de quo quidem libro locu-

tus primùm eſt Moyſes in *Exod. cap.* 32. *Verſ.* 32. dum petens veniam populo Hebræo, qui vitulum adoraverat, dixit: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut, ſi non facis, dele me de libro tuo, quem ſcripſiſti*. De eodem libro intellexit David in illis verbis *Pſal.* 68. *Verſ.* 29. *Deleantur de libro viventium*. nec non Apoſtolus Paulus in *Epiſt. ad Philipp. cap.* 4. *Verſ.* 3. *Quorum nomina ſunt in Libro vitæ*. Quo loci ſubdit Cornelius à Lapide *Librum* Hebraicè ſignificare *Catalogum*; & ideò liber vitæ eſt Catalogus viventium, eorum ſcilicet, qui conſcripti ſunt in mente divina ad vitam æternam: prout apud homines, qui ad aliquod munus, vel dignitatem eliguntur, conſcribuntur in libro, ut
30 faciebant Romani de Militibus, & Senatoribus, qui ex hoc vocabantur Patres conſcripti. Porrò duplici modo homines deſcribuntur à Deo in Libro vitæ, inchoatè, & completè. Scribuntur *inchoatè* omnes juſti, qui in hac
31 eita luctantur cum mundo, carne, & dœmone, ut ſi in juſtitia perſeverent, mereantur in fine ad æternam vitam pervenire; at ſi deficiant, deleantur de libro viventium. *Completè* ſcribuntur illi omnes, quos præſcientia Dei cognoſcit eſſe perſeveraturos in gratia uſque ad mortem, & eos prælegit ad vitam æternam; & quia nemo eſt, qui ſciat ſe eſſe in bonis operibus perſeveraturum, ſic nemo poteſt aſſerere ſe eſſe prædeſtinatum, & completè ſcriptum in Libro vitæ, ut latè demonſtrat, & diſſerit Collegium Salmanticenſe in Curſu Theologico *tom.* 1. *tract.* 5. *de Prædeſtin. diſp.* 1. *dub.* 2.

Liber judicii finalis eſt conſcientia quorumcunque hominum judicando-
32 rum, de quo canit Eccleſia in Sequentia Miſſarum pro Defunctis:

*Liber ſcriptus proferetur,*
*In quo totum continetur,*
*Undè mundus judicetur.*

Et de hoc eodem libro meminit Evangeliſta Joannes in Apocalypſi *cap.* 20. *Verſ.* 12. in illis verbis: *Et Libri aperti ſunt: & alius liber apertus eſt, qui eſt vitæ uniuſcujuſque: & judicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum*: juxtà quæ verba ſcriptum reliquit S. Auguſtinus *libr.* 20. *de Civit. Dei cap.* 14. *Futurum enim eſt, ut per Dei potentiam cujuſque opera mira celeritate à quolibet conſpiciantur*. Hæc autem aperitio librorum conſcientiarum omnium hominum, ut quilibet legat, videat, & intelligat facta ſua, & aliorum, uno ex his duobus modis à Deo fiet: vel per locutionem mentalem, nimirùm per divinam revelationem, indendo cuique, & ſug- 33
gerendo ex ſua omni ſcientia quidquid alius quiſque fecerit: vel per elevationem phantaſiæ, & intellectus ſimul, & ſemel omnium hominum; illis vires, & lumen ſupernaturale præbendo, ut videant facta cujuſque in alterius conſcientia, & memoria quaſi deſcripta; ut latiùs diſſerit idem Cornelius à Lapide *in cit. cap.* 20. *Apoc. Verſ.* 12. ubi dat ſimilitudinem Angelorum, & animarum à corporibus ſeparatarum: *Dum enim*, inquit, *hæ ſibi invicem loquuntur, faciunt naturaliter, ut* 34
*is, vel illa, cui loquuntur, videat cogitata, & volita ſua, hoc ipſo, quo volunt ipſum, vel illam ea ſcire; & hoc ipſo fit earundem conceptus, & cogitatio, aliàs ſecreta, objectum proportionatum intellectui audientis, ut naturaliter ab eo ſentiri, & cognoſci poſſit. Sic ergo Deus per hanc mentis cujuſque elevationem faciet, ut potentia intellectus cujuſque proportionata ſit, & ſufficiens ad omnia illa objecta, putà ad facta ſingulorum hominum, ſaltem ſucceſſivo tempore, ſed breviſſimo cognoſcenda*. At de horum aperitione librorum in finali judicio legendus Emin. Card. de Lauræa *in* 4. *Sent. tom.* 4. *diſp.* 10. *art.* 9. & 10. nec non videndus Maſtrius in ſua Theologia Morali *diſp.* 28. *à num.* 51. & *ſeqq.* ubi diſputant de judicio finali, & de modo, quo manifeſta erunt omnibus opera hominum.

Quod ſi quis petat, An tunc videnda ſint peccata electorum, per pœnitentiam deleta, etiam ab aliis hominibus?

bus? Magiſter Sententiarum *in 4. diſt. 43.*
35 & cum eo Viguerius, Sonius, & alii
reſpondent negativè; quia, inquiunt,
ſcriptum eſt in *Pſal. 31. Beati, quorum*
*remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum tecta*
*ſunt peccata. Et Pſalm. 50. Dele ini-*
*quitatem meam*. Nec non *1. Petr. 4.*
*Charitas operit multitudinem peccato-*
*rum*. Prout etiam *Ezechiel. 18. Si im-*
*pius egerit pœnitentiam, omnium iniqui-*
*tatum ejus non recordabor ampliùs*. Et
non modicus eſſet rubor, ac confuſio
Electorum, ſi quæ commiſerunt pec-
cata enormia, ab omnibus videnda fo-
rent. Affirmativam tamen Sententiam
tenent Scotiſtæ, & Thomiſtæ, cum
Doctoribus, quos allegant iiſdem Ma-
ſtrius, & Emin. Card. de Lauræa ubi
proximè citati, ob Scripturarum,
& Gloſſarum auctoritatem, quas ibi
referunt, & præcipuè ob illud Apoſtoli
*2. ad Cor. 5. Omnes enim nos manifeſtari*
*oportet ante Tribunal Chriſti, ut referat*
*unuſquiſque propria corporis, prout geſ-*
*ſit, ſivè bonum, ſivè malum*. Negant
autem, manifeſtationem illam allatu-
ram fore ruborem Sanctis, quia pœni-
tentia per eos acta, & tunc cunctis no-
ta immunes à verecundia illos faciet.

Tertius tandem liber eſt liber mor-
tis; nempè mens Divina, & præſcien-
36 tia Dei, qui eos omnes, quos in pecca-
to morituros prænoſcit, in hujuſmodi
libro deſcribit, illos æternis pœnis pu-
niendos deſtinando, ut ex Theophyla-
to refert Cornelius à Lapide *in d. Epiſt.*
*ad Philipp. cap. 4. ſub Verſ. 3.* ſubdens
nihilominùs ibidem, quod Divus Tho-
mas non admittit hunc librum mortis,
tùm quia illius nunquam meminit Scri-
ptura, tùm etiam quia Deus, cujus na-
tura eſt bonitas, per ſe ordinat, & con-
ſcribit ſuos ad Vitam; quod ſi impios
impœnitentes deſtinat ad mortem; id
facit non per ſe, ſed quaſi coactus à
malitia, & à peccatis eorum.

His ſic prælibatis tùm de Libris ſacris
realibus, tàm de Metaphoricis occa-
ſione materiæ Ordinis Lectoratus, quæ
37 eſt Liber lectionum, ut diximus *ſupra*
*num. 20.* revertentes ad eamdem ma-
teriam; eamque fuſiùs explicantes;
aſſerendum cenſeo, omnes libros Ca-
nonicos tàm novi, quàm veteris teſta-
menti; & eorum quemlibet eſſe ſuffi-
cientem materiam remotam hujus Or-
dinis; cum enim talis reputetur illa;
quæ aliquo modo eſt repræſentativa mu-
neris, ſeu officii quod in ordinatione
confertur, ut loquitur Emin. Card. de
Lauræa *de Sacr. Ord. diſp. 4. num. 61.*
munus autem, & officium Lectoris
ſit, non ſolùm lectiones ex utroque
teſtamento in Eccleſia recitare; ſed
etiam prima Chriſtianæ Religionis ru-
dimenta fideles docere, ut advertit
Antonius Volpi in ſuis reſolutionibus
Moralibus *reſol. 137. num. 4.* & nos
paulò infra oſtendemus; ſequitur, tra-
di poſſe Ordinando in Lectorem pro
materia quemcunque librum; in quo
vel Scripturæ Sacræ veteris aliqua pars,
vel Evangelii contineatur. Ex hujus ge-
neralis doctrinæ principio requiſitus P.
Gobatus, an eſſent validè Ordinati Le-
ctores nonnulli Clerici, quibus in ordina-
tione traditus fuit tangendus liber Pon-
tificalis? poſt aliquam hæſitationem
reſpondit affirmativè *de Sacram. Ord.*
*d. tract. 8. num. 193.* & reddit ſui reſpon-
ſi rationem dicens; *Etenim Pontificale* 38
*continet Pſalmos plurimos, dignos uti-*
*que in Eccleſia Legi à conſtituto in Ordine*
*Lectoratus; & complectitur multas exhor-*
*tationes per quàm graves æquiparandas*
*Homiliis*. Hanc eamdem opinionem
affirmativam docuit Pax Jordanus *libr.*
*3. tit. 6. de Sacr. Ord. num. 465.* ubi ait
ſufficere, ſi tradatur Lectori tangen-
dum Miſſale, vel Pontificale; & mi-
ror, Gobatum ſatis ſtudioſum Jorda-
ni, eum in prædicto loco non obſervaſ-
ſe; minùs enim hæſitaſſet in reſpon-
dendo ad prædictum dubium. Et hæc
ſatis de Lectoratus Materia.

Forma hujus Ordinis nullam admit-
tit diſputationem quia eadem reperitur
iiſdem verbis ſervata in Eccleſia Latina 39
per mille, & quingentos Annos, ut
conſpicitur in illis decem, & ſeptem,
Ritualibus, ſeu Pontificalibus libris,
quos collegit, & inſeruit Morinus in
præci-

Digitized by Google

præcitato ſuo laborioſo opere de Sacris Ordinationibus *part.* 2. *à pag.* 209. *uſque ad pag.* 280. prima enim illa eſt, quam ponit Concilium Carthaginenſe IV. Anno 398. & quæ refertur *in cap. Lector. diſt.* 23. expreſſa his verbis: *Accipe* (ideſt librum) *& eſto relator verbi Dei, habiturus, ſi fideliter, & utiliter impleveris officium, partem cum eis, qui verbum Dei miniſtraverint.* Hæc ipſamet, & iiſdem verbis repetitur, ut dixi in omnibus Conciliis, & Ritualibus ſubſequentium ſæculorum uſque ad præſens; & ponitur etiam à Salmanticenſibus *in d. tract.* 8 *de Sacr. Ordin. cap.* 3. *num.* 14. à Barboſa in Collet. DD. *ad d. cap. Lector. diſt.* 23. pariterque in ſuo eximio, & ultimo tractatu *de Jure Eccleſ. Univ. libr.* 1. *cap.* 37. *num.* 23. ubi alios DD. plurimos eam referentes congerit.

De forma Græcorum in hoc Ordine conſerendo anceps fui, an aliquid hîc tranſcriberem ex eorum Euchologiis, adeò videtur informis, cum ſit ſimplex benedictio, & magis indicet primæ Tonſuræ, quam Ordinis Lectoratus collationem. Nihilominùs ad ſatisfa-
40 ciendum ſaltem curioſitati ſtudentium, ecce methodus Ordinandi Lectorem, deſumpta ex Euchologio Græco, quod Morinus affirmat ſibi Romæ ad exſcribendum commodatum fuiſſe à doctiſſimo Viro Leone Allatio Græco Corcyræo; & quam inſeruit in ſuo volumine *De Sacris Ordinat. part.* 2. *pag.* 85. ubi *pag.* 86. ſic habetur. *Officium in Ordinatione Lectoris*. Præſentat Archidiaconus Ordinandum, eoque coram Epiſcopo genuflectente dicit: *Domine Benedic*. Et dicit Epiſcopus: *Dominus benedicat Te in Lectorem Sanctiſſimæ Eccleſiæ hujus N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & ſemper*. Tondeturque ab eo in figuram Crucis, ſic dicente: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sanctis, nunc, & ſemper*. Poſtea ab aliquo in Clerici formam perfectè tondetur; ſicque iterùm ad Epiſcopum adducitur, qui accepto phelonio ipſum induit: imponit quoque Epiſcopus omophorium ſuper Caput ejus; ſicque precatur. *Pax omnibus. Dominum deprecemur*. Et ſubindè recitat hanc orationem.

*Benedictus es Domine Deus Patrum noſtrorum, qui miſiſti Abraham Patrem noſtrum, ut tonderet comam Sacerdotis tui Melchiſedech: qui adfuiſti, benedictioni, & Tonſuræ Apoſtolorum tuorum, eiſque fidem irreprehenſibilem dediſti, & in omni opere illis præbuiſti Sermonem Sanctum, & Sacrum: ipſe in ſervi tui hujus caput pro juſtorum tonſura immitte cogitationes, & ratiocinationes juſtitiæ; & converſationem concede virtute ſuſpiciendam, ut ſecundùm mandata tua vitam ſuam inſtituens, dignus reddatur, qui ad dexteram tuam aliquando ſubſiſtat; huicque, qui propter in te fidem hos capillos recidit, benedictione Simeonis juſti donato, qui Te in ulnis ſuis ſuſcepit; omnibuſque huc convenientibus benedictione ſpirituali benedicito*. Exclamatio: *Quia Tu es Chriſte Deus noſter qui omnia benedicis, & Sanctificas, Tibique gloriam reddimus Patri, & Filio, & Spiritui Sancto nunc, & ſemper*: Subdit Epiſcopus *Pax omnibus. Dominum deprecemur*. Et hîc completur ordinatio; ſubindè autem datur Lectori Miſſalé, ut legat Epiſtolam illam D. Pauli ad Romanos: *Paulus Servus Jeſu Chriſti, vocatus Apoſtolus &c.* Qua lecta Epiſcopus eum monet, ut ſit diligens in Sacris Scripturis pertractandis; & auditores ex ejus prudentia ædificentur. Tandem concludit Epiſcopus: *Benedictus es Domine. Ecce Servus Dei hic N. factus eſt Lector Sanctiſſimæ Eccleſiæ iſtius N. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum*. Populus ter dicit: *Dignus eſt*. Et Epiſcopo multos Annos precatur.

Conſimilem formam in Ordinatione Lectoris ex alio Euchologio Græco, tacito Auctoris nomine, ponit Ivenim in ſuo *Commentar. Hiſtor. Dogm. de Sacram. Ordinis Diſſert.* 9. *Quæſt.* 9. *cap.* 1. Sed brevioribus verbis compoſitam, etſi

eumdem

Digitized by Google

eumdem ſenſum præſeferentem. Ad prædictam autem Leonis Allatii, ſeu Euchologii ipſius, juvat ſequentes facere obſervationes. 1. Quod illa Tonſio Capillorum ſapit potius collationem Tonſuræ, quàm Lectoratus. 2. Quod
41 ubi dicitur, *iterum ad Epiſcopum adducitur, qui accepto Phelonio ipſum induit:* in forma tranſcripta per Ivenim ex alio Euchologio loco proximè citato, legitur: *Sic denuò ad Pontificem adducitur, qui accepto Camiſio eum induit*. Phelonium enim græcè, interpretatur latinè *Camiſium*. Magrius autem in *Hierolexic. d. V. Phelonium* vertit *Caſulam*. Et Joſeph Laurentius in Amalthea Onomaſtica *eod. Verb.* ponit, *Veſtem Sacram ſine manicis inſtar Sacri Patriarchalis*. Idcircò poteſt intelligi, Lectorem græcum in ſua Ordinatione indui veſte ſimili noſtris Cottis Clericalibus, ſeu Sacerdotalibus Albis, vulgò *Camiſi*: 3. Ubi prædicta forma Euchologii Allatiani dicit: *imponit quoque Epiſcopus Omophorium ſuper caput ejus:* ipſemet Morinus declarat, *Omophorium* eſſe pallium Epiſcopi; cujus pallii extremitatem, quæ infra genua protenditur, ſuper ordinandi caput imponit; & ſubdit hanc cæremoniam in aliis Euchologiis non legi, prout non extat in illa ſupracitata, quam Ivenim tranſcribit. 4. Tandem ex precibus Antiſtitis implorantis à Deo, ut det Lectori Ordinato *cogitationes, & ratiocinationes juſtitiæ*, deſumitur, officium eſſe præcipuum ejuſdem Lectoris explicandi Legem divinam, & eam populum docendi, ut mox dicam.

Officium itaque Lectoris eſt quadruplex in Eccleſia Latina. Primum eſt ſtudere Sacræ Scripturæ, & ejuſdem
42 libros Sacros, atque canonicos fideliter, & diligenter cuſtodire. Hinc in Vita S. Saturnini Lectoris, ac Martyris, de quo in *Martyrol. Rom. die* 11. *Februar.* & apud Epiſcopum Sarnellium *in Speculo Cleri Sæcul. part.* 1. *pag.* 116. legitur, tempore Diocletiani, ac Maximiniani Imperatorum carceratum fuiſſe, & à Præſidibus præciſe requiſitum, ut eis Sacros libros traderet: quod cum negaſſet, facere Sanctus Lector, tormentis ſubjectus fuit; cumque latera ejus, ac pectus ferreis, pectinibus tortores crudeliter excarnificarent, ajebat; altiùs fodite hiſce pectentibus in pectore meo, intùs enim reperietis Sacros libros, quos in viſceribus impreſſos cuſtodio. Eadem de cauſa ſævo martyrio cruciati fuerunt SS. Fortunatus, & Septimius Lectores, quia Scripturas Sacras, quas cuſtodiebant, prodere iiſdem Imperatoribus detrectabant, ut in eorum Actis per Epiſcopum Sarnellium *d. part.* 1. *pag.* 145. & 146. relatis. Secundum Lectoris officium conſiſtit in edocendis populis rudimenta fidei, ad quem effectum Lectores tenebantur ſcrutari libros Canonicos, & Sacræ Scripturæ diligenter ſtudere. Hoc probatur ratione, auctoritate, & exemplis. Deſumitur ratio ex verbis formæ, quæ proferuntur ab Epiſcopo, dum tradit codicem tangendum in Ordinatione Lectoris; nempè *Accipe, & eſto relator verbi Dei* &c. Et *habituus partem cum eis, qui Verbum Dei miniſtraverint*. Quid eſt referre Verbum Dei, illudvè miniſtrare, niſi explicare Doctrinam Chriſtianam; catechizare, arcana fidei viva voce catechumenos docere; alioſque fideles in præceptis Dei, & Eccleſiæ erudire; ac quæ ſpectant ad Sacramenta inſtruere? Hoc munus demandabatur in primitiva Eccleſia Lectoribus; quorum opera valdè egebant Epiſcopi; quandoquidem quomodo baptizare poterant, vel judæos, vel ethnicos, qui convertebantur ad fidem, niſi priùs memoriter didiciſſent Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, ejuſque Sacramenta; & alia plurima ſcitu neceſſaria, ut quis profiteri poſſit fidem Chriſtianam? Hunc laborem aſſumebant Lectores, qui ſtatis horis, & locis quotidiè congregatos catechumenos inſtruebant, interrogabant, erudiebant, & verbo Dei ſpiritualiter paſcebant; in myſteriis fidei, ut ea poſſent

ſent comprehendere in publicis prædicationibus, quas tùm Epiſcopi, tùm Diaconi faciebant intra Miſſarum Solemnia, quæ quidem ſatis eſſe non poterant ad eoſdem plenè docendos, ut patet ad ſenſum. Auctoritate hoc idem confirmatur ex traditis per Sacros Canones. *In cap. Perlectis diſt.* 25. dicitur: *Ad Lectorem pertinet lectiones pronunciare, & ea, quæ Prophetæ vaticinarunt, populis prædicare.* Et in *cap. Cleros.* 21. *diſt.* dictum fuerat, *Lectores à legendo, Pſalmiſtæ à pſalmis canendis vocati: illi enim prædicant populis, quid ſequantur; iſti canunt, ut excitent ad compunctionem animos audientium.* Et quamvis DD. diſputent inter ſe, an Lectoribus liceat prædicare, & nonnulli teneant, quod non ob
43 *tex. in cap. Adiicimus.* 16. *q.* 1. in quo ſtatuitur, *ut nullus præter Domini Sacerdotes audeat prædicare.* Quod notant Salmanticenſes *d. tract.* 8. *de Sacram. Ord. cap.* 3. *num.* 14. tamen Vaſquez *diſp.* 236. *cap.* 2. ſuſtinet, quod ſic, quia textus ille emanavit contra Laicos, vel Monachos non Ordinatos, ſeu melius intelligendus eſt de prædicatione intra Miſſarum ſolemnia; ſecùs autem de catecheſi, quam ex officio facere debent Lectores ad inſtruendum populum in fide, & in mandatis Dominii. Idcircò docere rudes Doctrinam Chriſtianam eſſe proprium officium promotorum ad Ordinem Lectoratus teſtantur graviſſimi Doctores tàm antiqui, quàm moderni: Alcuinus *in cap. De Eccleſ. Ordin.* & Hugo de S. Victore. *De Cærem. & Sacram. libr.* 1. *cap.* 34. quos citat Biſſus *in Hierurgia Verb. Lector. num.* 53. Metaphraſtes in vita S. Cypriani Antiocheni, qui ut eum initiatum Lectorem dicat, vocat illum *Sacrum præconem, & expoſitorem Chriſti Myſteriorum,* ut notatum eſt à nobis ſupra *num.* 9. Salmanticenſes quoque *d. num.* 14. dicunt, quod Lectorum *ſecundum officium eſt, tradere Catechumenis Chriſtianæ Religionis rudimenta.* Concordat Volpi *d. Reſol.* 137. *num.* 4. ſcribens, *Lectoratus munus eſt, libros novi, & veteris Teſtamenti clara voce in Eccleſia recitare; primaque Chriſtianæ Religionis rudimenta fideles docere; undè antiquitùs prædicationi vacabat:* Scilicet explicando, inſtruendo, declarando, & tanquàm magiſter in Scholis cum facilitate docendo. Exemplis hoc idem probatur, nam de S. Syneſio, Martyre, quem S. Sixtus Papa Lectorem ordinaverat, ita teſtatur Martyrologium Romanum die 12. Decembris. *Romæ S. Syneſii Martyris, qui tempore B. Sixti Papæ Lector Ordinatus, cum multos convertiſſet ad Chriſtum, apud Aurelianum Imperatorem accuſatus, gladio percuſſus Martyrii coronam accepit.* Quomodò multos convertit ad Chriſtum? utique docendo, inſtruendo, verbum Dei miniſtrando, ac prædicationi, & explanationi Doctrinæ Chriſtianæ incumbendo. Conſimiles labores plurimi alii Sancti Lectores, & Martyres Domini perfecerunt, quorum geſta refert Epiſcopus Sarnellius *in cit. part.* 1. *libr.* 3. ubi *pag.* 149. jucundus recitatur eventus S. Apollonii Lectoris, qui timore Martyrii cum rogaſſet Philemonem gentilem virum, arte choraulem, vulgò *Suonatore di Piffero*, eique pecuniam dediſſet, ut fin- 44
gens ſe Apollonium diis ſacrificaret, ille indutâ ejus Clericali veſte tanto amore in Chriſtum, & Religionem Chriſtianam ſtatim exarſit, ut eam ſtrenuè confitendo coram Præſide (qui illum in irriſionem Chriſtianorum putans loqui, valdè ridebat) at cognita ejus conſtantiâ in fide ipſum Philemonem ſibique adjunctum Apollonium Lectorem, (quem & timiditatis, & facti pœnituerat) ad mortem condemnavit; & ſic uterque coronam martyrii fuit aſſecutus. Idipſum narrat fusè Metaphraſtes, & ex eo Surius *tom.* 6. *die* 14. *Decembris.*

Tertium Lectorum officium eſt lectiones Horarum Canonicarum in Eccleſia legere; nec non Prophetias, quando in Miſſa ſunt legendæ; prout etiam in Miſſarum Solemniis introitus, 45
gradualia, alleluja, & alia de more canenda

nenda

Digitized by Google

nenda cantare, & hac de cauſa, ut ait textus *in cit. cap. Cleros. 21. diſt.* duplici nomine vocabantur Lectoratus Ordines inſigniti, videlicet Lectores à legendo, & Pſaltes, ſeu Cantores à canendo. Magrius in *Hierolexic. Verbo Notarius*, qui loquitur de Sanctis Marciano, & Martyrio Lectoribus, & ait aliquando vocatos Notarios, & Cantores, quia ad eorum Officium ſpectabat cantare in Eccleſia; & à legendo Lectores, à canendo Cantores, & à notis muſicalibus Notarii dicebantur,
46 teſte Balſamone *in Can. 62. Trull.* quem ibi Magrius refert. Huic Officio canendi in Eccleſia, quod eſt proprium Lectorum, conſonat id, quod legitur in Martyrologio Romano *die 5. Aprilis* his verbis: *In Africa paſſio SS. Martyrum, qui in perſecutione Genſerici Regis Arriani in die Paſchæ in Ec-*
47 *cleſia cæſi ſunt: quorum Lector, dum in pulpito Alleluja cantaret, ſagitta in gutture transfixus eſt.* In honorem hujus Sancti Lectoris, ac Martyris Epiſcopus Sarnellius referens ejus glorioſam mortem poſuit hæc carmina:

*Transfixus volucri modulantia guttura ferro,*
*Alleluja canens, Lector ad aſtra volat.*

Quartum, & ultimum Lectoris Officium eſt benedicere panem, & novos fructus, majori cum devotione come-
48 dendos à fidelibus; quæ modò receſſit ab aula; vix enim in ſolemnitate Paſchali panis, agni, & ovorum benedictionem his temporibus fideles poſtulant; quamvis præteritis ſæculis quoſcunque fructus, & cibos benedici ab Eccleſiaſticis ſatagerent, antequam de illis ederent; ego enim habeo Rituale antiquum impreſſum Venetiis Anno 1567. in quo inter plurimas comeſtibilium benedictiones, hæ ſunt etiam: pabuli animalium, ſalis, hordei, ſiliginis, avenæ, uvarum, vini novi, lardi, caſei, butyri, lactis, mellis, & ſimilium. Hæc de Lectorum Officiis in Eccleſia Latina.

Quæ autem apud Græcos ſint Officia aſſignata Lectoribus narrat Simeon Theſſalonicenſis Archiepiſcopus in Libello, ſeu Dialogo *De Sacramento Ordinis*, exiſtente apud Morinum *d. part. 2. pag. 104. & ſeqq.* ubi *in cap. 3. pag.*
108. ita loquitur: *Sic igitur, qui Le-* 49
*ctor conſtitutus eſt, legit ab eo tempore Scripturas propter populum poſitas, Sacra ſcilicet Prophetarum, & Apoſtolorum oracula, à Diaconis, vel Presbyteris juſſus, ſtans in medio, aperto capite eo modo, quo obſignatus eſt. Nec hoc tantùm, verùm etiam Sanctuarium ingrediens ut Sanctuarii Miniſter, lumina accendit, ignemque affert Sacerdoti, præceditque Cereos accenſos ante Sancta dona geſtans; oblationes quoque, & aquam, & fervidam Sacerdoti affert; & exornat quæ ad Templum ſpectant; cæteraque ſubminiſtrat, Hymnos quoque divinos pſallentibus præcinit, ſivè Canonem incipit, atque ut abſolutè dicam, Divinorum Miniſter eſt in Templo.*

Ex his verbis ſtudioſi poſſunt colligere, præter Officium legendi, ideſt docendi populum Sacras Scripturas, & canendi in Eccleſia, quod proprium eſt Lectoris etiam apud Græcos; per eos quoque injunctum eſſe Lectoribus ſuis, lumina in Miſſa deferre, vinum, & aquam pro Sacrificio miniſtrare, & quæcunque in Templo ſunt, vel ad illud ſpectant, cuſtodire; quæ apud Latinos ſunt munia Acolythorum, & Oſtiariorum; unde Græci deducunt, apud ſe non exiſtere hos duos Ordines, quia immiſti, & uniti ſunt Lectoratui;
ſiquidem ipſorum Lectores, ut ſatis 50
apertè innuit Simeon Theſſalonicenſis jam relatus, trium prædictorum Ordinum Officia ſimul adimplent, & ita aſſerit Chriſtophorus Campanas Canonarcha Chii, *in Opuſc. de Vi Canon. ad Can. Apoſtol.* quem citat, & ſequitur Abbas Papadopoli in ſuis *Prænotionib. Myſtagogic. Reſp. I. num. 7.*



Digitized by Google

## DECISIO XIX.

### ARGUMENTUM.

Ad Exorciſtatus Ordinis explanationem oſtenditur: I. Dari verè Energumenos, adductis, examinatis, ac rejectis opinionibus DD. illos negantium. II. Quomodò Dæmones ſtent in corporibus humanis? & an Angeli boni poſſint ſtare in ipſis? III. Quæ, & quot ſint ſigna ad cognoſcendos veros dæmoniacos? IV. Quas ob cauſas Deus permittat, homines à diabolo obſideri? V. An Dæmones remediis naturalibus poſſint expelli? VI. Probatur, Ordinem Exorciſtatus ſemper fuiſse in Eccleſia: & quæ ſit ejus Materia, Forma, & Officium? VII. Antiquitùs duplex erat Adjuratio dæmonum, Solemnis, & Privata. VIII. Quatuor curioſa dubia; neceſsaria ſcitu omnibus Exorciſtis, atque monita octo declarantur.

### SUMMARIUM.

1 *Exorciſtæ vocabuli ſignificatio.*
2 *Energumeni undè dicantur?*
3 *Energima quid ſit?*
4 *M. Margaritæ Diomiræ Vita mirabilis impreſſa Anno 1704.*
5 *Philoſophi negantes dari Energumenos; & plures eorum opiniones.*
6 *Diabolus quomodo ſtet in corpore humano?*
7 *Diabolum obſidere corpora hominum eſt de fide.*
8 *Melancholia, & Aſtrorum influxus quos effectus poſſint operari in homine, & quos non?*
9 *Spirituum in obſeſſis dicta, ut plurimùm, fallacia.*
10 *Angeli plures poſſunt eſſe in eodem loco. Et quomodo?*
11 *Diabolus quomodo ſtet in corpore humano ſimul cum Anima?*
12 *Diabolus non ingreditur eſſentiam Animæ energumenorum.*
13 *Angeli boni, & Animæ ſeparatæ cur non intrent in corpora hominum viventium?*
14 *Angelus in Sancta Sanctorum quomodo loquebatur Hebræorum Pontifici?*
15 *Amodeæ Blondæ apparitio ſeptem Angelorum in corporibus humanis.*
16 *Energumeni multi non veri, ſed ficti.*
17 *Energumenorum cognoſcendorum ſigna.*
18 *Lutheri abſentis mors manifeſtata ab Energumenis.*
19 *Græcè, vel Latinè loqui ignarum hominem ſignum eſt dæmoniacum eſſe.*
20 *Monialis ſcientiis imbuta à diabolo, manifeſtata à B. Joanne à Cruce.*
21 *Voces inconditæ, & ululatus ſigna Energumenorum.*
22 *Puella obſeſſa nihil comedens per dies 82.*
23 *Nomen JESU, ac preces Energumeni abhorrent.*
24 *Diabolum obſidere homines Deus permittit ob peccata. Exempla.*
25 *Veniales culpæ aliquando ſunt cauſa Energumeniſmi.*
26 *Imprecationibus parentum filii obſeſſi à diabolo.*
27 *Judicia Dei imperſcrutabilia circa Energumenos.*
28 *Remediis naturalibus an dæmones expelli poſſint è corporibus? Exempla.*
29 *Hebræorum Exorciſtæ ex Joſepho Judæo. Et ex Actibus Apoſtolorum.*
30 *Dæmones non eiiciuntur è corporibus directè per remedia naturalia.*
31 *Indirectè quidem, & hoc dupliciter.*
32 *Exorciſtatus Ordo ſemper fuit in Eccleſia.*

33 *Ejus*

33 *Ejus Materia, & Forma quæ?*
34 *Officium Exorciſtæ expellere dæmones de humanis corporibus.*
35 *Energumenorum adiuratio antiquitùs alia ſolemnis, alia privata.*
36 *Energumenis olim an daretur Eucharistia?*
37 *Exorciſatio ſemper facta ſuper obſeſſis.*
38 *Græci Oleo Sancto Energumenos ungebant.*
39 *S. Martini charitas erga obſeſſos. Item S. Auguſtini, & S. Ambroſii.*
40 *Exorcizabantur olim omnes baptizandi ab Exorciſtis.*
41 *Exorcizare an poſſint, qui non ſunt Exorciſtæ?*
42 *Exorciſtæ an egeant licentia Ordinarii ad Exorcizandum?*
43 *Exorciſmis Ritualis Romani uti debent Exorciſtæ.*
44 *Pſalmus* Exurgat Deus &c. *terribilis contra Dæmones.*
45 *Sanctorum Reliquiæ potentes ſunt ad pellendum diabolum.*
46 *Exorciſtæ cavere debent octo, quæ hic notantur.*

DE Exorciſtatus Ordine in præſenti eſt differendum, qui tertius eſt inter minores: verùm quia pauca de eo ſumus dicturi circa ejus exiſtentiam, quæ notiſſima eſt etiam in primitiva Eccleſia; & pauciora circa ejuſdem Materiam, & Formam; cum utraque inalterabilis ſervata ſit quocunque tempore, ut infra videbimus; idcircò pro majori intelligentia Officii hujus Ordinis, quod eſt adiurare Dæmones, ſiquidem Exorciſta idem eſt ac adiurans,
1 & increpans, ut ex S. Iſidoro notant Durandus *in Ration. Divin. Offic. lib. 2. cap. 6. num. 1.* Alcuinus *de Divinis Offic. in cap. De Tonſura Cleric.* & Biſſus in *Hierurgia Verb. Exorciſta. n. 228.* præmittenda, & examinanda ſunt quinque:

1. Qui ſint? & an verè dentur Energumeni?
2. Quibus ſignis Energumeni cognoſcantur?
3. Quas ob cauſas Deus permittat Energumenos?
4. An Diabolus expelli poſſit ab humanis corporibus per remedia naturalia?
5. Quæ ſit Materia, Forma, & Officium Exorciſtatus? quibuſque cautelis ſit exercendum?

Quo ad Primum. Energumeni vox venit à verbo græco ἐνεργεῖν, quod 2
ſignificat permovere, agitare; & denotat homines, qui obſeſſi à Diabolo, ab eo agitantur; & hi nominantur etiam Dæmoniaci, Arreptitii, inceſſi, obſeſſi, & Dæmonium habentes; ut ait S. Matthæus *cap. 8. Verſ. 27.* communiter autem Energumeni; & ideò *Energima*, idest *diabolica obſeſſio*, definitur, ut ſit *Vexatio homini illata à* 3
*diabolo, immediatè, & localiter, intra corpus ejus exiſtente, ac operante, illudque ad tempus ſubigente.* Ex qua definitione deducitur, duo eſſe neceſſaria ad conſtituendum verum Energima; & ad faciendum verum Energumenum. *Unum* eſt, quod Diabolus ingreſſus ſit corpus hominis, & in eo reſideat localiter, non ut forma in ſubjecto; ſed ut motor in mobile. *Alterum*; quod vexet, agitet, & moleſtet corpus humanum, intùs illud permanendo; undè fit, ut qui vexantur à diabolo extra corpus, prout contigit Beato Job, S. Antonio Abbati, aliiſque pluribus; quos exteriores moleſtias paſſos eſſe à diabolo Hiſtoriæ narrant, & ut noviſſimè legitur in Vita Ven. *M. Margaritæ Diomiræ cap. 16. & 17.* impreſſa Venetiis 4
apud Andream Poletti An. 1704. hi, inquam, non ſint neque dici poſſint Energumeni, ut latè differit Giſbertus Voetius *Select. diſput. part. 1. de Energum.*

Nihilominùs, quamvis infinita propemodum ſint teſtimonia tùm Scripturæ Sacræ, tùm Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum, & profanarum, quibus probatur verè dari Energumenos, & homines infeſſos, ac obſeſſos à Diabolo; non defuerunt Philoſophi hanc evidentem veritatem negantes, & at- 5
tribuentes cauſis naturalibus operatio-

 nes

nes inſolitas, quas Dæmoniaci operantur. Alii dixerunt, eas provenire à melancholia; quæ attrahit, & cumulat humores corporis atroces, & violentos; ex quibus melancholicus agitatur, in furoremque pellitur, ac mira operatur; Ita Levinus Lemnius *De occul. Natur. Mirac. lib. 2. cap. 2.* & alii, quos citat Voetius *d. part. 1. Problem. 2.*

Alii operationes miras, quas faciunt Energumeni, tribuunt influentiæ Aſtrorum, itaut ab illis cæleſtibus corporibus per ſuos influxus proveniat virtus, & poteſtas vaticinandi, peregrinis linguis loquendi, & alia inſolita peragendi; cujus opinionis plures citantur à S. Hieronymo *in Matth. cap. 4.* & ita ſentiſſe profitetur Petrus Pomponatius *in libr. de Incantation. cap. 10. ſuppoſit. 6.* & idem repetit *cap. 12.* loquens de Vatibus, Sybillis, ac Dæmoniacis. Alii, ſubtilioribus ſpeculationibus fingunt, quaſdam intelligentias ſuperiores, & mentes cœleſtes; eaſque (ajunt) illabi intellectui hominis agenti; & hoc modo ipſe homo adaptari ad multa, quæ ſupernaturalia videntur, operanda. Ita Andræas Cattaneus Imolenſis *in Tract. de cauſ. mirabil. effect.* apud Hieronymum Magium *lib. 4. Miſcellan. cap. 11.* Alii opinati ſunt, non eſſe Dæmones obſidentes corpora Energumenorum, & in eis loquentes, & operantes, ſed eſſe animas Defunctorum; quæ proinde ſæpè ſæpiùs revelant ſecreta multa ſibi dum viverent cognita, & petunt aut ſuffragia, aut reſtitutiones fieri, aut alia bona præbent documenta; quorum auctor diabolus eſſe non poteſt. Hanc opinionem vocat vulgarem Cœlius Rhodiginus *lib. 2. cap. 13.* & eam tenuiſſe Judæos oſtendit Joſephus Flavius de *Bello Judaico lib. 7. cap. 33.* Alii verò negant Energumeniſmum ea ratione, quia, inquiunt, capere non poſſunt, quomodò Diabolus poſſit ſtare in corpore huma-
6 no unâ cum anima illud informante; quandoquidem Anima rationalis eſt tota in corpore, & tota in qualibet ejus parte. Ergo non eſt ibi Dæmon, tùm quia non poteſt eſſe ſimul in eodem loco cum anima, ex doctrina D. Thomæ *1. part. q. 52. art. 3.* docentis plures ſpiritus non poſſe eſſe ſimul in eodem loco: tùm etiam quia operationes animæ confunderentur cum operationibus Dæmonis. Ulteriùs, quia diabolus non poteſt illabi animabus hominum, nec intra eas eſſe, quia hoc proprium eſt ſolius Dei, & tandem quia ſi id poſſibile eſſet diabolo, etiam Angeli boni intrarent, & obſiderent corpora hominum viventium; imò etiam animabus ſeparatis licitus eſſet talis ingreſſus; & de utroque nullum eſt teſtimonium, & numquam legitur fuiſſe factum. Ex his igitur, ac ſimilibus rationibus negant Energumeniſmum, & opinantur, dari non poſſe homines obſeſſos à Diabolo.

Contrarium tamen eſt omninò aſſerendum, quia de fide eſt, diabolum intrare corpora hominum, & dum degit
intùs in eis, illos vexare, prout pluri- 7
bus in locis teſtantur SS. Evangeliſtæ, referentes ejectiones Dæmonum, quas faciebat Chriſtus Dominus, ſua divinâ poteſtate, & ejus Apoſtoli, ac Diſcipuli in ejus nomine; prout legitur apud S. Matthæum *cap. 8. Verſ. 16.* ibi: *Veſpere autem facto obtulerunt ei multos Dæmonia habentes, & eiiciebat ſpiritus verbo.* Et *Verſ. 28.* Cum Chriſtus veniſſet transfretum in regionem Geraſenorum ſubdit Evangeliſta: *Occurrunt ei duo habentes Dæmonia de monumentis exeuntes ſævi nimis &c. Dæmones autem rogabant eum, dicentes: Si eiicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Et ait illis, Ite: At illi exeuntes abierunt in porcos.* Idem narrat S. Marcus *cap. 5. à Verſ. 1. & ſeqq.* Et S. Lucas *cap. 8. Verſ. 26.* Et in aliis locis multis conſtat à Chriſto Domino liberatos fuiſſe Dæmoniacos; imò ab Apoſtolis, & Diſcipulis ejus, de quibus S. Lucas *cap. 10. Verſ. 17. Reverſi ſunt autem ſeptuaginta duo cum gaudio dicentes. Domine etiam Dæmonia ſubiiciuntur nobis in nomine tuo.* De Divo Petro habetur in Apoſtolorum Actibus *cap. 5. Verſ. 16. Concurrebat autem, & multitudo vici-*

*narum*

Digitized by Google

*narum civitatum Jeruſalem, afferentes ægros, & vexatos à ſpiritibus immundis, qui curabantur omnes*. Et de Philippo Diacono *ibid. cap. 8. Verſ. 7. Multi enim eorum, qui habebant ſpiritus immundos, clamantes voce magna exibant*. Et de aliis Apoſtolis ſæpè; adeòut nefas ſit de hac veritate dubitare, quam fatentur omnes Patres, Concilia, Theologi, & tot illuſtres Scriptores, qui de Energumenis integros tractatus edideraut; & factis, ac exemplis Sanctorum eam confirmarunt uſque in præſentia tempora, demonſtrantes fuiſſe jugiter apud fideles quarumcunque nationum ſignum illud, quod Chriſtus Dominus promiſit, dum dixit *Marc. cap. 16. Verſ. 17. Signa autem eos, qui crediderint hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia eiicient*.

Neque vim aliquam habent Philoſophicæ rationes ſupra adductæ ad ſuadendum non dari Dæmoniacos, ſeu Energumenos. Ad primam enim reſ-
8 pondetur, & ad ſecundam, quod etſi melancholia, & Aſtrorum influxus habere poſſint vim cauſandi in aliquibus hominibus affectus, & ſymptomata iis ſimilia, quæ veri Energumeni patiuntur; falſum tamen eſt, cauſas naturales, quæcunque illæ ſint, efficere poſſe, ut homines loquantur linguis peregrinis, quas nunquam didicerunt, aut prædicant, vel agnoſcant futura, aut abſentia; eſt enim falſiſſima doctrina illa Philoſophorum docentium, ſcire noſtrum eſſe reminiſci; & nihil eſſe in noſtra mente, quod non fuerit in ſenſu; nihil in lingua, quod in mente non fuerit. Ad Tertiam de Intelligentiis, Mentibuſque cæleſtibus, à quibus, ajunt, intellectum hominum recipere cognitionem, & motum extraordinaria dicendi, vel operandi, reſpondetur eſſe manifeſtum errorem; quia vel nomine dictarum Intelligentiarum, & Mentium intelligunt Angelos bonos, atque beatos, & ecce hujus aſſertionis impietas; cum Energumeni ſæpè abſurdiſſima dicant, & faciant, quæ talibus Mentibus ſine blaſphemia adſcribi non poſſunt: vel intelligunt Angelos malos; & confitentur dari Energumeniſmum, etſi integram ejus cauſam non confiteantur. Ad Quartam de Animabus defunctorum patet incongruitas: nam vel ſunt beatæ? & impium, ac indignum eſt illis adſcribere actiones turpes, quas dæmoniaci agunt. Vel ſunt damnatæ? & hæ habere non poſſunt ſcientiam, aut virtutem talem, qua Energumeni erudiri valeant. Vel ſunt in ſtatu medio? & iiſdem adaptatur hæc ultima ratio, & ulteriùs hæ non interſunt hominibus, ut eos torqueant; ſed ut ab eis auxilium obtineant. Nec relevat, quod aliquando vel ipſi ſpiritus hominem ob- 9
ſidentes aſſerant ſe tales eſſe, quia decipiunt: vel revelationem faciant alicujus rei ſoli defuncto notæ; nam multipliciter id Dæmones ſcire poſſunt; vel quod aliquando multa utilia moneant; quia etiam talia iidem dæmones præſtant ad magis decipiendum, & perdendum.

Cæterùm quo Ad Quintam, & Ultimam (quæ eſt de ſubtilioribus Quæſtionibus tùm apud Philoſophos, tùm apud Theologos utriuſque Scholæ, ut videre eſt apud Salmanticenſes *tom. 2. part. 2. in tract. de Angelis quæſt. 52. diſp. 2. dub. 9. & 10.* qui Angelicum Doctorem ſequuntur; & apud Maſtrium in *libr. Phyſic. diſp. 11. quæſt. 7. num. 101.* ubi ſecundùm Scoti doctrinam diſputat, An plures ſpiritus poſſint eſſe ſimul in eodem loco) juxta præfatos Doctores reſpondetur, non eſſe impoſſibile, nec inconveniens, quod ſub diverſis reſpectibus plures Angeli ſint ſimul ſivè boni, 10
ſivè mali in eodem loco; & per conſequens, quod iidem poſſint ſtare in humano corpore ſimul cum anima. Et circa hunc caſum, de quo nunc differimus, diverſus eſt modus eſſendi, nam Anima ſtat in corpore tanquam forma illud vivificans; & hic modus non eſt poſſibilis dæmoni, ideò ſtat ipſe in corpore coexiſtenter exercendo vires omnes corporales pertinentes ad motum localem ejuſdem corporis; & movendo omnia organa ejus ad actus exteriores ſimi-

Digitized by Google

11 ſimiles ad illos, quos ipſa Anima elicit in corpore ſuo. Nec ex hac coexiſtentia dæmonis in corpore cum anima illud informante confunduntur actiones ipſius Animæ, & diaboli; quia iſte non habet poteſtatem in ipſam animam; ideſt in intellectum, & voluntatem illius directè; ſed indirectè tantùm, quatenùs poteſt agere, & agit in corpus, ac ſenſus corporeos, quos ipſa Anima informat; & ideò aliæ ſunt operationes, quæ proveniunt ab intellectu, & voluntate hominis obſeſſi à diabolo: & aliæ, quæ operatur ipſe diabolus in eodem homine; nam diabolus operatur ſecundùm imperium voluntatis ſuæ adhibendo organa corporea ejuſdem hominis tanquam ſuperior, & potentior in natura; nullam tamen inferendo violentiam Animæ ejuſdem corporis, in quo inſidet. Et ex his reſolvitur alia objectio, quod diabolus videatur illabi animabus, & eſſe intra illas, quod eſt proprium Dei; ſiquidem diabolus non
12 ingreditur eſſentiam animæ rationalis, quæ cum ſit ſimplex, & incorporea, nec habeat dimenſiones quantitatis; nihil in ea eſſe poteſt, niſi illud, quod dat ei eſſe, ideſt Deus per virtutem ſuam; ut plenè tractant S. Auguſtinus *de Eccleſ. dogmat. cap.*50. & Beda ſuper illud *Act. Apoſt. cap.*5. *Anania cur tentavit Sathanas cor tuum*. Salmanticenſes, & Maſtrius locis ſupracitatis; ubi obiiciunt illud *Jo.* 13. quod *poſt buccellam introivit Sathanas in Judam*, non quidem in corpus, ſed in animam; nam dant reſolutionem, & eſt, intraſſe in animam non ſubſtantialiter, ſed per effectum malitiæ, ſuggerendo eidem Præceptoris, ac Domini ſui proditionem.

Tandem Ad ultimum, quod non legantur exempla de inſeſſione Sanctorum Angelorum, vel animarum ſepa-
13 ratarum in corporibus hominum viventium, reſpondetur, id evenire non ex impoſſibili, ſed ex Divina Voluntate, quæ tales ingreſſus fieri non vult: quod ſi vellet præcipere, & ordinare, ut fierent, poſſent & Angeli boni, & animæ defunctorum ex iiſdem rationibus, quibus Dæmones, Deo permittente, obſident hominum corpora, eadem & ipſi introire; organa movere, & alia, quæ ad motum localem pertinent, peragere; prout de Angelo, qui intra Sancta Sanctorum in corpore humano, & 14
voce humana loquebatur Summo hebræorum Pontifici philoſophatur Cornelius à Lapide *commentar. in Levitic. cap.* 16. *ſub Verſ.* 2. In Vita Venerandæ Matris Amodeæ Blondæ, S. Franciſci de Sales ſpiritualis filiæ, legitur *cap.* 4. *pag.* 42. ſeptem juvenibus peregrinis eleemoſynam petentibus, & quaſdam plagas in ſuis corporibus curari flagitantibus ipſam benignè, ac liberaliter ſuccurriſſe, tunc unum ex eis gratias agentem dixiſſe, quando ò Amodea, ad patriam noſtram veneris, rependemus vicem. Eſto devota ſeptem Angelorum Throno immaculati Agni adſtantium. 15
His dictis diſceſſere; & eos fuiſſe ſeptem Angelos teſtatur hiſtoria. Cur ni in ſeptem corporibus humanis, & plagatis tunc introgreſſi? Videatur Suarez in 1. *p. D. Thom. tom.* 1. *diſp.* 13. *ſect.*4.

Quo ad Secundum: Notanda, & referenda ſunt ſigna præcipua ad cognoſcendum, an quis verè ſit Energumenus? multi enim vel ex infirmitate 16
mentis, vel ex malitia ſingunt, ſe obſeſſos à Diabolo; etſi id verum non ſit. Exemplificat Schottus in Phyſica Curioſa *lib.* 4. *cap.* 9. de quadam muliere, quæ multis ſignis, ac clamoribus ſe diù Energumenam oſtenderat; quam tamen pius Sacerdos cognovit ſtultitiâ potius, quàm Dæmonis obſeſſione laborare: ſuper illam enim ad exorcizandam ei adductam, clavem ſuam domeſticam ferream velo obvolutam ſuper caput poſuit; ipſa autem imaginata eam eſſe alicujus Sancti reliquiam, clamare cœpit, crucior nimis, crucior: auferte quod impoſuiſtis. Et de alia puella, quæ pariter fingebat ſe Dæmoniacam, quia ejus frater recuſaverat ſericâ veſte eam ornare. Ego ipſe de Novitia Moniali, quæ cupiens de Monaſterio exire, ſe à Dæmone vexatam ſimulabat, notavi

notavi in meis Deciſionibus *De Ven. Eucbariſtiæ Sacram. Deciſ. 50. num. 30.* Idcircò non ita de facili debent Exorciſtæ credere, omnes clamores emittentes eſſe Dæmoniacos; ſiquidem *pravum eſt cor hominis, & inſcrutabile. Jerem. 17. 9.* & præcipuè mulierum, de quibus ſcriptum eſt, *Brevis omnis malitia ſuper malitiam mulieris. Eccleſ. 25. 26.* Sunt itaque attendenda ſigna urgentia, quorum

Primum eſt, quando qui ſe obſeſſum aſſerit, revelat occulta, ſeu abſentia.
17 Hoc eſt ſignum urgens; quia cum ſpiritus hominis ſcire non poſſit ex ſua naturali vi, vel ſcientiâ quæ in longinquis partibus aguntur; vel quæ ignota ſunt omninò, & occulta; neceſſe eſt, (quando non adſint probationes, fieri à Deo, vel à bonis Angelis revelationes illas) Dæmonem in Energumeno inſidentem eas facere; & ita haberi probabile ſignum, quod obſideat hominem, ex cujus ore vel res abſentes, vel res occultæ
18 revelantur. Hujuſmodi Signum, dederunt energumeni illi, qui licèt abſentes revelarunt mortem Martini Lutheri, & narrarunt omnes Dæmones reliquiſſe ex abrupto obſeſſorum corpora, ut ſepulturæ ejuſdem Lutheri eorum amiciſſimi adſtarent, prout ex pluribus auctoribus notavi *in tract. de Extrem. Unct. Deciſ. 62. num. 20. in fine.*

Secundum Signum eſt, linguarum peregrinarum peritia, & locutio, quas loquens nunquam didicit; cum enim
19 naturaliter fieri non poſſit, ut quis loquatur illa idiomata, quibus non ſtuduit; vel ſi quis ſcientiarum ſe poſſeſſorem demonſtret, quarum acquiſitioni non vacavit; deducitur argumentum Energumeniſſimi; (niſi vel ex Dei ſpeciali gratia; vel ex boni Angeli ope eas provenire noſcatur.) Hoc Signo frequenter cogniti ſunt homines à Dæmone verè obſeſſi. De aulico Imperatoris Conſtantii, narrat S. Hieronymus in Vita S. Hilarionis, loquente perfectiſſimè Syro idiomate, etſi linguam Francam, & Latinam tantùm ſciret; ex quo S. Hilarion deprehendit, Aulicum prædictum dæmoniacum fuiſſe. Idem de muliere Mediolanenſi adducta ad S. Bernardum, quæ nunc Italica, nunc Ibera lingua loquebatur, ut habetur in vita ejuſdem Sancti *libr. 2. cap. 4.* Puellam, quam exorcizavit S. Norbertus, Cantica Canticorum memoriter recitaſſe: & tùm Latinâ, tùm Teutonicâ linguâ interpretatam eſſe, ſcribit Sigebertus *in Chronic. ad Annum Chriſti* 1122. De alia puella, quæ nec legere, nec ſcribere ſciebat, & tamen Græcè, & Latinè loquebatur, teſtatur Majolus *tom. 2. colloq. 3.* & de puero ita ſimiliter loquente, quamvis eaſdem linguas ignorante, refert Fernelius *libr. de abditis rer. cauſ.* His concordat id, quod legitur in Vita Beati Joannis à Cruce, impreſſa in principio ejus Operum Spiritualium §. 6. de quadam Moniali, quæ credebatur habere 20
ſcientiam infuſam, adeò erudita erat in omnium ſcientiarum genere; & præcipuè in exponenda Scriptura Sacra, ſummâ eam audientium perſonarum cum admiratione; ſed illam cum B. Joannes ex obedientia Superiorum viſitaſſet, cognovit obſeſſam eſſe à dæmone, cujus ope tàm mira loquebatur; juſſuſque Beatus ipſe illam exorcizare, non abſque multo labore, jejuniis, & pœnitentiis, à malo dæmone liberavit.

Tertium Signum conſtituunt barbaræ, & inconditæ voces, clamores, & ululatus belluini; horribilis, & truculentus vultus; membrorum ſtupor, & 21
functionum ferè omnium vitalium privatio; perpetua quædam ſomnolentia, ſumma inquietudo; & è contra vires in corpore humano non ordinariæ, itaut rumpant vincula, & catenas, onera geſtent, ad quæ hominum robur non ſufficit; reptent muros, ſummâ currant agilitate, voracitas, atque bibacitas prorsùs exotica, atque ſimilia. Hæc ſigna collecta ſunt ex Hiſtoriis, & referuntur exempla plurima à Scriptoribus, qui tractant de Dæmoniacis. Narrat Theodoretus *in Hiſt. SS. Patrum ſect. 13.* quod fuit obſeſſus, qui tametſi uno die triginta gallinas abſumeret, famem ſatiare non poterat. Palladius verò in-

rò in vita Macarii Abbatis notat, alium fuiſſe energumenum, qui trium modiorum panes unâ vice devorabat. E contra totalis abſtinentia à cibo ſignum eſt obſeſſionis à diabolo. Legat ſtudioſus
22 exemplum puellæ dæmoniacæ, quæ diebus 82. ope dæmonis nihil guſtavit, de qua Morinus *de Sacr. Pœnit. lib. 6. cap. 7. num.* 19. & de eadem Cabaſſutius ad *Concil. Illiberit. can.* 29. ubi *num.* 16. cauſam dicit, cur eam diabolus obſederit. Sigebertus *in Chronic. ad Ann.* 697. ſcribit, Geilam Franconiæ Duciſſam (quæ juſſerat occidi S. Hilianum ſuadentem Duci, ut ipſam, quæ erat fratris conjux, dimitteret,) à dæmone correptam ita illam à malo ſpiritu eſſe tortam, ut à multis teneri vix poſſet, & tandem poſt multos corporis temporales cruciatus, ad æternos animam emiſiſſe.

Quartum Signum cenſetur probabile inhabitantis dæmonis in hominibus, ſi obſeſſi renuant proferre nomen JESU,
23 invocare DEUM, recitare pſalmum *Miſerere mei DEUS*, aut *Qui habitat*, aut alias pias orationes. Item ſi ad prolationem nominis JESU, aut Sanctorum aliquorum, ad præſentiam rerum Sacrarum, ad Signum Sanctæ Crucis, ad exorciſmos intentatos, aliaque ſimilia exhorreſcunt, terrentur, concutiuntur, impatientes fiunt, blaſphemant, & fugiunt: ſic enim experientia frequentiſſima docet, & ex his ſignis ſæpè obſeſſi cognoſcuntur; quia conſtat dæmones ſimilia horrere, ut paſſim apud DD. & præcipuè apud Zacchariam Vicecomitem *in Complem. Exorciſtæ part.* 1. ubi ſigna XXV. colligit; & proponit ad detegendos Dæmones in humanis corporibus inſidentes; eademque tranſcribit Schottus in *ſua Phyſica Curioſa d. libr.* 4. *cap.* 9. §. 3. ubi prudenter in fine advertit, eadem ſigna non eſſe infallibilia, nec ſemper probabilia verorum Energumenorum; quoniam multa eorum exhibentur etiam à falſis Energumenis vel malitiâ moti, vel atra bile, aut aliquo violento morbo affecti.

Quo ad Tertium: Si quærimus cauſas, propter quas Deus permittat, homines evadere Energumenos, & in eos 24
ingredi Diabolum? pii Auctores notant ſequentes: Prima eſt, ob ſcelera, quæ ab iiſdem hominibus committuntur. Hinc Rex Saul à maligno ſpiritu obſidebatur, quando furebat in Davidem cytharam pulſantem 1. *Reg.* 15. utique ob propria peccata, & præcipuè ob invidiam in eumdem benemerentem juvenem. Etiam Nabuchodonoſorem ob peccatum ſuperbiæ fuiſſe à Dæmone abreptum exiſtimarunt SS. Hironymus, & Epiphanius. Ex Maria Magdalena Chriſtus ejecit ſeptem dæmonia. *Marc. ult. Verſ.* 9. quæ utique propter peccata eam obſederant, ut interpretes volunt. Divus Paulus 1. *Cor.* 5. 4. tradidit Satanæ quemdam Corinthum propter commiſſum inceſtum. Item Hymenæum, & Alexandrum propter blaſphemiam, ut legitur 1. *Thimot.* 1. *ult.* Narrat S. Bernardus in Vita S. Malachiæ, Sanctum hunc Hiberniæ Primatem à quodam petulante Simiam eſſe appellatum. Ipſe Sanctus edoctus non reddere maledictum pro maledicto, obmutuit, & non aperuit os ſuum. Sed Dominus non oblitus ſermonis ſui, quem dixerat: *Mibi vindictam, & ego retribuam:* eadem die homo ille arreptus eſt à diabolo, & diris cruciatus tormentis. Exercitus Pipini Francorum Regis cum devaſtaſſet Villam, quæ ad S. Auſtregeſilum ſpectabat, milites plurimi à dæmonibus invaſi dentibus ſeipſos lacerabant, & ſe ignem iniecebant, teſte Divo Antonino *in Chronic. part.* 2. *tit.* 13. *cap* 6. §. 5. Poſt mortem S. Gerardi Sagredi Epiſcopi, & Martyris nefandus quidam in convivio ſedens illudebat Sancto Dei; ſed protinus à Dæmonibus arreptus, carnem propriis dentibus mordens vitam exhalavit; ut apud Arnoldum *in vita ejuſdem Sancti cap.* 21. alia conſimilia exempla reperiet curioſus Lector apud Bagattam *in Admirand. Orbis Chriſtiani tom.* 2. *libr.* 2. *cap.* 2. §. 8. *per tot.*

Non ſolùm autem ob ſcelera gravia, de quibus ſupra, permittit Deus, homines

mines à Dæmonibus obſideri, ſed ali-
25 quando ob culpas leves. Confirmat hoc id, quod narrat Caſſianus *collat. 7. cap. 27.* de Abbate Moyſe, quem propter impatientiam, & durius prolatum verbum diabolus poſſedit; & quod ſcribit S. Gregorius de quadam Virgine Moniali, quæ ob levem culpam gulæ fuit à Diabolo obſeſſa. Idem accidit, cuidam Monacho eo quod in Oratione diſtractus eſſet, ut ſcribitur in Sancti Bernardi Vita *lib. 2. cap. 1.* In ſæculis Benedictinis legitur *tom. 2. ad Ann. 664. pag. 502.* unum ex Monachis juſſu Ravengeri Abbatis Diaconatus Ordinem ab Epiſcopo Trajectenſi ſuſcepiſſe; ſed quia fibulam auream, quam ſurripuerat, apud ſe retinebat, ſtatim poſt ordinationem eum Diabolus arripuit, & graviter vexavit, donec ejus ſocii, hortatu Abbatis, ex ejus ore piſcati ſunt Confeſſionem prædictæ culpæ; pœnituit, & à Diabolo liberatus fuit.

Porrò etiam ob aliena peccata ſinit Deus homines à Dæmone invadi, & torqueri; ut docent exempla illorum fi-
26 liorum, quos ob malam imprecationem parentum Diabolus arripuit. Apud Surium habetur in vita S. Zenonis Martyris *die 25. Maii*, quod quædam mater, cum febricitanti filio poculum aliquoties præbuiſſet, nec filius petere deſiſteret, impatiens effecta iterùm dedit poculum dicens, *bibe Dæmonium*. Oh horror? Statim Filium obſedit Diabolus, & diù dirè vexavit. Puerum hunc poſt multum temporis delatum fuiſſe Florentiam ad Eccleſiam S. Zenobii Epiſcopi, & meritis hujus Sancti fuiſſe ab obſeſſione Diaboli liberatum narrat etiam Bagatta *d. tom. 2. libr. 5. cap. 4. §. 4. num. 11.* in quo §. plures pernicioſos effectus maledictionum, quæ à genitoribus in filios proferuntur, cumulat.

Aliquando tamen abſque ulla actuali culpa homines à Diabolo poſſidentur ex Dei inſcrutabili judicio, ut obſervat
27 S. Hieronymus *in Epiſt. ad Paulam de Dormitione Bleſillæ*, ubi ait, divinæ diſpoſitionis arcanis relinquendum eſſe, quod *bimuli, trimulivè & ubera materna lactantes à Dæmonio corripiantur*; & hoc Idem ſcribit S. Jo. Chryſoſtomus *in libr. de Provid.* Certum eſt autem, quod etiam ex his lacrymoſis eventibus multa bona exhauriuntur, nam præter cœtera diſcimus, ultra corpora, & animas noſtras eſſe alios ſpiritus, quos olim Saducæi, & nunc Athei negant; & ulteriùs cognoſcimus, quàm miſerum ſit, Dæmonis ſervituti ſe per peccatum ſubiicere; & is quam tyrannidem exercebit in inferno contra homines, quos tàm miris, & diris modis vexat in hac vita.

Quo ad Quartum: Plures ſunt ſcriptores autumantes, expelli poſſe Diabolum è corporibus obſeſſis virtute re- 28
rum naturalium; nam præter exemplum Juvenis Tobiæ, qui inſtructus à S. Raphaele ſuffitu, ſeu fumo jecoris, & cordis piſcis fugavit Dæmonem ab ædibus Saræ Sponſæ ſuæ, ut habetur *Tob. cap. 8.* Apud hebræos erant exorciſtæ, qui quadam radice, & verbis per Regem Salomonem traditis, profitebantur artem pellendi Dæmones; & de iiſdem Joſephus *lib. 8. Antiquitatum cap. 2.* ſic teſtatur: *Præſtitit autem Deus, ut etiam contra Dæmones artem, ad utilitatem hominum, & eorum curas* (Salomon) *ediſceret: & incantationes inſtituit, quibus ægritudines ſoleant mitigari. Modos autem conjurationum, quibus obſtricti Dæmones, ne denuò redeant, effugantur, invenit. Et hæc cura hactenùs apud nos multùm prævalere dignoſcitur. Vidi etenim quendam Eleazarum de gente noſtra, præſente Veſpaſiano, & ejus filiis, & Tribunis, alioque ſimul exercitu, curantes eos, qui à Dæmonibus vexabantur. Modus autem medicinæ fuit hujuſmodi. Intulit naribus ejus, qui à Dæmone vexabatur, annulum habentem ſubter ſignaculum radicem à Salomone monſtratam: & deindè Dæmonium per nares odorantis abſtraxit, & repentè cecidit homo. Poſtea conjuravit eum, juramentum obiiciens Salomonis, ne ad eum denuò remearet, ideſt cantica, quæ ille compoſuit, edicens ſuper eum. Volens autem ſatisfacere,*



Digitized by Google

*& probare præſentibus Eleazarus hanc ſe habere virtutem, ponebat ante eos aut calicem aquâ plenum, aut pelvim; & Dæmonio imperabat, ut egreſſus ab homine, hæc everteret; & videntibus præberet indicium, quod hominem reliquiſſet.* Hæc Joſephus de illo Eleazaro Exorciſta Judæo ſui temporis. Eamdem artem Exorcizandi profitebantur, & illi ſeptem fratres Judæi filii Scevæ Principis Sacerdotum, qui erant Epheſi, dum ibi perveniſſet Divus Paulus, de quibus ita loquitur S. Lucas *in Actib. Apoſt. cap.* 19. *Verſ.* 14. *Tentaverunt autem quidam de circumeuntibus Judæis Exorciſtis invocare ſuper eos, qui habebant ſpiritus malos, nomen Domini JESU dicentes: Adjuro vos per JESUM, quem Paulus prædicat. Erant autem quidam Judæi Scevæ Principis Sacerdotum ſeptem filii, qui hoc faciebant. Reſpondens autem Spiritus nequam dixit eis: JESUM novi, & Paulum ſcio, vos autem qui eſtis? Et inſiliens in eos homo, in quo erat Dæmonium peſſimum, & dominatus amborum invaluit contra eos; itaut nudi, & vulnerati effugerent de domo illa.* Itaque prædictos Judæos, quos Dæmonium percuſſit, & laceravit, fuiſſe Exorciſtas radicibus arborum, & incantationibus Salomonicis utentes, demonſtrat Cornelius à Lapide, aliique Sacri Interpretes *in d. Act. Apoſt.* 19. 14. nec non Menochius ſuper iiſdem Actib. *lib.* 2. *cap.* 26. *num.* 5. Scotus autem in d. Phyſica Curioſa *lib.* 4. *cap.* 15. §. 2. plures Scriptores allegat, recenſentes plurimas herbas, inter quas ſalviam, anethum, fœniculum, allium, rutam caprariam, & alias; nec non lapides, vim, & virtutem habentes, ut ipſi opinantur, Dæmones pellendi, de qua re, & opinione videndi Valeſius *in Sacra Philoſ. cap.* 28. & Tholoſanus *in Syntagm. Jur. lib.* 34. *cap.* 22.

Cæterùm doctiſſimus inter Medicos Zacchias *in QQ. Medicolegal. lib.* 4. *tit.* 1.
30 *q.* 5. *à num.* 25. *& ſeqq.* conſtanter tenet, nullum poſſe eſſe remedium naturale de directo contra Dæmones, & conſequenter nulla arte, nulloque remedio, niſi ſupernaturali, ex obſeſſis corporibus Dæmones eiici poſſe; ea ratione quia omnis curatio per ſuum contrarium fieri debet: at Dæmonibus, quatenus ſubſtantiæ ſpirituales ſunt, & metaphyſicæ, nihil corporeum, naturale, aut phyſicum contrarium eſſe poteſt, ſunt enim contraria ſub eodem genere, ideò nulla curatio artificialis eſſe poteſt ad Dæmonia eiicienda. Nec obſtat, ſi dicatur, quod aliquando etiam Exorciſtæ Eccleſiaſtici utuntur ſuffitu herbarum, & lignorum ad expellendos Dæmones, ut tradit Mengus *in Flagell. Dæmon. Dec.* 3. 4. *&* 6. Nam reſpondetur, tales ſuffitus fieri potentes ad hunc effectum operandum duplici reſpectu. Primus eſt, quod tanquam remedia naturalia diminuunt humores melancholicos, quibus utitur Diabolus ad magis vexandum obſeſſum; & ex tali diminutione alleviatur à moleſtia cauſata in agitatione eorum humorum. Alter eſt, quod iidem ſuffitus, aliaque naturalia remedia ſocientur Exorciſmis, precibus, & ceremoniis à Sancta Eccleſia inſtitutis ad abigendos Dæmones, & ſic induunt quandam ſupernaturalem virtutem; qua ipſi Dæmones devicti conſtringuntur ex corporibus humanis exire; ſicque fit, ut phyſica remedia dicantur huic ejectioni prodeſſe, ut differit idem Zacchias *d. q.* 5. *num.* 30. Delrius *Diſquiſ. Magic. libr.* 2. *q.* 30. *ſect.* 3. & *libr.* 6. *cap.* 2. *q.* 3. *ſect.* 2. latè Scotus *in Phyſic. Curioſa libr.* 2. *cap.* 40. *per totum*, ubi plurimos DD. ita ſcribentes citat, qui reſpondent exemplo fumi, quo Tobias fugavit Dæmonium juxta monitionem S. Raphaelis, nam relatis variis opinionibus, volunt habuiſſe virtutem partim naturalem, partim ſupernaturalem à Deo inditam Serarius, Juſtinianus, & Celada *in Comment. ad d. cap.* 8. *Tobiæ*, nec non P. Euſebius Nierembergius in Philoſophia Curioſa *part.* 1. *lib.* 1. *cap.* 49. & Joannes Niderus in *Malleo Maleſic. cap.* 12. Ad operationes illius Eleazari, quem refert Joſephus *libr.* 8. *Antiquit. cap.* 2. reſpondent DD. fuiſſe ex pacto Dæmonis, non ex radice, ſeu ex Exorciſmis.

Digitized by Google

ciſmis per Salomonem compoſitis: potiùs autem ex adjurationibus Rabbinorū arti Magicæ ſtudentium, qui & ipſi alios inſtruebant in eadem arte, & tales extitiſſe filiōs Scevæ Principis Sacerdotum. Ratio evidens eſt, quia poſt publicatum Evangelium tota virtus expellendi Dæmonia reſervata erat Sanctiſſimo Nomini JESU, & Exorciſmis Eccleſiæ, ut latè demonſtrant Delrius *cit.lib.2. q.30. ſect.2.* & Scotus *d. lib. 4. cap.15* §.5.

Quo ad Quintum: Ut ad Exorciſtatus Ordinem explicandum revertamur, ejuſque exiſtentiam, materiam, for-
32 mam, ac officium doceamus; in aperto eſt, eum fuiſſe in primitiva Eccleſia, & ſemper uſitatum; ut oſtendimus ſupra *in Deciſ.III. à num.38. & ſeqq.* Et quamvis diſputent DD. de tempore, quo Chriſtus Dominus hunc Ordinem inſtituit, cum alii afferant, tunc inſtituiſſe, quando ejecit Dæmonium ſurdum, & mutum ab homine, dicens *Ephetha &c. Marc.* 7.15. alii, quando dedit Apoſtolis poteſtatem, ut omnes languores curarent. *Matth.* 10.1. alii, quorum videtur probabilior opinio, quando in ultima Cœna inſtituit Euchariſtiæ Sacramentum, & Apoſtolos ordinavit Sacerdotes, tunc enim omnes ſeptem Ordines inſtituit, tanquàm relativos ad dignam Euchariſtiæ celebrationem, ac diſpenſationem, ut notat Brognolus *in Speculo Clericor. tract.16. de Sacram.Ord. cap.6. reſol.3.num.4.* & ibi S. Thomas *in 4. diſt.24.* & S. Bonaventura *q. ult.* idem ſentientes. Noviſſimè Emin. Card. de Lauræa *de eodem Sacr. Ord. diſp.4.num.* 74. ubi Canones, & Concilia, atque SS. Patres, qui in primitiva Eccleſia vixerunt, & de hoc Exorciſtatus Ordine mentionem fecerunt, allegantur.

Materia remota ordinationis Exorciſtatus eſt Liber Exorciſmorum, qui apud nos eſt Ritualis Romanus, in quo
33 poſt Rubricas de Sacramentis, de Exequiis, de Benedictionibus, & de Proceſſionibus habetur titulus *de Exorcizandis obſeſſis à Dæmonio;* nec non *de Conjurationibus ad fugandas tempeſtates.* Traditio autem ejuſdem libri, itaut ab ordinando tangatur, eſt materia proxima tunc, & quando ab Ordinante profertur Forma, quæ eſt: *Accipe, & commenda memoriæ, & habe poteſtatem imponendi manum ſuper Energumenum, ſivè Baptizatum, ſivè Catechumenum.* Hæc verba habentur *in cap. Exorciſta diſt.* 23. deſumpta ex Concilio Carthaginenſi IV. celebrato Anno 398. & in quatuordecim Codicibus, ſeu libris vetuſtiſſimis Ritualibus, ſucceſſivis temporibus, manuſcriptis pro uſu diverſarum Eccleſiarum, quos integros tranſcripſit Morinus, & poſuit in ſuo opere de *Sacris Ordinat. part.2. à pag.* 211. *uſque ad pag.* 271. videlicet *ab Anno* 600. uſque *ad Annum* 1100. reperitur indeſinenter eadem materia, & forma, iiſdem Verbis concepta; quam ſimiliter ponit, ac ſervat liber Pontificalis Romanus; in quo, ubi ſunt verba prædictæ Formæ, notatum eſt in margine: *Hoc actu imprimitur character hujus Ordinis:* ex quibus benè deducitur, ea eſſe Formam, nam per illa verba imprimitur character, & ſignificatur poteſtas, quæ traditur Exorciſtæ ordinato nempè adjurandi, increpandi, & expellendi Dæmones. *cap. Cleros. diſt.* 21. *& cap. omni die de Conſecr. diſt.* 5. Eamdem Formam referunt Iſidor. *lib. 2. de Offic. Eccleſ. cap.* 13. Rabanus Maurus *de Inſtit. Cleric. lib.1. cap.10.* Amalarius *lib.2. cap.9.* Concilium Aquiſgran.*cap.4.* Et concordare cum Ritualibus vetuſtiſſimis oſtendit Menardus *pag.* 278.

Officium autem, & miniſterium Exorciſtæ eſt, & ſemper fuit expellendi Dæmones de humanis corporibus per 34
adjurationes, & Exorciſmos ab Eccleſia approbatos, ut denotant verba Formæ hujus ordinis ſupra relata. Eſt autem ſciendum; quod in primitiva Eccleſia duplex erat modus adjuvandi Energumenos, & eos à poteſtate diaboli liberandi; de quibus copiosè agit Morinus in alio ſuo Commentario Hiſtorico *de Sacramento Pœnitentiæ lib.6. cap.7. per totum.* Unus ſolemnis, alter privatus. Modus ſolemnis erat intra Miſſa- 35

rum ſolemnia, poſt dimiſſos publicos
pænitentes, nec non Catechumenos,
completa recitatione Evangelii, ac prædicatione,
vocabantur in medium Templi qui erant Energumeni; hiſque in
genua poſitis Diaconus monebat populum,
ut Deum pro eorum liberatione
rogaret, & ſubinde Epiſcopus, ſeu Sacerdos
ſolemniter celebrans nonnullas
recitabat ſuper eis publicas preces, Divinam
excitando potentiam, ut hoſtem
humani generis ab obſeſſis illis dignaretur
expellere; & completis precibus,
Energumeni de Eccleſia dimittebantur;
non enim eis erat permiſſum adſtare Sacris
Myſteriis, neque oblationes facere
ad Altare. Ita ex S. Clemente *ex lib.* 8.
*Conſtit. Apoſt. cap.* 6. & 7. ex S. Dionyſio
Areopag. *de Hierarch. Eccleſ. cap.* 3.
ex S. Jo. Chryſoſtomo *Hom.* 3. *de Incomprehenſibili
natura Dei*, tradit Morinus
*d. cap.* 7. *num.* 2. 3. & 4. ſubdens, quod
iidem Energumeni non admittebantur
ad Sacram Euchariſtiam niſi in articulo
36 mortis, ſeveriori primitivæ Eccleſiæ
diſciplina durante, quam deinde Concilium
Arauſicanum I. *cap.* 14. temperavit,
decernens, eos ſtatis temporibus
communicari poſſe, ſi obedientes fuerint
ſuis Exorciſtis, devoti, & ab omni
blaſphemia, ſcandalo, aut rumore
alieni. Concordat Cabaſutius *in Notitia
Eccl. Concil. ſæculo III. ad Concil. Illeberitan.
Can.* 29. *pag.* 75. Hic ſolemnis
modus adjuvandi Energumenos in tertio,
quartove ſæculo ceſſavit apud Græcos,
eo ſcilicet tempore, quo ceſſarunt
apud illos publicæ pœnitentiæ; & quia
hæ apud Latinos diutiùs durarunt, &
ut ait Morinus *ubi ſupr. num.* 16. uſque
ad Septingenteſimum Annum (ſed fallitur,
nam Patavii ex Rituali antiquo
Illuſtriſſimi Capituli hujus Cathedralis
etiam in Anno milleſimo ducenteſimo,
& poſt obitum Divi Antonii Patavini
erant in uſu) idcircò ceſſantibus publicis
Pœnitentiis, ceſſavit etiam antedictus
publicus, & ſolemnis modus adjuvandi
Energumenos per communes orationes
Epiſcopi, Cleri, ac populi ſuper
eos intra Miſſarum ſolemnia.

Alter privatus modus fuit, & ſemper
extitit, quem adhibuerunt Exorciſtæ
ad hunc effectum ab Eccleſia ordinati,
qui imponebant manus, & Exorcizabant 37
obſeſſos à Diabolo tàm Catechumenos,
quàm Baptizatos; & tale exercitium,
ac miniſterium adimplebant
tùm in privatis domibus, tùm in Eccleſiis,
ſed extra Miſſam, ut ſequitur
demonſtrare Morinus *d. cap.* 7. *num.* 7.
& 8. allegans Concilium Carthaginenſe
IV. ex cujus *Can.* 90. & 92. deprehenditur,
quod tunc permittebatur
Energumenis, ſi vellent, immorari in
Eccleſia diù, noctuque, & in ea ab
Exorciſtis cibum ſumere; & ideò Paulinus
in Vita S. Ambroſii ſcribit, ſervum
Stiliconis Comitis Dæmonio laborantem,
à S. Ambroſio curatum in
Ambroſiana Baſilica manſiſſe. Fuit igitur
ſemper in uſu Officium Exorciſtarum
quocunque tempore in utràque Eccleſia;
nam in Euchologiis Græcis eſt
conſequentia, ſeu Ordo ad conſolationem
infirmorum agitatorum à ſpiritibus
immundis, & moleſtiam afferentibus,
in quo habentur variæ Preces,
Pſalmi, Cantus, & Exorciſmi, quos
partim tribuunt Magno Baſilio, partim
Chryſoſtomo, ut ait Morinus *in cit.
cap.* 7. *num.* 10. ſubdens, quod etiam ſoliti
fuerunt Græci Oleo Benedicto 38
Energumenos inungere, & quod hoc
miniſterium à ſolis Presbyteris exercebatur,
ideò omiſerunt ordinare Exorciſtas.
De eodem uſu Græcorum in Exorcizandis
obſeſſis à Diabolo locuti ſunt
Trullani Patres, qui paulò poſt *Annum*
700. decreverunt *in cap.* 60. *Eum,
qui ſe Energumenum ſimulaverit, iiſdem
afflictionibus, laboribuſque ſubiici, quibus
ii, qui verè à Dæmone correpti ſunt,
ut Dæmonis operatione liberentur*. Hæc
omnia Morinus *d. num.* 10.

In Eccleſia verò Latina non eſt, opus
allegare auctoritates pro perenni hujus
officii uſu, cum de eodem plenæ ſint 39
Hiſtoriæ Sacræ, & Vitæ Sanctorum.
In vita S. Martini Epiſcopi ſcribit Sulpitius
Severus *Dialog.* 3. quod ſæpè ſanctus
Vir Energumenos in Eccleſia

Exor-

Digitized by Google

Exorcizabat, ſed ſub hac forma: *foribus obſeratis in medio Eccleſiæ, cilicio circumtectus, cinere aſperſus, & ſolo ſtratus orans*. De S. Auguſtino narrat Poſſidonius in ejus vita; *vidiſſe illum pro quibuſdam Energumenis patientibus, ut oraret rogatum in oratione lacrymas fundentem, Deum rogaſſe, & Dæmones ab hominibus receſſiſſe*. Idem de S. Ambroſio ſcribit Paulinus in ejus vita; dicens, *Multos etiam diebus ipſis, imponente illo manus, & imperante, à Spiritibus immundis vidimus eſſe purgatos*. Hæc autem manuum impoſitio, quam Exorciſtæ faciebant ſuper Energumenos, locum habebat ſivè hi eſſent baptizati, ſivè eſſent catechumeni; ut notat ibidem Morinus *num.* 11. obſervans, in Concilio Eliberitano *can.* 37. ſtatutum fuiſſe: *Eos, qui à Spiritibus immundis vexantur, ſi in fine mortis fuerint conſtituti, baptizari placet. Si verò fideles fuerint, dandam eis eſſe Communionem*. Itaque Exorciſtæ hoc miniſterium ſuum adjurandi, & pellendi Dæmones exercebant tàm à catechumenis, quam à baptizatis Energumenis; quod probatum reliquit Conciliis, teſtimoniis Patrum, & Exemplis etiam Delrius *Diſquiſit. Magic. libr.* 6. *quæſt.* 3. *Sect.* 3. *pag.* 719.

Sed & illud eſt obſervatione dignum, quod notat Epiſcopus Sarnellius *in cit. Speculo Cleri Sæcularis libr.* 4. *de Exorciſtis*; quòd ſcilicèt in primitiva Eccle-
40 ſia hi exorcizabant non ſolùm energumenos, & à Diabolo corporaliter obſeſſos; ſed etiam omnes Catechumenos per plures dies antequam baptizarentur, ea ratione, quia reputabantur obſeſſi in anima, ſeu in mente ſpiritualiter à Dæmone; à quo quodammodo impediebantur in intelligentia articulorum fidei, & rudimentorum Doctrinæ Chriſtianæ. Hinc S. Paulinus Nolanus, qui florebat Anno 420. deſcribens eleganti poemate vitam S. Felicis Martyris, notavit hunc Sanctum priùs fuiſſe ordinatum Lectorem, quem Ordinem exercuit docendo fideles Doctrinam Chriſtianam, deindè initiatum fuiſſe Exorciſtam, ſic *libr.* 4. canendo: *primis, Lector ſervivit in annis: Indè gradum cæpit, cui munus voce fideli Adjurare malos, & Sacris pellere verbis*. Hanc exorcizationem retinuit ſemper Eccleſia ante collationem Baptiſmi; & eam nunc facit Parocbus, ſeu Sacerdos infantes baptizaturus, antequam enim eos introducat in Eccleſiam, poſt porrectionem Salis benedicti in os eorum, incipit adjurare Diabolum, ſic dicendo: *Exorcizo te immunde Spiritus in nomine Patris ✠ & Filii ✠ & Spiritus Sancti ✠ ut exeas, & recedas ab hoc famulo Dei, &c.* ut in Rituali Romano *in Ord. baptiſmi parvulor.* Et idem ſervat in Ordine Baptiſmi Adultorum; in quo genuflexiones, & orationes plures pro eiiciendo Diabolo ex anima Catechumeni adulti baptizandi. Quapropter ſubdit idem Sarnellius Epiſcopus *d. libr.* 4. *pag.* 160. *Ne ſolo quelli, che erano manifeſtamente oſſeſſi dal Demonio, à gl' Eſorciſti ſi appartenevano, mà eziamdio gl' altri, che occultamente ſimigliavanti coſe patìvano; quali ſono gli huomini prima, che ricevano il Batteſimo; Si come coloro, che ſono al diabolico imperio ſoggetti: onde uſo antico fù della Santa Chieſa, che tutti avanti il Batteſimo foſſero eſorcizati*. Alia ratio addi poteſt, ob quam Exorciſtis demandabatur hoc opus exorcizandi per plures dies Catechumenos ante baptiſmum, ne nimis morarentur in iiſdem baptizandis vel Epiſcopi, vel Sacerdotes, quoniam baptizandorum ingens erant numerus, ſi tunc, & in eo actu ſinguli fuiſſent priùs exorcizandi, ſicut hodie fit in collatione baptiſmi. Videatur Menardus *in libr. Sacram. S. Greg. pag.* 136.

Hæc de officio, ac miniſterio Exorciſtarum; circa quod adhuc reſtant quatuor dubia breviter reſolvenda. Primum dubium eſt: An qui non ſunt hoc Exor- 41
ciſtatus ordine initiati, poſſint energumenos exorcizare? Negat Philibertus *tract.* 2. *punct.* 4. *cap.* 4. aſſerens, nec publicè, nec ſecretò, nec in domibus, aut Eccleſia poſſe non Exorciſtas exorciſmis à corporibus humanis Dæmones pelle-

Digitized by Google

pellere. Addo pro hac opinione negativa *tex. in cap. fin. diſt. 69.* & Alcuinum *de Div. Offic. cap.* 34. Affirmant Suarez *tom* 2. *de Relig. libr.* 4. *de Abjurat. cap.* 2. *num.* 11. & Sanchez *in Decalogum libr.* 2. *cap.* 42. *num.* 18. dicentes, quod ſi exorciſmi ſint ab Eccleſia probati poſſunt à quolibet fideli exerceri: omnes enim fideles poteſtatem habent à Chriſto pellendi Dæmones, juxta ejus promiſſionem, de qua Marcus *cap.* 16. *Verſ.* 17. *ibi*: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: in Nomine meo Dæmonia eiicient*. Utramque opinionem referunt Salmanticenſes *de Sacr. Ord. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 15. & videntur adhærere affirmativæ, dummodò non ex profeſſo, aut publicè, & paſſim non ordinati id faciant; ſed in aliquo particulari caſu; ex Dei interiori inſtinctu, ut in vitis Sanctorum, de ſervis Dei Laicis, aut Sanctis mulieribus legitur: ſiquidem ſolemniter, & ex officio hoc miniſterium ad Exorciſtas ordinatos tantùm ſpectat. Barboſa *de Jur. Eccl. libr.* 1. *cap.* 38. *num.* 17.

Secundum Dubium eſt: An omnes initiati Exorciſtatus ordine poſſint ſtatim, abſque alia Superioris licentia exer-
42 cere hoc miniſterium, & Energumenos adjurare? Reſpondetur negativè; quia ex Conſtitutionibus Synodalibus ferè omnium Diœceſeon, & ex Conciliis Provincialibus uniuſcujuſque benè directæ Provinciæ, requirenda eſt licentia in ſcriptis ab Ordinario; ut notat Gavantus *in Manuali Epiſc. Verb. Exorciſta num.* 1. Et quidem in Synodo Farfenſi ſub Emin. Cardinali Carolo Barberino Abbate de Anno 1685. *in cap.* 13. *de Sacram. Ord. ſub. num.* 4. habetur: *Exorciſtatus tamen officium à nemine, etiam Regulari, in ulla, etiam propria Eccleſia, abſque noſtra ſpeciali licentia ſub graviſſimis pœnis exerceatur*. In Synodo Albanenſi de Anno 1687. Sub Emin. Card. Flavio Chiſio Abbate *ſeſſ.* 1. *cap.* 13. §. 1. ita decernitur: *Exorcizandi munus nemo, etiam Regularis, ſine noſtra expreſſa, & ſpeciali licentia, nedum in aliena, ſed nec in propria Eccleſia exercere audeat*. In Synodo Concordienſi Anno 1697. celebrata per Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Paulum Vallareſſum, olim Canonicum Patavinum, nunc ejuſdem antiquæ, & præclariſſimæ Diœceſis Antiſtitem vigilantiſſimum, *cap. XV. num.* 2. ita præcipitur. *Volumus, nullum Sacerdotem, ſivè Secularem, ſivè Regularem, etiam Parochum, immundos ſpiritus in obſeſſis corporibus exorcizare, vel abjurare poſſe, niſi facultate à Nobis in ſcriptis impetrata*. Conſimiles prohibitiones paſſim in aliis Conciliis Synodalibus leguntur. Scio, P. Candidum Brognolum Ordinis Minorum Reformatorum, ſeu ſtrictioris obſervantiæ S. Franciſci, eximium non minùs Exorciſtam, quàm Theologum conqueri de hujuſmodi Epiſcopalibus prohibitionibus *in cit. Specul. Clericor. de Sacram. Ord. tract.* 16. *cap.* 6. *à num.* 8. *& ſeqq.* Sed non jure, quia cum in hoc miniſterio opus ſit ſanctitate, & prudentia; ac ob defectum alteriuſque ſcandala Exorciſtæ frequenter excitaverint, ſpectat ad Ordinarios locorum ea impedire, & obligare Exorciſtas, ut priùs Epiſcopalem obtineant licentiam, quod laudat P. Gobatus *de Sacram. Ord. tract.* 8. *num.* 68. & Biſſus *in Hierurgia Verb. Exorciſta* §. 1.

Tertium Dubium eſt: Quibus orationibus, ſeu rebus uti debeat Exorciſta in adjurando Diabolo, & eo expellen-
do ex corpore Energumeni? Reſpondetur quo ad orationes, nec efficaciores, 43
nec ſanctiores recitari per Exorciſtam poſſe, quàm approbatas ab Eccleſia in Rituali Romano ſub Paulo V. *in Rubr. De Exorcizandis obſeſſis à Demonio*; ibi enim Evangelia, preces, & pſalmi potentiſſimi, inter quos *Exurgat Deus* &c. de quo S. Athanaſius ſcripſit *ad Antiochum q.* 14. ut refert Cornelius à Lapide *in libro Numeror: cap.* 10. *Verſ.* 35. *Non exiſtit in toto tàm veteri, quàm novo teſtamento verbum terribilius, atque magis diſpergens diaboli poteſtatem, quàm initium pſalmi 67. Quamprimùm enim dicto* 44
*verbo*: Exurgat Deus, & diſſipentur inimici ejus: *mox ululans evaneſcit, & diſpa-*

Digitized by Google

*diſparet Diabolus*, *oſtendens hujus orationis virtutem*, *& operationem*. Sunt autem alii etiam Codices à piis viris compoſiti ad Energumenos exorcizandos, ut experientia demonſtrat. At circa res, quæ præter orationes, adhiberi
45 poſſunt, hæ ſunt Reliquiæ Sanctorum; in quarum præſentia, ſeu contactu Dæmones fugantur non ſecùs ac audaces, & impii latrones, qui ſi fortè dum prædas agant, miniſtros Imperatoris obvios habeant, præcipites abſcedunt, ut ait S. Jo: Chriſoſtom. *Hom.* 7. *de Macchab.* Exempla ſi quis cupiat SS. Reliquiarum in fugandis Dæmonibus, legat Ricciullum *Lucubrationum Eccleſiaſticar. libr.* 1. *cap.* 29. ubi ex profeſſo de hoc argumento agit.

Quartum, & Ultimum dubium eſt; Exorciſtas pro recta ſui officii functione à quibus debeant abſtinere? Reſpondetur
46 à pluribus, ſed præcipuè à ſequentibus per eos abſtinendum eſſe, prout præcipit Rituale Romanum in *cit. Rubr. De Exorcizandis obſeſſis à Dæmonio*; decernuntque ſupracitatæ Conſtitutiones Synodales, & advertunt DD. infra allegandi. I. Ne facilè credant, quem eſſe Energumenum, niſi adſint ſigna per nos ſupra notata *num.* 17. Sanè multos vidi adeò credulos, ne dicam imprudentes, ut quemcumque virum, vel mulierem melancholiâ, vel fictione laborantem pronuncient Energumenum. II. Abſtineant à nimio cibo, & potu, memores dixiſſe Dominum, *Dæmoniorum genus non eiici niſi in oratione, & jejunio*. *Marc.* 7. III. Eorum finis, & intentio in Energumenis exorcizandis ſit Dei gloria, & charitas erga proximum; non autem intereſſe, vel lucrum temporale, à quo debent omninò eſſe alieni. IV. in exorcizandis mulieribus ſivè in Domibus, ſivè in Eccleſiis, numquam ſint ſoli, ſed adſint aliqui obſeſſarum conjuncti, & omninò caveant, ne tangant mulieres, quas exorcizant, ut notat Gavantus in Manuali *d. V. Exorciſta n.*3.ex Decreto S.Caroli *in Conc.*1. *Prov.Mediolan.* Hoc in laudem S. Martini ſcripſit Sulpitius Severus *Dial.*3. *in ejus Vita* ibi: *Si quando exorcizandorum Dæmoniorum Martinus operam recepiſſet, neminem manibus attrectabat*; & refert Morinus in Opere *de Sacram. Pænitentiæ cit. libr.* 6. *cap.* 7. *num.* 7. V. Exorciſtæ non vagentur in multiloquio, aut ſupervacaneis, vel curioſis interrogationibus, præſertim de rebus futuris, & occultis ad ſuum munus non pertinentibus, ut inculcat Rituale Romanum *ubi ſupr. Verſ. Exorciſta*. VI. Potiſſimùm caveant, ne cum Dæmone jocentur, vel cum eo nugacia miſceant colloquia; aut ridiculas confabulationes; hoſtis enim eſt perfidus, & attentus compeſcere Exorciſmos, ac offendere eoſdem Exorciſtas, ut monitis, ac exemplis demonſtrat Delrius *Diſquiſ. Magic. d. libr.* 6. *q.* 3. *ſect.* 3. *pag.* 719. Barboſa *in cap. Exorciſta* 23. *diſt. num.* 4. nec non *de Jure Eccl. d. libr.* 1. *cap.* 38. *num.* 19. Et Guaccius in *Compend. Maleſic. libr.* 3. *pag.* 337. VII. Nullam medicinam corporalem præbeant Exorciſtæ, aut ſuadeant obſeſſis, relinquentes hanc Medicis curam, ut expreſsè vetat Rituale Romanum ubi ante. VIII. Et Ultimò caveant à vanagloria; ſique Deus benedicendo eorum labores, & Exorciſmos, liberari concedat Energumenos à poteſtate Diaboli, eidem Deo humillimas gratias agant; nec aliquam ſuis meritis, aut induſtriæ gloriolam tribuant; ad quod ſervandum, bonum erit, ſi Exorciſtæ legerint Exemplum unius Sancti Viri, qui mirabilis erat in fugandis Dæmonibus; ſed ſentiens ſe aliquando gloriolæ ſenſu titillatum, rogavit Deum, & obtinuit, ut quinque menſibus torqueretur à Diabolo, ut ex Sulpitio Severo *dial.* 1. tranſcribit laudatus Morinus *de Pænitentiæ Sacram. d. libr.* 6. *cap.* 7. *num.* 20. Plura alia monita, & quidem utilia pro hoc miniſterio piè, ac ſanctè gerendo, reperient Exorciſtæ apud Sanchez *in cit. libr.* 2. *in Decalog. cap.* 42. *num.* 18.

DE-

Digitized by Google

## DECISIO XX.

### *ARGUMENTUM.*

Agitur de Acolythorum Ordine, Etymologia, Materia, Forma, ac Miniſteriis. Et quoniam Acolythi fuerunt figurati in candelabris aureis, in Tabernaculo per Moyſem, & in Templo per Salomonem poſitis, diſſeritur de pluribus circa eadem candelabra. Cur Hebræi non adhiberent in Sacrificiis candelas cereas; hæ autem ſint in uſu in Eccleſia Catholica? Obſervationes XIV. circa miniſteria Acolythorum. Corollaria duo. An peccent mortaliter Acolythi, qui ſerviunt ſolemniter in peccato? Et an Ordines minores conferri poſſint extra Miſſam? Quomodo, & quando in Miſsa?

### SUMMARIUM.

1 *Acolythatus Ordo ſemper fuit, etiam in initio Eccleſiæ.*
2 *Acolythi etymologia multiplex.*
3 *Ceroferarii vocantur Acolythi.*
4 *Corbicularii Clerici qui ſint?*
5 *Candelabrum aureum factum à Moyſe juſſu Dei. Ejus materia, forma, & ornamenta.*
6 *Talenti unius, ac minæ pondus.*
7 *Candelabri Moyſis altitudo.*
8 *Lucernæ ejus an in eadem altitudine æquales?*
9 *An lucerent die, ac nocte?*
10 *Candelabri aurei baſis cujus fuerit formæ?*
11 *Ejuſdem myſtica ſignificatio, & Acolythatus Ordinis figura.*
12 *Candelabra aurea ſeptem à Salomone facta.*
13 *An ablata à Nabuchodonoſor?*
14 *Candelæ de cera cur non adhibitæ in Templo ab Hebræis.*
15 *Mel cur prohibitum in Sacrificiis Hebræorum?*
16 *Candelæ cereæ uſus in Eccleſia ob duas rationes.*
17 *Acolythatus Materia, & Forma duplex, & quæ?*
18 *An utraque ſit de eſſentia?*
19 *Character in Acolytho quando imprimatur!*
20 *Acolythi officia duo. Et quæ?*
21 *Lumina cur ab Acolythis portentur?*
22 *Acolythorum circa miniſteria obſervationes quatuordecim.*
23 *Acolythi in mortali ſervientes an peccent mortaliter?*
24 *Minores Ordines an poſſint conferri extra Miſſam? Et quomodo, & quando ſi dentur in Miſſa?*

AColythatus Ordo quartus eſt inter minores, de quo in præſenti eſt nobis agendum; quem in primitiva Eccleſia uſitatum fuiſſe, & ſubſequentibus 1
omnibus ſæculis in Eccleſia Latina dubitare non poſſumus, attentis teſtimoniis Conciliorum, & SS. Patrum jam antea adductis, & præcipuè *Deciſ. VI. num* 42. & 43. nec non *Deciſ. XVII. num.* 12. & 13. quibus adſtipulatur Menardus *in Sacram. S. Greg. Papæ pag.* 279. hæc dicens: *Acolythorum mentio eſt apud S. Cyprianum Epiſt.* 55. *& in Epiſtola Cornelii Papæ*, quæ eſt ad Fabium Epiſcopum Antiochenum apud Euſebium *Hiſt. Eccleſ. lib. 6. cap.* 31. Fuit autem electus Papa S. Cornelius Anno 254. S. Cyprianus verò factus fuit Epiſcopus Carthaginenſis paulò ante, ideſt Anno 250. & de ordinatione Acolythorum loquitur Concilium Carthaginenſe IV. *can.* 6. celebratum Anno 398. & omnes Rituales libri vetuſtiſſimi, quos tranſcripſit Morinus *de Sacris Ordin. part.* 2. *à pag.* 211. & *ſeqq.* qui alios Patres Græcos allegat *part.* 3. *Exercit.* 14. *cap.* 2. in quorum dictis etſi expreſsè non ſint Acolythi nominati, haben-

tur

Digitized by Google

tur tamen in ipſis ſub nomine Miniſtrorum. Cæterùm pro majori intelligentia hujus Ordinis videbimus quinque.

1 Acolythorum quæ ſit Etymologia, & quot nominibus in Eccleſia fuerint nuncupati?

2 Quid, & quale fuerit Candelabrum Moyſis poſitum in Tabernaculo?

3 Quot, & qualia Candelabra ſint poſita à Salomone intra Sancta Sanctorum?

4 Quæ ſit Materia, & forma Acolythatus?

5 Quæ, & quot ſint officia Acolythorum?

Quo ad Primum. Non unica eſt Acolythi vocis Etymologia, nec unicum nomen: ſiquidem. 1. Acolythus
2 dicitur ex verbo græco κωλύω, ideſt *probibeo*, & ex negativa particula *A* antepoſita, quæ ſignificat *non prohibeo*, & ex utraque formatnr ſupradictum nomen *Acolythus*, ideſt *Non probibitus*, quia initiatus hoc ordine non prohibetur Sacrificio intereſſe, imò eſt obligatus, quæ eſſentialia ſunt Sacrificii, nempè Panem, Vinum, & Aquam præparare. Magrius *in Hierolexic. Verb. Acolythus*. 2. Ejus Etymon etiam deducitur à Verbo Ἀκολυθέω, quod ſignificat *ſequi*; nam Acolythorum officium eſt ſequi Diaconum cum cereis accenſis, quando accedit ad canendum Evangelium. Menardus ubi ante *d. pag.* 279. *Lin.* 11. *V. Acolythus*, ubi ex Heſychio, & Gloſſis antiquis ait, quod Acolythus interpretatur, *ſequutor*, *pediſſequus*, *conſequens*, *iter faciens retro*, *junior Servus*, habita ſcilicèt relatione ad obligationem inſerviendi Diaconis, ac Subdiaconis in Miſſa. 3. Hinc Acolythi à prædicto Officio deferendi cereos accenſos antiquitùs dicebantur etiam Ceroferarii, ut ſcribit Emin. Card. Baronius ad Annum Chriſti 44. *num.* 80. his verbis: *Cum enim ab ipſo rerum noſtrarum initio Ordinem fuiſſe conſtet in Eccleſia Ceroferariorum Clericorum, qui & Acolythi dicebantur, cujus, ut diximus, mentio eſt apud Cyprianum, Cornelium Papam, Euſebium, Romanum Concilium ſub Silveſtro, nec non Synodum quartam Carthaginenſem; quorum eo Ordine initiatorum Clericorum muneris erat ad Sacram Myſteriorum pompam ferre accenſos Cereos*. Hinc Scriptores Sacrorum Rituum vocant Acolythos Ceroferarios, ut videre eſt apud Baul- 3
dry *in Cærem. cap.* 14. *art.* 1. *& ſeqq.* apud Caſtaldum *libr.* 1. *Sect.* 4. *cap.* 14. & apud Biſſum *in Hierurg. Verb. Acolythi num.* 90. 4. In quibuſdam Galliæ Eccleſiis Acolythi vocantur etiam *Corbicularii*, à Rochetto, quod induunt, quod Galli *Corbulam* vocant, ut notat Magrius in *Verb. Corbicularius*. Eſt au- 4
tem Rochettum illud Cotta cum manicis, quam deferunt Acolythi in forma Rochetti etiam apud Regulares, dum inſerviunt Miſſæ, & portant Ceroferalia, ut ſubdit Magrius *ibidem*; addens *in Verb. Paſcha* quod in Andegavenſi Eccleſia (quæ eſt in Gallia vulgò *Nojoù*) in die Paſchæ duo Corbicularii, ideſt Acolythi induti Rochetto, & Dalmaticis, ac velato capite repræſentantes mulieres euntes ad monumentum Domini, vadunt ad Capellam, in qua ſervatur SS. Euchariſtia, ubi duo Sacerdotes cum pluvialibus eos interrogant cantantes: *Quem quæritis?* Reſpondent Corbicularii: *JESUM Nazarenum Crucifixum*. Replicant Sacerdotes: *Non eſt bìc: ſurrexit, ſicut prædixit. Ite, nunciate diſcipulis &c.* Et ſtatim prædicti Corbicularii vadunt in Choro, & referunt Epiſcopo, ac Canonicis: *Surrexit Dominus Alleluja:* & ſtatim cantatur ſolemniter *Te Deum Laudamus* à Choro. Hæc ſunt ſigna pietatis, & devotionis, qua pollebant primitivi Chriſtiani. Igitur Acolythi Etymologia cum deducatur à miniſterio, quod ipſi præſtant in Eccleſia, ſerviendo in Sacrificio Miſſæ, & divinis officiis, ac miniſtrando Diaconis, & Subdiaconis; hinc eſt quod à vetuſtiſſimis Patribus, etiam Græcis vocabantur Miniſtri, ac Miniſtrantes, & ſub hoc nomine Acolythos ſignificabant, ut oſtendimus *d. Deciſ. VI. num.* 43. etſi

apud Latinos Ceroferarii, ut plurimùm nominarentur, ab officio deferendi candelabra cum cereis accenſis in Horis Canonicis, & in Miſſa.

Quoad Secundum: Quando Deus præcepit Moyſi fabricare Tabernaculum portatile, quod deſerviret pro Templo, in quo ſibi Divinus cultus ab Hebræis præſtaretur; ut demonſtravi in
5 Deciſionibus *de Sacrific. Miſſæ Deciſ. XII. num.* 14. mandavit etiam eidem Moyſi, ut faceret Candelabrum Aureum ad ſuſtinendas ſeptem lucernas ardentes, & reponendum in eodem Tabernaculo penes menſam panum propoſitionis, ut legitur in *Exodo cap.* 25. *Verſ.* 31. ubi hæc verba: *Facies & Candelabrum ductile de auro mundiſſimo, haſtile ejus, & calamos, ſcyphos, & ſpherulas, ac lilia ex ipſo procedentia.* Circa hoc Candelabrum plura notant Interpretes Scripturæ Sacræ; advertentes, quod alia de eo certa habentur, alia autem ſunt incerta provenientia ex aſſertione Scribentium, & præcipuè Joſephi Flavii *in Libr. Antiquit. Judaic.* Certa ſunt, quod hoc Candelabrum erat totum de auro puriſſimo: erat ductile, non fuſum; ſed malleatione productum, ac efformatum. Conſtabat Haſtile, in cujus ſuperiori parte egrediebantur ſex calami, ſeu rami, qui aſſurgebant quaſi ſemicirculi, & in eorum ſummitate ponebantur lucernæ: ita ut hæ ſeptem forent, additâ unâ in ſummitate haſtilis, ſeu ſtipitis ejuſdem Candelabri. Calami erant triplici, Haſtile verò quadruplici ordine Scyphorum, Spherularum, ſivè globulorum, ac liliorum viciſſim ſibi ſuccedentium ornati, quæ quidem ornamenta terna erant in calamis, quaderna in haſtile. Lucernæ prædictæ illuminabant locum Sanctum Tabernaculi, Altare thimiamatis, & menſam panum propoſitionis. Penes Candelabrum erant emunctoria, ac vaſa pariter aurea, in quibus ea, quæ de lucernis emuncta erant, extinguebantur. Pondus totius Candelabri cum iiſdem emunctoriis, ac vaſibus erat unius talenti
6 auri. Talentum unum pendebat minas centum; una mina faciebat triginta uncias; idcircò Candelabrum ipſum conſtabat tribus millibus unciis auri; & hæc omnia tanquam certa, & in ſacro textu expreſſa concorditer notant Salianus *ad Annum Mundi* 2554. *à num.* 446. Torniellus *ad eumdem Annum n.* 72. & Cornel. à Lapide *in Exod. d. cap.* 25 *n.* 31.

Incerta de eodem Candelabro, & quæ ſub diſputatione remanent apud ſcriptores, ſunt ſequentia. 1. Cujus altitudinis eſſet ipſum Candelabrum? Varii varia dicunt: ſed verior eſt opinio, quod non eſſet altius Altari, ſeu Menſa propoſitionis panum præter cubitum; 7
tùm quia cum eſſet ordinatum, ut illuminaret idem Altare, & Menſam, lucernæ ſtantes in ſummitate Candelabri, opus erat, ne eſſent altiores valdè; ſed quantum ſolet eſſe lucerna, cum Dominus cœnat, in menſâ exiſtens: tùm etiam quia coopertoria, & pelles, quibus tegebatur Tabernaculum, & de quibus dixi *de Sacrif. Miſſæ eadem Deciſ.* 12. *num.* 14. non erant multùm elevatæ; ideò ne à fumo lucernarum deturparentur, fas erat, eas eſſe demiſſas, nec nimis exurgere in altum. Ita Torniellus *d. Anno M.* 2544. *num.* 72. 2. Diſputant DD. an omnes lucernæ eſſent æqualiter altæ ſimul cum illa, quæ erat in ſummitate haſtilis? Affirmat Cornelius à Lapide *d. cap.* 25. *in Exod. Verſ.* 31. Negant alii, autumantes lucernam haſtilis fuiſſe cæteris emi- 8
nentiorem; & hæc mihi videtur opinio veriſimilior, quia pulchrior eſt aſpectus lucernarum, ſi plures luceant per gyrum, & quæ in medio eſt, emineat aliis; præterquamquod, ajunt, ſeptem illas lucernas repræſentare ſeptem planetas, inter quos Sol medius inter alios ſupereminet majeſtate, ac ſplendore. 3. Quærunt DD. an prædictæ ſeptem lucernæ aurei hujus Candelabri lucerent tantùm in nocte, vel etiam nocte, ac die? Cajetanus contendit, eas luxiſſe perpetuò, diu, noctuque, ex *cap.* 27. *Exod. Verſ.* 20. ubi præcipitur 9
filiis Iſrael dare oleum Levitis, *ut ardeat lucerna ſemper in Tabernaculo teſtimonii.*

Si,

Digitized by Google

Si, *ſemper*! Ergo nocte, ac die. Præterea illius Candelabri lucernæ accendebantur, ut lumen darent in loco Sancto, qui carebat feneſtris. Ergo nocte, ac die. Imò magis die, quia tunc fiebat Sacrificium thimiamatis, ac panum azymorum; de nocte autem ibi nulla actio, nullum Miniſterium. Ita etiam ſentit Lippomanus *in Exod. cap.* 27. Joſephus *libr.* 3. *Antiquit. cap.* 9. tenuit, quod medietas earundem lucernarum luceret in die; alia medietas in nocte. Abulenſis, Sà, Vatablus, Oleaſter, & alii, quos citat, & ſequitur Salianus ad *d. Annum M.* 2544 *num.* 461. tenent, quod nocte tantùm ardebant; idque probant ex textu *Exod. d. cap.* 27. *in fin.* ubi Deus loquens de iiſdem lucernis, ait, *& collocabunt eam Aaron, & filii ejus, ut uſque manè luceat Coram Domino.* Si uſque mane lucernæ ardere debebant: ergo non facto mane. Alia argumenta adducit Salianus ibidem videnda.. 4. Altercantur Interpretes circa baſim hujus Candelabri? Alii enim unicam, nempè rotundam, fuiſſe arbi-
10 trantur, prout eſſe videmus noſtris temporibus plurium ex Aurichalco Candelabrorum. Alii, quod fuerit gemina ajunt, ex Candelabro, quod poſt deſtructam Jeruſalem Titus in triumphum duxit, in quo baſis erat biceps, habens marinos equos duos in piſcem deſinentes. Alii, dant ei formam triangularem, ut nunc faciunt periti artifices in Candelabris argenteis. Alii tandem quadrangularem, ad majus ejuſdem baſis robur in firmitate Candelabri tuenda; & de his omnibus differunt Torniellus, ac Salianus ad *d. Annum M.* 2544. ille *ſub num.* 72. iſte *ſub num.* 447. Ultimò perſcrutantur DD. myſti-
11 cam illius aurei Candelabri, ornamentorumque ejus ſignificationem? Plura dicit Cornelius à Lapide *d. cap.* 25. *Exod. ſub. Verſ.* 31. Sed ex eis fuiſſe figuratum Acolythatus Ordinem, ob officium incumbens Acolythis deferendi lumina in Sacrificio advertunt Alcuinus *de Div. Offic. in cap. de Eccl. Ord.* Durandus *in Rat. Div. Offic. lib.* 2. *cap.* 7. & Biſſus *in Hierurg. Verb. Acolythi num.* 218. §. 1. Porrò ſubdit Torniellus *d. num.* 72. Significaſſe eos, qui in Sancta Dei Eccleſia cæteris vel dignitate, vel evangelizandi munere præfulgent: *Etenim* (ait): *lilia Symbolum ſunt caſtitatis, & innocentiæ; ſphærulæ verò perfectionis; Scyphi autem benè poſſunt aquam Sapientiæ Salutaris, ac vinum doctrinæ ſpiritualis ſignificare; quemadmodum certum eſt, ſeptem lucernas fuiſſe typum ſeptem donorum Spiritus Sancti, quæ in Sanctis Præſulibus, ac Verbi Dei Prædicatoribus potiſſimùm præfulgere debent: qui etiam tanquàm in oculis omnium poſiti, magis ſtudere tenentur, caſtitatem, & innocentiam, & ſuper omnia charitatem (quæ eſt vinculum perfectionis) in auro puriſſimo, ex quo totum factum eſt Candelabrum, præfiguratam, ſectari; ut non ſolùm per doctrinam cæteris propinatam lucere; ſed & bonis vitæ exemplis cunctos ædificare valeant.*

Quo ad Tertium: Reſpondet Cornelius à Lapide *Comment. in* 3. *Reg. cap.* 7. *Verſ.* 49. quod etſi Moyſes fecerit unicum Candelabrum aureum habens ſeptem calamos, & totidem lucernas; Salomon tamen fabricato Templo, non 12
unum tantùm, ſed decem formavit Candelabra aurea, prout teſtatur Scriptura Sacra *d. verſ.* 49. his verbis: *Fecitque Salomon omnia vaſa in domo Domini, Altare aureum, & menſam, ſuper quam ponerentur panes propoſitionis, auream: & Candelabra aurea, quinque ad dexteram, & quinque ad ſiniſtram contra oraculum ex auro puro; & quaſi lilii flores, & lucernas deſuper aureas.* Circa hæc decem Salomonis Candelabra aurea quærunt expoſitores Sacri, an deprædata fuerint à Nabuchodonoſor Rege Babylonis, quando Jeruſalem devaſtavit, Templum in- 13
cendit, populumque Judaicum in captivitatem duxit *Anno M.* 3447. vel potiùs ante Urbis direptionem fuerint ſubtus terram occultata unà cum Arca fœderis, & aliis vaſibus aureis ejuſdem Templi per Levitas, & Sacerdotes, hortante, & præmonente Jeremia pro-

pheta? Salianus *ad Annum M.* 3446. *num.* 29. allegat Joſephum Hebræum *libr.* 10. *Antiquit. cap.* 11. expreſsè ſcribentem, menſas aureas, atque Candelabra, cum columnis æneis à Chaldæis fuiſſe ſublata. Torniellus opinatur, ea fuiſſe abſcondita, & non ablata. Salianus nec abſcondita, neque ablata; quia, ait, non multùm ante excidium Urbis Jeruſalem à Chaldæis factum, Seſac Rex Ægypti, quinto Roboani anno, deprædatus fuerat theſauros Templi, & omnia vaſa aurea, ut habetur 3. *Reg.* 14. 25. nec credibile eſt, deindè tot menſas aureas, & Candelabra de auro puriſſimo fuiſſe iterùm facta, & in Templo repoſita.

Sed hîc interrogabit aliquis; qua de cauſa in Templo hebræorum, & ſuper his Candelabris aureis impoſitæ erant lucernæ quæ ex oleo lucerent, non autem candelæ, ut fit temporibus noſtris?

14 Reſpondetur, proſcriptas fuiſſe candelas in hebraico Templo, quia earum materia, quæ cera eſt, deducitur ex melle apum; prohibuerat autem Dominus hebræis *Ne quidquam fermenti, aut mellis adoleretur in Sacrificio. Levitic.* 2. 11. Hujus prohibitionis plures myſticas cauſas recenſet Cornelius à Lapide *ibidem*, ſed una allegorica eſt, ut ſignificaretur in Sacrificio Crucis
15 Chriſti omne mel, ideſt omnis ſuavitas, & conſolatio deſutura: altera Tropologica, ut ſciremus à Sacris abeſſe debere mel, ideſt voluptates carnales; & intervenire pœnitentiam, juxta illud: *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus Pſal.* 50. 19. Igitur quia mel, & cera fraternizabant, & ex eodem fonte fluebant, cerei, ac candelæ ex cera non adhibebantur ad illuminandum Templum hebræorum, ſed earum vice lucernæ ex oleo, quod eſt Symbolum charitatis. Ita Epiſcopus Areſius *libr.* 5. *Impreſ.* 139. *num.* 1. In Eccleſia verò Catholica candelarum ex cera, cereorumque uſus ſemper fuit ob duas rationes, myſticam unam, moralem alteram. Ratio Myſtica eſt, quia cera, quam apes gignunt ſine commixtione, ſeu concubitu, denotat carnem Chriſti aſſumptam de Virgine MARIA ſine opera viri ex virtute Spiritus Sancti. Elychium autem candelæ vulgò il *pavèro* (de quo Ferrarius *de Orig. Linguæ* 16
*Italicæ Verb. Pavero*) intra ceram latens ſignificat animam ipſius CHRISTI in carne latentem. Ignis verò, ſeu flamma, quâ candela accenſa ardet innuit Divinitatem ipſius Verbi Incarnati; ſiquidem *Deus noſter Ignis conſumens eſt*. *Deut.* 4. 24. Ita pluribus DD. antiquis citatis Quartus *de Benedictionib. tit.* 2. *Sect.* 6. *Prælud.* 2. Cauſa Moralis eſt, ut Sacerdotes novi teſtamenti, quorum munus eſt Sacrificare, diſcant à candelis cereis, quæ, ut dictum eſt, elaboratæ ſunt à caſtis Apibus, ſervare ſe innoxios ab omni labe carnali; & ideò candelæ debent eſſe ex cera, & non de ſevo, ne aliquid carneum ſit in Sacerdote; ſed tanquam ceram habeat cor liqueſcens ad pietatem; & tanquam candelam ceream ardentem inclinatum ad charitatem; ut per bona opera, & exempla verificetur in illo, quod præcepit Dominus: *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Matth.* 5. 16. Ita Mendezius in *Bran Haymanot*, ſeu *In Luce fidei libr.* 11. *cap.* 2. *num.* 4. His addi poteſt, conferre ad majorem munditiam Altarium, quod lumina in eis ardentia ſint ex cera, non ex oleo, ob periculum effuſionis. Cereas candelas pro Divino Culto conſumi probavit Deus ſibi gratum eſſe miraculis multis, & prodigia plurima narrantur à Bagatta de cereis miraculosè ardentibus coram Sacris Imaginibus, ac Altaribus, eorumque laudes referuntur à Serlogo *tom.* 2. *in Cantic. Veſtig.* 13. *Expoſit. Didaſcalic. Sect.* 1. *num.* 24. Idem Bagatta *tom.* 2. *libr.* 5. *cap.* 2. §. 12. & 13.

Quo ad Quartum: Materia, ac Forma Acolythatus Ordinis, (cujus figuram geſſit Candelabrum aureum Moyſis, & alia, de quibus hucuſque locuti ſumus) duplex utraque eſt; ſiquidem duæ dantur res tangendæ Aco- 17
lytho,

Digitized by Google

lytho, dum ordinatur, nempè Candelabrum cum cereo; & Urceolus vacuus. *cap. Acolythus*. 23. *diſt.* quod eſt deſumptum ex Concilio Carthaginenſi IV. celebrato, ut ſæpè dictum eſt, Anno 398. & *cap. Perlectis*. 25. *diſt.* in quo ſic legitur: *Ad Acolythum pertinet præparatio luminariorum in Sacrario: ipſe cereum portat: ipſe ſuggeſta pro Euchariſtia, Calices Subdiaconis præparat*. Forma pariter eſt duplex: una conſiſtit in Verbis, quæ profert Epiſcopus, dum dat Candelabrum cum cereo eidem Acolytho tangendum, nempè: *Accipe Ceroferarium cum cereo, ut ſcias te ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipari in Nomine Domini*. Altera, cum eidem exhibet Urceolum, videlicèt in illis verbis: *Accipe urceolos ad ſuggerendum vinum, & aquam in Euchariſtiam Sanguinis Chriſti in Nomine Domini*. Et eſt mirabile, ac notatu dignum, quod in ſeptemdecim Ritualibus vetuſtiſſimis, quos ponit Morinus *de Sacr. Ordin. d. part.* 2. *à pag.* 210. & *ſeqq.* incipiendo à prædicto Concilio Carthaginenſi IV. de Anno 398. & proſequendo per ſubſequentia ſæcula uſque ad Pontificale Romanum ſub Gregorio XIII. de Anno 1575. ſemper leguntur eædem materiæ, & eadem formarum verba; etſi prædicti Ritualis libri extracti ſint ex variis Epiſcopatibus, Monaſteriis, & Eccleſiis Cathedralibus Eccleſiæ Occidentalis. De iiſdem materiis, & formis teſtantur Theologi de Ordine Acolythatus ſcribentes, inter quos Brognolus *in Specul. Cleric. tract.* 16. *cap.* 7. *reſol.* 1. Salmanticenſes *de Sacr. Ord. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 16. & alii plurimi, quos allegat Barboſa *de Jure Eccleſ. Univ. lib.* 1. *cap.* 38. *num.* 9. & 10. quibus adde Eminentiſs. Card. de Lauræa *diſp.* 5. *de Sacr. Ord. art.* 5. per totum.

Hìc autem ab iiſdem Doctoribus duo excitantur dubia. Unum eſt, an utra-
18 que Materia ſit de eſſentia hujus Ordinis, vel una tantùm? Nonnulli arbitrati ſunt, ſolam Candelabri cum Cereo traditionem eſſe materiam hujus Ordinis neceſſariam, & ideò Acolythos vocari Ceroferarios ab officio deferendi in Miſſa Candelabrum ipſum. Ita S. Bonaventura *in* 4. *diſt.* 24. *part.* 2. *dub.* 5. & Angelus *in Summa Verb. Ordo*. Alii verò volunt traditionem Urceoli eſſe eſſentialem materiam. Ita Durandus *in ead. diſt.* 24. & Sanchez *in conſil. Moral. lib.* 7. *cap.* 1. *dub.* 12. *num.* 8. Porrò Divus Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 2. docet utramque materiam, & formam eſſe de eſſentia hujus Ordinis; & ita tenent Marchinus *tract.* 2. *p.* 5. *cap.* 2. Averſa *ſect.* 4. & alii, quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *d. cap.* 3. *num.* 17. Alterum dubium eſt, in cujus rei traditione imprimatur character hujus Ordinis in anima Acolythi? Et communis Theologorum, & Canoniſtarum reſponſio eſt, quod imprimatur, cum traduntur Urceoli, ea ratione quia, quando aliquis Ordo duplicem habet materiam, & formam; character im- 19
primitur in traditione illius materiæ, quæ principalior eſt, & immediatiùs Euchariſtiæ deſervit. Sed talis eſt traditio Urceoli. Ita S. Thomas, Bonacina, & Sanchez apud Salmanticenſes *d. num.* 17. in fine; quibus adhæret Fagnanus *in cap. Cum veniſſet. num.* 63. *de Sacr. Unct. tom.* 2.

Quo ad ultimum: Duo ſunt officia præcipua Acolythorum; videlicèt deferendi Ceroferalia cum candelis accen- 20
ſis in Miſſa, & quando cantatur Evangelium; nec non ſuggerendi Subdiacono urceolos cum vino, & aqua; ut ipſe cum Diacono illud, & illam infundant in Calicem pro conſecrando Sanguine Chriſti in Sacrificio. *cap. Cleros*. §. *fin.* 21. *diſt. cap. Acolythus* 23. *diſt. cap. Perlectis*. 25. *diſt.* Gonzalez *in Comment. ad cap. Officium. num.* 3. *De Offic. Archid. tom.* 1. Fornarius *de Ordine cap.* 7. *num.* 5. Gobatus *eod. tract.* 8. *num.* 70. Salmanticenſes *d. cap.* 3. *num.* 16. & ex Juriſtis Petr. Gregor. Tholoſanus *in Syntagm. Jur. lib.* 16. *cap.* 6. ubi ait, Acolythos deferre lumina non quidem ad effugandas tenebras, ſed ut lumine materiali ſignificent lumen illud æternum, qui venit in hunc mundum, ut teſtimonium 21
perhi-

perhiberet de lumine ; & illuminaret omnem hominem. Ex Scholaſticis autem, & Canoniſtis ſimul, Emin. Card. de Lauræa *in Epitome Canonum Verb. Acolythus*, ubi ulteriùs advertit, Acolythum portare lumen in Eccleſia in ſignum lætitiæ. Hæc duo ſunt verè, & propriè officia Acolythorum ; verùm quia pro eorum perfecto exercitio plura ſunt obſervanda, quæ notantur à Magiſtris Cæremoniarum infra citandis, ideò placuit ſequentes obſervationes tranſcribere, è quarum lectione qui ordinati fuerint Acolythi diſcant benè, ac laudabiliter officium ſuum in Eccleſia exercere.

I. Acolythi, ſeu Ceroferarii ſervientes in Miſſa, ſeu Veſperis ſint pares
22 ſtatura, quantùm fieri poteſt, ut æqualia in motu ſint Candelabra. II. In deferendis Candelabris hanc ſervent regulam, ut qui eſt à dextris teneat ſiniſtrà pedem, dexterà verò nodum medium Candelabri : qui verò eſt à ſiniſtris, dexterà teneat pedem ; ſiniſtrà autem nodum medium Candelabri. III. Acolythi, dum celebrans cum Diacono, & Subdiacono ſedet, regulariter ſtare debent apud credentiam : ſi tamen eſſet conſuetudo, quod ſederent; tunc ſedeant ſuper infimum gradum Altaris ad latus Epiſtolæ verſa facie ad celebrantem. Vel poterunt ſedere in aliquo humiliori ſcamno nudo apud credentiam ad hoc præparato. Ad Epiſtolam verò, & Graduale nequaquam ſedent, etiamſi celebrans ſederet. IV. In Veſperis Acolythi portant Candelabra cum candelis accenſis, præcedentes Sacerdotem, Diaconum, ac Subdiaconum, dum hi exeunt de Sacriſtia, & vadunt ad Altare ; ubi cum pervenerint, facta genuflexione Altari, Candelabra deponunt ſuper angulos poſteriores credentiæ. V. Ante capitulum ſumunt Candelabra, & cum eis accedunt ad ſedem celebrantis, facta debita reverentia Altari, ac ipſi celebranti, coram quo ſtant, donec legat capitulum. VI. Finito *Magnificat*, accipiunt iterum Candelabra, & cum illis ad ſedem celebrantis vadunt, & finita oratione, vel orationibus comitantur Diaconum, & Subdiaconum ad gradus Altaris cantaturos *Benedicamus Domino*, & recitata per celebrantem ultima oratione poſt *Salve Regina*, vel aliam Antiphonam Deiparæ pro tempore, eodem Ordine, quo venerant, revertuntur ante celebrantem, & miniſtros in Sacriſtiam. VII. In Miſſa ſolemni, dum celebrans facit confeſſionem, Acolythi, ( depoſitis priùs candelabris ſuper credentia, ut dictum eſt ; ) genuflectunt & ipſi apud credentiam : confeſſione finita, ſurgunt, & ſtant apud eamdem. Dum cantatur *Gloria*, vel ſtant, vel ſedente celebrante, & ipſi ſedent, ut ſupra dictum eſt; ſed priùs elevent aliquantulum planetam, & dalmaticas celebrantium à retro ubi ſunt ſeſſuri. VIII. Præparet Acolythus Miſſale porrigendum Subdiacono cantaturo Epiſtolam ; & ab eodem illud recipiat, ea finita, & poſt oſculatam manum celebrantis. Dabit poſtea idem Miſſale Diacono, qui ipſum poſiturus eſt ſuper Altare, donec celebrans ponat incenſum in Thuribulo, & det eidem Diacono benedictionem. IX. Ad Evangelium ſtent Acolythi unus ad dexteram, & alter ad ſiniſtram Subdiaconi tenentis Miſſale, donec Diaconus cantat Evangelium, cum Candelabris, & candelis accenſis, in æquali altitudine; & finito Evangelio, ea deferunt ad credentiam, cum genu reverentiam facientes in medio Altaris ante gradus, dum tranſeunt, in tanta diſtantia, ut Diaconum incenſantem Sacerdotem, non impediant. X. Dum cantatur Symbolum, vel ſtent, vel ſedeant Acolythi, ut dictum eſt, ſed genuflectant, dum cantatur verſus. *Et Incarnatus eſt ;* & eo finito, habeant paratam burſam cum corporali exhibendam Diacono, ut illud explicet in medio Menſæ. XI. Completo Symbolo ponant velum longum in humeros Subdiaconi, (ab eodem illud ablaturi ad finem *Pater noſter*) & dent ei Calicem cum Patena, & Hoſtia deferendum in Altare; deindè iidem Acolythi dent mi-

niſtris

niſtris paratis ampullas cum vino, & aqua, ut illud, & illam fundant in Calice, & ab iiſdem illas recipiant deferendas ad credentiam: & notent ipſi Acolythi, quod neque oſculari debent ampullas, neque manum Subdiaconi, aut Diaconi; ſiquidem res, & manus oſculatur ſolummodò, quando celebranti porrigitur ex Gavanto *tom.* 1. *part.* 2. *tit.*7. *num.*9. & ex Biſſo *Verb. Acolythi num.* 103. XII. Completa incenſatione oblatorum, & cum ipſe celebrans fuerit à Diacono incenſatus, duo Acolythi debent miniſtrare aquam eidem celebranti ad lavandas manus; unus ſcilicet eam infundendo; alter verò mappulam ad abſtergendos digitos celebranti, cum debita reverentia, porrigendo; caveantque ne aquam pelviculæ in pavimento penes Altare proiiciant, nam vel in aliquo catino, vel alio loco honeſto eſt proiicienda. XIII. Intorticia accenſa deferant Acolythi ad elevationem; genuflectentes utroque genu vel ante infimum gradum Altaris cum debita diſtantia; vel duo in cornu Evangelii, duo autem in cornu Epiſtolæ facie ad invicem verſa. Si intorticia magna ſunt valdè, ea tenent recta adhærentia pavimento: Si valdè magna non ſunt, dum elevatur Hoſtia, & Calix, & ipſi eadem aliquatenus elevant. Completa elevatione Calicis, ſurgunt, & deferunt intorticia in Sacriſtiam, niſi Miſſa eſſet pro Defunctis, vel niſi facienda eſſet communio Cleri, vel populi poſt Communionem Sacerdotis; tunc enim ſtare debent ſic genuflexi cum intorticiis, donec finita ſit Communio. XIV. Ad Communionem celebrantis Acolythus iterum deferat ampullas cum vino, & aqua ad Altare, eas porrigens Subdiacono pro purificatione Sacerdotis, & exindè eas deferat ad credentiam, nulla facta genuflexione, ſed tantùm debita cum reverentia. XV. Dum celebrans daturus eſt benedictionem, Acolythi genuflectunt apud credentiam, & eam devotè recipiunt, deindè ſurgunt, & ſumunt de credentia candelabra cum candelis accenſis, & procedunt ad Altare, atque ante infimum illius gradum ſe locant, hinc indè omnium poſtremi; & cum celebrans finierit Evangelium, facta genuflexione redeunt ad Sacriſtiam, ordine quo venerant, ſcilicet præcedentes Celebrantem, Diaconum, & Subdiaconum, ac alios Miniſtros paratos. Hæc pauca ſcripſiſſe ſufficiat, pro aliqua inſtructione Acolythorum in eorum miniſterio; qui multò plura ſcitu neceſſaria reperient apud Gavantum *in Rubric. Miſſal. tom.*1. *part.* 2. Michaelem Bauldry *in Manuali Sacr. Cærem. part.*1. *cap.*14. Andræam Caſtaldum *in Praxi Cæremon. lib.*2. *ſect.* 3. *cap.* 8. *&* *ſect.* 5. *per totam*, in qua agit de Acolythis ſervientibus Epiſcopo celebranti. Et apud P. D. Bernardum Biſſum Monachum Congregationis Caſſinenſis S. Benedicti, in recenti eruditiſſima ſua Hierurgia, Rei ſcilicet Divinæ peractione, *in Verb. Acolythi*, *& in V. Ceroferarii;* ubi cumulat, quæ ad hujus Acolythatus Ordinis officium ſpectant.

Duo Corollaria nec omittenda, nec
ignoranda veniunt. Unum eſt, an Aco-
lythi, qui officium ſuum ſolemniter
exercent, vel in Veſperis, vel in ſolem- 23
ni Miſſa, ut ſupra notatum eſt, ſed re-
periuntur culpa mortali gravati, peccent
mortaliter? Negativè reſpondet Cabre-
ra, quem citat & approbat Diana
Coordinatus *tom.*2. *tract.*5. *reſol.* 119. de-
ſumpta ex Veteri ejus opere *part.*3. *tract.*
4. *reſol.* 95. ex ea minùs pia opinione,
quæ nulli ſapientiorum tùm Theologo-
rum, tùm Canoniſtarum arridet, quod
minores Ordines non ſint Sacramenta;
contra quam & DD. & auctoritates col-
legimus ſupra *in Deciſ. VI. à num.* 25. *&*
*ſeqq.* Item ex eo quod admittendo Aco-
lythatum eſſe Sacramentum, adhuc
ejus miniſterium, & officium non vi-
detur perfectum in genere myſterii ſacri,
& reputari poteſt levis materia. Ratio
evidenter inſulſa; ſcriptum eſt enim,
*Mundamini, qui fertis Vaſa Domini. Iſa.*
52. 11. *& Ambulans in via immaculata*
*hic mihi miniſtrabat.* *Pſal.* 100. 6. Qua-
propter hujuſmodi Acolythum mini-
ſtrantem in peccato mortali mortaliter
pecca-

peccare reſponderunt ex Scholaſticis Faber *de Sacram. Ord. in 4. Sent. diſt. 24. q. 1. diſp. 1. cap. 3. num.* 80. qui citat Angelum, & Sylveſtrum; & ex Canoniſtis Navarrus *in Manuali cap. 27. num. 163.* & fuſiùs *de Horis Canonicis cap. 7. num. 41.* quorum doctrinam nemo timoratæ conſcientiæ deſpiciet, eſt enim magna Dei injuria, ut miniſter ingrediatur Sanctuarium, & ſe approximet Altari, etſi immediatè in eo non miniſtret, cum ſit inimicus Deo, animam habens mortali culpa fœdatam. Utique cuicunque Clerico inſervienti in Eccleſia ex officio debet eſſe cordi monitio illa: *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine. Pſal. 25. 6.*

Secundum Corollarium eſt; quod tùm Acolythatus, tùm alii tres minores Ordines conferri poſſunt tàm in Miſſa,
24 quàm extra Miſſam, dummodò tamen conferantur de mane, ut expreſſum habetur in Pontificali Romano ſub *Rubric. de Collat. Ord. Minor.* & notat Biſſus *in cit. Verb. Acolythi num.* 119. §. 3. ubi advertit, quod ſi quatuor minores Ordines conferantur in Miſſa habente ſeptem lectiones, ſeu Epiſtolas, Oſtiariatus conferendus eſt poſt primam Epiſtolam, Lectoratus poſt ſecundam, Exorciſtatus poſt tertiam, & Acolythatus poſt quartam. Quod ſi Miſſa unicam tantùm habeat Epiſtolam, omnes prædicti minores Ordines, & eorum ſinguli dandi ſunt poſt recitationem *Kyrie eleiſon.*

## DECISIO XXI.

### *ARGUMENTUM.*

Nominis Subdiaconi ſignificatione expoſita, tria de Ordine Subdiaconatus probantur. I. Ejus exiſtentia in primitiva Eccleſia. II. Ejus inſtitutio facta à Chriſto Domino, ob quam eſt Sacramentum. III. Ejuſdem Ordinis Subdiaconatus denominatio, & reputatio inter majores, & Sacros ob tres præcipuas cauſas. Varia objecta proponuntur, ac evacuantur circa prædictam denominationem; & quid de Subdiaconatu Græci ſentiant, demonſtratur.

### SUMMARIUM.

1 *Ordines alii majores, & ſacri; alii minores, & non ſacri.*
2 *Ratio hujus diviſionis.*
3 *Subdiaconi Vox quid denotet, & undè ſumpta?*
4 *Nathinæi in lege Moſayca figurabant Subdiaconos.*
5 *Subdiaconi inſtituti à Chriſto Domino.*
6 *Apoſtolorum Canones an ſint indubiæ Auctoritatis?*
7 *S. Clemens Papa nominat Subdiaconos.*
8 *Item S. Ignatius Martyr.*
9 *Et S. Fabianus Papa, & Martyr.*
10 *Item S. Cornelius, & S. Cajus Romani Pontifices.*
11 *Et S. Sylveſter Papa.*
12 *Ac Concilium Carthaginenſe IV.*
13 *Nec non Leges Imperatorum.*
14 *S. Auguſtinus, S. Gregorius Magnus, & alii Pontifices.*
15 *Caballutii concluſio de ſeptem Ordinibus.*
16 *Myſteria Fidei fundantur in Scriptura Sacra, & in Traditione Apoſtolica.*
17 *Subdiaconatus Ordinem eſſe Sacramentum, probatur ex Conc Florentino, & Tridentino.* & num. 18.
19 *Determinatio una reſpiciens plura, ea æquè terminat.*
20 *Subdiaconatum non eſſe inſtitutum à Chriſto, propoſitio eſt de hæreſi ſuſpecta.*
21 *Conciliorum generalium Auctoritas eadem cum Evangelio.*
22 *Sapientiam CHRISTI offendit, qui negat, omnes Ordines non eſſe ab eo inſtitutos.*
23 *Ordinum multitudo in Eccleſia ob tria. Et quæ?*

24 *Eucha-*

24 *Eucbariſtiæ ob obſequium ſeptem Ordines à Chriſto inſtituti.*
25 *Chriſtus quæ ſit locutus Apoſtolis per dies* 40. *poſt Reſurrectionem?*
26 *Ordo dicitur Sacer dupliciter.*
27 *Continentiæ lex ſemper fuit annexa Subdiaconatui.*
28 Cap. A multis. De Ætate, & Qual. *declaratum.*
29 *Subdiaconatus quando inter majores Ordines collocatus?*
30 *Chorepiſcopi an ordinarent Subdiaconos?*
31 *Sacraria duo apud antiquos? Et quæ?*
32 *Vaſa ſacra an Subdiaconi tangere poſſint?*
33 *Græcorum cæremoniæ in deferendapane, & vino ad Altare in Miſſa.*
34 *Græci vocant Subdiaconatum Ordinem minorem.*

PRincipalis eſt diviſio Ordinum apud Canoniſtas, & Theologos, quod alii ſunt Minores, & non ſacri; alii
1 verò Majores, & ſacri. *cap. Nemo.* 32. *diſt. cap. Miramur. De Servis non ordin. cap.* 1. *De Filiis Presbyt. in* 6. in quibus *text.* expreſſa mentio fit prædictæ duplicis denominationis, quam repetit etiam Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 23. *de Refor. cap.* 5. 6. & 8. Hæc autem diviſio, & diverſa denominatio non procedit ex eo, quod aſſerere voluerunt nonnulli Theologi, (moti auctoritate Gratiani *in princ. diſt.* 21.) minores Ordines non eſſe à Chriſto Domino inſtitutos, ſed ab Eccleſia; ſiquidem hæc aſſertio fuit rejecta, & profligata ſupra *Deciſ. VI.* in opinione quarta; ſed quia majores Ordines, qui ſunt Subdiacona-
2 tus, Diaconatus, & Presbyteratus, ſpecialiori ratione reddunt homines ſacratos, cum eos admittant ad pertractanda majora miniſteria, & ad ea, quæ ſacratiora ſunt, pertingenda, ut benè notat Gonzalez *in Comment. cap. A multis.* 9. *De ætate, & qualit. num.* 3. omnes enim Ordines, attenta eorum inſtitutione, ſacri dici poſſunt, & perſonam ſacrant, cui conferuntur, ut legitur *in cap.* 1. *diſt.* 77. Igitur cum hucuſque egerimus de Ordinibus minoribus, & non ſacris; & principaliores quæſtiones, ad eos attinentes, fuerint explicatæ, tranſeundum eſt ad exponendos Ordines majores, & ſacros, inter quos primum locum in aſcendendo obtinet Subdiaconatus; & ideò de eo videbimus tria.

1. Quando inceperit Ordo Subdiaconatus?
2. An Subdiaconatus Ordo ſit Sacramentum?
3. Quando cœperit vocari Ordo Sacer, & inter majores reputari?

Quo ad Primum. Subdiaconi Latinè, Græcè vocantur Hypodiaconi; idest ſubjecti, & miniſtri Diaconorum, iiſdem enim ſubjacent, & oblationes à fidelibus datas Diaconis deferunt, ut eas Altaribus ſuperponant. Magrius *in Verb.* 3
*Subdiaconus. col.* 2. & hæc vox deſumpta eſt à vocabulo græco *Hypobole*, quod ſignificat *Subjectionem*, ut notat Laurentius in *Amalthea Onomaſt. Verb. Hypobole.* & Magrius ubi ſupra; ſubdens, hunc Subdiaconatus Ordinem inſtitutum eſſe in Eccleſia Catholica loco Na- 4
thinæorum Legis Moſaycæ, quorum officium erat deſervire Levitis, & ad eoſdem deferre Ligna, & Aquam pro uſu Sacrificiorum; ut demonſtravi in meis Deciſionibus de Sacrificio Miſſæ *Deciſ. XXIV. à num.* 22. *& ſeqq.* ubi ex Joſepho *lib.* 5. *Antiquit. cap.* 1. & 2. & ex Torniello *ad Annum M.* 2545. ac ex Saliano *ad Annum M.* 2584. eorumdem Nathinæorum hiſtoriam narravi. Idem docet Biſſus in Hierurgia *Verb. Subdiaconus num* 194. oſtendens Nathanaelem, de quo *Jo.* 1. fuiſſe Nathinæum. Ipſi autem Nathinæi non abſque fundamento figurarunt Subdiaconatus Ordinem, qui tertium locum tenet in Altari, ſiquidem. Nathinæi tertio Ordine ponuntur in Scriptura Sacra, ut legitur 1. *Paralipom.* 9. 2. ibi: *Et Sacerdotes, & Levitæ, & Nathinæi.* Et repetitur 2. *Eſdr.* 11. 3. Hujuſmodi autem Subdiaconatus Ordo cœpit à primis Eccleſiæ incunabulis, tanquam à Chriſto Domi- 5
no inſtitutus, ut ex ſequentibus probationi-

Y

tionibus, & teſtimoniis, ſit manifeſtum.

Primò ex Canonibus Apoſtolorum, ex quorum juſſu, & mandato cenſentur pro bono regimine Clericorum conſcripti: in eis enim ita legitur *in Can.* 41. & 42. quos Gratianus retulit in *cap. Epiſcopus*. 35. *diſt. Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus aleæ, atque ebrietatis deſerviens, aut deſinat, aut certè damnetur. Subdiaconus, aut Lector, aut Cantor ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur*. Exiſtebat igitur Subdiaconatus Ordo Apoſtolorum tempore; de quo, ut ſupra, mentio expreſſa habetur. Scio, Cabaſſutium *in Notitia Eccleſiaſtica Sæcul.* I. *pag.* 8. dubiam reddere auctoritatem, & fidem horum
6 Apoſtolicorum Canonum, ſed ipſemet ſubdit, primos quinquaginta haberi legitimos, etſi reliqui, ut plurimum, reputentur apocryphi, ideòque ibidem illos tranſcribit. Idem advertit Emin. Card. Bellarminus *de Scriptorib. Eccl. in tit. de S. Clemente Romano Ann.* 92. ſed ibidem *Verſ. At contra:* ita loquitur: *Sed hæc conciliari poſſunt, ſi dicamus, Canones legitimos eſſe ſolùm quinquaginta priores: reliquos non eſſe legitimos, quamvis à Græcis recipiantur*. Idem exprimitur *in cap. Clementis librum*. 16. *diſt.* teſtaturque Turrianus *libr.* 1. *pro Epiſt. Decretal. cap.* 15. Hincmarum ſcripſiſſe, Canones Apoſtolorum, ab Eccleſia nobis traditos, eſſe ſolùm quinquaginta; de quibus etiam meminit Tertullianus in *libr. adverſ. Praxeam*. S. Athanaſius in Synopſi, & S. Jo. Damaſcenus *de Fide Orthodoxa lib.* 4. *cap.* 18. ideò debet reputari legitimus, & agiographus præcitatus *Canon.* 42. nominans Ordinem Subdiaconatus.

Secundò probatur exiſtentia Ordinis Subdiaconatus ab initio Eccleſiæ ex libris Conſtitutionum Apoſtolicarum, ſcriptis à S. Clemente Papa, qui fuit Divi Petri diſcipulus; ipſe enim in *libr.* 8.
7 *cap.* 11. recenſet eumdem Subdiaconatus Ordinem ſequentibus verbis: *Diaconi ſtent ad januas, quibus viri in Templum ingrediuntur: & Hypodiaconi ad januas, quibus mulieres, ne quis egrediatur, nevè aperiatur janua tempore oblationis, quamvis ſit aliquis fidelis. Unus autem Hypodiaconus miniſtret aquam Sacerdotibus ad lavandum manus &c.* S. Clementem fuiſſe diſcipulum Principis Apoſtolorum, & ab eo edoctum quæcunque gubernium Eccleſiaſticæ Hierarchiæ concernebant, nemo eſt, qui audeat negare; fuit enim ab ipſo ordinatus Sacerdos Anno Domini LVII. ut ad eumdem Annum Emin. Cardin. Baronius affirmat; & quantæ auctoritatis ſint, & ſemper fuerint prædictæ Apoſtolicæ Conſtitutiones] per S. Clementem conſcriptæ, pluribus argumentis, & teſtimoniis probat Franciſcus Turrianus in Proœmio ad illas; itaut nefas ſit dubitare de veritate ſupradictorum verborum, in quibus Subdiaconi nominantur; quorum officium inter cætera tunc erat, cuſtodire januas Templi, nempè Sacrarii, ſeu Sanctuarii, ut infra oſtendemus *Deciſ. XXIV.*

Tertiò: Eadem exiſtentia probatur ex teſtimonio Sancti Ignatii Martyris Epiſcopi Antiocheni, qui ſedere cœpit in ea Cathedra poſt S. Petrum, & poſt 8
S. Evodium Anno Domini LXXI. Ipſe enim in Epiſtola ad Antiochenos, (quæ in Bibliotheca Patrum eſt duodecima) ita concludit: *Saluto Sanctum Presbyterorum Collegium: Saluto Sacros Diaconos: Saluto Hypodiaconos, Lectores, Cantores, Janitores, Laborantes, Exorciſtas &c.* Utique non ſalutaſſet *Hypodiaconos*, niſi hi eo tempore fuiſſent in ea Eccleſia ordinati: & quoniam prædicta Eccleſia fundata fuerat à Divo Petro Apoſtolorum Principe, & ipſe illam rexerat ſeptem continuos annos, ut diſſerit Emin. Card. Baronius *ad Annum* 39. *num.* 8. manifeſtum eſt ab eodem Apoſtolo omnes gradus Ordinum fuiſſe in uſu poſitos, ſicut à Chriſto Domino didicerat, & ſibi fuerat injunctum; & in eadem Eccleſia Antiochena alios Clericos promoviſſe ad minores Ordines, alios ad majores; ſicque inter cæteros ordinaſſe etiam Subdiaconos; quarum ordinationum exemplum ſequuti S. Evodius,

Digitized by Google

dius, & S. Ignatius diſcipuli ipſius Divi Petri, & in eadem Cathedra Antiochena Succeſſores, continuarunt promotionem Clericorum ad omnes gradus Ordinum; ac proindè ad Ordinem Subdiaconatus.

Quartò: Ex Epiſtola prima Sancti Fabiani Papæ, & Martyris, qui Apoſtolicam Sedem aſcendit *Anno* 238. in
9 ea enim ita ſcribit: *Septem ergo Diaconos in Urbe Roma per ſeptem regiones Civitatis, ſicut à Patribus accepimus, habemus: qui per ſingulas hebdomadas, & Dominicos dies, atque feſtivitatum ſolemnia, cum Subdiaconibus, & Acolythis, ac ſequacium Ordinum miniſtris, injuncta ſibi obſervant miniſteria, & parati omni hora ſunt ad Divinum Officium, & quidquid eis injungitur, peragendum.* Exiſtebant ergo Subdiaconi unà cum aliis ordinatis tùm in majoribus, tùm in minoribus, in illo tempore; & ut ait S. Fabianus, *ſicut à Patribus accepimus*, ideſt non ex noſtra inventione, ſeu inſtitutione; ſed juxta obſervantiam, & praxim prædeceſſorum Romanorum Pontificum, ac Ipſius Petri diſcipulorum.

Quintò: Ex alia Epiſtola S. Cornelii Papæ, qui ſucceſſit in Apoſtolicam Sedem eidem Divo Fabiano *Anno* 254. ſcribens enim Pontifex iſte ad Fabium
10 Antiochenum in ea ita loquitur. *In hac Eccleſia Catholica non ignorabat* (Novatianus Antipapa, & hæreticus) *Presbyteros eſſe quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadragintaduos, Exorciſtas, & Lectores, unà cum Oſtiariis quinquaginta duos.* Concordat S. Cajus factus Papa *Anno* 283, qui in *Epiſt. ad Felicem* nominat omnes ſeptem gradus Ordinum, & eadem habetur in *cap. 1. diſt. 77.* De eodem S. Cajo narrat Bollandus *tom. 2. die 2. Januar.* quod ordinavit Marcum, & Marcellianum Diaconum, Tranquillinum eorum patrem Presbyterum, & alios plures Subdiaconos. Itaque exiſtebant Subdiaconi ſimul cum aliis majoribus, & minoribus Ordinum gradibus tempore horum Pontificum.

Sextò: Ex Concilio Romano habito per S. Sylveſtrum Papam Primum, tempore Conſtantini Imperatoris, Anno ſcilicet *Domini* 325. in quo per plures Canones multa habentur ſpectantia ad om- 11
nes gradus Ordinum, & in ſpecie ad Subdiaconos.

Septimò: Ex Concilio Carthaginenſi IV. relato in *cap. Subdiaconus. 23. diſt.* in quo *Can.* 5. ita fuit ſtatutum: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de manu* 12
*Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum: de manu verò Archidiaconi accipiat urceolum cum aqua, manile, & manutergium.* Fuit autem celebratum prædictum Concilium, ut ſæpè jam dictum fuit, *Anno* 398.

Octavò: Ex Legibus Civilibus Imperatorum Valentis, Valentiniani, & Gratiani, qui eodem ſæculo, & parùm ante tempus Concilii Carthaginenſis IV. prædicti principabantur; ſiquidem 13
*in l. Presbyteros 6. C. De Epiſc. & Cleric.* ab iiſdem promulgata pro immunitate perſonalium onerum, omnibus Clericorum gradibus tributa, nominantur tàm majores, quàm minores Ordines; & diſertè dicitur eamdem immunitatem competere *Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Exorciſtis, Lectoribus, Oſtiariis, & Acolythis.* Ergo Subdiaconi tunc exiſtebant.

Nonò: Ex ſcriptis SS. Auguſtini, & Gregorii Magni, qui frequenter loquuntur de Subdiaconis; & referuntur *in cap. Nullum. diſt. 28. cap. Subdiaconis. 32. diſt. & cap. Subdiaconus. 24. q. 1.* prout etiam ante hæc tempora ex Epiſtolis 14
S. Leonis, Innocentii II. & Urbani II. Summorum Pontificum *in cap. Decernimus. cap. Eos, qui. & cap. Omnium. 32. diſt.* adeòut per integra quinque ſæcula habeantur probationes concludentes omnium ſeptem graduum Ordinum; & de iiſdem ſubſequentibus ſæculis creverint SS. Patrum teſtimonia; inter quæ illud S. Iſidori Epiſcopi Hiſpalenſis, qui migravit in cœlum *Anno* 636. & inter alia ſua opera, quæ ſcripta reliquit, in Epiſtola ad Ludifredum *De Epiſcopi, &*

*aliorum Clericorum in Eccleſia officio* egit de miniſterio omnium graduum Ordinum, inter quos de Subdiaconatu; ut videre eſt *in cap. Perlectis*. 25. *diſt.* quod eſt deſumptum ex prædicta Epiſtola.

Decimò: His attentis optima eſt concluſio Joannis Cabaſſutii *in Notitia Ec-*
15 *cleſiaſtica Sæcul.*2. *Diſſert.*9. *nu.*1. his verbis expreſſa: *Septenarium Ordinum Eccleſiaſticorum numerum penes Latinas Eccleſias jam indè à primis ſæculis invaluiſſe planè compertum eſt: Presbyterorum ſcilicèt, ſub quibus Epiſcopi comprebenduntur, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorciſtarum, Lectorum, & Oſtiariorum: hos enim cunctos recenſet Clemens Papa diſcipulus Petri Epiſt.*2. *ad Jacobum fratrem Domini: & Cornelius Pontifex in Epiſt. ad Fabium Antiochenum, apud Euſebium libr.* 6. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 42. *Item Cajus Pontifex in Epiſt. ad Felicem; cujus etiam meminit Damaſus Papa. Concilium etiam ſub Sylveſtro Can.* 3. *Item Laodicenum Can.*24. *& Carthaginenſe IV. Can.*3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. *cui ſubſcribit Auguſtinus Hipponenſis Epiſcopus, atque (ut mediorum temporum teſtificationes ſileam) noviſſimè Concilium Tridentinum ſeſſ.*23. *de Sacram. Ord. cap.*2.

Sed obiiciet aliquis: De Subdiaconatu nulla habetur mentio in Scriptura ſacra. Ergo Subdiaconatus non fuit ab initio Eccleſiæ. Reſpondetur, falſam
16 eſſe conſequentiam. Ratio eſt, quia myſteria fidei non fundantur ſolummodò in Scriptura Sacra; ſed etiam in Apoſtolica traditione, & Eccleſiæ Catholicæ declaratione. *cap. Catholica*. 11. *diſt.* Idcircò etſi in Scriptura Sacra non habeatur expreſſa mentio Subdiaconatus, aliorumve minorum Ordinum, de iis tamen mentionem fecerunt Apoſtolorum diſcipuli, ut S. Ignatius Martyr, S. Clemens Papa; & alii, quibus ab Apoſtolis traditum fuit, inſtitutos fuiſſe à Chriſto Domino omnes ſeptem Ordines; eoſque omnes fuiſſe collatos ab Apoſtolis ipſis, & eſſe pro tempore in Eccleſia conferendos pro complemento, & ornamento Eccleſiaſticæ Hierarchiæ; cujus traditionis vigore omnes Epiſcopi in primitiva Eccleſia eoſdem ſeptem Ordines ſuis Clericis contulerunt; & in ipſorum collatione in tota Eccleſia ſemper fuit continuatum. Ita Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp.* 6. *num.* 11. & 12. Et concordat Tirinus *in Indice Controverſ. Fidei controv.* 2. *num.* 18. ubi de auctoritate Verbi non ſcripti, Traditionum ſcilicet Apoſtolicarum, nervosè agit; & in *Comment. ad* 1. *Cor.* 16. 2. ex Traditione Apoſtolica oſtendit, fideles cœpiſſe in primitiva Eccleſia ſervare diem Dominicam feſtivam loco Sabbati; & ſubdit ex prædicto exemplo: *Undè optimè conſequitur, non omnia ſcripta eſſe, quæ ſervari juſſerunt Apoſtoli; ſed quædam viva voce tradita; quæ jam Traditiones Apoſtolicæ vocantur; & æqualis ſunt auctoritatis cum ſcriptis legibus Apoſtolorum, ut fusè demonſtrat Bellarminus de Verbo Dei non ſcripto.* Legatur de hac re S. Dionyſius Areopagita *de Eccleſ. Hierarch. cap.* 1. ubi reddit rationem, cur non fuerint ſcripta omnia concernentia Ordines ſacros ab Apoſtolorum diſcipulis; ſed contenti fuerint, ea per Traditionem ſcire, & docere; & illum refert Catumſtyritus Italogræcus in Tractatu *De Vera Utriuſq. Eccleſ. Sacram. concord. pag.* 15. *num.* 2. Idem nos etiam probavimus ſupra *Deciſ. II. à numer.* 7. *& ſeqq.*

Quo ad Secundum. Affirmandum venit, Subdiaconatus Ordinem eſſe Sacramentum, juxta ea, quæ latè adduximus *in Deciſ. VI.* quibus inhærendo, probatur hæc aſſertio etiam ſequentibus argumentis. *Primò*: Omnia Sacramen- 17
ta ſunt à Chriſto Domino inſtituta, ut definitum eſt à Concilio Florentino *in Decreto Eugenii*, & à Tridentino *ſeſſ.* 7. *de Sacramentis can.* 1. ubi anathema infligitur, *Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuiſſe omnia à JESU CHRISTO Domino noſtro inſtituta*. Sed idem Concilium Florentinum in eodem Decreto, loquens de Sacramento Ordinis, ait, illam ordinationem eſſe Sacramentum, quæ fit per traditionem materiæ cum debita forma: & poſt nomina-

Digitized by Google

minationem materiæ, & formæ Preſbyteratus, & Diaconatus, oſtendit materiam, & formam Subdiaconatus, dicens *eam dari per Calicis vacui cum patena ſuperpoſita traditionem*. Igitur, ſi omne Sacramentum eſt à Chriſto inſtitutum, & illud eſt Ordinis Sacramentum, quod fit per traditionem materiæ cum forma; & ipſe Subdiaconatus confertur in traditione Calicis vacui cum patena ſuperpoſita ex definitione ejuſdem Florentini Concilii; ſequitur per neceſſe, quod Subdiaconatus ſit Sacramentum Ordinis à Chriſto Domino inſtitutum. *Secundò*: Concilium Tri-
18 rentinum *Seſſ. 23. de Sacram. Ord. can. 6.* ita ſtatuit: *Si quis dixerit, in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam, Divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris: Anathema ſit*. Sed nomine Miniſtrorum Concilium intellexit Diaconos, ac Subdiaconos, cum reliquis gradibus quatuor minorum Ordinum, quos expreſsè nominavit *ead. ſeſſ. 23. cap. 2.* Ergo Subdiaconatus, unà cum aliis gradibus, eſt Divina Ordinatione inſtitutus. Ergo eſt Sacramentum. *Tertiò*: Determinatio una reſpiciens plura de-
19 terminabilia, debet ea pariformiter determinare. *l. Nam hoc jure, & l. Lucius. ff. De Vulg. & Pupillar. Subſtit.* Barboſa *Axiom. 69. num. 6.* & ibi DD. Sed Concilium Florentinum docens illas Ordinationes eſſe Sacramentum, quæ fiunt cum debita materia, & forma, exemplificat uno, & eodem contextu de Preſbyteratu, Diaconatu, & Subdiaconatu. Ergo vel nullus horum trium Ordinum eſt Sacramentum, (quod eſt abſurdum intolerabile dictu) vel eodem modo Subdiaconatus eſt Sacramentum, quo & Diaconatus, & Preſbyteratus. Ita Eminen. Cardin. de Lauræa *d. diſp. 6. de Sacram. Ordin. num. 7. & 8.* & ante illum Gonetus *tom. 5. eod. tract. 7. diſp. 1. §. 1. & 2.* Brognolus *in Specul. Cleric. tract. 16. cap. 2. reſol. 5.* Cotonius *libr. 3. Controv. 1. num. 18. & 19.* & alii DD. quos allegavimus ſupra *in cit. Deciſ. VI.*

Ex his deducere licet, cavendum eſſe à doctrina tùm Gaſparis Ivenini,
tùm Joannis Morini, amborum Orato- 20
rii Gallicani Presbyterorum; quorum primus in *ſuis Comment. Hiſt. Dogmat. tom. 2. de Sacram. Ord. diſſert. 9. q. 6. cap. 3.* aſſerit, *Chriſtum non eſſe auctorem Subdiaconatus, qui originem ſuam debet Eccleſiarum Præpoſitis, à quibus inſtitutus eſt labente priore ſæculo*: Secundus autem *de Sacris Ordinat. part. 3. Exercit. 12. cap. 1. num. 1.* dicit, quod *Subdiaconatus ab Eccleſia in auxilium Diaconorum, ut & minores Ordines, eſt inſtitutus*: Siquidem hæ ita liberæ aſſertiones, etſi olim à nonnullis antiquorum Theologorum prolatæ fuerint, nunc ſunt evidenter oppoſitæ determinationi, ac doctrinæ Conciliorum Florentini, ac Tridentini; & per conſequens, (ut obſervat Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 6. num. 8.*) ingerunt hæreſis ſuſpicionem; quia licèt in Sacris litteris non legamus expreſsè, Subdiaconatus Ordinem eſſe Sacramenuum à Chriſto Domino inſtitutum, hoc eſt ſufficientèr declaratum in iiſdem Conciliis Florentino, ac Tridentino; quæ ſunt Concilia Generalia per Papam ap-
probata; eſt autem apud Catholicos 21
Axioma inconcuſſum, quod auctoritas Conciliorum generalium eadem eſt ſicut auctoritas Evangelii, prout habetur *in cap. Sicut Sancti Evangelii 15. diſt.* & ideò ſunt veneranda, ac eorum diffinitiones abſque altercatione amplectendæ. *cap. Majores 24. q. 1. cap. 1. & cap. Violatores. 25. q. 1. l. Nemo. C. De Summ. Trinit. & fid. Cathol.* Barboſa *in cap. Canones ead. diſt. 15.* ubi *n. 13.* DD. cumulat.

Sed præter Conciliorum auctoritatem, evidenter demonſtrantium Subdiaconatus Ordinem, prout alios ſex, à Chriſto Domino eſſe inſtitutum, duæ habentur urgentiſſimæ rationes idipſum ſuadentes, quæ ab Angelico Doctore prudentiſſimè examinantur. Prima ratio eſt: qui aſſerunt, ſolum Sacerdo-
tii, & Diaconatus Ordinem inſtitutum 22
eſſe à Chriſto Domino, faciunt ejus increatam, & Divinam Sapientiam valdè ma-

dè mancam, & deficientem, dum in Eccleſia ſua, quam effuſione totius pretioſiſſimi Sanguinis ſibi deſponſaverat, tam anguſtum miniſtrorum numerum, pro Sacris Myſteriis exercendis, reliquerit, qui in Lege Moſayca, quæ erat umbra, ac figura Eccleſiæ, Salomonem docuerit, ampliſſimum miniſtrorum numerum in Templi, ac ſui ipſius ſervitio deputare, ut latè diſſerit Alcuinus in *libr. de Divin. Officiis*, oſtendens omnes gradus Sacramenti Ordinis fuiſſe tanquam in figura exercitos à Levitis in lege hebraica. Hinc S. Thomas *in 3. p. q. 37. art. 1.* circa hanc rationem ita ſcribit: *Ordinum multitudo eſt inducta in Eccleſia propter tria. Primò quidem propter Dei Sapientiam com-*
23 *mendandam, quæ in diſtinctione rerum ordinata maximè relucet, tàm in naturalibus, quàm in ſpiritualibus: quod ſignificatur in hoc, quod Regina Saba videns Ordinem miniſtrantium Salomoni, non habebat ultra Spiritum, deficiens in admiratione Sapientiæ illius. Secundò ad ſubveniendum humanæ infirmitati, quia per unum non poterant omnia, quæ ad divina Myſteria pertinebant, expleri, ſine magno gravamine; & ideò diſtinguuntur Ordines diverſi ad diverſa officia. Tertiò ut via proficiendi hominibus amplior detur, dum plures in diverſis Officiis diſtribuuntur, ut omnes ſint Dei cooperatores, quo nihil eſt Divinius, ut Dionyſius dicit.* Idcircò eſt quædam detractio Divinæ Sapientiæ incarnatæ; aſſerere duorum tantùm Ordinum exiſtentiam ab ea pervenire, dum ob ejus laudem, & ob temporalem, ac ſpiritualem hominum profectum, plures Ordinum, ac Miniſtrorum gradus oportebat deputare.

Altera ratio eſt, quæ deſumitur ab excellentia Sacramenti Euchariſtiæ, in cujus obſequium omnes ſeptem gradus Ordinum fuerunt à Chriſto Domino in-
24 ſtituti, tanquam neceſſarii ad eam dignè perficiendam, ac pertractandam. Nam, ut fuſius loquitur idem Angelicus Doctor *d. part. 3. q. 37. art. 2.* tot Ordines Chriſtus Dominus inſtituere debebat in Eccleſia, quot ſunt ſpecialia miniſteria, exercenda circa illud, quod omnium eſt Auguſtiſſimum in ea, nimirum Euchariſtiæ Sacramentum. Porrò ad hoc conficiendum, & conſecrandum opus erat Presbyteratus Ordine. Ad ejus materiam proximè Sacerdoti tradendam, & poſt conſecrationem populo dandam, neceſſarius fuit Ordo Diaconatus; ad eam verò parandam in Vaſis Sacris Ordo Subdiaconatus; & in Vaſis non Sacris Ordo Acolythatus. Et quoniam plures fidelium ſolent à dæmone impediri, ne Euchariſtiam ſuſcipiant, oportebat eſſe Ordinem Exorciſtatus, qui poteſtatem daret ordinato expellendi dæmones. At eoſdem fideles conveniebat etiam inſtruere, ac docere, ut dignè accederent ad Euchariſtiam recipiendam; & ad hanc inſtructionem præſtandam inſtitutus eſt Ordo Lectoratus; tandem neceſſe erat advertere, ne infideles, aut indigni accederent ad Menſam Sacram, & munus hoc datum fuit Ordini Oſtiariatus. Has omnes functiones circa pignus æternæ gloriæ, Sacratiſſimum, ſcilicet Corpus, & Sanguinem ſuum, quod Chriſtus jam dederat Eccleſiæ, aut ignoraſſe, aut non cogitaſſe eſſe neceſſarias, & pro illis exercendis non eſſe deputandos Miniſtros, gratia, & charactere ex divina ordinatione inſtitutos, implum eſſet aſſerere: nam Chriſtus Dominus poſt reſurrectionem ſuam, ut habetur *in Act. Apoſt. cap. 1. Verſ. 3. Præbuit ſeipſum vivum,* (Apoſtolis, ac Diſcipulis) *per dies quadraginta apparens eis, & loquens de Regno Dei*; ideſt de Eccleſia ſua, ut benè advertit ibidem Tirinus, ita ſcribens:
*Tunc enim docuit illos Chriſtus quomodo* 25
*Eccleſiam formarent, regerent, perficerent. Docuit Ordines omnes, gradus, & ſtatus varios tàm Eccleſiaſticos, quàm Laicos. Docuit materias, formas, ritusque ſingulorum Sacramentorum, & Ordinum, aliaſque Traditiones, quas ab Apoſtolis acceptas Eccleſia, tanquàm certiſſimum, nobiliſſimumque theſaurum, omni ſtudio hucuſque conſervavit.* Ver-

ba ſæ-

ba ſanè aurea, memoriæ, & cordi pii Lectoris indelebiliter imprimenda. Conſimilia, & ejuſdem ſenſus ponit Cornelius à Lapide *eod. cap. 1. Verſ. 3.*

Quo ad Tertium: hoc quæſitum duo continet. 1. Quando Ordo Subdiaconatus cœperit vocari Ordo Sacer? 2. Quando cœperit reputari inter ordines majores; ideò duplici reſponſione reſolvendum eſt. Sit prima reſponſio. Ex doctrina S. Thomæ *in 3. p. q. 37.*
26 *art. 3.* Ordo dicitur Sacer dupliciter: Uno modo ſecundum ſe, & ſic quilibet Ordo eſt Sacer, ea ratione quia quilibet Ordo eſt Sacramentum, ut ſupra probatum fuit *Deciſ. VI.* & per conſequens Sacer eſt Ordo Subdiaconatus, tanquam Sacramentum habens ſuam inſtitutionem à Chriſto, ut mox demonſtravimus *num.* 17. *& ſeqq.* Alio modo Ordo vocatur Sacer ratione materiæ conſecratæ, circa quam habet aliquod miniſterium, vel actum; & ſic Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus dicuntur Ordines Sacri; primi duo, quia pertractant Sacratiſſimum Corpus, & Sanguinem Domini; Presbyter in conſecrando, & Sacrificando; Diaconus in deferendo, & populis miniſtrando; tertius verò, nempè Subdiaconatus, quia agit, & contrectat vaſa Sacra, in quibus Corpus, & Sanguis Domini reponitur. Igitur Ordo Subdiaconatus ſemper, & omni tempore fuit Ordo Sacer; & talis appellatus fuit, videlicèt, quia eſt inſtitutus à Chriſto Domino, & habet quidditatem Sacramenti, & quia ejus officium eſt pertractare res Sacras, ideſt conſecrata vaſa pro Sacrificio Miſſæ. Tertia cauſa addenda eſt, ob quam Subdiaconatus Ordo inter Sacros fuit ſemper nume-
27 ratus; nempè quia ab initio Eccleſiæ eidem injuncta fuit lex continentiæ, & inhabilitas ad matrimonium contrahendum, de qua quidem lege conſtat *in can. 25. aliàs 27.* Apoſtolorum in Concilio Eliberitano I. *can.* 33. celebrato *Anno* 305. *in cap. Omnium.* 32. *diſt.* quod eſt S. Leonis Papæ, qui fuit electus Pontifex *Anno* 440. in *cap. Multorum*, *& cap. Subdiaconis. ead. diſt.* 32. & ſunt S. Gregorii Magni de *Anno* 590. & ex innumeris Conciliorum, ac Pontificum Decretis ſucceſſivis temporibus emanatis circa continentiam Epiſcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, ac Subdiaconorum; de quibus Emin. Card. de Lauræa in ſuo Epitome Canonum Verbo *Clerici in Sacris, an poſſint ducere Uxores.* Et in Verbo *Ordinatorum in Sacris obligationes circa conjuges.* Igitur has ob omnes cauſas ſemper, etiam in primis Eccleſiæ Sæculis, Subdiaconatus Ordo vocatus fuit Ordo Sacer, & inter Sacros reperitur annumeratus, ut videre eſt in *cap. De iis* 28. *diſt. in cap. Eos, qui.* in *cap. Erubeſcant.* & in *cap. Nemo. diſt.* 32. & aliis multis.

Cæterùm huic antiquæ denominationi, quam adſcribimus Subdiaconatui de Ordine Sacro, obſtare videntur verba Innocentii Tertii *in cap. A multis. De ætate, & qualit.* ubi loquens de
eligendis in Epiſcopos refert, Urba- 28
num Papam Secundum dixiſſe, *Sacros Ordines eſſe Diaconatum, & Presbyteratum, quos ſolos primitiva Eccleſia legitur habuiſſe.* Ergo olim Subdiaconatus non computabatur inter Sacros Ordines. Reſpondetur, falſam eſſe conſequentiam, attentis juribus ſupracitatis, in quibus S. Leo Papa, S. Gregorius Magnus, & ipſemet Urbanus Secundus expreſsè vocant Subdiaconatum Ordinem Sacrum. Ad illa autem verba, quæ refert Innocentius Tertius in *cit. cap. A multis*; dicendum eſt, ea loqui de qualitate Ordinis Sacri requiſita in illis, qui olim promovendi erant ad Epiſcopatum; quæ quidem qualitas reſtricta erat ad ſolos Ordines Presbyteratus, & Diaconatus; qui enim non erant vel Presbyteri, vel ſaltem Diaconi, eligi non poterant ad Epiſcopalem dignitatem; ab ipſo autem Urbano II. conceſſum fuit, ut etiam Subdiaconi poſſent eligi ad Epiſcopatum, ſed de licentia Metropolitani, vel Papæ *cap. ult.* 60. *diſt.* Deinde ab Innocentio Tertio extenſa fuit dicta conceſſio abſque alia licentia. Igitur Subdiaconatus non

erat

erat Sacer habita relatione ad habitudi-
nem pro eligendo in Epiſcopum, ſed
erat Sacer reſpectu ſui ipſius tanquam
Sacramenti, & reſpectu contrectatio-
nis Sacrorum vaſorum, & reſpectu le-
gis continentiæ ſibi incumbentis. Hoc
teſtatur expreſsè idem Innocentius Ter-
tius in *cap. Miramur*. *De Servis non Or-
din.* ubi citat conſtitutionem S. Grego-
rii Papæ, ſcilicèt ejus decreta, quod ne-
mo promoveatur ad Sacrum Subdiaco-
natus Ordinem, niſi promittat ſervare
caſtitatem; quæ leguntur *in cap. Nul-
lum* 28. *diſt.* & *in cap. Ante trienium*.
*diſt.* 31. Et hæc interpretatio prædicti
textus in *cap. A multis*. *De Ætate*, &
*Qualit.* ponitur ab Eminen. Cardin. de
Lauræa in *cit. diſp.* 6. *de Sacram. Ord.
num.* 14. & *num.* 43. non abſque confu-
ſione nonnullorum Canoniſtarum,
quos non pudet aſſerere, Ordinem Sub-
diaconatus inter Sacros collocatum fuiſ-
ſe tempore Urbani II. qui fuit factus
Papa *Anno.* 1088. & nihilominùs re-
perimus tempore S. Gregorii Magni,
& etiam ante hunc Sanctum Ponti-
ficem, eumdem Subdiaconatus ordi-
nem Sacrum fuiſſe nominatum.

Ex his reſultat altera reſponſio ad ſe-
cundam partem Quæſiti, videlicèt,
quando ipſemet Subdiaconatus Ordo
cœperit inter majores Ordines reputa-
ri? Nam poſt conceſſam ab Urbano II.
& ab Innocentio III. huic Ordini paſſi-
29 vam electionem ad Epiſcopalem digni-
tatem, cœpit haberi unus ex Ordinibus
majoribus; & ſubindè hæc duo nomi-
na Sacer, & Major ſynonima facta
ſunt; adeò ut ab illo tempore idem ſit
dicere Ordinem Sacrum, ac Ordinem
majorem; & appellatione majorum
Ordinum veniant omnes tres Ordines
Sacri, Presbyteratus, Diaconatus, &
Subdiaconatus; ad differentiam alio-
rum quatuor inferiorum Ordinum; qui
proprio nomine dicuntur Minores, ut
eos ſæpè appellat Concilium Tridenti-
num *Seſs.* 23. *de Sacram. Ord. cap.* 2. &
*can.* 2. ac in eadem *Seſs.* 23. *de refor.
cap.* 5. & 6. & notat Gobatus *de Ord.
tract.* 8. *num.* 12.

Ultimò; adhuc aliquis impugnabit
hucuſque dicta, obiiciendo, quod ſi
Subdiaconatus Ordo antiquitùs fuiſſet
ex majoribus, & Sacris, non potuiſſet
conferri à Chorepiſcopis, qui erant
ſimplices Epiſcoporum Vicarii, non 30
autem Epiſcopi. *cap. Chorepiſcopi*. 68.
*diſt.* Sed Chorepiſcopi ordinabant Sub-
diaconos, ut ex Concilio Antiocheno
*can.* 10. ibi: Ordinent *Lectores*, *Sub-
diaconos*, & *Exorciſtas*. Ergo Subdia-
conatus Ordo non erat Sacer. Ulteriùs
ſi Subdiaconi fuiſſent conſtituti in Or-
dine Sacro, potuiſſent ingredi Secreta-
rium, quod Græci vocant *Diaconion*,
& tangere vaſa Sacra. Sed id erat eis
prohibitum. *cap. Non opertet* 26. 23.
*diſt.* Ergo Subdiaconatus non erat Or-
do Sacer. Reſpondetur ad primum,
quod duo erant genera Chorepiſcopo-
rum, ut plenè docuimus ſupra *Deciſ.
XIV.* alii erant Epiſcopi, alii non.
Illi ordinabant Subdiaconos, prout
etiam Diaconos, & Presbyteros, ſed
de licentia Ordinariorum. Iſti autem
minimè ordinabant Subdiaconos, ſed
tantùm quatuor minores conferebant,
prout nunc faciunt Abbates. Emin.
Card. de Lauræa in Epitome Canonum.
*Verb. Chorepiſcopi Verſ.* 6. & *de Sacram.
Ord. d. diſp.* 6. *num.* 16. & 17. Ad ſe-
cundum reſpondetur, Sacraria duo fuiſ-
ſe apud antiquos; Unum, in quo ſu-
pellex Eccleſiaſtica ſervabatur; & aliud, 31
in quo recondita ſervabatur Sanctiſſima
Euchariſtia. In primum intrabant Sub-
diaconi, non autem in ſecundum. Item
Vaſa ſacra, vel continebant Corpus, &
Sanguinem Domini; & hæc non tan-
gebantur, niſi à Presbyteris, vel Dia-
conibus; vel vacua erant, conſumma- 32
to jam Sacramento, & hæc abſque dif-
ficultate tangere, & deferre poterant
Subdiaconi, etſi ſacra forent. *cap. pe-
nult. ead. diſt.* 23. Cabaſſutius ad Concil.
Laodicen. ſub Damaſo *Sæculo IV. Can.*
21. *num.* 12. *pag.* 154. Gonzalez *in Com-
ment. ad d. cap. A multis*. *de Ætate*, &
*Qualitat. nu.* 6. *tom.* 1. Idem Eminentiſs.
Card. de Lauræa *d. diſp.* 6. *num.* 18. ci-
tans *cap.* 1. *diſt.* 24. id expreſsè innuens.
Noviſ-

Noviſſime Jo. Morinus in elaborato ſuo opere *de Sacris Ordinat. part. 3. Exercit. 12. cap. 2. num. 7.* qui hanc eamdem diſtinctionem docentes Balſamonem, &
33 Zonaram allegat; addens ex ſententia ejuſdem Zonaræ, cenſeri prohibitos Subdiaconos tangere, ac deferre Vaſa ſacra apud Græcos, dum tempore Sacrificii ea deferuntur cum pane, & vino conſecrando ad Altare. Siquidem (ait) ſolent Græci magna cum pompa deferre ſacra Symbola à ſacra propoſitionis Menſa ad divinum Altare, ut Sacrificentur. Diaconus enim, præcedentibus Lampadibus, & ſubſequentibus Clericis, ſuper humeros ſanctum Panem defert, Sacerdos verò Calicem manibus; & hoc apparatu, gyro per Eccleſiam facto, omnibuſque interim ante ſancta Symbola procumbentibus, ad Altare accedunt Sacerdos, & Diaconus, eaque ſuper Altare reponunt; & idcircò in hac delatione nullam Subdiaconi ſacrorum Vaſorum contrectationem habent.

Tandem ex eodem Morino notare licet, adhuc apud Græcos Subdiacona-
34 tus Ordinem reputari inter minores; etſi iiſdem caſtitas imperata ſit, & contrectandi Vaſa ſacra data licentia: hac de cauſa ordinantur extra Sanctuarium, ad differentiam Sacrarum Ordinationum, quas intra Sanctuarium faciunt, videlicet cum ordinant Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos. Ita Morinus *d. p. 3. Exercit. 11. cap. 6. num. 1.* nec non *Exercit. 12. cap. 5. num. 9.*

## DECISIO XXII.

### *ARGUMENTUM.*

Inquiritur, Quænam ſit Materia, & Forma Ordinationis Subdiaconorum? Recenſentur quinque diverſæ opiniones, & fundamenta, quibus unaquæque earum innititur. Firmantur duæ Reſolutiones, una certa, alia diſputabilis circa eamdem Materiam, & Formam Subdiaconatus. Eruditiones plures circa Veſtes Sacras, Manipulum, & Librum Epiſtolarum. Et an Calix cum patena, tangendus à Subdiacono in ordinatione, debeat eſſe conſecratus?

### SUMMARIUM.

1 *Subdiaconatus circa materiam, & formam opiniones quinque.*
2 *Calicis vacui, ac patenæ traditio materia eſt Subdiaconatus.*
3 *Rituales antiqui XIV. de modo conferendi Ordines.*
4 *Forma, qua traditur Calix, & patena Subdiaconis ordinandis.*
5 *Materia Ordinum quomodo cognoſcatur?*
6 *Albertus Magnus factus Epiſcopus Ratisbonenſis Anno 1265.*
7 *Durandus Epiſcopus Anicienſis Anno 1320.*
8 *Petrus Paludanus Patriarcha Hieroſolymitanus Anno 1330.*
9 *S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus Anno 1459.*
10 *Urceoli cum aqua, ac manutergii traditio materia Subdiaconatus.*
11 *Lotio manuum celebrantis, & corporalium neceſſaria ſub pœna peccati.*
12 *Purificationem in Miſſa ſolemni Celebrans recipit à Subdiacono.*
13 *Veſtes Sacræ, quas dat Epiſcopus Subdiacono, an ſint materia Ordinis?*
14 *Veſtes Sacræ cur adhibeantur in Miſſa?*
15 *Sine illis celebrare mortale peccatum eſt.*
16 *Veſtium Sacrarum uſus introductus ab Apoſtolis.*
17 *Veſtibus Sacris quando cœperint uti Subdiaconi.*
18 *Manipulus an ſit materia Subdiaconatus.*

19 *Irregularis ſit, qui non Subdiaconus cantat Epiſtolam cum manipulo.*
20 *Manipulus olim quid eſſet? Quando uſus ejus in Miſſa?*
21 *Subrogatum ſapit naturam ejus, in cujus loco eſt ſubrogatum.*
22 *Libri Epiſtolarum traditio an ſit materia Subdiaconatus?*
23 *Forma ordinationum an imperativis verbis proferenda?*
24 *Liber Epiſtolarum non dabatur Subdiacono per* Annos 1200.
25 *Epiſtola olim non à Subdiacono, ſed à Lectore cantabatur.*
26 *Calicis vacui, ac patenæ traditio eſt vera Materia Subdiaconatus.*
27 *Materia Subdiaconatus dubia, ac diſputabilis aliæ res, quæ traduntur tangendæ Subdiacono.*
28 *Materias Ordinum Chriſtus non inſtituit in individuo.*
29 *Calix, & Patena in ordinatione Subdiaconi an debeat eſſe conſecratus?*
30 *Vaſa Laica non ſunt apta materia Ordinis Subdiaconatus.*

PRobatâ igitur Subdiaconatus ordinis inſtitutione à Chriſto Domino factâ, ex qua Sacramenti quidditatem ſortitur; ac ejus exiſtentiâ ab initio Eccleſiæ; ſequitur, ut de ejus Materiâ, ac Forma diſſeramus; & quoniam utraque diverſa eſt in Eccleſia Latina ab illa Eccleſiæ Græcæ; priùs exponemus, quæ nam ſit in Eccleſia noſtra? Et circa
1 ca hanc quæſtionem reperio opiniones quinque.

1 Quod Materia Subdiaconatus ſit traditio Calicis vacui, & Patenæ vacuæ.
2 Quod ſit traditio Urceolorum, ac manutergii.
3 Quod ſit impoſitio Amictus, & Tunicellæ.
4 Quod ſit traditio Manipuli.
5 Quod ſit traditio Libri Epiſtolarum.

Prima, (quæ principalis eſt, & indubitata apud omnes) tenet, quod Ordinis Subdiaconatus Materia ſit traditio Calicis vacui, cum patena vacua; quam facit Epiſcopus ordinando. Forma verò ſunt verba, quæ ab eodem Epiſcopo in actu traditionis ejuſdem 2
Calicis, & Patenæ proferuntur. Hujus opinionis tria ſunt ſolidiſſima fundamenta. Primum eſt Concilium Carthaginenſe IV. *can.* 5. relatum *in cap. Subdiaconus* 23. *diſt.* in quo, uſque de Anno 398. fuit ita diffinitum: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, patenam de manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum.* Alterum eſt Concilium Florentinum ſub Eugenio Papa IV. qui in Bulla Concordiæ Armenorum cum Sancta Romana Eccleſia, Incipien. *Exultate* &c. Anno *Domini* 1439. *Decimo Calend. Decembr.* agens de Sacramento Ordinis in §. 15. ita loquitur: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per Libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus verò per Calicis vacui cum patena vacua ſuperpoſita traditionem.* Et recitata forma Presbyteratus ſubdit: *Et ſic de aliorum Ordinum formis, prout in Pontificali Romano latè continetur.* Igitur materia Subdiaconatus eſt illa, quam utrumque Concilium recenſet, Calicis ſcilicet vacui, ac Patenæ vacuæ ſuperpoſitæ traditio. Tertium fundamentum ſunt quatuordecim
Rituales, ſeu Libri manuſcripti de Ritu conferendi Ordines tùm Sacros, 3
tùm Minores, quos ex principalioribus archiviis Eccleſiarum Cathedralium totius Europæ, ac Monaſteriorum decerpſit, non ſine magno labore, ac integros in opere ſuo repoſuit Jo: Morinus *de Sacris Ordinat. part.* 2. *à pag.* 209. *uſque ad pag.* 280. qui quidem Rituales Libri incipiunt ab *Anno* 500. & proſequuntur, ſæculis ſubſequentibus, uſque ad Annum 1200. & in iis omnibus in ordinatione Subdiaconorum exprimitur materia prædicta, traditio ſcilicet Calicis vacui, & Patenæ vacuæ; cum eadem forma verborum,

borum, quæ proferuntur ab Epiſcopo
in actu ejuſdem traditionis; & eſt te-
noris hujuſmodi: *Videte cujus miniſte-*
4 *rium vobis traditur; & ided ſi uſque*
*nunc fuiſtis tardi ad Eccleſiam, amodò*
*debetis eſſe aſſidui. Si uſque nunc ſom-*
*nolenti, amodò vigiles. Si uſque nunc*
*ebrioſi, amodò ſobrii. Si uſque nunc in-*
*honeſti, amodò caſti. Oblationes, quæ*
*veniunt ad Altare, panes Propoſitionis*
*appellantur. De ipſis oblationibus tan-*
*tùm debet in Altari poni, quantum po-*
*pulo poſſit ſufficere, ne aliquid putri-*
*dùm in Sacrario remaneat. Pallæ verò,*
*quæ ſunt in ſubſtractorio Altaris, in*
*alio vaſe debent lavari, in alio corpo-*
*rales pallæ: Ubi autem pallæ corpora-*
*les lotæ fuerint, nullum linteamen ibi-*
*dem debet lavari. Ipſa aqua in bapti-*
*ſterium debet mergi. Ided admoneo, ut*
*vos exibeatis, ut Deo plecere poſſitis.*
Et tradit eis Calicem, & Patenam.
Uniformis eſt forma hæc in omnibus
antedictis Ritualibus ſæculorum octo;
etſi aliquando in ſingulari numero, ali-
quando in plurali legatur concepta;
nec diſſimilis eſt illa, quæ hodie habe-
tur in Pontificali Romano de ordina-
tione Subdiaconi, quam tranſcribit
Biſſus *in ſua Hierurgia Verb. Subdiaco-*
*nus. num.* 194. §. 2. Quartum funda-
mentum eſt ratio, qua moventur Theo-
logi, ac Canoniſtæ ad habendam prædi-
ctam traditionem Calicis vacui, & Pa-
tenæ vacuæ, cum antedictis verbis pro
vera, & eſſentiali materia, ac forma
Ordinis Subdiaconatus; Siquidem ita
arguunt. Illa eſt materia propria cu-
juslibet Ordinis, per quam ſufficienter,
5 & meliùs ejus poteſtas in Ordine ad Sa-
crificium Miſſæ ſignificatur. Sed mi-
niſterium præcipuum Subdiaconi eſt de-
ſervire Sacerdoti Sacrificanti, porri-
gendo Calicem, & patenam Diacono,
cum pane, & vino tanquam per popu-
lum oblatis, ut ea Sacerdoti miniſtret;
& hoc totum optimè ſignificatur per
antedictam Calicis, & Patenæ tradi-
tionem. Ergo hæc eſt vera, & eſſen-
tialis materia; & forma in ordinatione
Subdiaconi. Ita Vaſquez apud Tam-
burinum *De Ord. libr. 7. cap. 3. num.* 1.
Salmanticenſes *tract. 8. de Sacram. Or-*
*din. cap. 3. num.* 20. Caſtropalaus *part.*
*4. tract. 27. punct. 4. num.* 13. Biſſus *in*
*Verb. Materiæ Sacramentorum. num.*
107. §. 76. & noviſſimè Emin. Card. de
Lauræa *de Sacr. Ord. d. diſp. 6. num.* 30.
nec non *num.* 49. Quintum fundamen-
tum eſt ingens numerus Doctorum ita
docentium, quos (ultra proximè cita-
tos) innumeros numerat Comitolus *in*
*Reſponſ. Moral. libr. 1. quæſt.* 52. inter
quos, utriuſque Scholæ Principes S.
Thomam *in 4. Sent. diſt. 25 q. 1. art.* 1. &
Scotum *in 4. Sent. diſt. 24. q. Unic.* &
ſubindè S. Bonaventuram, Albertum
Magnum, Aureolum, Richardum,
Durandum, Victoriam, & alios Theo-
logos inſignes; qui omnes de Sacramen-
to Ordinis egregiè diſputarunt theori-
cè, & eorum aliqui eamdem mate-
riam edocti fuerunt etiam practicè;
nempè Albertus Magnus ob ſingularem 6
ſapientiam ſic cognominatus, natione
Svevus; ejuſdem Ordinis S. Dominici
Epiſcopus Ratisbonenſis, ad quam di-
gnitatem aſſumptus fuerat ab Urbano
IV. Summo Pontifice *Anno* 1265. Du-
randus à S. Portiano, natione Gallus, 7
Ordinis Prædicatorum Epiſcopus Ani-
cienſis, qui floruit *Anno* 1320. Petrus
Paludanus, natione Burgundus, ejuſ-
dem Ordinis Patriarcha Hieroſolymita- 8
nus, *Anno* 1330. & S. Antoninus, pa-
tria Florentinus, prælaudati Ordinis
Prædicatorum, & Florentiæ Archie-
piſcopus ab Eugenio Papa IV. creatus, 9
Vir doctiſſimus, ac Sanctiſſimus, qui
obiit *Anno* 1459. ætatis ſuæ ſeptuageſi-
mo, quem in Sanctorum Catalogum
retulit Adrianus VI. Pontifex Maxi-
mus. Stat igitur inconcuſſa ſupradicta
prima opinio tot, ac talibus innixa fun-
damentis.
Secunda opinio eſt, quod ultra Cali-
cem, & Patenam vacuam, ſit etiam
materia Ordinis Subdiaconatus traditio
Urceolorum cum vino, & aqua, &
manutergii, quam facit Archidiaconus 10
eidem Subdiacono in actu ipſius ordina-
tionis. Fundatur hæc opinio: Primò in



Digitized by Google

Concilio Carthaginenſi IV. *can.* 5. de quo in *cit. cap. Subdiaconus* 23. *diſt.* ibi enim poſt præſcriptam traditionem Calicis, & patenæ dicitur; quod Subdiaconus *de manu Archidiaconi accipiat Urceolum cum aqua, manile, & manutergium*. Secundò in Epiſtola S. Iſidori Hiſpalenſis Epiſcopi ad Ludifredum, relata *in cap. Perlectis*. 25. *diſt.* in qua ita ſcribit: *Ad Subdiaconatum pertinet Calicem, & patenam ad Altare Chriſti deferre, & Levitis tradere, eiſque miniſtrare. Urceolum quoque, & aquam, manile, & manutergium tenere; Epiſcopoque, & Presbytero, & Levitis pro lavandis ante Altare manibus aquam præbere*. Tertiò in Ritualibus libris ab annis mille citra conſcriptis diverſarum Eccleſiarum, ac Monaſteriorum, exiſtentibus in eodem Opere Joannis Morini *à pag.* 220. *& ſeqq.* in quibus ferè omnibus continetur traditio Urceoli, cum aqua, ac manutergio. Quartò in Pontificali Romano, quo utuntur Epiſcopi hiſcè temporibus, nam & in illo *in tit. de Ordinatione Subdiaconi* legitur, quod, *poſt monitionem, Epiſcopus tradit ſingulis Calicem cum patena vacua ſuperpoſita, dicens Videte &c. & immediate poſt Archidiaconus tradit eis Urceolos cum vino, & aqua, ac Bacile cum manutergio, quæ omnia ab omnibus, & ſingulis tangi debent*: Et hoc advertit Caſtaldus *in Praxi Cæremon. libr.* 2. *Sect.* 15. *cap.* 7. *num.* 5. Quintò in ratione, nam ſanctitas, & excellentia Sacrificii requirit, ut & manus Sacer-
11 dotis celebrantis lotæ, ac mundæ ſint, prout etiam corporalia, pallæ, & lintea, ſuper quibus Corpus, & Sanguis Domini reponitur; ſiquidem culpa gravis, aut ſaltem venialis eſt, ſi manus, vel pallæ prædictæ ſint immundæ, juxta gravitatem, vel levitatem immunditiæ. Tamburinus *de Sacrific. Miſs. libr.* 1. *cap.* 7. §. 7. Quartus *in Rubric. Miſs. part.* 2. *tit.* 1. *Sect.* 1. *dub.* 5. ubi de lotione manuum; & antea *part.* 1. *tit.* 20. *dub.* 8. *in fin.* Averſa *de Sacrific. q.* 11. *Sect.* 13. §. *Rurſus* ubi de Tobaleis. Et Diana *part.* 10. *tract.* 12. *reſol.* 19. Exiſtente in Coordinato *tom.* 2. *tract.* 1. *reſol.* 165. Igitur Urceoli, Bacile, & manutergium, quod traditur tangendum Subdiacono in ejus ordinatione, ſignificat ejus Officium præparandi, ac porrigendi aquam Celebranti pro manuum lotione; nec non lavandi pallas, & corporalia, & ſic cenſetur eſſe materia eſſentialis hujus ordinationis; forma verò ſunt verba Epiſcopi, quæ proferuntur ab ipſo, dum monet Subdiaconum de modo abluendi pallas, ſub illis verbis: *Videte cujus miniſterium vobis traditur &c.* Sextò fundatur etiam hæc opinio in praxi circa functiones ſpectantes ad Subdiaconum in Miſſa; ipſe enim poſt communionem celebrantis defert ad Altare Urceolos cum vino, & aqua, & cum eis porrigit ablutionem Calicis, & digitorum ejuſdem Sacerdotis celebrantis, ut præcipit Rubrica Miſſalis *tit.* 10. & notat Caſtaldus *libr.* 1. *Sect.* 12
7. *cap.* 1. *num.* 21. quapropter ab hoc Urceolorum miniſterio in Miſſa non obſcurè deducitur, quod eorum traditio in ordinatione Subdiaconi ſit partialis materia ejuſdem Ordinis. Septimò, quia etiam Morinus *d. part.* 3. *Exercit.* 12. *cap.* 1. *num.* 5. invehit contra id negantes; & è converſo in ejus dictis, & aſſertione fundatur hæc ſecunda opinio, quod traditio Urceolorum, Bacilis, & manutergii ſpectet ad eſſentiam materiæ Subdiaconatus.

Tertia opinio eſt, quod, præter res ſupradictas, ſit etiam materia Subdiaconatus traditio Sacrarum Veſtium, quam facit Epiſcopus, dum Subdiaconos ordinat; ſiquidem ut legitur in Pontificali *pag.* 38. & 39. poſtquam traditus eſt Calix, & patena vacua ab Epiſcopo, & ab Archidiacono Urceoli, Bacile, cum manutergio, recitataque eſt Oratio *Domine Sancte &c.* Epiſcopus ſedens cum mitra Amictum in collo ordinandorum jacentem imponit eorum capitibus, ſingulis dicens, *Accipe Amictum &c.* & poſtea ſingulis imponitur Tunicella, dicendo cuilibet, *Tunica jucunditatis, & indumento lætitiæ induat te Dominus*: quæ verba ſonant

for-

formam Sacramentalem ejuſdem Ordinis. Fundatur hæc opinio in apertiſſima, & urgentiſſima ratione: nam ſicut Veſtes ſacræ Sacerdotales pertinent ad ſplendorem, & obſequium ſa-
14 cratiſſimi, ac tremendi Sacrificii, ut ex ipſo exteriori apparatu, & ſpecialibus miniſtrorum indumentis indicetur, actionem illam non eſſe communem, aut vulgarem, ſed omninò ſacroſanctam, & excelſam, ut ait Quartus *in Rubr. Miſſal. part. 2. tit. 1. in expoſitione Litteræ num. 2.* ita traditio Amictus cum Alba, & Tunicella declarat miniſterium Sacrum, ad quod deputatur Subdiaconus; ut ſcilicet prævia indutione Sacrorum Veſtium illarum poſſit miniſtrare Sacerdoti celebranti, & Diacono, eidem aſſiſtenti; certum eſt enim quod miniſtrare in Altari ſine veſtibus Sacris non licet neque Sacerdoti, neque Diacono, aut Subdiacono abſque graviſſima culpa
15 peccati mortalis. *cap. Veſtimenta. De Conſecrat. diſt. 1.* Quartus *d. part. 2. tit. 1. ſect. 4. dub. 5.* Caſtropalaus *part. 4. tract. 22. punct. 10. num. 8.* Gobatus *tract. 3. nu. 347.* & Biſſus *in Hierurg. Verb. Veſtes num. 39. §. 5.* Hinc uſum ſacrorum veſtimentorum eſſe ab Apoſtolis ex Chriſti
16 Domini præcepto introductum, fas eſt credere, ut probat Suarez *in 3. part. D. Thom. tom. 3. diſp. 82. ſect. 2.* ubi allegat Epiſtolam primam decretalem S. Anacleti Papæ Succeſſoris S. Clementis, in qua ſcripſit: *Epiſcopus miniſtros ſecum habeat ſacris indutos veſtimentis.* Et pluribus aliis antiquitatis teſtibus adductis ſubdit, quod ſicut Deus in Lege Moſayca ordinavit Veſtes, quibus Sacerdotes, & Levitæ induerentur, ut conſtat *Exod. 28. 40.* quas ego enarravi, & explicavi *de Sacrificio Miſſæ Deciſ. 23. num. 11.* ſic Apoſtolos, & diſcipulos docuit, illas in miniſteriis ſacris inſtituere, ac adhibere. Et quoad Subdiaconorum Sacras veſtes, eos in miniſterio Altaris ſolitos fuiſſe induere Ami-
17 ctum, & Albam S. Gregorii Papæ temporibus, conſtat ex ejus *libr. 7. Epiſtol. 64.* & iiſdem paulò poſt fuiſſe conceſſam Tunicellam, ac Manipulum, teſtatur Honorius *in Gemma Animæ lib. 1. cap. 229.* ut refert Emin. Cardin. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 24. num. 19.* & Biſſus *Verb. Subdiaconus. num. 196.* Sequitur ex his omnibus, cum illa ſit materia, & forma Sacramenti Ordinis, per quam ſignificatur poteſtas, miniſterium, & officium ordinati (ut antea dictum eſt) jure optimo, & manifeſtà ratione appellari poſſe materiam, & formam Ordinis Subdiaconatus traditionem Amictus, Albæ, & Tunicellæ, quam facit Epiſcopus in ordinatione Subdiaconorum; formamque Verba, quæ in eadem traditione profert; quia per illa oſtenditur, & declaratur, Subdiaconum factum eſſe miniſtrum Sacri Altaris, cui abſque iiſdem ſacris indumentis minimè poſſet miniſtrare, atque inſervire. Hanc opinionem tenet Medina *lib. 1. de Continentia cap. 44.* quem refert ipſe Morinus *d. part 3. Exercit. 12. cap. 1. num. 3.*

Quarta eſt opinio; quod Manipulus, quem Epiſcopus tradit Subdiacono, dum illum ordinat, ſit materia eſſentialis hu-
jus ordinationis; & forma exiſtat in ver- 18
bis, quæ in ejuſdem Manipuli traditione profert Epiſcopus, nempè: *Accipe Manipulum tuum, & imple miniſterium tuum: potens eſt enim Deus, ut augeat tibi gratiam.* Hujus opinionis fuit Sichardus Epiſcopus Cremonenſis in libro manuſcripto *de Inſtitut. Eccleſiæ libr. 2. cap. 2.* quem citat, & ejus verba tranſcribit idem Morinus *d. par. 3. Exercit. 12. num. 3.* Nec videtur hæc opinio eſſe ſine ſolido fundamento: quandoquidem
Manipulus adeò ſpectat ad Ordinem 19
Subdiaconatus, ut ſi quis non Subdiaconus audeat ipſum induere, & cum eò cantare Epiſtolam, incurrat irregularitatem. *cap. 1. & 2. De Clerico non ord. miniſtr.* Quartus *d. part. 2. tit. 6. De Epiſtola dub. 6.* ubi citat Bonacinam *tom. 1. de Irregularitate diſp. 7. quæſt. 3. punct. 6. num. 2.* & alios DD. quibus ego addo Theſaurum *de Pœnis Eccleſ. part. 2. Verb. Ordo cap. 32.* innumeros DD. allegantem. Igitur opportet, Manipulum eſſe materiam propriam in ordinatione Subdia-

Subdiaconi, dum ejus uſurpatio à non habente hunc Ordinem, cauſat incurſum tàm gravis pœnæ Eccleſiaſticæ, qualis eſt Irregularitas.

Cæterùm fortiter reclamat Morinus *d. part. 3. Exercit. 11. cap. 3. num. 7.* contra hanc opinionem ex eo, quia Manipulus olim non erat Veſtis ſacra, ne-
20 que propria Subdiaconorum; imò Manipulus erat Sudariolum, ſivè Mappula brachio ſiniſtro alligata, qua faciei ſudor, & narium pituita abſtergebatur; ut docent Alcuinus, Amalarius, Rabbanus Maurus, & alii Scriptores de Divinis Officiis, quorum verba tranſcribit ibidem Morinus *d. nu. 7.* & fuſiùs Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. lib. 1. cap. 24. num. 5.* demonſtrans, prædictæ mappulæ, ſeu ſudarioli uſum duraſſe donec in locum ejus Manipulus non ad tergendas ſordes, ſed ad ornatum ſuffectus eſt; ex eadem re, ac textura; ex qua conficitur Stola, ac Planeta; & hanc mutationem Mappulæ in Manipulum conjicit factam eſſe ſæculò decimo; nam Alcuinus, & Amalarius, qui ſæculo nono vixerunt nihil de Manipulo, plura de Mappulis lineis ſcripſerunt; & prima Manipuli mentio reperitur in veteri Miſſa ex Codice Ratoldi Abbatis Corbejenſis apud Menardum, qui Ratoldus vixit *Anno* 980. & in Concilio Pictavienſi ſub Paſchali Papa II. poſt *Annum* 1100. *cap. 5.* fuit ſancitum, *Ut nemo Monachorum deinceps Manipulis utatur, niſi fuerit Subdiaconus.* Igitur, cum Manipulus nullam redoleat antiquitatem, concludit Morinus *d. num. 7.* nihil poteſt pertinere ad Subdiaconatus ordinationem: niſi dicere velimus; Manipulum ſubrogatum eſſe Mappulis lineis, quibus etiam Subdiaconi, dum Altari inſerviebant, utebantur; & ideò locum habere poſſe regulam, quæ di-
21 cit: Subrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum ſubrogatur. *cap. Eccleſia il primo*, & ibi Gloſſa. *Ut lite penden.* Plura de uſu, ac myſtica Manipuli ſignificatione notat Magrius in *V. Manipulus* ibi videnda.

Quinta eſt opinio, quod præter materiam Calicis vacui, ac Patenæ vacuæ, alia ſit materia partialis in Ordine Subdiaconatus, ſed æqualis eſſentiæ, & neceſſitatis cum antedicta, nempè traditio Libri Epiſtolarum, quam facit 22
Epiſcopus ordinando, jubens eum illum tangere, & dicens: *Accipe, & habe poteſtatem legendi Epiſtolam in Eccleſia Dei tàm pro vivis, quàm pro defunctis. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Quæ verba ſortiuntur pariter ſecundam partialem formam hujus Ordinis Subdiaconatus. Plures ſunt rationes, quibus innititur hæc opinio: Prima, quia denotatur in traditione Libri Epiſtolarum unum ex præcipuis officiis Subdiaconi, quod eſt cantare Epiſtolam in Miſſa. At, jam demonſtratum fuit, illam haberi pro neceſſaria materia, & forma, quæ ſignificat principale miniſterium ordinati. Secunda, nam hæc traditio Libri Epiſtolarum eſt ad exemplum Libri Evangeliorum, quem Epiſcopus tradit Diacono cum iiſdem formalibus verbis: ideò ſicut nemo dubitat, Librum Evangeliorum eſſe materiam Diaconatus, & verba in ejus traditione ab Epiſcopo prolata eſſe formam; ita idem dicere in traditione Libri Epiſtolarum videtur conſentaneum rationi. Tertia, quia ex communi DD. regula materia exhibenda eſt ab ordinante, ordinato cum verbis imperativis, & cum iiſdem forma eſt 23
exprimenda; de qua re latè agit Morinus *de Sacramento Pœnitentiæ lib. 8. cap. 19.* Sed in traditione Libri Epiſtolarum, loquitur Epiſcopus imperativo modo. *Accipe &c.* Ergo. Hanc opinionem ſequuntur, ac defendunt Viguerius *in Summa Inſtitut. Theolog. cap. 16. §. 6. num. 1. & 2.* Averſa *de Sacram. Ord. qu. 2. ſect. 5. §. Adde verò.* Dicaſtillus *in tract. 6. diſp. 1. dub. 12.* quos citant Salmanticenſes *de Sacram. Ord. tract. 8. cap. 3. num. 19.* quibus addendus eſt Filiuccius *tom. 1. tract. 9. cap. 2. num. 45.* quem pro hac opinione allegat Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 5. reſol. 3. §. 1.* exiſtente in veteri *part. 3. tract. 4. reſol. 188. aliàs 189.*

Impugnat hanc opinionem ingens Theo-

Digitized by Google

Theologorum numerus, quos cumulat idem Diana Coordinatus *d. reſol*. 3. §. 2. nec non Collegium Salmanticenſe *d. cap*. 3. *nu*. 20. quibus jungendi ſunt Emin. Card. de Lauræa *d. diſp*. 6. *de Sacram. Ord. num*. 54. & Morinus *de Sacris Ordinat. d. part*. 3. *Exercit*. 12. *cap*. 1. *num*. 6. *&* 7. ubi vocem extollit, tanquam antiquitatis ſtudioſus, & inculcat lectu-
24 ram Ritualium Librorum, quos excripſit ab Anno quingenteſimo uſque ad Annum milleſimum ducenteſimum, in quibus nihil de traditione Libri Epiſtolarum in ordinatione Subdiaconi, unde infert: *Tàm altum ſilentium eſt argumentum evidens, Subdiaconos antiquitùs Epiſtolam in Synaxi, ſivè publico Eccleſiæ cœtu ex officio non legiſſe*; & allegat hoc idem aſſerentes Rabanum Maurum, Amalarium, Micrologum, & alios ſcritores ante decimum ſæculum de Divinis Officiis. Hoc idem latiſſimè oſtendit Emin. Card. Bona *Rerum Liturgic. lib*. 2. *cap*. 6. in quo agens de uſu antiquiſſimo legendi Epiſtolas in Miſſa tùm ex prophetis, tùm ex Apoſtolis, non apud gradus Altaris, ſed in ambone, ſeu pulpito, ex quo etiam Epiſcopus conciones habebat ad populum, demon-
25 ſtrat, quod priſcis temporibus *Lectoris* partes erant Epiſtolam, & Evangelium legere in Miſſa, ut *ex Epiſt*. S. Cypriani 33. *&* 34. & ex Concilio Toletano I. *Can*. 2. & ſubdit, Subdiaconos cœpiſſe legere Epiſtolam in Miſſa ſæculo octavo ex Amalario *libr*. 2. *cap*. 11. quo tempore etiam Diaconis permiſſum fuiſſe opinatur, ut legerent Evangelium. Igitur cum per octo priora ſæcula non eſſet officium Subdiaconi legere Epiſtolam in Miſſa; neque tunc traderetur eidem Liber Epiſtolarum in ejus ordinatione, ut ex Ritualibus antiquis, deducitur, traditionem ejuſdem Libri, quæ nunc fit, non eſſe materiam eſſentialem ordinationis, ſed meram cæremoniam. Ex alio fundamento id eſſe deducendum ait Emin. Card. de Lauræa *d. diſp*. 6. *num*. 28. videlicet, quia neque Concilium Carthaginenſe IV. neque Concilium Florentinum in aſſignanda materia Subdiaconatus mentionem fecerunt de traditione Libri Epiſtolarum; ideò hanc concluſionem facit *num*. 31. *Satius ergo eſt catholico loqui cum generali Concilio, & Pontifice Romano, quàm ſophiſmata, & aereas opiniones ſequi. Imò Concilii ſententiam tenetur amplecti; omnemque aliam reſpuere*.

Quid dicendum in hac opinionum varietate? Duæ ſunt reſolutiones capiendæ: Una certa, & infallibilis: alia dubia, & diſputabilis. Prima eſt, quod vera, & propria materia ordinationis Subdiaconi eſt traditio Calicis vacui, & 26
Patenæ vacuæ; forma verò ſunt verba, quæ tunc dicit Epiſcopus: *Videte, quale miniſterium &c.* & ideò in hac traditione imprimitur character. Fundatur hæc reſolutio in verbis Conciliorum Carthaginenſis, & Florentini prædictorum; quibus omninò ſtandum eſt, ut dixit Emin. Card. de Lauræa *d. num*. 31. Item in manifeſta ratione, quam Salmanticenſes vocant à priori, quia ſcilicèt per Calicis vacui, & Patenæ vacuæ traditionem ſufficienter, & magis evidenter ſignificatur miniſterium Subdiaconi, quod eſt inſervire Sacerdoti Sacrificanti, præparando Vaſa Sacra, eaque porrigendo Diacono, ut celebranti exhibeat; quapropter ita reſolvunt, ac tenent S. Thomas, Scotus, Valentia, Palaus, Layman, Bonacina, & alii plurimi, quos citat non ſolùm Comitolus in *d. lib*. 1. *quæſt*. 52. ſed ipſemet Diana Coordinatus *d. tom*. 2. *tract*. 5. *reſol*. 3. §. 2. Salmanticenſes *d. cap*. 3. *numer*. 19. Tamburinus *d. lib*. 7. *de Ordine cap*. 3. *num*. 2. & prælaudatus Emin. Card. de Lauræa *d. diſp*. 6. *art*. 2. per totum.

Altera reſolutio dubia, & diſputabilis eſt, quod omnes aliæ res, quæ traduntur Subdiacono per Epiſcopum, nempè, Amictus, Manipulus, & Tunicella, nec non Urceoli cum vino, & aqua, ſivè Bacile cum manutergio, ac demum Liber Epiſtolarum, ſint materiæ par- 27
tiales, unà cum ſuis formis, integrantes Subdiaconatus Ordinem, atque ipſius Subdiaconi ordinationem. Ad objectum ex antiquitate deſumptum, & ex perve-

perveтuſtis Ritualibus, in quibus nulla fit mentio earumdem rerum, reſponderi poteſt illud tolli ex communi Theologorum doctrina, quòd circa Sacramentum Ordinis Chriſtus Dominus non determinavit in particulari materias, &
28 formas materialiter ſumptas, ſed generatim præſcripſit, quod Ordines conferrentur per ſigna ſenſibilia ſignificativa poteſtatis, quæ traditur ordinato; atque adeò reliquit Eccleſiæ facultatem determinandi materias, & formas, per res, & verba ſibi magis placita, dummodò habeant vim ſignificandi eamdem poteſtatem, & virtutem, quæ in Ordine confertur. Ita Præpoſitus *in 3. part. D. Thom. quæſt. Unic. de Sacr. Ord. dub. 10. num. 109.* Fornarius *cap. 2. de Ordine*. Arcudius *lib. 6. cap. 4. §. Itaque credibile*. Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 5. reſol. 2.* Salmanticenſes *de Sacram. in genere tract. 1. cap. 4. num. 48.* Tamburin. *d. libr. 7. cap. 3. §. 2. num. 5.* Maſtrius *in 4. ſent. diſp. 4. de Sacr. Ord. num. 36. & num. 40.* Emin. Card. de Lauræa *de Sacramentis in genere diſp. 2. art. 3. num. 45.* Et Emin. Card. de Lugo *eod. tractatu diſp. 2. ſect. 5. num. 86. & diſp. 7. ſect. 1. num. 8.* Quâ diſtinctione componitur diſſonantia Eccleſiæ Græcæ diſcordantis in collatione Ordinum ab Eccleſia Latina, quæ eſtò non adhibuerit in primis ſæculis, & tempore Concilii Carthaginenſis IV. aliam materiam in ordinatione Subdiaconorum, quàm traditionem Calicis vacui, ac Patenæ vacuæ; ſubindè ad magis exprimendam poteſtatem miniſterialem, quæ dabatur promoto ad illum Ordinem, addidit Urceolos, Amictum, Tunicellam, Manipulum, & Librum Epiſtolarum; tanquam materias partiales cum ſuis formis, eorumque uſum per Provincias orbis Chriſtiani invexit, & in Pontificali Romano, fixit ex facultate ſibi à Chriſto Domino relicta. Quod ſi quis noluerit huic doctrinæ acquieſcere, cogetur dicere, additionem omnium prædictarum rerum eſſe ex cæremonia, ſacroque Ritu præſcriptam ad majorem ornatum, & decorem ordinationis ab ipſa Eccleſia.

Retenta prima opinione, (quod eſſentialis materia ordinationis Subdiaconi ſit traditio Calicis vacui, & Patenæ vacuæ) ſatis curioſa inſurgit quæſtio; An hic Calix, & Patena debeant eſſe 29
conſecrati? Diſtinguunt DD. in primis, an hoc dubium proponatur circa præceptum Eccleſiæ, vel circa eſſentiam Sacramenti? Quo ad præceptum, affirmant omnes, eſſe debere conſecratum Calicem, & conſecratam Patenam; ita quod peccaret Epiſcopus mortaliter, ſi Vaſa non ſacra porrigeret tangenda ordinando; ac ipſe ordinandus, ſi ſcienter permitteret, ſe ordinari cum iiſdem; eſt enim hæc cæremonia ſacra valdè ſubſtantialis, & ab Eccleſia requiſita. Quo verò ad validitatem, & eſſentiam Sacramenti, non eſſe neceſſariam prædictorum Calicis, & Patenæ conſecrationem opinati ſunt Barboſa *de Jure Eccleſ. Univ. libr. 1. cap. 37. num. 7.* Sotus, Ledeſma, Henriquez, Leandrus, Molfeſius, & alii, quos citat, & ſequutus fuit Diana Coordinatus *d. tom. 2. tract. 5. reſol. 3.* deſumpta *ex part. 3. tract. 4. reſol. 188.* ea ratione, quia, ut ajunt, non eſt alicubi ab Eccleſia hoc expreſſum; & ſicut Sacerdos validè conſecraret panem, & vinum in Calice, & Patena non ſacra; ita per eorum traditionem validè Epiſcopus Subdiaconum ordinaret. Nihilominùs idem Diana palinodiam canendo contrariam opinionem, abjuratâ primâ, amplexus eſt *part. 10. tract. 11. reſol. 9.* ingeſta à Coordinante in Coordinato ejus *tom. 2. tract. 5. reſol. 4.* ubi reddit rationem mutatæ opinionis, inquiens, quod Vaſa porrigenda Subdiacono pro ejus ordinatione debent eſſe talia, quæ poſſint deſervire Sacrificio Miſſæ, ad cujus ſervitium deputatur miniſter, eadem vaſa portaturus ad Aram. Idcircò ſi Laica ſint, & ſimilia communibus Laicorum Calicibus, 30
ſicut non ſunt apta pro Altaris miniſterio, ita non valent ſignificare Subdiaconi officium, ad quod deputatur. Neque valet paritas conſiderata de valida conſecratione Euchariſtiæ in Calice, & Patena

Digitized by Google

tena non ſacris; ſiquidem validitas pendet ab ipſa materia conſecrabili panis, & vini; non autem à vaſe, ſeu à loco, in quo ſit collocata; ut benè reſpondent, hanc opinionem ſequentes, doctiſſimi Salmanticenſes *d. tract.8. de Sacram. Ord. cap.3.num.*22. quam etiam tenent Sylveſter *Verb. Ordo* §.4. *Verſ.*2. Marchinus *de Sacr. Ord. tract.2. part.6. dub.*1.*num* 3. Fornarius *cap.*2. *num.* 6. & Dicaſtillus *tom.*1 *tract.6. de Ordine diſp.* 1. *dub.*12. *num.* 182. In ſequenti agemus de ordinatione Subdiaconorum in Eccleſia Græca. Tandem quærunt DD. An ſit valida ordinatio, ſi tradatur Subdiacono ſolus Calix, vel ſola Patena. Affirmat Sylveſter *Verb. Ordo*. 21.*q.*11. ſed negat Tamburinus pluribus citatis *d. cap.*3. §.2.

## DECISIO XXIII.

### *ARGUMENTUM.*

Traduntur Ritus, quibus Subdiaconi Græci ordinantur. Eruditiones plurimæ de antiquitate, ac legitimitate Apoſtolicarum Conſtitutionum. De multiplici Manuum impoſitione, ac Templorum partibus. De variis Græcorum Veſtibus, & Indumentis ſacris, & de eorum diſcrimine cum illis Latinorum. Tandem quod Subdiaconi Græci exercent etiam officia Oſtiariorum, & Acolythorum.

### SUMMARIUM.

1 *Græci ordinant Subdiaconos ſine materia, & forma.*
2 *Conſtitutio Apoſtolica de ordinatione Subdiaconorum.*
3 *Conſtitutionum Apoſtolicarum antiquitas, & legitimitas.*
4 *An ſint ſcriptæ ab ipſis Apoſtolis?*
5 *Manus impoſitio an facienda in ordinatione Subdiaconi?*
6 *Manuum impoſitio duplex. Et qualis?*
7 *Benedictiones antiquitùs quomodo dabantur?*
8 *Subdiaconi officium ab Apoſtolis inſinuatum.*
9 *Cardinalis Barberini Bibliotheca laudata.*
10 *Græcanica formula antiquiſſima ordinandi Subdiaconos.*
11 *Diaconicum quid ſit apud Græcos?*
12 *Templorum partes tres. Et quæ?*
13 *Græcorum veſtes in miniſteriis ſacris.*
14 *Toga eſt Veſtis talaris dicta* Himation, *nigra, manicata.*
15 *Phenolion, ſeu Camiſion quid ſit? & quotuplex?*
16 *Sticharium quid ſit?*
17 *Orarium quid ſit, & quomodo portetur à Diaconis Græcis?*
18 *Caſula Græcorum Sacerdotum qualis ſit?*
19 *Epitrachelium Græcorum quid ſit?*
20 *Manipulos duos adhibent Presbyteri Græci.*
21 *Epiſcoporum Græcorum Veſtes propriæ quæ?*
22 *Pallium Epiſcopale Græcorum in quo differat ab illo Latinorum?*
23 *Pallii ſacri Metropolitanorum Latinorum deſcriptio.*
24 *Omaphorion Pallium eſt Græcorum Epiſcoporum ſignum dignitatis.*
25 *Pallii Epiſcopalis myſtica ſignificatio.*
26 *Maphorium velum ſacrum Monialium.*
27 *Diaconiſſæ olim Stolam portabant.*
28 *Pœnitentiæ Vox apud Græcos ſignificat reverentiam.*
29 *Subdiaconi Græci ordinatio breviſſima.*
30 *Simeonis Theſſalonicenſis Archiepiſcopi formula pro ordinandis Subdiaconis.*
31 *Quo tempore vixerit, aut ſcripſerit?*
32 *Subdiaconi Græci etiam Oſtiariorum, & Acolythorum exercent officia.*

QUomodo Græci ordinent ſuos Subdiaconos in præſenti eſt diſſerendum; ſed parùm, aut nihil ſcribere poſſumus circa materiam, & formam, quam Orientalis Eccleſia adhibet in initiandis Subdiaconis, quippè ut
1 ait Morinus *part. 3. de Sacris Ordin. Exercit. 12. cap. 1.* in fine: *Nihil in toto ritu ſivè antiquo, ſivè recentiore extat præter manuum impoſitionem, quod materiæ vicem ſubire poſſit; aut formæ, præter Orationem. Mantile quidem, & pollubrum manibus lavandis ab Epiſcopo eis traduntur; multaque alia miniſteria exercere jubentur: ſed hæc omnia fiunt poſt Ordinationem completam, ut munere, quod recens acceperunt, fungantur.* Ne igitur ſtudioſi noſtri propoſitâ defraudentur expectatione, ex pluribus Ritualibus Græcis, ſeu Euchologiis, pervetuſtis quos ipſemet Morinus collegit, & imprimendos typis curavit in ſecunda parte dicti ſui operis *de Sacris Ordinationibus à pag. 17. uſque ad pag. 172.* tres formulas Ordinationis Subdiaconorum hîc tranſcribemus; & circa eaſdem non inutiles, nec inerudìtas obſervationes dabimus, ex quibus magis, ac magis Græcorum antiquorum Rituum, in Subdiaconis inaugurandis, myſticus ſenſus apparebit in majorem Eccleſiæ Latinæ Ordinationum venerationem, ac obſequium.

Prima itaque Græcorum formula, omnium antiquiſſima, deſumitur ex Conſtitutionibus Apoſtolicis per S Clementem Papam, Divi Petri diſcipulum, conſcriptis, & in octo libros digeſtis; in quorum *lib. 8. cap. 21.* agens de Ordinatione Subdiaconi (in Tomo Primo Conciliorum, *pag. mihi* 143. & apud eumdem Morinum, *d. part. 2. pag.* 21.) ita loquitur: *De Suddiaconis verò*
2 *ego Thomas ſic Vobis Epiſcopis conſtituo. Cum Subdiaconum ordinas Epiſcope, impones ei manus, & dices: Domine Deus, cæli, & terræ factor, & omnium, quæ cælo, terraque continentur; qui in Tabernaculo teſtimonii æditnos feciſtis Sanctorum Vaſorum tuorum cuſtodes; & ipſe nunc reſpice in hunc famulum tuum, qui ad miniſterium Subdiaconi electus eſt: & tribue ei Spiritum Sanctum, ut vaſa ad miniſtrandum tibi facta dignè attrectet, pareatque voluntati tuæ ſemper, per Chriſtum tuum, cum quo Tibi gloria, honor, & cultus, ac Sancto Spiritui in ſæcula. Amen.* Circa hanc Subdiaconorum ordinationis formulam, quæ cœteris Orientalis Eccleſiæ antiquiſſima eſt, tres ſunt à nobis obſervationes faciendæ.

Una concernit antiquitatem, & legitimitatem harum Apoſtolicarum Conſtitutionum; & equidem quo ad
tempus, quo compoſitæ, & ſcriptæ, 3
ſunt, etſi certitudo præciſa haberi non poſſit, certum tamen, & exploratum apud omnes videtur, eas anteceſſiſſe Conſtantinum Magnum Imperatorem, ac Concilium Nicenum primum, eo præſente celebratum; nam allegantur à SS. Patribus, qui eo tempore vivebant, & ad reprimendas hæreſes, quæ tunc in Eccleſia pullulabant, iiſdem SS. Patres ad earum auctoritatem, & doctrinam, tanquam ab Apoſtolis traditam, & à Clemente diſcipulo Divi Petri conſcriptam confugiebant, ut advertit Morinus in Præfatione ad eaſdem Conſtitutiones *d. part. 2. pag. 17.* Quo verò ad legitimitatem, & auctoritatem ipſarum, præter multa, quæ ſcripſit Franciſcus Turrianus Soc. Jeſu in illarum defenſionem ad Emin. Cardinalem Sirletum *in Proœm.* ante d. Conſtitutiones, ut in *tom. 1. Concilior. pag. mihi 26. & ſeqq.* ſatis eſt allegare teſtimonium Sancti Epiphanii, Salaminæ Cypri Epiſcopi, qui ſcribebat *Anno* 370, ipſe enim *ad hæreſim* 70, quæ erat *Audianorum*, hæc protulit: *Audiani verò ad inſtitutum ſuum quandam ex Apoſtolorum Conſtitutione auctoritatem accommodant. Qui liber tametſi dubiæ apud nonnullos fidei ſit, non eſt tamen improbandus: Nam in eo, quæ ad Eccleſiæ diſciplinam attinent, omnia comprehenduntur: neque quidpiam aut in fide, ac Catholica profeſſione depravatum, aut Eccleſiæ adminiſtrationi, ac decretis contrarium continent.* Quapropter

Digitized by Google

propter etſi præfatæ Conſtitutiones non
ſint individualiter ſcriptæ à Sanctis
Apoſtolis, ut ait Morinus *in Adnotatio-
nib. in Græcas Ordinat. num. 47. pag.* 186.
earum tamen tenor, doctrina, & diſpo-
ſitio ab ipſis proceſſit; & de eorum
mandato fuerant in ſcriptis ad inſtru-
ctionem, & bonum regimen Eccleſia-
4 rum per eorum primos diſcipulos reda-
ctæ; ut benè concludit ipſe Morinus in
eadem Præfatione ad ipſas verbis iſtis:
*Primus eas in ordinem ex ore* (notetur)
*& mandatis Apoſtolorum exceptas re-
degit, & edidit Clemens. Deindè ſuc-
ceſſu temporis à Synodis Orientis auctæ
primi Auctoris nomen conſtanter retinue-
runt. Hoc non inficiabitur, opinor, qui
diſciplinæ Orientalis peritus Conſtitutio-
nes illas legerit. Opponi multa ſcio; ſed
eorum magnam partem jam conſtat veri-
tatem eſſe patentiſſimam; nedum erro-
rem, aut crimen, de reliqua facilè ſtipu-
lari poſſem. Conſtitutiones igitur illas,
quæ ſpectant Ordinationes ſacras, non
præcisè ut ab Apoſtolis editas; ſed ut
antè* 1400. *annos* (nunc 1464.) *in Orien-
te uſurpatas, exſeribimus, & ob Lecto-
rum oculos exponimus*. Hujuſmodi eſt
ſuprapoſita de ordinatione Hypodiaco-
ni, ſeu Subdiaconi *lib.* 8. *cap.* 21. Nihi-
lominùs plura ſunt *in lib.* 5. 6. 7. *&* 8. ea-
rumdem Conſtitutionum, quæ abhor-
rere videntur à veritate, prout notat
Emin Card. Bellarminus *de Scriptorib.
Eccleſiaſt. Anno* 92 *de S. Clemente Ro-
mano*; quæ cenſentur tractu temporis in-
ſerta ab hæreticis, quorum ſtudium eſt
in tritico Apoſtolicæ doctrinæ ſuperſe-
minare zizania falſorum dogmatum, &
errorum.

Altera obſervatio dirigitur ad illa
verba in principio hujus Apoſtolicæ
conſtitutionis poſita: *Cum Subdiaconum
ordinas, Epiſcope, impones ei manus*.
5 Nonnè hæc verba pugnant cum illis
Concilii Carthaginenſis IV. *Can.* 5. re-
latis *in cap. Subdiaconus* 23. *diſt.* videli-
cet: *Subdiaconus cum ordinatur, quia
manus impoſitionem non accepit, Pate-
nam de manu Epiſcopi accipiat vacuam
&c.* Nonnè adinvicem adverſantur, &
contraria ſunt, *Imponere manus?* Sub-
diacono, & Subdiaconum *Manuum im-
poſitionem non accipere?* Pro hujus an-
tinomiæ reſolutione ſciendum eſt, du-
plicem eſſe manuum impoſitionem,
aliam Sacramentalem, aliam non Sa- 6
cramentalem. Manuum impoſitio Sa-
cramentalis eſt quintuplex ſecundum
Gloſſam *in cap. Manuum impoſitio*. 1. *q.*
1. Prima *Conſecratoria*, quæ fit in Ba-
ptiſmo; de qua diſſerit Severinus Binius
*in Notis ad decreta Melchiadis*. Et Am-
blanas *ad Tertullian. in Apologet. cap.*
39. *in fin.* quos allegat Gonzalez *in com-
ment. ad cap. Presbyter. num.* 6. *de Sacr.
non iter. tom.* 1. Et de ea Cornelius à
Lapide in Epiſtola *ad Epheſios cap.* 5.
*Verſ.* 25. *&* 26. ad illa verba: *Mundans
eam lavacro Aquæ in Verbo Vitæ:* di-
cens, *Ideſt per ſacram, & vivificam
Verborum Baptiſmi formam non depre-
catoriam, ſed conſecratoriam, & ſacra-
mentalem*. Secunda impoſitio manuum
eſt *Confirmatoria*, per quam ſcilicet
Epiſcopi conferunt Sacramentum Con-
firmationis; & de hac loquitur Scriptu-
ra *Act.* 8. 16. *Qui cum veniſſent* (Pe-
trus, & Joannes in Samariam) *impo-
nebant manus ſuper illos, & accipiebant
Spiritum Sanctum*. Tertia eſt *Reconci-
liatoria*, per quam reconciliantur pec-
catores Deo, per abſolutionem Sacra-
mentalem; in cujus prolatione Sacer-
dotes manum imponunt ſuper pœniten-
tis caput. *cap. Pœnitentes. cap. De infir-
mis. cap. Is, qui pœnitentiam*, & per
totam 26. *q.* 6. *cap. Placuit*, cum ſequen-
ti 50. *diſt.* & de ea plura diſſerit Albaſ-
pina *libr.* 2. *obſerv. cap.* 31. & latiſſimè
Morinus *de Sacramento Pœnitentiæ lib.*
8. *cap.* 15. Quarta *Morborum Curatoria*,
quæ fit per impoſitionem manus Sacer-
dotis ſuper infirmum, illum ungens
Oleo Sancto, miniſtrando eidem Ex-
tremæ Unctionis Sacramentum; & de
ea intelligi poteſt illud *Marc.* 16. 18. *Su-
per ægros manus imponent, & benè ha-
bebunt*, etſi hæc poſſit etiam eſſe non
Sacramentalis, quando per ſimplicem
benedictionem fit ad impetrandam cor-
poris ſanitatem, dè qua mox dicemus.

Quinta tandem eſt *Ordinatoria*, quando Ordines Sacri Epiſcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus conferuntur, dicuntur enim per antonomaſiam dari per manus impoſitionem. *cap. Presbyter.* 23. *diſt. cap. Multi.* 1. *q.* 3. *cap. Daibertum.* 1. *q.* 6. *cap. Presbyter. De Sacram. non iter.* & ibi Gonzalez *num.* 4. ubi plures alias auctoritates adducit de hac ordinatoria manuum impoſitione, tùm ex Scriptura Sacra, & Conciliis, tùm ex ſcriptis S. Ambroſii, S. Hieronimi, & aliorum Patrum.

Alia verò manuum impoſitio eſt non ſacramentalis, & eſt illa, quæ conſiſtit in ſimplici benedictione, ſed non operatur Sacramentum; & de ea Doctores
7 dant exemplum de Patriarcha Jacob,
*Geneſ.* 48. 14. ubi benedicturus duos filios Joſeph, *extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui major natu erat*. Item de Chriſto Domino pueros ſibi oblatos benedicente, ut *Matth.* 19. 13. *Oblati ſunt ei parvuli, ut manus eis imponeret*. Item de Catechumenis, ſuper quos imponuntur manus, prout etiam ſuper infantes, antequam baptizentur, ut dictum eſt ſupra de Exorciſtis *Deciſ. XIX. num. ult.* Item de impoſitione manuum in ordinandis, ideſt benedicendis Diaconiſſis, de quibus diſputabimus infra *Dec. XXXI.* Item de impoſitione manuum in promotione magni Œconomi apud Græcos, ut in eorum Rituali apud Morinum *part.* 2. *de Sacr. Ord. pag.* 93. Et in benedictione Abbatis *ibid. pag.* 96. Et (aliis relictis) in viſitandis infirmis, & in recitatione Pſalmorum, & Evangeliorum, quam facit Sacerdos ſuper eos, ut in Rituali Romano; tunc enim manum extendit, & ponit ſuper caput infirmi. Hujuſmodi eſt igitur manuum impoſitio, quæ fit in ordinatione Subdiaconi juxta Apoſtolicam Conſtitutionem, de qua ſupra: etenim non eſt de eſſentia Sacramenti; ſed ſimplex deprecatio, & oratio ſuper ordinandum; ad differentiam impoſitionis manuum, quæ fit in aliis Majoribus ordinibus, quæ quidem eſſentialis, & Sacramentalis eſt; & ideò quando Concilium Carthaginenſe IV. *Can.* 5. dixit, Subdiaconum non ſuſcipere manuum impoſitionem, intellexit de manuum impoſitione Sacramentali, & eſſentiali; Conſtitutio autem Apoſtolica *lib.* 8. *cap.* 21. *Cum Subdiaconum ordinas, Epiſcope, impone ei manus*, loquitur de impoſitione manus per viam orationis, & deprecationis ſuper eumdem Subdiaconum, ut benè declarant Cabaſutius *in Notitia Eccleſ. Secul.* 2. *Diſſert.* 1. Franciſcus Turrianus *in Adnot. ad eumdem lib.* 8. *Conſtitut. Apoſtol. tom.* 1. *Concilior. pag. mihi* 259. & Joannes Morinus *de Sacris Ordinationib. part.* 2. *pag.* 190. *num.* 71. ubi id latè probat, & concludit, quod *non valet argumentum, Manus impoſuit; Ergo ordinavit. Quia in omni Ordinatione ſacra fit manus impoſitio, ut in Epiſcopo, Presbytero, & Diacono; ſed non in omni manus impoſitione fit Ordinatio*.

Tertia obſervatio objectatur ad illa verba, quæ ab Epiſcopo dicenda ponuntur in eadem Apoſtolica Conſtitutione *libr.* 8. *cap.* 21. in ordinatione Subdiaconi; nempè *Domine Deus cœli, & terræ factor &c. qui in Tabernaculo teſtimonii æditos feciſti ſanctorum Vaſorum tuorum cuſtodes &c. reſpice in hunc famulum tuum &c. & tribue ei Spiritum Sanctum, ut Vaſa ad miniſtrandum Tibi facta dignè attrectet, &c.* quandoquidem ex his antiquiſſimis verbis per Sanctos Apoſtolos compoſitis, & ab eorum primis diſcipulis in ordinatione Subdia-
conorum adhibitis, canonizatur eorum 8
miniſterium, & officium, quod eſt præparare Vaſa ſacra, quæ ad ſacrificium ſunt neceſſaria, & eadem porrigere Diacono, ut celebranti ipſamet exhibeat ſuper Altare, ut diximus in antecedenti *Deciſ.* 22. *num.* 26. Cujus ſanè miniſterii, & officii nunquam interrupta denominatio, atque demonſtratio per mille, ac ſeptingentos circiter annos, non mediocris eſt conſolationis cauſa: reflectendo eumdem ſenſum, & mentem profiteri Eccleſiam hiſce tempori-

pori-

poribus, qualem ab initio habuerant Apoſtoli. Hæc de prima Formula.

Secunda Formula Græci Ritus, quâ Orientalis Eccleſia utitur in initiandis Subdiaconis, deſumitur ex duobus Codicibus antiquiſſimis, ante nongentos ab hinc circiter annos, integrè ſcriptis,
9 exiſtentibus in Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Barberini, Ven. Mem. olim Urbani Papæ VIII. Nepotis, libris excuſis, & manuſcriptis inſtructiſſima. Ab iiſdem Codicibus decerptas copias in prælaudato Opere ſuo *de Sacris Ordinationibus part. 2. pag. 52.* Joan. Morinus inſervit; in quibus de Ordinatione Subdiaconi *pag. 65.* hæc habentur.

*Ingrediente Epiſcopo in Diaconicon, & ad eum ante Sacram menſam ſtantem,*
10 *Ordinandus adducitur, indutus Sticharium, & cinctus, & deſuper Thenolio amictus; facitque Pœnitentias tres. Epiſcopus verò ter caput ipſius ſignat, & imponens manum precatur.*

„Domine Deus Noſter, qui per
„unum, & eumdem Spiritum Sanctum
„unicuique eorum, quos elegiſti, cha-
„riſmata tua diviſiſti; qui Ordines di-
„verſos Eccleſiæ tuæ donaſti, & gra-
„dus miniſterii in ea contuliſti ad mini-
„ſtrandum Sanctis tuis, & immacula-
„tis Myſteriis: Qui ineffabili provi-
„dentiâ tua definiſti hunc ſervum tuum
„N. dignum eſſe inſervire Sanctæ tuæ
„Eccleſiæ: Ipſe Domine conſerva il-
„lum in omnibus ſine querela, & re-
„prehenſione. Da illi amare honeſta-
„tem, & decorem domus tuæ, aſſiſte-
„re portis Templi ſancti tui; accen-
„dere lumen Tabernaculi gloriæ tuæ.
„Planta eum in Eccleſia ſancta tua ut
„olivam frugiferam juſtitiæ fructum
„ferentem; & perfectum redde ſer-
„vum tuum, ut cum adveneris retri-
„butione eorum, qui tibi placuerunt,
„fruatur. Quia tuum eſt regnum, &
„Virtus.

*Dicto Amen, qui factus eſt Subdiaconus ter dicit: Quicunque fideles &c. datque lavare manus Epiſcopo, qui ipſum ordinavit; qui incipit poſtea Introitum Miſſæ; & eum poſtea communicat.*

Hæc ſunt, quæ ponuntur in prædictis duobus Codicibus Græcis, & conſimilia habentur in aliis Euchologiis, & Ritualibus Orientalis Eccleſiæ ab eodem Morino collectis circa Ordinationem Subdiaconi, aliqua tantùm vocula mutata, ſed eodem ſenſu utrobique retento. Porrò Gaſpar Ivenim in ſuo Commentario Hiſtorico Dogmatico de Sacramentis *tom. 2. Diſſert. 9. q. 9. cap. 1. pag. 942.* regiſtrat Euchologium ordinationum Eccleſiæ Græcæ recentiſſimum, in quo poſt prædictam Orationem *Domine Deus noſter &c.* in ordinatione Subdiaconi habentur ſequentia Verba, quæ magis declarant complementum ejuſdem Ordinationis:

*Dicto Amen, Accipiens Pontifex mantile imponit ſiniſtro humero ejus, qui Ordinatur Subdiaconus. Similiter præbet illi Vas ad infundendum aquam pro lotione manuum: ille verò Vas accipiens deoſculatur manum ipſius; & aquam infundit ad manus Pontificis, qui eas lavat. Tandem accepta benedictione diſcedit; ſtatque pro foribus Sanctuarii; & ſuo tempore in Miſſa ter profert illud.* Quotquot fideles &c. *Peracto verò majori ingreſſu cum ſacram Menſam Diaconus incenſat, rurſus lavat manus Pontifex in catenulo, quod geſtat, qui ordinatus eſt Subdiaconus. Porrò in ingreſſu majori ipſe quoque ordinatus poſt omnes ſequitur, geſtans etiam Vas pro manuum lotione, ac mantile. Et quidem cæteris omnibus Sanctuarium ingredientibus, ipſe remanet extra ſtans in loco conſueto. Sic fit Ordinatio Subdiaconi; & ſi multi ſunt, qui ordinantur, Oratio ad multos accommodatur.* Hucuſque Euchologium tranſcriptum ab Ivenino, nihil dicens, à quo illud habuerit. Cæterùm Lectorem non pigeat ſequentes obſervationes notare.

Prima eſt ad illa Verba: *Ingrediente Epiſcopo in Diaconicon.* Siquidem *Diaconicum* erat locus ille in Sanctuario, in quo conſtituebatur Menſa, ſeu Creden- 11
tia ad ſuſtinenda vaſa ſacra, & panes pro conſecratione facienda in Miſſa,

undè

Digitized by Google

undè vocabatur *Prothesſi*, nempè Men-
ſa propoſitionis, ut notat Epiſcopus
Sarnellius *in ſua Baſilicographia cap. 37.
num.* 2. & Magrius *in Verb. Subdiaco-*
12 *nus. col.* 3. Antiquitùs in tres partes di-
videbantur Eccleſiæ, ſcilicèt in *Nar-
thecem*, quæ erat Navis Templi; in
qua ſtabat populus à janua uſque ad
Cancellos Sanctuarii; in *Sanctuarium*,
in quod intrabant Miniſtri ſacri tùm ad
pſallendum, tùm ad miniſtrandum Pon-
tifici Sacra peracturo; & in *Sancta San-
ctorum*; ubi erat Altare, ſuper quo Sa-
crificium fiebat: undè & nos nunc cum
aſcendimus ad Altare dicimus *Aufer à
nobis, quæſumus Domine, iniquitates
noſtras, ut ad Sancta Sanctorum puris
mereamur mentibus introire*. Sarnellius
*ubi proximè cap.* 24. *& cap.* 33. qui mul-
ta promit ex antiquitate. Igitur ingre-
diens Epiſcopus in *Diaconicum*, ideſt *in
Sanctuarium*, ſiſtit ſe ante ejuſdem San-
ctuarii portam, & ibi ordinat Subdia-
conos; non enim Græcis uſus eſt, hos
ordinare in Altari, ſeu ad Altare, ut
notat Morinus *d. part.* 2. *pag.* 179. *num.*
15. ex eo deducens, quod hujuſmodi
ordinatio fit extra Miſſam, quamvis,
ordinatione completa, ſtatim ab Epiſ-
copo celebretur Miſſa; in qua Subdia-
conus recenter ordinatus aquam ad ma-
nus Epiſcopi lavandas infundit.

Secunda obſervatio eſt ſuper illis ver-
bis: *Ordinandus adducitur indutus Sti-
charium, & cinctus, & ſuper Phenolio*
13 *amictus*, hæc enim verba *Sticharium*,
atque *Phenolion* requirunt brevem, ſed
plenam notitiam veſtium, ac indumen-
torum, quibus in miniſteriis ſacris utun-
tur Græci; alia enim ſunt indumenta
Clericorum, alia Subdiaconorum, alia
Diaconorum, alia Sacerdotum, alia
Epiſcoporum, & alia Diaconiſſarum.
Toga eſt prima Veſtis; quia omnes
Clerici utuntur Toga nigra, vel viola-
cea, talari, ampla, & manicata; quæ
14 totum corpus ambit, & ſuperponitur
veſtibus laicis, quibus corpus tegitur.
Hæc Toga vocatur *Himaſion*, de qua
Morinus *d. part.* 2. *in Adnot. num.* 7.
*pag.* 176. *col.* 2. Non eſt veſtis ſacra, ſed
civilis, etſi Clericalis, & ea utuntur
Ordinati tàm in minoribus, quàm in
majoribus ordinibus, cum in publicum
prodeunt. Secunda Veſtis eſt *Pheno-
lion*, quæ dicitur etiam *Camiſion*, de- 15
ſumpto nomine ab Italis, qui eam vo-
cant *Camice*. Hæc communis eſt Le-
ctoribus, Subdiaconis, Diaconis, ac
Sacerdotibus, omnes enim eam indu-
unt, cum in Eccleſia miniſtrant; &
alia eſt alba ex lino indicans miniſtran-
tium puritatem; alia purpurea deno-
tans paſſionem Chriſti, & de ea agit
Morinus. Tertia Veſtis eſt *Sticharium*,
propria Subdiacono, qui eam recipit ab
Epiſcopo in ſua ordinatione, teſte eo-
dem Morino ubi ſupra *num.* 30. *pag.* 183. 16
*col.* 2. qui tamen omittit narrare ejus
præciſam formam; ſed cum dicat eſſe
communem omnibus majoribus Ordi-
nibus, arguitur, eam eſſe ſimilem Al-
bæ, ſeu Camiſio, forſan ſubtilioris ma-
teriæ, quàm illa Lectorum; & hæc
pariter per annum eſt coloris candidi,
in quadrageſima verò purpurei. At
Magrius in *Hierolex. Verb. Sticharium*,
ait, eſſe manifeſtum abuſum Græco-
rum, induere Sticharium coloratum,
quia ſemper debet eſſe candidum, ob
ejus myſticam ſignificationem ibi à SS.
Patribus relatam. Quarta Veſtis eſt
*Orarium* ſpectans ad Diaconum; quam
Latini *Stolam* vocant, & nomen Ora-
rii à Græcis acceperunt. De ea plura
diſſerit Morinus *d. part.* 2. *in Adnot. nu.*
6. *pag.* 174. ex quibus duo diſcrimina
notat circa Græcorum, ac Latinorum
Stolas; unum eſt, quod Diaconi Græ-
ci portant Orarium ſuper humerum ſi-
niſtrum, dependens ex utraque parte,
& in alarum quemdam typum utrinque 17
fluitans; non enim alligant partes illas
fluitantes ſub humero, & brachio dex-
tero, ut faciunt Latini; & ajunt, ſi-
gnificare alas Angelorum, quibus ipſi
Diaconi comparantur. Aliud diſcrimen
eſt, quod Græci prædicti tempore com-
munionis cingunt ſe eodem Orario, ſeu
Stola, in qua ter eſt inſcriptum *Agios*,
ideſt *Sanctus*, quo Angelorum canti-
cum deſignetur, ut fusè ibidem Mori-
nus.

Digitized by Google

nus. Quinta Veſtis eſt Presbyterorum, & hæc triplex *Phenolion*, *Epitrachelion*, & *Manipulus*. Nam Græci dicunt
18 Sacerdotum *Phenolion*, quod nos appellamus *Caſulam*; eſt enim veſtis alba, manicis carens, totum corpus circumtegens, à capite uſque ad pedes, unam tantùm habens aperturam in ſuperiori parte, per quam caput immittitur, & poſtea toti corporis allabitur, brachia, manuſvè cum cætero corpore concludens. Sic erant etiam apud nos Caſulæ antiquæ, ut demonſtrant Emin. Card. Bona *Rerum Liturgic. lib. 1. cap. 24. nu. 8.* Magrius *in Hierolexic. Verb. Caſula.* Noſtræ Deciſiones *de Sacrificio Miſſæ Deciſ. 50. num. 30.* & Morinus *ubi ſupra pag. 177. col. 2.* ſubdens, quod quando Sacerdoti erat aliquid agendum, reflectebat, & revolvebat lacinias interiores Caſulæ ſuper brachia, ut manibus liberis uti poſſet; & talis forma Caſularum adhuc durat apud Græcos. Altera veſtis propria Sacerdotum eſt *Epi-*
19 *trachelium*, ideſt Stola valdè lata; ſiquidem Sacerdotes Græci duas adhibent Stolas, ſeu Oraria: primam, qua etiam Diaconi utuntur, & hanc Presbyteri portant pendentem à collo, ſolutam, & fluitantem, prout faciunt Sacerdotes Latine, dum Veſperas cantunt, vel Sacramenta miniſtrant. Alteram dictam *Epitrachelium*; quæ ſolis Sacerdotibus competit, non etiam Diaconis; &, ut dixi, eſt majoris latitudinis, & eam Græci ſibi ponunt ad collum, & deindè ſtringunt ante pectus adinſtar Latinorum Sacerdotum celebrantium, ut diſſerit idem Morinus *in d. Adnotationib. num. 92. pag. 193. Manipulus* eſt
20 ultima Sacerdotum Græcorum Veſtis ſacra; & hic eſt duplex, quia illum deferunt in utroque brachio, dextero, & ſiniſtro, ut advertit Magrius *in Hierolex. Verb. Manipulus*. Sextum genus Veſtium ſacrarum eſt Epiſcoporum, quis, præter prædictas, habent ſibi pro-
21 prias alias duas *Phenolion*, & *Pallium*. Differt autem Phenolion, ſeu Caſula Epiſcopalis à Phenolio, ſeu Caſula Presbyterali; hæc enim, ut ſupra diximus, eſt ſimplex; illa verò, qua utuntur Epiſcopi eſt variis Crucibus inſignita; & ideò ab ipſis vocatur *Multicrucium*; & juxta varietatem temporum, vel alba eſt; vel violacea, aut purpurea, teſte eodem Morino *in d. Adnotat. ſub num. 7. in fin. pag. 177. col. 2. Pallium* 22
quoque eſt Epiſcoporum Græcorum indumentum: ſed valdè differt à Pallio, quo decorantur à Papa Primates, & Archiepiſcopi Latini; nam in Eccleſia Latina Pallium eſt faſcia lanea, duos, aut tres digitos lata, cingens Epiſcopum per humeros ante, retròque in modum circuli; cui faſciæ Cruces quatuor ap- 23
plicantur, una ante pectus, altera retrorſum ex oppoſito, cœteræ ſuper humeros; & ſignum eſt Juriſdictionis, Præeminentiæ, & Superioritatis, ut docent Canoniſtæ, & ſcribentes ad titulum, & Rubricam *de Auctoritate, & Uſu palii*. At Græcorum Antiſtitum Pallium eſt faſcia longa ejuſdem, aut paulò majoris latitudinis, primò collum involuens, deindè à collo per medium pectus deſcendens uſque ad genua, crucibus pluribus intertexta; & ab ipſis Græcis appellatur *Omophorion*. Datur 24
autem in conſecratione omnibus Epiſcopis, & ab iiſdem jugiter in miniſteriis ſacris adhibetur; quia apud illos eſt ſignum dignitatis, non autem Juriſdictionis, ut ex teſtimonio antiquorum Patrum, ac Conciliorum probatur ab ipſomet Morino ubi proximè *num. 19. pag. 180.* & à Magrio *Hierolex. Verb. Pallium*, ubi plurimas de hoc Sacro indumento eruditiones cumulat. Duos tamen Græcorum abuſus notat circa ipſum: Unum videlicèt, quod illud ſericum faciunt, cum debeat eſſe laneum, ob myſterium deperditæ ovis, quam 25
bonus Paſtor quærere, & inventam in humero ad ovile portare debet. Alterum quod Pallium concedunt omnibus Epiſcopis, etſi antiquitùs in ipſa Eccleſia Orientali ſoli Patriarchæ, & Metropolitæ eo ornabantur à Romanis Pontificibus, ut oſtendit ibidem Magrius, & narrat Emin. Card. Baronius *Anno 535. à num. 55. & ſeqq.* & iterùm



Digitized by Google

*Anno* 934. *num.* 1. Ultimum genus veſtis Sacræ erat *Maphorium*, velum ſci-
26 licet Virginum Deo dedicatarum; quo caput ſuum ornabant, dimittentes illud pendens aliquantulum ſuper humeros, ut faciunt etiam noſtris temporibus Moniales, quando diebus feſtis procedunt ad chorum; & de eo agit S. Athanaſius in libello *De Virginitate* paulò ante medium, jubens illud eſſe ſine fimbriis, aut
27 villis; & erat etiam ornamentum Diaconiſſarum, ſubtus quod portabant Stolam diaconalem ab utraque colli parte pendentem, cujus extremitates ambæ exteriùs conſpiciebantur ad tradita per eumdem Morinum *in Adnot. anted. nu.* 14. *in fine*.

Tertia obſervatio verſatur circa illa verba: *Et facit Pœnitentias tres*; denotant enim tres reverentias, quas Subdiaconus ordinandus exhibet Epiſcopo,
28 dum ſe præſentat ad Ordinationem; quia apud Græcos uſus iſte invaluit, ut proſtrationes corporis vocentur pœnitentiæ, prout ſcribit Morinus mox citatus *num.* 31. *pag.* 184. *col.* 1. ſubdens, quod etiam apud illos in Confeſſione Sacramentali ſolitum eſt imponere centum Pœnitentias, ideſt centum genuflexiones, aut corporis proſtrationes.

Quarta obſervatio ſtat in illis verbis poſitis poſt Orationem: *Et dicto Amen, qui factus eſt Subdiaconus*: ex quibus infertur, quod hujus Ordinis collatio breviter expeditur, incipit enim à ſigno
29 Crucis, quod Epiſcopus facit in capite ordinandi ante Orationem, & in ejuſdem unicæ, ac brevis Orationis recitatione completur. Hinc Morinus opinatur, quod porrectio malluvii, ac mantilis, quam facit Epiſcopus Subdiacono, & per hunc effuſio aquæ ſuper manibus Epiſcopi, necnon proclamatio illa, tempore oblationis, *Quicunque fideles ſunt, flent; qui Catechumeni, egrediantur*, non ſint actus ad ſubſtantiam Ordinationis ſpectantes, ſed adeptæ poſſeſſionis, ac exercitia ejuſdem Ordinationis. Ecce verba ejuſdem Morini *part.* 3. *Exercit.* 11. *cap.* 7. *num.* 8. *Græci in Ordinationibus ſuis, poſtquam aliquem in Lectorem, vel Subdiaconum ordinaverunt, Lectorem in novæ dignitatis adeptæ poſſeſſionem mittunt, non modò librum tradendo, ſed etiam legendo; Subdiaconum non modò mantile, & malluvium tradendo, ſed etiam jubendo ut reipſe aquam infundat ſuper Ordinatoris manus, cæteraque miniſtret, quæ ſunt Subdiaconorum propria*. At hæc omnia magis conſpiciuntur in ſequenti

Tertia ordinationum Græcorum formula, quam ex Symeonis Theſſalonicenſis Archiepiſcopi libro idem Mori- 30
nus tranſcripſit, & collocavit *in d. ſuo opere de Sacris Ordinationibus part.* 2. *pag.* 104. *& ſeqq.* ubi ſic loquitur:

*Ritus Ordinationis Subdiaconi, ejus officia, & ſacra horum explicatio. cap. 3.*

„Poſt Lectores, ſequitur, ut dixi-
„mus, Subdiaconorum Ordo, qui Le-
„ctoratu excelſior eſt, ut potè Diaco-
„nis tantùm poſtpoſitus. Lectoribus
„autem, & Pſaltis licet poſt ſuſceptum
„divinum ſigillum legitimo matrimo-
„nio jungi: Subdiaconis autem non
„ampliùs. Illi igitur poſtquam Lectoris
„ſigillum primùm acceperunt, ut benè
„miniſtrarunt, tempore huic Ordina-
„tioni ſuſcipiendæ definito offeruntur.
„Tempus autem eſt annus ætatis vige-
„ſimus. Pontifice igitur ſtante ante
„portas regias, Miſſa nondum incœpta,
„adducitur qui manus impoſitionem
„Subdiaconi accepturus eſt, veſtem ni-
„gram indutus, & porphyrium Cami-
„ſium. Accenduntur que luminaria,
„quod in omni Ordinatione fieri ſolet
„in gloriam magni Luminis, & demon-
„ſtrationem illuminationis divinitùs
„ſubminiſtratæ. Deindè juſſu Pontifi-
„cis Camiſium deponit, & Sticharium
„induit, Pontifice ipſum benedicente.
„Sed priùs ad Orientem verſus ter
„Deum adorat auctorem, & ſubmini-
„ſtratorem illuminationum, velut ad
„majorem illuminationem, quæ Sti-
„chario ſignificatur, accedens. Por-
„phyream quidem veſtem exuit, quæ
„Paſſionis indicium eſt, utpotè vibices
„adhuc ſanguinolentas indicans: ſed
„album Sticharium demonſtrat puriores

„gloriæ

Digitized by Google

„ gloriæ Dei radios, amictumque perturbationis expertem. Eum etiam cingunt, ut doceant, eum non poſſe ampliùs veſtem caſtitatis ſuo arbitrio poſſidere, ſed ipſam circa lumbos ejus in humilitate conſtringi per temperantiam, & caſtitatem, cum in poſterùm uxorem ducere non poſſit.

„ Adiens igitur Epiſcopum ab eo ſignatur, quia JESUS, qui mortificatus eſt, & vivit, ipſum inaugurat, & ipſi conſecratur. Manus quoque illi imponitur, quoniam Oratio à Deo gratiam, & protectionem recipit. Ipſa autem eſt ejuſmodi: *Quia tu poſuiſti in Eccleſia gradus, & Ordines, hunc quoque ſuſcipe, ut adſtet portis Templi Sancti tui &c.* Et cum gratias egit, eumque ſignavit, mantile imponit Epiſcopus ejus humero, manibus autem malluvium tradit; ipſe verò Epiſcopi manus deoſculatus hæc accipit. Huncque honorem ei defert, eò quod hujuſmodi miniſterium conſecutus eſt. Epiſcopus autem manus extendit, & conſueta recipit; ſicque ordinatus benedicitur, & ſalutans Subdiaconos, ut factus ejuſdem Ordinis, ad eos abit, executurus Subdiaconorum munia; cuſtoditque portas ſacras, ne quis profanorum intra Sanctuarium ingrediatur, tangit quoque Vaſa ſacra, & pulchro ordine ea diſponit, ut Sacerdotes præparata invenientes dona deferant, & in maximo introitu ea ſuſcipiens, vaſa inquam Sacra, quæ ſuperſunt, conſervat, & Miniſtris (ſivè Subdiaconis aliis) tradit. Fas enim non eſt inferioribus, quàm illi ſunt, ea tangere. Cathecumenos quoque expellit tempore conſtituto, cum ſcilicèt dicit Diaconus, *Catechumeni procedite*. In Litaniis Crucem tenens cæteros præcedit. Subdiaconi inſuper Cereoſtata in divina Menſa, & Tricerium Sanctuarii, & luminaria præparant, ac adornant. Ideò in omni ſacra operatione cum Epiſcopo inſerviendum eſt, accedunt illi ad Sacras portas poſt Diaconos, ibique Myſteriorum communione fruuntur. Sic ſe habent ea, quæ ad Subdiaconos, ſivè Miniſtros pertinent.

Hucuſque Simeon Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, de quo Morinus *in Commentar. Hiſtor. de Sacram. Pœnitentiæ* in adnotatione ad ejuſdem Archiepiſcopi Dialogum de eodem Pœnitentiæ 31
Sacramento, ita ſcribit: *Quando ſcripſerit Simeon mihi eſt ignotum. Sexcentis annis majorem eſſe judicat Poſſevinus: ſed multò juniorem exiſtimo.* In præfatione autem ad ejuſdem Simeonis libellum de Sacramento Ordinis, ſubdit idem Morinus: *Symeonem cap. 8. libri iſtius mihi videtur innuere, ſe ſcribere cum Franci in Græcia dominarentur.* Cæterùm, cum non ita facile ſit ex hiſtoriis diffinire, quando Franci in Græcia præliaverint, incertum remanet, quo tempore Symeon prædictus viveret, ac ſcriberet; ſed ex ſupradicta ejus formula ordinationis Subdiaconorum conſtat, iiſdem Subdiaconis Græcis præter præparationem Vaſorum Sacrorum pro Sacrificio, injunctum fuiſſe munus cuſtodiendi portas Templi, & accendendi Cereoſtata, & Tricerium; ideſt Candelabra, & Cereum triangulum, & ſic per eoſdem Græcos coacervatos eſſe in unum Ordines tres, ſcilicèt Oſtiariatum, Acolythatum, & Subdiaconatum; & hac de cauſa omittunt conferre eoſdem Ordines Oſtiariatus, & Acolythatus, ut diſſeruimus ſupra *Deciſ. XVIII.* idcircò Subdiaconi Græci ſunt potiùs ſimiles Acolythis Latinorum, quàm Subdiaconis, ut ait Emin. Card. Bona *Rer. Liturg. lib. 1. cap. 25. §. 16.* in fine, quem refert, & ejus dictum approbat Biſſus *in Hierurgia Verb. Subdiaconus num. 194.*

## DECISIO XXIV.

### *ARGUMENTUM.*

Recenſentur omnia Officia ad Subdiaconum Latinum, tàm de Jure antiquo, quàm de Jure novo pertinentia. Eadem diſ-

cutiuntur, & eruditionibus exornantur: præcipuè circa antiquas fidelium Oblationes in Miſſa: Ablutionem Corporalium, cum Pallis, & Purificatoriis: Epiſtolæ decantationem: Patenæ etymon, materiam, & uſum: atque Crucis in Proceſſionibus delationem. Tandem deciditur, An peccet mortaliter Subdiaconus officia ſua exercens mortali culpa gravatus.

## SUMMARIUM.

1 *Officia Subdiaconorum explicare utilimum.*

2 *Subdiaconi olim cuſtodiebant portas Templi, & aquam ad lavandum manus Sacerdotis dabant, & num.* 14.

3 *Martyrum geſta colligere ſpectabat ad ſeptem Subdiaconos Romæ ex decreto S. Fabiani Papæ.*

4 *Notarii ſeptem priùs deputati à S. Clemente.*

5 *Subdiaconi Nuncii Apoſtolicæ Sedis.*

6 *Nuncii Apoſtolici nunc ſunt charactere Epiſcopali inſigniti.*

7 *Oblationes fidelium in Miſſa olim à Subdiaconis receptæ.*

8 *Offertorium in Miſſa cur ſic dictum?*

9 *Oblationes in Miſſa factæ à fidelibus uſque ad Annum MCC.*

10 *Oblationes aliæ erant pro Sacrificio Miſſæ, aliæ pro Miniſtris.*

11 *Oblationarius Subdiaconus quis eſſet?*

12 *Oblationum uſus adhuc in Gallia ſervatus, & Mediolani.*

13 *Calicis, ac Patenæ delatio ad Altare officium Subdiaconi antiquiſſimum.*

14 *Aquam ad lavandas manus Sacerdotis Subdiaconi non dant.*

15 *Officia Subdiaconi ex Pontificali Romano quinque.*

16 *Aquam pro Sacrificio, non etiam Vinum Subdiaconus cur debeat preparare?*

17 *Vinum conſecrare ſine miſtione aquæ non licet.*

18 *Aquam in Calicem Subdiaconus infundit.*

19 *Corporalis etymon, forma, & magnitudo.*

20 *Pallæ parvæ materia, & forma. Et cur dicta* Animetta?

21 *Corporalia, & Pallæ quando à Laicis tangi non poſſint?*

22 *Purificatoria tangere illicitum.*

23 *Abluere Corporalia, Pallas, & Purificatoria ſpectat ad Subdiaconos.*

24 *Epiſtolam cantare in Miſſa pertinet ad Subdiaconum.*

25 *Epiſtola legitur in Miſſa ex Apoſtolorum inſtituto. Et quid ipſa ſignificet?*

26 *Patenam velo obvolutam tenet Subdiaconus in Miſſa ſolemni.*

27 *Patena S. Petri Chryſologi in Eccleſia Imolenſi.*

28 *Patenæ velo obvolutæ myſterium.*

29 *Patena cur non teneatur à Subdiacono in Miſſis Defunctorum?*

30 *Pax cum Patena dari non debet, nec poni ſub mento communicantium.*

31 *Crucem in Proceſſionibus quando Subdiaconus deferat? Et quando non?* Et num. 35.

32 *Crucis delatio in Proceſſionibus ritus antiquiſſimus.*

33 *Crucis Chriſti etymon, & materia.*

34 *Æthiopum devotio erga Crucem.*

36 *Crux à Regularibus velo tecta defertur in Proceſſionibus.*

37 *Crux Eccleſiæ Paduanæ cum ampliſſimo ſerico Vexillo.*

38 *Cruce ſe ſignant aliter Latini, & aliter Græci.*

39 *Subdiaconus in peccato ſerviens Miſſæ an peccet?*

40 *Præceptum naturale eſt res ſanctas ſanctè tractare.*

REvertentes à Subdiaconis Græcis ad Latinos; horum officia, ac miniſteria oportet explicare: quamvis enim Morinus *de Sacris Ordinat. part.* 3. *Exercit.* 11. *cap.* 2. *num.* 2. dicat, explicationem hanc eſſe magis curioſam, quàm

Digitized by Google

quàm neceſſariam, eò quia nunc, & ab aliquot ſæculis officia Subdiaconorum adimpleant vel Laici, in Miſſis privatis, vel Sacerdotes in ſolemnibus Sacrificiis; qui parum attentè quæ ſunt Diaconi, quævè Subdiaconi conſiderant, & officia hujuſmodi tranſitoriè agunt; nihilominùs hoc univerſaliter non eſt verum; quia in Cathedralibus, ac aliis Collegiatis Eccleſiis utriuſque Cleri Sæcularis, ac Regularis, Subdiaconorum miniſteria per eoſdem Subdiaconos exactè obſervantur, & quo, par eſt, obſequio peraguntur, & ideò
1 non inutile, ſed expediens eſt de iiſdem miniſteriis diſſerere, tùm ad illuſtrandam antiquitatem, tùm ad modernos Subdiaconos erudiendos in omnibus ad eorum gradum ſpectantibus. Ut igitur faciliùs intelligantur ea, quæ ad ipſorum officium pertinent, diſtinguere oportet Jus antiquum; à Jure novo; nam ex utriuſque Juris aſpectu Studioſi conſpicient, quæ olim fuerint Subdiaconorum functiones, nunc obſoletæ; & quæ adhuc ſubſiſtant, & habeantur in praxi. Quatuor ſunt Jura antiqua loquentia de Subdiaconorum miniſteriis, ac officiis.

Primum eſt in Conſtitutionibus Apoſtolicis per S. Clementem Papam conſcri-
2 ptis, in quibus *lib. 8. cap. 11.* ita dicitur: *Hypodiaconi ſtent ad januas, quibus mulieres ingrediuntur, ne quis egrediatur, nevè aperiatur janua tempore oblationis; unus autem Hypodiaconus miniſtret aquam Sacerdoti ad lavandum manus*. Ex hoc canone diſcimus, quod Subdiaconi in primitiva Eccleſia ſuperintendebant cuſtodiæ portarum Templi, ut debita præſtaretur reverentia, quaſi non ſufficeret diligentia Oſtiariorum; & dabant aquam Sacerdoti ad lavandas manus in Miſſa; quæ duo officia nunc receſſerunt ab aula, primum enim ſpectat ad Oſtiarios; alterum ad Acolythos.

Secundum Jus antiquum extat in Epiſtola prima S. Fabiani Papæ Anno 240. impreſſa *in tom. 1. Concilior. pag. mihi* 354. in qua S. Pontifex ita loquitur circa initium: *Septem Subdiaconos ordinavimus, qui ſeptem Notariis immine-* 3
*rent, & geſta Martyrum veraciter colligerent, nobiſque rimanda manifeſtarent. Quod etiam Vos omnes agere monemus &c.* Ex quibus verbis deprehenditur, tunc demandatum fuiſſe Subdiaconis, geſta martyrum colligere, & in ſcriptis ponere; fuit enim Eccleſia ſemper ſollicita uſque ab initio, ne memoria geſtorum per Martyres perderetur, ac quod eorum cruciatus, tormenta, verba, & acta deſcriberentur; ad quem
effectum S. Clemens Papa id primùm 4
magna diligentia fieri à ſeptem Notariis curavit, quibus S. Fabianus, ut accuratiùs id agerent, ſeptem Subdiaconos præfecit, ut latè demonſtrat Emin. Card. Baronius *ad Annum Chriſti* 238. & ibi Spondanus *num.* 1. & 2. Cum autem tyrannorum perſecutiones ceſſaſſent, etiam finem habuit hoc officium Subdiaconorum; quos cœpit Sedes Apoſtolica mittere Nuncios in Provinciis,
& eorum opera uti in Eccleſiaſtica di- 5
ſciplina vel tuenda, vel reſtauranda, ut teſtantur plures canones Decreti, qui ſunt Epiſtolæ ad eoſdem Subdiaconos Miniſtros Apoſtolicos tranſmiſſæ, ut videre eſt in *cap. Pervenit*, & *cap. Nunciatum. 84. diſt.* item in *cap. Volumus 16. q. 4.* in *cap. Cognovimus*, & *cap. De Lapſis. 16. q. 6.* in *cap. Abbatem. in Monaſterio. 18. q. 2.* & in aliis pluribus. Hoc officium pariter ceſſavit in Subdiaconis, nunc enim Summi Ponti-
fices mittunt Nuncios ſuos charactère 6
Epiſcopali inſignitos; tùm ob majorem Apoſtolicæ Sedis venerationem, tùm ne ipſis Epiſcopi locorum, ubi mittuntur; ſubeſſe etiam in functionibus ſacris detrectent.

Tertium Jus antiquum habetur in *cap. Cleros. diſt.* 20. ubi de Subdiaconis hæc leguntur: *Subdiaconi ſic appellantur, quia ſubjacent præceptis, & officiis Levitarum: oblationes enim in* 7
*Templo Dei à fidelibus ipſi ſuſcipiunt, & Levitis ſuperponenda Altaribus deferunt:* Hæc verba innuunt magnum, & laborioſum miniſterium, ac officium,

cui antiquitùs addicti erant Subdiaconi,
ſcilicèt colligendi oblationes panis, &
vini pro Sacrificio Miſſæ, ac commu-
nione tùm Cleri, tùm Laicorum, quas
in Eccleſia fideles exhibebant. Scire
ſtudioſos oportet, ſolitos olim fuiſſe
quoſcunque Chriſtianos Sacrificio ad-
ſtantes diebus Dominicis, ac feſtivis,
poſt decantatum Apoſtolorum Symbo-
lum, munera ſua Altari offerre, undè
8 pars illa Miſſæ vocata eſt *Offertorium*,
quia tunc offerebantur à populis dona;
& interim Pſalmi plurimi à Choro de-
cantabantur; quorum loco, nunc Ver-
ſus unus legitur ſub offertorii nomine.
Mos ille offerendi munera duravit mil-
le, & ducentis annis in Occidentali
Eccleſia, ut demonſtrat Morinus in
9 tractatu *de Sacram. Pœnitentiæ libr. 6.
cap. 17. num.* 5. Emin. Card. Bona *Re-
rum Liturgic. lib. 2. cap. 8. num.* 4. Ma-
grius *in Hierolexic. Verb. Oblatio*. necnon
*Verb. Offertorium*; & nos oſtendimus
in noſtris Deciſionibus *De Sacrificio
Miſſæ Deciſ. 4. num.* 14. Spectabat igitur
ad Subdiaconos has fidelium oblationes
recipere; & ſeparare eas, quæ pro uſu
Sacrificii erant, ideſt panem, & vinum,
ab illis, quæ pro divino cultu, & ſu-
ſtentatione Miniſtrorum debebant de-
10 ſervire; nempe oleum, incenſum, gra-
na, ac pecunias, ut diſſerit Sarnellius in
ſua *Baſilicographia cap. 27. num. 1. &
ſeqq.* & ſelectum panem, & vinum,
quod ſatis eſſet pro Sacrificio, & com-
munione totius populi, Subdiaconus
deferebat ad Diaconum, & hic ſuper
Altare conſecrandum à Sacerdote lie-
tante illum ponebat; hincque factum
eſſe obſervat Sarnellius *d. cap. 27. num.*
15. quod Subdiaconus, hæc agens voca-
11 batur Subdiaconus oblationarius. Con-
cordat Gonzalez *in Commentar. ad cap.
Perniciosùs vaidè. 3. num. 2. de Cele-
brat. Miſſar. tom. 3.* & *in cap. Cauſa. 13.
à num. 3. & ſeqq. De Verb. Signific. tom. 5.*
ubi de his oblationibus Canones allegat,
atque Concilia. Quadringentis ab hinc
annis paulatim deferbuit celebris illa po-
pulorum devotio; & ceſſavit omninò
oblationum uſus in Miſſa, & ſic obſole-
tum factum eſt hoc officium, ac mini-
ſterium Subdiaconorum ubique; etſi aſ-
ſerat Morinus *d. cap. 17. num. 5.* quod ad- 12
huc *multa ſuperſunt in Gallia iſtius anti-
quiſſimæ, & laudatiſſimæ conſuetudinis
veſtigia*; & Sarnellius *in d. cap. 27. num.*
16. ſubjungat: *Nella Chieſa Metropoli-
tana di Milano fin'hoggi è in uſo farſi le
oblationi, come preſcrive il Meſſale Am-
brogiano; imperciocche due Vecchioni
dalla parte de gli huomini offeriſcono tre
Hoſtie, ed un Vaſo di Vino bianco: lo
ſteſſo offeriſcono dalla parte delle donne
due Matrone*.

Quartum denique Jus antiquum repe-
ritur *in cap. Perlectis. diſt.* 25. in quo de
officiis Subdiaconorum propriis ita regi-
ſtratur: *Ad Subdiaconum pertinet, Ca-
licem, & Patenam ad Altare Chriſti de-
ferre, & Levitis tradere, eiſque mini-* 13
*ſtrare: Urceolum quoque, & aquam,
manile, & manutergium tenere; Epiſ-
copoquæ, & Presbytero, & Levitis pro
lavandis ante Altare manibus aquam
præbere*. Duo genera officiorum ad
Subdiaconos ſpectantium in hoc canone
deſcribuntur. Unum eſt deferre Cali-
cem, & Patenam ad Altare; atque
Urceolos cum vino, & aqua pro Sacri-
ficio; & hoc eſt in uſu etiam noſtris
temporibus; omnia enim hæc Subdia-
coni exhibent Diaconis in Miſſis ſolem-
nibus, ut Rubricæ Miſſalis præcipiunt,
& experientia teſtatur. Alterum eſt,
præbere aquam Epiſcopo, ſeu Sacerdo-
ti celebranti ad lavandas manus ante
Altare, ac manutergium ad eas tergen-
das porrigere; & hoc non obſervatur in 14
praxi, expletur enim ab Acolythis,
nam Subdiaconus, dum Sacerdos lavat
manus, occupatus eſt in detentione Pa-
tenæ, de qua mox dicemus. Hucuſque
jus antiquum.

Jus novum circa Subdiaconorum of-
ficia habetur in Pontificali Romano ſub
Rubrica *De Subdiaconi Ordinatione* ubi
ea recenſentur verbis iſtis: Ad Subdia-
conos ſpectat, *Aquam ad miniſterium* 15
*Altaris præparare, Diacono miniſtrare,
Pallas Altaris, & Corporalia abluere;
Calicem, & Patenam in uſum Sacrificii*
eidem

*eidem offerre; Oblationes, quæ veniunt in Altare panes Propoſitionis vocantur; de ipſis Oblationibus tantum debet in Altare poni, quantum populo poſſit ſufficere, ne aliquid putridum in Sacrario remaneat. Pallæ, quæ ſunt in Subſtractorio Altaris, in alio Vaſe debent lavari; & in alio corporales Pallæ. Ubi autem Corporales Pallæ lotæ fuerint, nullum aliud linteamen debet lavari; ipſaque lotionis aqua in Baptiſterium debet vergi.* Hucuſque Verba Pontificalis, quæ referuntur ab ipſo Morino *Sacrar. Ordin. part.3. Exercit. 12. cap.2. num.2.* à Tamburino *de Sacram. Ord. lib.7. cap.3. nu.4.* à Biſſo in *Hierurgia Verb. Subdiaconus num. 194. §.2.* & ab Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 6. num. 56.* Ex quibus verbis quinque Subdiaconi officia colliguntur. 1. Aquam ad miniſterium Altaris præparare. 2. Diacono miniſtrare. 3. Pallas, & Corporalia abluere. 4. Calicem, & Patenam ad Aram portare. 5. Panem conſecrandum, quantum ſufficiat pro Communione populi, deferre. De ſecundo, quarto, & quinto non eſt opus, ut verba faciamus, cum ex jam dictis conſtet eſſe munia propria Subdiaconorum miniſtrare Diaconis, Calicem, & Patenam deferre ad Altare, ut quotidiè experimur; de ſeligendo autem pane conſecrando pro populi communione, cum jam ceſſent oblationes panis, quas antiquitùs fideles faciebant in Miſſa; Subdiaconi non ſunt ampliùs ſolliciti, & ab illis hoc officium in Parochos tranſivit, ad quos ſpectat tot particulas conſecrare, quot opus habeant pro communicando populo.

Porrò circa primum officium, *Aquam ad miniſterium Altaris præparandi*, ſciſcitari poſſumus, cur Aquam, non etiam Vinum injungatur Subdiacono præparare? Puto reſpondendum ob
16 duas cauſas. Prima, quia in duodecim tranſactis Sæculis, quando fideles faciebant oblationes in Miſſa, offerebant panem, & vinum conſecrandum, non autem aquam: idcircò officium erat Subdiaconi præparare aquam ad miniſterium Altaris, immiſcendam ſcilicet cum vino in Calice; quia nefas eſt conſecrare vinum, & in eo aquam non miſcere. *cap. Perniciosus valdè. De Ce-* 17
*lebr. Miſſar.* ubi Gonzalez *in Commentar. num. 2. tom. 3.* Altera cauſa eſt, quia ſpectat ad Subdiaconum infundere, aquam in Calicem poſtquam Diaconus in eo vinum poſuit, ut præcipit Rubri- 18
ca Miſſalis, ideò monetur à Pontificali Romano eamdem aquam præparare, cum ſit ejus officium, illam in Calicem ponere. Biſſus ubi ſupra *d. Verb. Subdiaconus, num. 195. §. 13.*

Quo verò ad tertium Subdiaconi officium, ideſt *Pallas, & Corporalia abluere*; notandum eſt, Corporale (ſic dictum, quia in eo ponitur Corpus Chriſti, ut ex Alcuino, & Gavanto notat 19
Biſſus *Verb. Corporale. §. 3.*) debet eſſe ex lino, longitudinis duorum palmorum cum dimidio, & totidem latitudinis, aut parùm minùs, etſi antiquitùs eſſet multò majus, quia ejus extremitatibus cooperiebatur Calix; at nunc ad hoc utimur Palla parva; quo nomine vocabatur etiam ipſum Corporale, ut ait Gavantus *ad Rubr. Miſſ. part. 2. tit. 1. num. 1.* & Biſſus *Verb. Palla parva nu. 3.* quæ propterea & ipſa debet eſſe linea, non colorata, nec alterius materiæ; & 20
vocatur vulgò *Animetta*, ex eodem Gavanto, & Biſſo *d. num. 3. §. 3.* quia aſſervatur intra Corporale plicatum, veluti anima intra corpus. Utrumque autem Corporale, & Palla debet eſſe benedictum ab Epiſcopo, vel ab inferiori à Sacra Rituum Congregatione licentiam habente, & cum ſemel in Sacrificio Miſſæ adhibitum fuerit tàm Corporale, quàm Palla, à Laicis, vel Clericis 21
minorum Ordinum tangi non poſſunt, abſque expreſſa conceſſione Epiſcopi, vel Privilegio Papæ (quo gaudent Converſi Religioſi ex Calliſto III. Sixto IV. & Leone X. teſte eodem Biſſo *Verb. Patena. §. 8.*) & ſi ea tetigerint, peccant mortaliter ſecundum aliquos DD. at ſecundum alios venialiter tantùm, ceſſante contemptu, ut diſputando firmat, citatis pro utraque opinione Theologis,

Diana

Digitized by Google

Diana Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 1. *re-*
*ſol.* 182. deſumpta ex veteri *part.* 10.
*tract.* 11. *reſol.* 2. Bonacina, & Palaus
apud eumdem Biſſum *d. Verb. Patena.*
§. 8. qui omnes eamdem prohibitionem
22 tangendi advertunt vigere in Purifica-
toriis, poſtquam ſemel in Miſſa iiſdem
uſus eſt Sacerdos. Porrò Corporalia,
Pallæ, & Purificatoria, munda, &
nitida ſervari debent; & cum per uſum
immunda aliquantulum evaſerint, tunc
à Subdiaconis ſunt abluenda; quia ex
23 præſcripto Pontificalis Romani ad eo-
rum officium talis ablutio ſpectat juxta
verba illa, quæ indicant modum ſer-
vandum in iiſdem abluendis; & quid
agendum ſit de ipſa lotione, videlicèt:
*Pallæ, quæ ſunt in ſubſtractorio Altaris*
(ideſt Tobaleæ, quæ totam menſam
Altaris cooperiunt, ut notat Magrius
*Verb. Subſtractorium*) *in alio Vaſe debent*
*lavari; & in alio Corporales Pallæ;*
(ideſt Corporalia, Animettæ, & Puri-
ficatoria.) *Ubi autem Corporales Pallæ*
*lotæ fuerint, nullum aliud linteamen de-*
*bet lavari; ipſaque lotionis aqua in Ba-*
*ptiſterium vergi debet.* Porrò, Corpo-
ralia, Pallæ, & Purificatoria poſt pri-
mam lotionem ab omnibus tangi poſ-
ſunt, imò traduntur Monialibus, vel
aliis, ut meliùs dealbentur, & refician-
tur. Biſſus *d. Verb. Corporale.* §. 6. *ubi*
*DD.*

His autem officiis de jure ad Subdia-
conos ſpectantibus tria alia addiderunt
Rubricæ Miſſalis, hìc pariter referen-
da. Unum eſt, ut induti Alba, Tuni-
cella, ac Manipulo cantent Epiſtolam
24 in Miſſa ſolemni; antiquitùs enim, ut
dictum eſt ſupra *Deciſ.* 22. *num.* 17. Sub-
diaconi ſolam Albam veſtiebant, non
etiam Tunicellam, & Manipulum:
ſed in fine octavi ſæculi uſus invaluit ad
majorem miniſterii ſacri venerationem,
ut prædicta indumenta aſſumerent, &
Epiſtolam cantarent. Magrius *in Hie-*
*rolex. Verb. Subdiaconus col.* 2. *in fine*, ubi
refert verba Amalarii Epiſcopi Trevi-
renſis, qui vivebat Anno 830. quæ in
*lib.* 2. *de Eccleſiaſt. Offic. cap.* 11. talia
ſunt: *Minor quæ de re ſumptus uſus in*
*Eccleſia noſtra, ut Subdiaconus frequen-*
*ter legat lectionem* (ideſt Epiſtolam)
*ad Miſſam, cum hoc non reperiatur ex mi-*
*niſterio ſibi dato in conſecratione commiſ-*
*ſum; neque ex litteris Canonicis neque*
*ex nomine ſuo.* Quare etſi antiquitùs
Subdiaconi non cantarent Epiſtolam in
Miſſa, nunc ex uſu, & conſuetudine
ab Eccleſia approbata eam cantant indu-
ti Tunicella, & Manipulo ſuper Al-
bam; & rationem hujus conſuetudinis
reddit Durandus *in Rat. Divin. Offic. lib.*
2. *cap.* 8. *num.* 4. quem citat, & approbat
Biſſus *d. Verb. Subdiaconus.* §. 4. ſcilicèt
quia, cum introductum fuerit, ut Dia-
conus cantaret Evangelium in Miſſa,
determinatum etiam fuit, quod Subdia-
conus Epiſtolam legeret ad majorem
Sacrificii venerationem; nam cum à
SS. Apoſtolis inſtitutum ſit, ut Epiſto-
la legeretur in Miſſa, ut ex Dionyſio,
& ex S. Clemente oſtendit Biſſus *Verb.* 25
*Epiſtola* §. 6. & ad Lectores ſpectaret il-
lam legere. Hugo de S. Victore. *libr.* 1.
*de Cærem. & Sacram. cap.* 34. translatum
fuit hoc officium de Lectoribus ad Sub-
diaconos, qui illam etſi minoris digni-
tatis, cantant ante Evangelium, ut
animi audientium à minoribus ad majo-
ra ſe præparent, ut ait Gavantus *tom.*
1. *part.* 1. *tit.* 10. *num.* 1. addens etiam
quia Epiſtola ſignificat prædicationem
S. Joannis Baptiſtæ, Evangelium verò
Jeſu Chriſti; qui voluit, illum eſſe ſui
ipſius Præcurſorem. Nunc itaque of-
ficium eſt Subdiaconi Epiſtolam in Miſ-
ſa cantare; ad quod demonſtrandum,
cum ordinatur librum Epiſtolarum acci-
pit ab Epiſcopo, ut explicuimus ſupra
*Deciſ. XXII. num.* 22.

Alterum officium Subdiacono jun-
ctum eſt tenere Patenam velo involu-
tam in Miſſa ſolemni juxta præſcriptum
Rubricæ Miſſalis ita dicentis: *Subdia-*
*cono deindè ſtanti in cornu Epiſtolæ* (Dia-
conus) *ponit in dextera manu Patenam,* 26
*quam cooperit extremitate veli ab ejus hu-*
*mero pendentis, qui vadit poſt celebran-*
*tem ante medium Altaris, & facta ge-*
*nuflexione ibi ſtat; ſuſtinens eam eleva-*
*tam uſque ad finem Orationis Dominicæ.*

Plura

Digitized by Google

Plura reperiuntur ſcitu digna apud Scriptores Eccleſiaſticos circa hujuſmodi ſuſtinentiam Patenæ. Etenim ea Patena vocatur, quia patens eſt, & ſpatioſa. Magrius *in Hierolexic. Verb. Patena*; ſubdens, quod in Liturgia S. Jacobi appellatur *Diſcus*, & in *Ord. Rom.* dicitur *Patina*, & quod in Imolenſi Eccleſia
27 adhuc conſervatur Patena argentea S. Petri Chryſologi, qui fuit Ravennæ Epiſcopus, & vivebat Anno 440. & in eadem Patena eſt delineatum Altare, ſuper quod eſt Crux, atque Agnus cum ſequentibus carminibus circum circa inſculptis:

*Quem plebs tunc cara Crucis jam fixit in Ara:*
*Hoſtia ſit gentis, primi pro labe parentis.*

Ulteriùs refert Gavantus *tom. 1. part. 2. tit. 7. num. 9. litt. R.* teneri patenam à Subdiacono extremitatibus veli obvolutam ex Decreto S. Silverii Papæ, ut ſcribit Petrus de Ruiz in *ſuo Cæremoniali*. Sed hoc eſt intelligendum de vela-
28 mine, quo tegitur ipſa Patena ob myſterium, quia ſignificat latibulum Diſcipulorum propè paſſionem ex Innocentio I.I. *in libr. 2. de Myſt. Miſs. cap. 19.* non autem de hoc officio demandato Subdiaconis illam ſic obvolutam ſuſtinendi, quia Sanctus Silverius fuit creatus Papa *Anno* 536. & eo tempore ſuſtinebatur Patena ſic tecta velo ab Acolytho, ut notat Magrius ubi ſupra *verb. Patena*; & vix in initio octavi Sæculi Subdiaconus hoc accepit officium, ut mox diximus ex Amalario de cantanda Epiſtola. Tenetur autem Patena à Subdiacono in manu dextera, quia ejus rotunditate ſignificat æternitatem, quam felicem ſperare nos docet, cum ex Calice per eumdem Subdiaconum manu ſiniſtra delato; ideſt ex tribulationibus hujus mundi, ad dexteram tranſibimus felicitatis æternæ, per Reſurrectionem Chriſti, ſignificatam in ejuſdem Patenæ detectæ poſt orationem Dominicalem, ad Altare delatione, ut ait idem Magrius ex Gemma, & Amalario, addentibus,
in Miſſis Defunctorum Patenam à Sub- 29
diaconis non teneri, quia in eis abeſſe debet omne ſignum lætitiæ. Idem notat Biſſus *Verb. Patena §. 9. & ſeqq.*

Duo autem non ſunt ignoranda de Patena, ſed memoriæ commendanda, quæ ponit ipſemet Magrius *ubi pro-*
*ximè* his verbis: *Pax cum Patena non* 30
*datur, ut in Epiſtola B. Pii V. ad Archiepiſcopum Tarraconenſem die 8. Januarii 1571. Nec à miniſtris ſub mento eorum, qui communicaturi ſunt, ſupponi debet Patena, niſi quando Epiſcopus communionem miniſtrat, quod ſit ratione majeſtatis adminiſtrantis*. Hæc omnia docent etiam Gavantus *tom. 1. part. 2. tit. 10. ſub. num. 9.* Biſſus *tom. 2. Verb. Patena §. 14. & in Verb. Pax in Miſſa §. 4.* atque Bauldry *part. 2. cap. 10. art. 1. num. 4.* apud quos eruditiones multæ de initio, ac myſterio pacis, quæ datur in Miſſa.

Tertium officium noviter injunctum Subdiacono eſt deferre Crucem in Proceſſionibus; excepta feria quinta in Cœ-
na Domini, quando Sacramentum de- 31
fertur in Sepulchrum, quia tunc alius Subdiaconus paratur, qui Crucem deferat; ille verò qui inſervivit Miſſæ aſſiſtit Sacerdoti unà cum Diacono, & eidem celebranti miniſtrat; prout etiam quando Proceſſio cum Sanctiſſima Euchariſtia ſtatim facienda eſt, poſt completam Miſſam Solemnem. Biſſus *Verbo Proceſſio SS. Sacramenti num. 226. §. 2.* Et *Verb. Subdiaconi officium feria V. in Cœna Domini num.* 197. In reliquis autem Proceſſionibus, & dum fit abſolutio ſuper ſepulturis Defunctorum Crux defertur, & deferri debet à Subdiacono, qui Miſſæ inſervivit. Biſſus *Verb. Abſolutio Defunctorum. num. 45. §. 1.* & Quartus *in tract. de Proceſſionib. ſect. 1. punct. 6. num. 4.* & *eod.*
*punct. 6. conſid. 2. in princ.* advertens, 32
Crucis prælationem, ubi incipit Proceſſio, eſſe Ritum antiquiſſimum, de quo ſcripſerunt S. Cyrillus *libr. 6. contra Julianum*. Sozomenus *libr. 1. cap. 18.* Socrates *libr. 6. cap. 8.* & Gretſerus de Cruce *libr. 1. cap. 84. & libr. 2. cap. 30.*

*cap.* 30. Subdens, quod Tertullianus ſic teſtatur de ſigno Crucis in *libr. de Corona Milit. cap.* 3. *Ad omnem progreſſum, ad omnem aditum, & exitum, ad veſtitum, ad menſam, frontem Crucis ſignaculo terrimus*. Et S. Cyrillus Hieroſolymitanus *in Cathec.* 12. & 17. *In omnibus Crux fiat, in panibus comedendis, in poculis bibendis, in egreſſu, & ingreſſu, ante ſomnum &c.* Et Divus Hieronymus ad Euſtochium: *Ad omnem actum, ad omnem inceſſum manus formet Crucem;* de quibus omnibus rationem reddit S. Leo Papa *ſerm.* 8. *de Paſs.* dicens: Quia *Crux Chriſti eſt omnium fons benedictionum; omnium cauſa gratiarum*.

Crux autem dicitur à cruciatibus. *cap. Nulli in fin.* 3. *q.* 1. & Crucem Chri-
33 ſti ex quatuor lignis formatam fuiſſe ait Gloſſa *in Clem.* 1. *de Summ. Trinit.* nempè ex Cedro, Palma, Cupreſſo, & Oliva; undè Verſus:

*Ligna Crucis Palma, Cedrus, Cupreſſus, Oliva.*

Et de illa plura ſcribit Magrius *in Hierolexic. Verb. Crux;* & præcipuè erga ipſam plurimùm devotos eſſe
34 Æthiopes; nam Laici eam in collo appenſam ſemper ferunt; in manu autem Monachi, & reliqui Eccleſiaſtici, ſicut & eorum Imperator. Hoc idem faciunt Moſcovitæ; ſed hunc miſcent errorem credentes, ſe ſatisfacere præcepto audiendi Sacrum in diebus feſtis, ſi ſe ſignent ſigno Crucis. Igitur in Proceſſionibus Crucem deferre ſpectat ad Subdiaconum medium inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accenſis, ut præſcribit Rituale Romanum *De Proceſſione in die Feſto Purific.*
35 *B. M. V.* nec non *de Proceſs. in die Palmar.* Hinc ex more antiquiſſimo Subdiaconus defert Crucem ante Romanum Pontificem equitantem, ut notat Emin. Card. Baronius *Anno Chriſti* 855. & ibidem Spondanus *num.* 4. Regulares autem in Proceſſionibus nudam Crucem ferre nequeunt, ſed cum velo in ea
36 pendenti ex Decreto *Sacr. Rit. Congr.* 14. *Januarii* 1617. teſte eod. Magrio *ubi ſupr. col.* 3. Paduæ Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Capitulum Eccleſiæ Cathedralis ab immemorabili tempore, & ex antiquis ejus Privilegiis deferre facit in Proceſſionibus Crucem oblonga, rubeaque in haſta, à qua pendet ampliſſimum purpureum ex Serico Vexillum; de quo ita loquitur Eques Urſatus *in ſua Hiſt. Patav. ad Annum*
*Chriſti* 1089. *pag.* 254. *E perche di que-* 37
*ſti honori n'era ſtato interceſſore il Veſcovo (Milone) perciò ne volſe anco à parte il Capitolo Padovano, onde da quel tempo in quà le procurò l'honore di poter portare, come tuttavia portano li Canonici nelle Solennità, e Proceſſioni, pendente da un Haſta roſſa, un gran Purpureo Stendardo*. Plurimas eruditiones de ſigno Sanctæ Crucis, de ejus delatione, ac poſitione tùm in Altari, tùm in indumentis ſacris, ac de pluribus ejus infra annum feſtivitatibus in utraque Eccleſia Græca, & Latina reperiet Lector apud prædictum Magrium *d. Verb. Crux*. qui *col.* 5. in fine notat, nos Latinos muniri ſigno Crucis manu dextera aperta à fronte ad pectus, deindè à latu ſiniſtro ad dextrum in ſignum, quod virtute Sanctæ Crucis de miſeriis
tranſimus ad felicitatem: at Græci ſe 38
ſignant à dextera ad ſiniſtram ad ſignificandum, prædicationem Crucis tranſitum feciſſe ab Hebræis ad ipſos.

Corollarii loco quis inſtabit, & requiret, An Subdiaconus exercens ſupradicta omnia officia, vel eorum aliquod in peccato mortali peccet mortaliter? Negativè reſpondet Diana *part.* 3. *tract.* 4. *reſol.* 194. *aliàs* 195. quæ in-
venitur repoſita in Coordinato ejus ope- 39
re *tom.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 118. ubi pro hac opinione allegat Vaſqueſium, Sotum, Suareſium, & alios, qui rationes has adferunt, quod horum officiorum exercitium non eſt opus tam Sanctum, & quod non reperitur præceptum de eis obeundis in ſtatu gratiæ. At ſententiam contrariam, affirmantem, quod Subdiaconus prædictus peccet mortaliter, amplectuntur ſaniores Theologi ex doctrina S. Thomæ *in* 4. *diſt.* 24. *art.* 3.

Ange-

Digitized by Google

Angelus *Verb. Clericus*. 8. Sylveſter *eod. Verb.* 2. Cajetanus 2. 2. *q.* 6. *art.* 2. Victoria *de Miniſtr. Baptiſmi q.* 29. Navarrus *in Man. cap.* 25. *num.* 72. Leſſius *in* 3. *part. q.* 64. *art.* 6. *dub.* 1. *num.* 10. Sà *Verb. Ordo. num.* 31. & præter Toletum, Molanum, & alios Filliuccius *tom.* 1. *tract.* 1. *cap.* 6. *num.* 87. cum quibus ſentio eſſe tenendum; ſiquidem nimis lacrymabile eſt aſſerere officia Subdiaconi non eſſe tàm Sancta, cum imò ſint Sanctiſſima; ex peculiari Ordine Sacro emanantia, & tàm proxima Sacroſancto Euchariſtiæ Sacrificio, ad quod celebrandum Vaſa Sacra ipſe Subdiaconus cum materia panis, & vini Diacono porrigit, & aquam in Calicem infundit; ſacris indutus veſtibus cum manipulo Epiſtolam cantat, & Patenam Sacram, in qua Sacratiſſima Hoſtia eſt reponenda, in manu ſua tenet. Quomodo in hoc Subdiacono exiſtente in mortali peccato verificabitur id, quod ſcriptum eſt in *Pſal.* 25. 6. *Lavabo inter innocentes manus meas, & circumdabo Altare tuum Domine?* Et illud: *Ego autem in innocentia mea ingreſſus ſum? ibid. Verſ.* 11. Nonnè abſonum à pietate eſt, non dari præceptum, de his miniſteriis Sacris in ſtatu gratiæ, & abſque mortali culpa, conſcientiam miniſtri aggravante, explendis? Nonnè extat præceptum natura-
40 le Sanctè tractandi res, & actiones Sacras, de quo S. Thomas *in* 4. *diſt.* 5. *q.* 2. *art.* 2. *quæſtiunc.* 4. Igitur hujuſmodi Subdiaconum reum eſſe culpæ mortalis, ac Sacrilegum cenſeo, quotieſcunque aliquod ex officiis prænarratis in hac Deciſione ſolemniter exercet, ut etiam de Acolythis in mortali ſervientibus dictum eſt ſupra *in Deciſ. XX.*

## DECISIO XXV.

### *ARGUMENTUM.*

Cum duæ ſint Subdiaconorum principales obligationes, Recitatio Divini Officii, atque obſervantia Caſtitatis, de utraque agitur in hac, & in ſequenti Deciſione. Explicatur quid ſit Divinum Officium? Modus illud recitandi, & Quot nominibus vocetur? Plura curioſa, ſed utilia dubia de eo reſolvuntur: præſertim, An Officii recitatio ſit de Jure Divino, vel de Jure humano? Quando hæc cœperit in Eccleſia? Breviarium à Quibus ſit compoſitum, ac reformatum? Ad illud tenentur Beneficiati, Profeſſi, Moniales, & Ordine Sacro initiati. Sed an hi omnes extra Chorum ſub mortali?

### SUMMARIUM.

1 *Subdiaconorum obligationes duæ Divinum Officium. Et Caſtitas.*
2 *Officium Divinum quid ſit?*
3 *Oratio Vocalis duplex Publica, & Privata.*
4 *Officium recitandum eſt voce articulata.*
5 *Vox quanta eſſe debeat in Officio recitando?*
6 *Alternatim recitans Officium cum alio ſatisfacit.*
7 *Choro addictus non ſatisfacit, ſi de per ſe ſolus recitet, & multò minùs ſi nihil recitet.*
8 *Conſuetudo Canonicorum non recitandi officium in Choro cum Choro eſt abuſus, nec ſalvat eorum conſcientias.*
9 *Officium Divinum recitandum juxta formam ab Eccleſia præſcriptam.*
10 *Officium Divinum pluribus nominibus nuncupatur hîc relatis.*
11 *Obligatio recitandi Officii an ſit de Jure Divino, vel humano?*
12 *Argumenta, quod ſit de Jure Divino.*

13 *Orare tenentur omnes fideles ex Precepto Divino, & naturali.*
14 *Argumentum valet ab Etymologia vocabuli.*
15 *Officium Divinum eſt de Jure humano.*
16 *Collegiatæ Eccleſiæ Patavinæ, in quibus abolita eſt recitatio horarum Canonicarum.*
17 *Papa non poteſt diſpenſare contra Jus Divinum.*
18 *Navarrus, dum eſſet Scholaris, petiit diſpenſari ab Officio Divino.*
19 *Officium quo ad debitum eſt de Jure Divino, quo ad ritum de Jure humano.*
20 *Papa commutat, non diſpenſat Officium Divinum.*
21 *Pſalmodia in Eccleſia quando cœperit?*
22 *Officiorum antiquorum quinque diverſa genera. Et quæ?*
23 *Apoſtoli inſtituerunt ſeptem Canonicas Horas.*
24 *Alternæ pſalmorum recitationis in Choro quis Auctor?*
25 *Breviarium à quibus compoſitum?*
26 Gloria Patri, &c. *in fine uniuſcujuſque Pſalmi quis ordinavit?*
27 *A Gregorio VII. prohibita Matutina brevia per annum.*
28 *Breviarium reformatum juſſu Innoc. III. & Gregorii IX.*
29 *Reſtitutum à B. Pio V. Anno 1568.*
30 *Recognitum à Clemente VIII. & Urbano VIII.*
31 *Obligati qui nam ſint ad recitationem Breviarii?*
32 *Beneficiati tenentur quotidie ſolvere penſum Officii Divini.*
33 *Cardinalis non ordinatus an teneatur recitare Breviarium?*
34 *Poſſeſſio beneficii requiritur pro recitatione Breviarii.*
35 *Beneficiati quando excuſentur, vel non? à Breviario?*
36 *Beneficium tenue an obliget ad recitationem Officii?*
37 *Beati Pii V. Bulla circa reſtitutionem fructuum à beneficiatis.*
38 *Penſionarii non ordinati in Sacris tenentur recitare Officium B. M. V.*
39 *Reſtitutio fructuum ob omiſſum Officium obligat in conſcientia.*
40 *Religioſi profeſſi utriuſque ſexus obligati ſunt ad dicendum Breviarium.*
41 *Moniales etiam antiquitùs recitabant Officium Divinum.*
42 *Nocte an Regulares debeant ad Matutinum ſurgere?*
43 *Profeſſi in Sacris non ordinati, ac Moniales an extra chorum obligati ſint ad Divinum Officium? Rationes pro negativa. Reſolvuntur* num. 46.
44 *Argumenta pro affirmativa, quæ eſt verior.*
45 *Conſuetudinem obligare ſub pœna peccati quatuor conditiones indicant.*
47 *Prælati Regulares an diſpenſent Profeſſos non ordinatos ab Officio?*
48 *Ordinati in Sacris tenentur recitare Officium.*

ENucleatis Subdiaconorum Officiis, conveuit explicare eorumdem obligationes, quæ quidem in Eccleſia Latina duæ recenſentur, Recitatio Divini Officii; & obſervantia Caſtitatis. De hac in ſequenti loquemur; in preſenti autem de prima; circa quam examinabimus. 1

1 Quid ſit Divinum Officium, & quot nominibus appelletur.
2 Inſtitutio Officii Divini, & Horarum Canonicarum an ſit de Jure Divino, vel Eccleſiaſtico?
3 Quis redegit in hanc formam Horas Canonicas?
4 Qui ſint obligati ad Horarum Canonicarum recitationem.
5 Quo Jure Subdiaconi non habentes beneficium, nec non Diaconi, ac Presbyteri teneantur recitare quotidie Canonicas Horas?
6 Quando hi excuſentur à prædicta recitatione?

Quo ad Primum. Horæ Canonicæ, ſeu Officium Divinum *eſt Sacrificium laudis de fructu labiorum Deo debitum ab iis, qui in ſortem Domini ſunt electi clara voce ſolvendum, certis circumſtantiis, per Eccleſiam determinatum.* Hæc 2 defi-

Digitized by Google

definitio colligitur ex *Clem. 1. de Cele-*
*brat. Miſs.* in qua *ly Sacrificium* ſtat
loco generis, quia Sacrificium eſt om-
nis oblatio Spiritualis Deo facta, ſi-
vè ſit Miſſæ, ſivè Confeſſionis, ſivè
dedicationis ſui ipſius Deo, ſivè mace-
rationis carnis in jejunio, aut diſci-
plina, juxta illud *Sacrificium Deo ſpi-*
*ritus contribulatus. Pſal. 50. 19.* Dicitur
*laudis*, nam in Divino Officio manife-
ſtantur virtutes, & excellentiæ Dei,
teſtante Pſalmiſta *Imola Deo Sacrifi-*
*cium laudis. Pſal.* 49. 14. Dicitur *De*
*fructu labiorum*, quia Laus Deo red-
ditur vel pura mente, ac ſpiritu; &
hoc fit in Oratione mentali, quando
fideles meditantur Divina myſteria,
vel contemplantur attributa Divina,
& excellentiam Majeſtatis Divinæ:
vel cum voce, & lingua; & hoc mo-
do laudatur Deus per Orationem voca-
lem. Hæc autem eſt duplex, Publica,
& Privata. Illa eſt, quando cantan-
3 tur, vel recitantur Divina Officia in
Eccleſia per ejus Miniſtros; vel etiam
ſi extra Eccleſiam, dummodo ſint ejus
Miniſtri in hac recitatione illam re-
præſentantes. Gloſsa *in Clem. Unica.*
*in Verb: Orationes. De Reliq. & Vener.*
*Sanct.* Privata eſt, quando unuſquiſque
pro ſe orat tanquam particularis, non
nomine Eccleſiæ. S. Thomas *2. 2. q.*
83. *art. 12.* Igitur dictum eſt *de fructu*
*labiorum*, habita relatione ad Oratio-
nem Publicam, quæ fieri quidem debet
corde, & ſpiritu, ſed ſimul voce, &
labiis per articulata verba, ut ait Gloſ-
ſa *in d. Clem. 1. Verb. Fructuum labio-*
*rum. De Celebrat. Miſsar.* adeoùt qui
eſt obligatus recitare Officium, non
4 ſatisfaciat, niſi recitet voce articulata,
proferens verba ore, & labiis ad *text.*
*in cap. Nunquam. De Conſecr. diſt.* 5.
Dicitur *Deo debitum ab iis, qui in ſor-*
*tem Domini ſunt electi.* Si enim Laici
tenentur ex præcepto orare, ac Deum
5 laudare, ut infra demonſtrabimus
*num.* 13. quantò magis Clerici, ac reli-
gioſi, qui miniſterio Divino ſunt ad-
dicti; de quibus proprium eſt, quod di-
xerat David: *Benedicam Dominum in*
*omni tempore, ſemper laus ejus in ore*
*meo. Pſal.* 33. 1. Dicitur *clara voce ſol-*
*vendum*: non quod ſit neceſſarium alta
voce clamare, vel cantare toties quoties
recitatur Officium; ſed ne hoc fiat
balbutiendo, vel ſyncopando, & tan-
ta voce, ut recitans ſeipſum audiat. *d.*
*Clem. 1. de Celebr. Miſſar. cap. Dolentes.*
*& ibi* Gloſſa *Verb. Studioſè. eod. tit.*
Navarrus *de Horis Canon. cap.* 20. *num.*
14. Item, ut Clericus obligatus ſciat,
ſe non ſatisfacere, ſi illud tantùm au-
diat, etſi auribus attentiſſimis; quam-
vis verum ſit, quod qui horas Canoni-
cas perſolvit in Choro, vel privatim
cum ſocio, ſatisfacit dicendo alterna-
tim verſus Pſalmorum, & ad verſicula 6
reſpondendo, ac Lectiones, Orationes,
Capitula, & Reſponſoria audiendo,
cum talis ſit univerſalis conſuetudo, ut
notat Navarrus *de Oratione cap.* 10.
*num.* 16. ea ratione quia ob unionem
charitatis cenſentur unum corpus; imò
ſi quis in Choro aliquos breves verſus
non dicat, puta dum interrogatur à Sa-
criſta de aliqua re neceſſaria, non tene-
tur ſupplere; niſi notabilem partem
omitteret, puta unum, aut plures Pſal-
mos. Innocentius in *cap. Dolentes. De*
*Celebr. Miſſar.* Quapropter, qui addi-
ctus eſt Choro, tenetur recitare alta
voce Officium in Choro ſimul cum
aliis in Choro recitantibus; & non ſa-
tisfacit obligationi, neque lucrari poteſt
diſtributiones, ſi in Choro exiſtens,
Officium perſolvat de per ſe ſubmiſſa
voce, ut ex Gaetano, & Navarro no- 7
tat Marcellus Vulpes *in Praxi cap.* 51.
*num.* 12. & multò minùs ſi ſolà præſen-
tià ſtet in Choro nihil pſallens, ut
faciunt aliqui Canonici prætextu imme-
morabilis conſuetudinis, quæ cum ſit
merus abuſus non poteſt ſalvare eorum
conſcientias, prout pluries declaravit
S. Concilii Congregatio, & præcipuè
in *Una Patavina die 17. Septembris*
1667. quæ quidem declarationes legun-
tur extenſæ apud mea Erotemata Ec- 8
cleſiaſtica *cap.* 18. *ſub num.* 17. & ra-
tio redditur manifeſta à Concilio Tri-
dentino *ſeſs.* 24. *de Reform. cap.* 12.

*Verſ. Præterea*; in quo cum dictum ſit, quod *illi tãtum* (diſtributiones) *percipiant, qui ſtatis horis interfuerint*, ſtatim explicans Concilium, quid ſit ſtatis horis intereſſe, ſubdit hæc verba: *Omnes verò per ſe*, *& non per ſubſtitutos compellantur inſervire*, *atque in Choro ad pſallendum inſtituto*, *Hymnis*, *& Canticis Dei nomen reverenter*, *ac diſtinctè laudare*. Dolendum valdè de animarum pernicie tùm hunc abuſum ſequentium, tùm Prælatorum eumdem eliminare non curantium. Ceccoperius *De Canonicis libr.* 2. *num.* 117. Et verba Bullæ 138. B. Pii V. relata infra *num.* 37. Tandem dicitur, *certis circumſtantiis per Eccleſiam determinatum*; quia in recitatione Horarum Canonicarum ſervandus eſt modus, ordo, & ritus

9 ab Eccleſia præſcripti; non enim licet unicuique privato novam methodum recitandi Divinum Officium ſibi præſcribere; ſed eam, quam Summi Pontifices approbarunt, obſervare, Ceccoperius *de Canonicis d. lib.* 2. *num.* 7. & Gobat. *d. tract.* 5. *à num.* 597. *& ſeqq.* aliàs oneri ſuo non ſatisfaceret, ut ex Bullis B. Pii Quinti, Clementis VIII. & Urbani VIII. in principio Breviarii impreſſis; & aſſerere, quod pro Officio longo ſatis ſit recitare Officium breve, eſt opinio damnata ab Alexandro VII. *die* 18. *Martii* 1666. *num.* 6. Præter prædictas Bullas Pontificias habentur præcepta Eccleſiæ circa Divini Officii recitationem *in cap. Presbyter. diſt.* 92. *in cap. In die*. *De Conſecrat. diſt.* 5. *in cap.* 1. *& cap. Dolentes. de Celebr. Miſſ. & in Clem.* 2. *eod. tit.*

Non eſt autem ignorandum, quod hæc divinarum laudum recitatio pluribus nominibus nuncupatur, videlicet: I. *Officium* ab efficiendo, quia Clerici illud quotidiè tenentur efficere, ideſt

10 exequi. Rabanus Maurus *de Inſtit. Cleric. libr.* 1. *cap.* 32. II. *Horæ Canonicæ*, quia ad certas horas regulantur. Durandus *de Ritib. libr.* 3. *cap.* 1. Biſſus *in Hierurg. Verb. Nomen Officii* §. 3. ubi refutat eos, qui dicunt, ſic nuncupari, quia à Canonicis ſunt recitandæ. III. *Breviarium*, nam Officium Divinum eſt breve, & admirabile compendium Sacræ Scripturæ. Gavantus *in Rubric. Breviarii ſect.* 2. *cap.* 1. Magrius *in Hierolex. Verb. Breviarium*. IV. *Canon*, quia ſicut Vaſſali Regibus, & coloni Dominis ſuis Canonem ſolvunt, ſic Eccleſiaſtici Canonem Divini Officii quotidiè Deo impendunt. Gonzalez *in Commentar. ad cap. Presbyter.* 1. *De Celebrat. Miſſar. num.* 14. V. *Penſum*, prout illud nominat Ivo Carnotenſis *Epiſt.* 19. dicens: *Rarò canonicum penſum determinatis horis ſolvere non valemus*. VI. *Curſus*, eò quia juxta curſum ſolis, à quo horæ menſurantur, recitatur; ideò S. Macharius in ſua Regula *cap.* 9. ait: *Curſum Monaſterii ſuper omnia diligas*. Et Venantius Fortunatus, qui florebat Anno 570. commendans Sanctos viros ſui temporis in Divinis laudibus recitandis aſſiduos, cecinit:

*Carmine Davidico Divina poemata pangens.*
*Curſibus aſſiduis dulce revolvit opus.*

Concordat eruditiſſimus Joannes Mabyllon Monachus Benedictinus, qui poſt *lib.* 3. *Liturgiæ Gallicanæ* addit Diſquiſitionem *De Curſu*, ideſt, *de Officio Gallicano*, in qua *num.* 1. hæc ponit: *Hanc Diſquiſitionem inſcribimus de Curſu Gallicano*, *quo nomine ſtatas Eccleſiæ preces*, *quæ ſub Breviarii nomine per ſingulos dies decurri*, *ac recitari debent*, *majores noſtri ſolebant ſignificare*. *Hinc Gregorius Turonenſis Antiſtes librum è ſuis unum*, *De Curſibus Eccleſiaſticis inſcripſit*. VII. *Orarium*, videlicet ab orando, ut ex Gavanto obſervat Gobatus *d. tract.* 5. *num.* 554. VIII. Officium Divinum vocatur etiam *Pſalmodia*, ut in Bulla Urbana in principio Breviarii *Incipien. Divinam Pſalmodiam*, nec non *Pſallentia*, ut in *d. Verb.* ſcribit Magrius referens hæc verba S. Damaſi *in Epiſt.* ad S. Hieronymum: *Peto etiam tuam charitatem*, *ut ſicut à Rectore tuo Alexandro Epiſcopo noſtro didiciſti Græcorum pſallentiam*, *ad nos dirigere tua Fraternitas delectetur*.

*tur*. His adſtipulatur Gonzalez *in d. cap. 1. de Celebrat. Miſſ. num.* 14. addens etiam ex antiquis Scriptoribus alia nomina, quibus Divinum Officium nuncupatur, nempe *Ordo pſallentium*, *Collecta*, *Solemnitas*, & alia ibi videnda.

Quo ad Secundum. Non levis controverſia eſt inter Theologos, atque Canoniſtas, An obligatio recitandi Divinum Officium Eccleſiaſticis incum-
11 bens, ſit de Jure Divino, vel humano? Plurimi infra citandi docuerunt, eam eſſe de Jure Divino, & eorum hæc ſunt argumenta. Primò, quia de Jure Divino eſt conſecratio Miniſtrorum Eccleſiæ per Sacramentum Ordinis, ut ſerviant Deo, & ſaluti populorum fidelium vacent, ut pluries demonſtratum eſt ſupra, probando omnes Ordines eſſe Sacramentum, & præcipuè *Deciſ. VI.* & habetur expreſſum teſtimonium Divi Pauli Apoſtoli in illis verbis *Act.* 20. 28. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit Sanguine ſuo*. Ubi Tirinus notat, per verbum *Epiſcopos* Apoſtolum ſignifi-
12 caſſe *Presbyteros*, & ſic omnes Miniſtros ſacros. Sed pro hujus miniſterii à Jure Divino inſtituti recognitione ſolvitur Canon recitationis quotidianæ Horarum Canonicarum, ut dictum eſt ſupra in *Verb. Canon*. Ergo ſicut Miniſterium eſt de Jure Divino, ita ejuſdem Canonis impoſitio, ac ſolutio. Secundò, quia ejuſdem Juris eſſe debet recitatio divinæ Laudis, quæ nunc fit in Eccleſia, ac erat illa, quæ olim fiebat in Lege Moſayca. Sed illa proveniebat ex præcepto Divino; ut legitur pluribus in locis Exodi, & Librorum Paralipomenon, ſed præcipuè 1. *Paralip.* 23. 30. ibi: *Levitæ verò ſtent manè ad confitendum, & canendum Domino, ſimiliterque ad Veſperam*. Et de eorum perſonis videtur intelligendum id, quod ait David *Pſal.* 54. 18. *Veſpere, & mane, & meridie narrabo, & annunciabo, & exaudiet vocem meam*. Ergo etiam in Eccleſia Catholica obligatio, quam tenent Miniſtri in ſacris conſtituti recitandi Canonicas horas cenſenda eſt de Jure Divino. Tertio valet argumentum à minori ad majus. *Auth. Multò magis. C. de Sacroſanct. Eccl.* Everardus *in Topicis Legal. loco* 65. Barboſa *loc.* 73. ubi 13
DD. Sed pro precibus coram Deo faciendis, & Orationibus recitandis extat præceptum Divinum, & naturale obligans omnes Laicos fideles, ut docent omnes Theologi, inter quos Azorius *tom.* 1. *libr.* 9. *cap.* 34. *quæſ.* 2. Baldellus *in Theolog. Moral. tom.* 2. *lib.* 3. *diſp.* 19. *num.* 10. Maſtrius *eod. tract. diſp.* 14. *art.* 1. Erotêmata noſtra *cap.* 16. *de Oratione num.* 4. Ergo multò magis idem præceptum Juris Divini eſſe debet aſficiens miniſtros Dei, qui ejus ſervitio per ordinem ſacrum ſunt mancipati. Quartò hoc indicatur *in Pſal.* 118. *Verſ.* 62. *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*. & *Verſ.* 164. *Septies in die Laudem dixi tibi*. Item Apoſtoli, ac diſcipuli orabant hora tertia, quando in eos deſcendit Spiritus Sanctus. *Act.* 2. 15. Divus Petrus hora ſexta Orationi vacabat. *Act.* 10. 9. Et ad Templum cum Joanne *aſcendit ad horam orationis nonam*. *Act.* 3. 11. Et cur Apoſtoli elegerunt ſeptem Diaconos, qui miniſtrarent menſis? Ecce: *Nos verò Orationi, & miniſterio Verbi inſtantes erimus*. *Act.* 14
6. 4. Et Quintò validum, & uſitatum eſt argumentum ab Etymologia vocabuli. Abbas *conſ.* 82. *num.* 2. *libr.* 1. Barboſa *texx. & DD.* cumulans *loc.* 44. Sed Horæ Canonicæ vocantur Officium Divinum. Ergo à præcepto Divino procedit obligatio illas recitandi quotidie, quæ Miniſtris ſacris incumbit. His, & aliis rationibus ita tenent Abb. *in cap.* 1. *de Celebrat. Miſſar.* S. Antoninus *part.* 2. *tit.* 9. *cap.* 12. §. 1. Angelus *Verb. Horæ. q.* 6. Roſella *eod. Verb. n.* 13. Tabiena 15. *q.* & Armilla *num.* 11. Cardinalis *in Clem.* 1. *de Celebrat. Miſſar.* & Turrecremata *in cap. Presbyter. diſt.* 91.

Contraria tamen ſententia eſt communior apud Theologos, & Canoniſtas, qui tenent, ac docent, præceptum de recitandis horis Canonicis per 15
perſonas ſervitio Dei mancipatas non eſſe

eſſe Juris Divini, ſed tantummodo Juris poſitivi Eccleſiaſtici; ea ratione quia neque ex Scriptura Sacra, neque ex Eccleſiæ traditione, neque ex Sanctorum Patrum teſtimonio colligitur; Horas Canonicas Jure Divino inſtitutas fuiſſe: imò ob hanc cauſam vocantur communiter Horæ Canonicæ, quia per Sacros Canones præſcriptæ, & ab Eccleſia ad laudandum Deum inſtitutæ ſunt; ut diſſerit Gonzalez *in Comment. ad d. cap. 1. n. 17. de Celebr. Miſſar.* & Azorius *d. libr. 10. cap. 1. quæſ. 7.* ubi relatis Laurentio, Rodulpho, & Joanne de Lignano celeberrimis Canoniſtis ita docentibus *in cap. Dolentes. De Celebr. Miſſ.* & Sylveſtro *in Verb. Hora quaſ. 8. num. 9.* reſpondet contrariis argumentis, dicens, Abbatem anteſignanum opinionis contrariæ accipere latiſſimo modo Jus Divinum pro omni eo, quod habet aliquam relationem ad verba Scripturæ Sacræ, etſi non importent præciſum præceptum; prout ſunt verba illa David, quibus ait, quod ſepties in die precabatur, & quod ſurgebat media nocte ad orandum; nam per ea narratur factum ab illo Rege, ſed non conſtituitur Jus, aut præceptum; alioquin omnes Reges cogerentur id officii, ac muneris obire. His accedunt duo alia fortiſſima argumenta; quorum unum eſt, quod ſi hæc Horarum Canonicarum recitatio eſſet de Jure Divino non poſſet dimitti in Eccleſiis Collegiatis, in quibus aliquando inſtituta fuerat; ut conſiderant Salmanticenſes in Curſu Theologiæ Moralis *tom. 4. tract. 16. de Horis*
16 *Canonicis cap. 1. n. 33.* ubi DD. allegantur; ſubdentes, quod nihilominùs plurimæ reperiuntur Collegiatæ Eccleſiæ, in quibus ceſſat earumdem Horarum Canonicarum recitatio, prout factum eſt in hac Diœceſi Patavina; in qua octo abhinc ſæculis recitabantur horæ Canonicæ in Choro in Eccleſiis S. Thomæ de Curte, S. Fidentii de Meliadino, S. Matthæi de Vantio, S. Laurentii Conſylvarum, S. Martini de Tribano, & S. Juſtinæ de Pernumia; quarum omnium Eccleſiarum Canonicatus antiquitùs obligabant ad reſidentiam, & ad divinas preces in Choro quotidiè canendas; nunc autem, ex abuſu temporum, vocantur ſimplicia beneficia, & piſcantur ſumma aciditate ab otioſis Clericis, abſque ulla memoria antiquarum obligationum publicam Pſalmodiam in iiſdem Eccleſiis requirentium. Aliud argumentum eſt, quod ſi obligatio recitandi horas Canonicas eſſet de Jure Divino, nullus poſſet diſpenſari per Papam ab hac obligatione; ſiquidem Papa non diſpenſat, 17
nec diſpenſare poteſt contra Jus Divinum, ut docent omnes Theologi, atque Canoniſtæ, quos citat, & ſequitur Fagnanus *in cap. Perniciosam. num. 79. De Offic. Ordin. tom. 2.* nec non *in cap. Henricus. num. 30. De Clericis pugnan. in duell. tom. 6.* Sed ſic eſt, quod aliquando ex gratia ſpeciali Papa diſpenſat cum aliquo Clerico obligato ad Horas Canonicas, ne ad earum recitationem teneatur; ut teſtatur Pyrrhus Corradus in *Praxi Diſpenſat. Apoſtolicar. lib. 4. cap. 2. num. 50.* ac etiam *num. 58.* ita dicens: *Summus Pontifex poteſt per ſuam diſpenſationem excuſare quem ab horis Canonicis, cum illæ ſint jure humano præceptæ; ipſeque Papa poſſit circa omne jus humanum diſpenſare. cap. Propoſuit. De Conceſſ. Preb.* & hoc idem ſcribit Navarrus *cap. 11. de Oratione num. 31.* ad- 18
dens tamen, quod hoc Papa vix facit; idque in ſe ipſo expertum fuiſſe, nam cum ſtuderet Toloſæ procuravit diſpenſationem ab Horarum Canonicarum recitatione, ut meliùs ſtudio vacaret, ſed eam obtinere non potuit. Hanc eamdem opinionem tenet Gavantus *in Rubr. Brev. d. ſect. 1. cap. 4. num. 11* Barboſa *in Collect. DD. in d. cap. Presbyter. 1. de Celebrat. Miſſar. num. 16.* & *in cap. Dolentes. num. 13. eod. tit.* atque Bonacina plurimos cumulans *tom. 1. de Horis Canonicis diſp. 1. quæſt. 6. punct. 3.*

In hac opinionum diſcrepantia placet mihi modus dicendi, quo uſus eſt M. Antonius Cucchus *in Inſtit. Majorib. libr. 5. tit. 7. num 5.* videlicèt, debitum recitandi quotidie Divinum Officium eſſe de 19
Jure Divino, modum autem & ritum il-

lud

Digitized by Google

lud recitandi eſſe de Jure Eccleſiaſtico; & ſic concordantur ſupradictæ diſcrepantes opiniones. Ecce hujus Auctoris verba: *Utrùm autem hoc penſum in horas prædictas ſic partitum verè ex Divino præcepto ſit; an id minus? non eſt certè, ut mihi videtur, facilis ſolutionis: quandoquidem doctiſſimi, iidemque valdè religioſi viri, hac in quæſtione diſceptarunt; ſed ego potiùs Sylveſtrum ſequor, quod ſcilicèt obligatio ſtatis horis, ſic in ſeptem intervalla diſtinctis laudes divinas canendi cum illis precibus, hymnis, & pſalmis &c. à Patribus quidem antiquis in Eccleſia introducta ſit, non tamen ex divino jure præſcripta. Penſum autem Divini alicujus indefiniti Officii Jure Divino, & naturali præcipiatur.* Hinc eſt, quod ſtylus Romanæ Curiæ obſervat, teſte eodem Pyrrho Corrado *d. libr. 4. de Diſpenſat. cap. 2. nu.*
20 50. & 58. quandocunque contingat aliquem diſpenſari ab obligatione recitandi Divini Officii, eidem ſemper injungere, ut quaſdam certas alias preces quotidiè recitet, puta Officium B. MARIÆ Virginis, vel ejus coronam, aut quid ſimile, adeòut nunquam tollatur debitum ſolvendum alicujus recitationis, ſed commutetur in brevius, vel facilius.

Quo ad Tertium, in quo quæritur, *Quis redegerit in hanc formam Horas Canonicas?* Præmittendum eſt, quod Pſalmodia incœpit unà cum ipſa Eccle-
21 ſia tempore Apoſtolorum; ſiquidem eorum exhortatione non ſolùm Clerici, ſed etiam Laici ad fidem converſi congregabantur ſimul, die, ac noctu ad divinas Laudes pſallendas, ut teſtantur omnes Sancti Patres antiqui, quos referunt Francolinus *de Horis Canonic. part. 1. cap. 2.* Cecoperius *de Canonicis lib. 2. num. 4.* & Gonzalez *in Comment. ad d. cap. 1. de Celebr. Miſſ. num. 17.* ubi ex Tertulliano in *Apolog. adu. gentes in princ.* & ex Euſebio *in Hiſt. Eccl. libr. 3. cap. 26.* referunt, Plinium ſecundum Provinciam regens in Oriente conſuluiſſe Trajanum Imperatorem, quid ſibi agendum de Chriſtianis, qui *Diis ſacrificare detrectabant, & cœtus antelucanos ad canendum Chriſto faciebant;* quod etiam notant Emin. Card. Baronius, & Spondanus ejus Summator *Anno 51. num. 20.* ac Surius in vita S. Huduvali Archiepiſcopi *die 6. Junii col. 3. in fin. tom. 3. pag. 163. tergo.* Hinc Joannes Mabillon in *Diſquiſit. de Curſu Gallicano, §. 1.* quam ponit poſt ſuam Liturgiam Gallicanam, refert libellum quemdam Anonymi perveruſtum, tractantem de Curſuum Eccleſiaſticorum 22
origine, in quo quinque genera Curſuum, ideſt Divinorum officiorum habentur; *Unum* Aſiaticum, quem inſtitutum aſſerit à Sancto Joanne Evangeliſta, ejuſque diſcipulo S. Polycarpo, primo Smyrnæorum Epiſcopo, quod deindè in Gallias fuit invectum. *Alterum* Alexandrinum Auctore S. Marco Evangeliſta, & hoc tranſivit in Scotiam, & receptum in Monaſteriis Lerinenſi, & Maſſilienſi. *Tertium* Orientale à S. Athanaſio adauctum, & à S. Macario decantatum in duodecim horas diſtinctum. *Quartum* Ambroſianum, ſeu Mediolanenſe, à S. Ambroſio pro uſu Eccleſiæ ſuæ reformatum; & *Quintum* Benedictinum, quod per S. Benedictum pro ſuorum Monachorum uſu, à Breviario Romano excerptum, ſtatutum fuit; & ex his facilè eſt colligere, quod Horæ Canonicæ habuerunt exordium à Sanctis Apoſtolis, à quibus fuerunt 23
diſtributæ in horas nocturnas, & diurnas, ſingulis earum aſſignatis pſalmis, collectis, & Lectionibus, de quibus locutus videtur S. Clemens *in Conſtitutionibus Apoſtol. libr. 8. cap. 30. & cap. 40.* teſte eodem Gonzalez in *d. cap. 1. de Celebr. Miſſar. num. 17.* ubi ſubdit, Polydorum Virgilium erraſſe, dum in *libr. 6. de Invent. rer. cap. 2.* ſcripſit, Breviarii diſpoſitionem factam fuiſſe à Papa Pelagio I. per *text. in cap. Eleutherius. 91. diſt.* ideſt *Anno 555.* ſiquidem Pſalmodiam in primis Eccleſiæ Sæculis, ut dictum eſt, fuiſſe uſitatam teſtantur S. Cyprianus *libr. 1. de Orat. Domin.* S. Baſilius tùm *in inſtit. moral.* tùm in *Regulis fuſis num. 37.* & alii plures antiqui Patres

Digitized by Google

Patres apud d. Gonzalez *num.*17. idemque advertit Magrius *in Hierolex. Verb. Horæ Canonicæ* Imò Socrates Eccle-
24 ſiaſticæ Hiſtoriæ Scriptor *Anno* 430. *lib. 6. cap.* 8. alterni cantus originem tribuit S. Ignatio tertio poſt Divum Petrum Antiochenſi Epiſcopo; etenim ibi ſcribit: *Ignatium vidiſſe aliquando Angelos hymnis alternatim decantatis Sanctam Trinitatem celebrantes; indèque canendi rationem, quam in illa viſione animadverterat, Eccleſiæ Antiochenæ tradidiſſe; undè iſta traditio ad omnes poſtea Eccleſias permeavit.*

His ſtantibus, ut reſpondeamus Quæſito, opus eſt dicere id, quod legitur in Concilio Toletano VI. *Can.* 6. ſcilicèt *longiquitate temporis ſæpè fieri, ut originis ratio non pateat*; nam ſicut certum eſt, recitationem divinarum laudum provenire ab Apoſtolis, earumdem compoſitionem ex Pſalmis, Hymnis, lectionibus, reſponſoriis, verſiculis, benedictionibus, abſolutionibus, capitulis, invitatorio, antiphonis, & collectis, ſeu orationibus (hæc enim omnia organizant Breviarii corpus) incertum eſt, quis fuerit proprius, ſeu primus Auctor; & magis veriſimile eſt, ex curſu temporis à Summis Pontificibus
25 ſupradictas omnes partes reviſas, purgatas, & firmatas fuiſſe. Siquidem (ut ſubjungit Gonzalez *in d.cap.*1. *de Celebr. Miſſar. num.* 19.) Theodoſius Imperator rogavit S. Damaſum Papam *Anno* 368. circiter, ut Divinum Officium pro ſingulis horis in melius diſponeret, qui hoc negotium commiſit Divo Hieronymo, ob eximiam ejus Litterarum, ac linguarum peritiam. Divus Hieronymus Pſalterium emendavit; Evangelia, & Epiſtolas diſtribuit, ſcripturaſque pro qualibet Hora Canonica ordinavit, quod Opus S. Damaſus *Anno* 382. approbavit, & in omnibus Eccleſiis obſervandum præcepit; addito, quod in fine unjuſcujuſque Pſalmi diceretur
26 Verſus *Gloria Patri, &c.* ut ipſe S. Hieronymus exoraverat, prout ex ejus Epiſtola, quæ legitur in primo Tomo Conciliorum poſt illam S. Damaſi, *pag. mihi* 707. Hanc ex Gonzalez obſervationem confirmat Magrius *in Verb. Breviarium* per hæc verba: *Certum eſt, quod ante Divi Hieronymi Lectionarium, nullus orandi methodus in Dei Eccleſia præſcriptus erat*. Igitur primus, qui formam recitandi Horas Canonicas firmavit, & juxta illam Divini Officii penſum ſolvi præcepit, fuit S. Damaſus Papa; de quo etiam in libro Pontificali, de ejus Decretis *d. tom.* 1. *Concilior. pag. mihi* 705. legitur: *Hic conſtituit, ut Pſalmi die, noctuque canerentur per omnes Eccleſias, qui hoc præcepit Presbyteris, Epiſcopis, ac Monaſteriis* ſcilicèt juxta diſpoſitionem à S. Hieronymo factam, & ab ipſo Damaſo approbatam. Succeſſivè Gelaſius Papa, poſt centum circiter annos; ideſt *Anno* 494. in Concilio Romano poſt approbationem Codicum Eccleſiaſticorum Scriptorum, pro conſcientiæ legentium ſecuritate, confirmavit lectiones, quæ ex utroque teſtameuto poſitæ ſunt in Breviario legendæ pro tempore, ut patet *in cap. Sancta* 15. *diſt.* Subſequenti poſtea ſæculo S. Gregorius Magnus ejuſdem lectiones, ac Breviarium revidit, purgavit, ac in meliorem formam recitandum propoſuit, ut legitur in Bulla B. Pii V. *Quod à Nobis*. in principio Breviarii impreſſa, quod notat Gavantus *in Rubr. Brev. ſect.*1. *cap.* 2. *num.*2.

Hæc forma Breviarii à S. Damaſo conſtituta, & à Gelaſio Papa, ac à S. Gregorio confirmata, ſervata fuit uſque ad milleſimum annum; ſed tunc, devotione ægrotante, non pauci fuerant, qui opinionem ab Alexandro VII. noſtris temporibus damnatam invexerant, ſcilicèt ſatis eſſe, ad ſolvendum Divini Officii debitum, recitare quotidie Matutinum breve, ut in die Paſchæ, vel Pentecoſtes; quapropter contra illam decretum tulit Gregorius VII. *Anno* 1076. quod legitur in *cap. In die. de Conſecr. diſt.* 5. in quo præcepit, recitandos eſſe Pſalmos prout in Breviario Romano præſcriptos, tàm in ferialibus, quàm 27
in diebus feſtis, proſcripta antedicta ex tædio recitantium genita opinione. Fas eſt cre-

eſt credere magis prolixam fuiſſe uſque ad Gregorium VII. Breviarii formam, etſi quo ad Pſalmos idem eſſet numerus, quem nunc obſervamus; nam notat Magrius in *d. Verb. Breviarium*; quod Innocentius III. anno circiter ducenteſimo ſupra milleſimum ordinavit ejuſdem Breviarii reformationem, ac reſtrictionem circa preces, ac lectiones, quod opus aſſumpſit Aymonius Miniſter Ge-
28 neralis Ordinis Divi Franciſci, quo completo, & in breviorem methodum reducto, Gregorius IX. illud approbavit, & unà cum Miſſali pariter reformato, ubique obſervari decrevit, ut ex Vivario *de Veter. Mon. libr.4.cap.4.art.4.* ex Radulpho Tungrenſi *Propoſ.7.* & ex Wadingo *Annal. Minor. Anno* 1244. refert ſupradictus Gonzalez *ad d. cap.1. de Celebrat. Miſſar. num.* 19. & differit Magrius *d. Verb. Breviarium col.*1.

Tandem trium ſubſequentium ſæculorum decurſu, quibus Eccleſia Romana Breviario per Gregorium IX. conſtituto uſa fuerat, multi irrepſerant abuſus in publicis Precibus recitandis; præcipuè in mutilatione Pſalmorum, ac introductione ad Epiſcoporum libitum novarum lectionum; quibus corrigen-
29 dis à Concilio Tridentino *ſeſſ.* 25. *in fine*, in Decreto de *Indice Librorum*, *Catechiſmo*, *Breviario*, & *Miſſali* requiſitum fuit Romani Pontificis judicium, & auctoritas; quod exequens B. Pius V. tùm Miſſale, tùm Romanum Breviarium reſtituit, purgavit, ac ad legitimam formam reduxit Anno 1568. prout in ejus Bulla *Incipien. Quod à Nobis*, impreſſa in principio Breviarii, in qua præcepit, ut in toto orbe ſervetur ab his, qui tenentur horas Canonicas recitare, aliàs muneri ſuo non ſatisfacturis; & omnibus juſſit Prælatis, ut hoc introducant tàm in choro, quàm extra chorum; permittendo tamen, ut Breviaria non Romana, antiquiora ducentis annis, computandis ab approbatione illius (ſi tamen ab initio pro illis obtenta fuiſſet licentia Apoſtolicæ Sedis) conſerventur ad uſum officii; ita tamen ut mutari poſſint in hoc Romanum, iis omiſſis, ſi Epiſcopus, ac Capitulum conſentiant; & hoc ut tollatur varietas, & firmetur unitas orandi. Recognitum deindè fuit Breviarium Romanum *Anno* 1602. à Clemente VIII. quia ob incuriam Typographorum, & audaciam aliquorum erat aliquantum depravatum; ac Urbanus VIII. *Anno* 1631. aliqua, quæ ex rudi latinitate in Hymnorum metris ab elegantia deflectebant, caſtigari, poliri, vel ex integro condi fecit; itaut in præſenti habeamus Breviarium ſuis omninò numeris, ac perfectionibus abſolutum, ut ex Bullis eorumdem Pontificum Clementis, ac Urbani VIII. in initio ejuſdem Breviarii poſt illam B. Pii V. impreſſis. De hac reformatione leguntur hi Verſus:

*Diſpoſuit primum Damaſus Breviarium: At illud*
*Corruptum purgant Pontifices alii:*
*Reſtituit Pius, ac de Præcepto eſſe rejuſſit,*
*Clemens, Urbanus denuò perpoliunt.*

Quo ad Quartum: Requirenti, quinam ſint obligati ad Horarum Canonicarum recitationem, reſpondetur, concordem eſſe Theologorum, atque Canoniſtarum doctrinam, quod tria genera perſonarum Eccleſiaſticarum ad il- 31
lam tenentur, nempè Clerici beneficiati, Religioſi profeſſi; & Ordinibus ſacris inſigniti, nempè Presbyteri, Diaconi, ac Subdiaconi; de quibus omnibus breviter, quæ ſcitu neceſſaria ſunt, hìc tangemus.

Primò igitur Clerici beneficiati tenentur quotidiè officium Divinum celebrare, vel publicè in Eccleſia, ſi ſint addi- 32
cti alicui Cathedrali, aut Collegiatæ; vel privatim in domibus ſuis, ſi extra dictas Eccleſias ſint inveſtiti, *cap. Presbyter*. 91. *diſt. cap.1.* & *cap. Dolentes. de Celebr. Miſſar.cap. Quia per ambitioſam. De Reſcript. in 6.* Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *ſeſſ.* 9. *de Reform. Curiæ. §. Statuimus &c.* & Conſtitutio 135. B. Pii V. quæ incipit: *Ex proximo*. publicata, *Anno* 1572. Nomine autem beneficii veniunt Epiſcopatus, Canonicatus, Dignitates, Præpoſituræ, Parochiales, beneficia ſimplicia, ut ſunt Clericatus, ac Præſtimonia, nec non



Digitized by Google

Capellaniæ Eccleſiaſticæ, ideſt auctoritate Epiſcopi erectæ, etſi ſint manuales, ut latè diſſerunt, ac demonſtrant Baldellus *in Theolog. Mor. tom. 2. libr. 3. diſp. 23.* Azorius *libr. 10. cap. 3.* Gobatus *in Theolog. Experim. tract. 5. num. 572.* ubi notat famoſiſſimam Regulam, *Beneficium datur propter officium*. Salmanticenſes *in Curſu Theol. Mor. tom. 4. tract. 16. de Hor. Canon. cap. 2. punct. 3. §. 1.* & Diana Coordinatus *tom. 3. tract. 6.* per
33 totum *reſol. 1.* deſumpta ex veteri *part. 8. tract. 7. reſol. 1.* in qua diſputat, an Cardinalis non ordinatus in ſacris, & adhuc nullum habens beneficium teneatur penſum Officii Divini ſolvere?

Ut autem prædicti beneficiati, ratione beneficii obligati ſint Horas Canonicas recitare, opus eſt, eos adeptos fuiſſe poſſeſſionem beneficii; vel per illos ſtare, ſi eam non ſuſceperint; ſiquidem ſi nullo impedimento detineantur, ſu-
34 bjecti ſunt huic obligationi; ſecùs ſi impediantur lite, & non habeant moralem probabilitatem vincendi; requiritur enim vel pacifica poſſeſſio, vel moralis certitudo conſequendi fructus. Sanchez *in Conſil. Mor. lib. 2. cap 4. dub. 76. num. 10.* Pellizzarius *tract. 5. cap. 8 nu. 195.* Emin. Card. de Lugo *Reſponſ. Mor. lib. 5. dub. 5. num 9.* & Salmanticenſes *d. cap. 2. §. 3. num. 39.* Quod ſi poſſidentes beneficia priventur fructibus abſque eorum culpa ex inopinatis accidentibus furti, allu-
35 vionis, ſiccitatis, belli, aut ſimilibus, pariter excuſarentur, prout ſupracitati DD. notant; qui advertunt aliter eſſe dicendum, ſi quis reciperet beneficium ex reſignatione, reſervatis omnibus fructibus reſignanti, vel ex Statuto Eccleſiæ per duos, aut tres primos annos non lucraretur fructus, tanquam aſſignatos Fabricæ, vel aliis Præbendatis, quia ſicut non eſſet excuſatus à reſidentia, & aliis functionibus Eccleſiæ, ita neque à recitatione Divini Officii, ut latè oſtendunt DD. quos citat, & ſequitur Barboſa in *cap. Dolentes. numer. 9. de Celebr. Miſſar.* Salmanticenſes *d. cap. 2. n. 44. & 45.* Reginald. *lib. 30. n. 30.* & Bonacina *de Hor. Can. diſp. 1. q. 2. p. 4. num. 21.*

Porrò celebris eſt alia quæſtio, quam Canoniſtæ, ac Moraliſtæ examinant, utrùm teneatur Officium Divinum dicere, beneficium tenue qui habet, ex cujus fructibus non ſumit ſuam neceſſariam ſuſtentationem? Alii enim negant, 36
quorum anteſignanus eſt Sotus *lib. 10. q. 5. art. 3.* Pellizzarius *d. tract. 5. cap. 8. num. 187.* & alii plurimi collecti per Salmanticenſe Collegium *d. cap. 2. ſub num. 46.* quod tamen eorum opinionem non approbat; ſed contrarium firmat *ſub num. 48.* & rectè quidem, nam ſibi imputet qui beneficium tenue acceptat; à quo, ſi cauſa penſi Officii Divini ſentit ſe gravatum, poteſt ſe exonerare, renunciando, & dimittendo prædictum beneficium; eſt enim lex, & præceptum Eccleſiæ, quod beneficiati ſive divites, ſive egeni recitent Canonicas Horas; à quarum recitatione ſi abſque legitima cauſa infirmitatis, vel alterius Canonici impedimenti ceſſaverint, peccant mortaliter, & ad fructuum reſtitutionem tenentur, ut decernit Concilium Lateranenſe ſub Leone X. *d. ſeſſ. 9. §. Statuimus;* nec non Conſtitutio antedicta 135. B. Pii V. cujus verba hìc me non piget tranſcribere, tanquam magiſtralia pro decidendis dubiis circa quantitatem fructuum ob non recitatum Divinum Officium reſtituendorum.

*Nos huic rei* (verba ſunt Bullæ Pianæ) *evidentiùs, atque expreſſiùs providere volentes, ſtatuimus, ut qui Horas omnes canonicas uno, vel pluribus diebus* 37
*intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidiè dividerentur: Qui verò Matutinum tantùm dimidiam: qui cæteras alias horas, aliam dimidiam: qui horam ſingulam, ſextam partem fructuum ejus diei amittat; tametſi aliquis Choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones fortè aliter aſſignatas, ſolâ præſentiâ, juxta ſtatuta, conſuetudinem, vel aliàs ſibi lucrifeciſſe prætendat; is etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem, grave peccatum intelligat, ſe admiſiſſe.* (Notent hæc

hæc verba, paveant, & reſipiſcant Canonici, & Confeſſarii abſolventes Canonicos, qui in Choro non recitant cum choro Horas Canonicas, & ob conſuetudinem putant ſolâ præſentiâ, vel de per ſe privatim recitantes ſuo oneri ſatisfacere.) Sequitur Bulla Piana: *Item ille, qui primis ſex menſibus officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum in-*
38 *telligat admiſiſſe. At quicunque penſiones, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, cum modo prædicto ad dicendum officium parvum B. Mariæ Virginis decernimus obligatum; & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium.* Hucuſque verba Bullæ B. Pii V. ex quibus manifeſtè apparet, beneficiatos non recitantes Divinum Officium, præter culpam mortalem, obligatos eſſe ad fructuum reſtitu-
39 tionem; quam quidem facere tenentur, nulla Judicis ſententia expectata, ſed ut dici ſolet, in conſcientia, ut concorditer tenent omnes DD. quos citant, & ſequuntur Salmanticenſes *d. tract.* 16. *de Horis Canon. cap.* 2. *num.* 53. inter quos Petrus Navarra *de Reſt. lib.* 2. *cap.* 2. *num.* 195. Layman *libr.* 4. *tract.* 2. *cap.* 5. *num.* 1. Filliucius *tract.* 28. *cap.* 10. *q.* 4. *num.* 311. noviſſimè Gobatus *tract.* 5. *num.* 581. & *ſeqq.* apud quos DD. & præcipuè apud Salmanticenſes ventilantur nonnullæ difficultates circa prædictam reſtitutionem, quas ibi ſtudioſi poterunt videre, ut in caſu conſulendi beneficiatis contumacibus in officii recitatione, vel eos abſolvendi, non illaqueant ſuam conſcientiam, ſunt enim caſus, qui ſudare faciunt, aut potius algere Confeſſarium, ut non ſemel ego expertus ſum in audiendis Confeſſionibus.

Secundum genus perſonarum Eccleſiaſticarum, quæ ad penſum Divini Officii quotidiè perſolvendum tenentur, ſunt Religioſi profeſſi, utriuſque ſexus,
40 in Religione uſum chori habente, ut conſtat ex *Clem.* 1. *de Celebrat. Miſſarum*; & ex concordi Theologorum, & Canoniſtarum doctrina, quos allegat Rodriquez *tom.* 1. *QQ. Regular. q.* 42. *art.* 1. Miranda *tom.* 1. *Manual. Prælq.* 37. *art.* 5. S. Antoninus 2. *part. tit.* 9. *cap.* 12. §. 3. Angelus *Verb. Hora. num.* 25. Suarez *tom.* 2. *de Relig. lib.* 4. *cap.* 10 *num.* 7. & Diana *part.* 10. *tract.* 14. *reſol.* 3. quæ jacet in Coordinato ejus opere *tom.* 3. *tract.* 6. *reſol.* 19. quibus addo Gobatum *d. tract.* 5. *num.* 568. & Salmanticenſes *d. tract.* 16. *de Horis Canonic. cap.* 2. *num.* 9. qui omnes deducunt originem hujus obligationis ex antiquiſſima Eccleſiæ traditione, nec non ex Regulis, & Statutis ferè omnium Religionum, quæ quotidie Horas diurnas, ac nocturnas pſallunt in Choro; ut conſtat ex uſu Religioſorum S. Marci Evangeliſtæ, & ex Philone probat Valdenſis *tom.* 3. *tit.* 3. *cap.* 122. *num.* 4. & 5. ac refert Lezana *in Summa tom.* 4. *Verb. Officium Divinum. num.* 2. & de Monialibus habetur teſtimonium Divi Hieronymi *Epiſt.* 27. in qua ſcribit vitam S. Paulæ Romanæ, 41
eamque tranſcribit Surius *die* 27. *Januarii tom.* 1. ubi *pag.* 226. *col.* 2. *in fine* de ea hæc dicit: *Mane, hora tertia, ſexta, nona, veſpere, noctis medio per ordinem* (ipſa, & aliæ Virgines apud illam conviventes) *Pſalterium cantabant; nec licebat cuique ſororum ignorare Pſalmos.* Idcircò non tàm Monachi, & alii Regulares, quàm Moniales debent diù, ac noctu Deum in Choro laudare. An autem teneantur, ſub medium noctis *è ſtragulis ad Templi tegulas, è lecto ad* 42
*Chori tectum, ex cubiculi caula ad Dei aulam prolici?* Legendus Gobatus *d. tract.* 5. *num.* 556. ubi refert prædictas antitheſes, à quodam, ut ait, indiſcreto Thomiſta refricatas contra non ſurgentes media nocte ad Matutinum, illaſque retundit. Excipiuntur autem ab hac obligatione Chori, & Horarum Canonicarum Novitii, Converſi, Profeſſi ex diſpenſatione Pontificia uxorem ducentes, ejecti in perpetuum à Religione, damnati ad triremes; non etiam Apoſtatæ, ſeu fugitivi; ut de omnibus rationem reddit, & DD. allegat Collegium Salmanticenſe *d. tract.* 16. *cap.* 2. *num.* 9. & 10.

Verùm circa hoc ſecundum genus obli-



Digitized by Google

obligatorum ad Divini Officii penſum perſolvendum, famoſa eſt Quæſtio, &
43 non levis difficultas, *Utrùm profeſſi non ordinati in Sacris; ac etiam Moniales teneantur ſub mortali recitare Horas Canonicas privatim, quando non acceſſerunt ad eas pſallendas, ſeu dicendas in Choro?* Pluries hanc quæſtionem tractavit, & pro utraque opinione Doctores innumeros retulit Diana variis in partibus reſolutionum ejus; quæ omnes nunc leguntur ſimul collectæ in opere Coordinato *d. tom.3. tract. 6. de Horis Canonicis Reſol. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.* in quibus curioſus Lector reperiet quidquid tàm pro, quàm contra in hac controverſia allegari poteſt. Illi, qui eximunt ab hac obligatione Profeſſos ſacris non initiatos, atque Moniales, fundant ſe in eo, quod nulla adeſt lex ſcripta de illa; ſed debitum hujus recitationis (ut ajunt) naſcitur ex ſola conſuetudine. At conſuetudo hæc non poteſt obligare ad culpam mortalem, quia introducta eſt ex ſola pietate, ac devotione; ut ſalutare Virginem in meridie, ac veſpere; jejunare in ejus vigiliis; & ſicut horum omiſſio non eſt mortalis, ita neque non recitatio officii extra Chorum. Item conſuetudo introducta ex errore, vel ignorantia, non eſt obligatoria. Talis eſt hæc, de qua agimus, nam invaluit apud plurimos credentes ex errore, quod obliget ſub mortali; vel ex dictis Confeſſariorum ignorantium, quorum ingens eſt numerus, præcipuè apud Moniales. Item ut conſuetudo obliget ad mortale, conſtare debet, eam expreſsè inductam fuiſſe cum obligatione hujuſmodi; nam ſi dubitare contingat, amplectenda eſt opinio excludens obligationem. *l. Si Præſes. ff. de Pœnis. l. Ea quæ. de Regul. Jur.* Has, & alias rationes allegat Collegium Salmanticenſe *d. cap.2. à num. 12. & ſeqq.* citans plures DD. hanc opinionem probabilem aſſerentes, præter illos, quos cumulat Diana in ſupra adductis reſolutionibus; & inter illos extat Caramuel *in Regula D. Benedicti diſp. 103. art. 2. reſol.8. num. 1358.* Bordonus *Var. Reſol, part. 1. reſol. 30. num.3.* & Lezana *d. tom.4. Verb. Officium Divinum. num.5.*

His tamen non obſtantibus contrariam opinionem, videlicet quod Profeſſi, qui non ſunt in Sacris, atque Moniales teneantur recitare privatim Divinum Officium, quod in Choro non perſolverunt, tenet major, ac ſanior Theologorum numerus, quos longa 44
ſerie cumulat Collegium Salmanticen. *d. cap. 2. num. 19.* inter quos Pellizzarius *tom. 1. tract. 5 cap. 8. num. 53.* Reginald. *libr. 18. num. 140.* Tamburinus *de Jure Abb. tom. 2. diſp. 10. quæſt. 2. num. 11.* Suarez *tom. 2. de Relig. lib. 4. cap. 27. num. 9.* Sanchez *Conſil. tom. 2. libr. 7. cap. 2. dub. 3. num. 6. & 12.* Baldellus *tom. 2. libr. 3. diſp. 22. num. 13.* Donatus *de Regularib. tom. 4. tract. 18. Quæſt. 8. & Quæſt. 9.* & cæteris omiſſis, ipſe Diana Coordinatus *d. tom. 3. tract. 6. in cit. reſol. 12. & ſeqq.* præſertim in *reſol. 16.* deſumpta ex Veteri ejus opere *part. 10. tract. 11. reſol. 45.* cujus quidem Dianæ opinio cenſenda eſt maximi ponderis, tùm quia maturè, ac pluries trutinatus eſt utriuſque Sententiæ fundamenta; tùm etiam quia laxiorem eligit, quando ſalvâ conſcientiâ id poſſe facere putat; cumque in præſenti teneat pro obligatione, de qua diſputat, dicendum eſt; eam ſolidioribus inniti fundamentis. Hæc autem ſunt. 1. Quia obligatio recitandi Officium Divinum Profeſſorum Choro addictorum, ac Monialium eſt onus perſonale, quod ſequitur perſonam ubicunque fuerit. 2. Quia obligatio recitandi in privato eſt ſequela recitandi in Choro; ergo ſequitur naturam illius. *cap. Acceſſorium. De Reg. Jur. in 6. l. Cum principali. ff. eod. tit.* Sicut ergò Profeſſi, ac Moniales obligati ſunt ſub mortali recitare in Choro; ita ſi deficiunt in eo, tenentur in privato. 3. Quia per Profeſſionem facti ſunt Miniſtri Eccleſiæ ad orandum Deum pro publicis ejus indigentiis quotidie; quod ſi omiſerint facere in Choro debent privatim facere, ut ſuo muneri publico ſatisfaciant. 4. Quia conſuetudo univerſalis

verſalis eſt, ut prædicti Profeſſi, ac Moniales ſint obligati ſub mortali ad recitandum in privato, quando non id fecerint in Choro. Ergo tanquam lex eſt ſervanda. *cap. fin. de Conſuet.* Quod autem hæc conſuetudo ſit cum obligatione ſub pœna mortalis peccati, dignoſcitur ex illis quatuor conditionibus, quæ pro ejus cognitione aſſignan-
45 tur à Bonacina *de Legib. diſp. 1. q. 1. punct. ult. §. 3. num.* 21. ſcilicet, ſi Superior redarguat, vel puniat, eam non obſervantes. Si populus ob ejus violationem ſcandalizetur. Si materia illius multùm conferat ad bonum commune: Si major pars Communitatis ita ſentiat. Hæ autem omnes conditiones concurrunt in conſuetudine, de qua loquimur, nam Prælati increpant non recitantes Officium neque in Choro, neque in privato; boni de hac omiſſione ſcandalizantur; Eccleſia defraudatur orationis illius auxilio; & in quacumque religione major pars tenet pro hac obligatione. 5. Tandem quia hæc conſuetudo eſt rationabilis, de re honeſta, Juri Divino, ac naturali conſona; convenit enim, ut Deo penſum quotidianum Horarum Canonicarum ſolvant, qui per Profeſſionem ſivè Maſculi, ſivè Fœminæ ſunt ejus ſervitio conſecrati, ut latiùs diſſerunt tùm Donatus *d. quæſt. 8. & 9.* tùm Salmanticenſes *d. cap. 2. num.* 19. ubi firmant, ac tenent, peccare mortaliter tàm Religioſum profeſſum, quàm Monialem omittentem recitare privatim Officium, quo die in Choro illud non dixerunt.

Nec ſubſiſtunt fundamenta pro contraria Sententia allegata. Non illud, quod hæc conſuetudo ſit introducta ex
46 ſola devotione, ac pietate; quia verius eſt, eam fuiſſe inductam cum obligatione ſub peccato mortali, ob illas quatuor conditiones ſupra enarratas, quæ illam comitantur. Non illud, quod hæc obligatio provenerit ex errore, vel ignorantia, quia cunctis præteritis Sæculis Sancti Patres, ac viri doctiſſimi eam tradiderunt: imò quod hæc conſuetudo non obliget ad peccatum, dici non poteſt, niſi cum nota erroris, & ignorantiæ, nam offendit principia Religionis noſtræ, & debitum, quod Deo eſt ſolvendum de jure Divino naturali ab his, qui mancipantur ejus ſervitio; quapropter Donatus *d. tom. 4. tract. 18. quæſt. 9. num. 5.* cum demonſtraverit, Moniales teneri privatim Divinum Officium recitare, quando in Choro ipſum non perſolverint, ſubdit: *Contraria opinio mihi videtur omni probabilitate carere, ne dicam, quod ſit temeraria, contra communem, ſcandaloſa, & odioſa ſaluti animarum.* Eadem pleniori calamo ſcribunt Salmanticenſes *d. tract. 16. de Horis Canonicis cap. 2. n.* 19. qui
addunt *num.* 20. poſſe Prælatos Regu- 47
lares aliqua vice ex juſta cauſa diſpenſare cum ſuis ſubditis profeſſis, ſed nondum Sacris initiatis, ut non teneantur horas Canonicas recitare, cum in eis talis obligatio ſit una ex obſervantiis Regularibus, circa quas iidem Prælati poſſunt diſpenſare; quod affirmandum venit etiam de Abbatiſſis erga ſuas Moniales.

Tertium denique genus Eccleſiaſticorum, qui adſtricti ſunt recitare quotidie Canonicas Horas, cenſentur Clerici ad Ordines Sacros promoti, nempè 48
Subdiaconi, Diaconi, ac Presbyteri, etſi nullum habeant beneficium, neque alicui Eccleſiæ ſint deputati; tenentur enim ad eas ſtatim, dum Ordine Sacro ſunt inſigniti, ut teſtantur omnes Theologi tàm Scholaſtici, quàm Morales, nec non omnes Canoniſtæ, & Summiſtæ. S. Thomas in *Quodlibet. 6. q. 5. art. 8.* Hoſtien. Jo: Andr. Abbas, & alii, quos citat, & ſequitur Fagnanus *in cap. Presbyter num. 15. de Celebr. Miſſar.* Suarez *de Relig. tom. 2. libr. 4. cap. 16. num. 2.* Leſſius *libr. 2. cap. 37. dub. 9. num. 45.* Caſtropalaus *tom. 2. tract. 7. diſp. 2. punct. 1. §. 1.* Salmanticenſes *d. tract. 16. de Horis Canon. cap. 2. num. 3.* Baldellus *in Theol. Mor. tom. 2. libr. 3. diſp. 21. num. 3.* Azorius *libr. 10. cap. 5. q. 1.* Donatus *tom. 4. tract. 18. quæſt. 3.* Gobatus *in Experim. Theol.*

*Theol. tract.* 5. *num.* 559. & paſſim omnes. Cæterùm à quo Jure impoſita ſit iiſdem hæc obligatio? & quando ab ea eximantur, videbimus in ſequenti.

## DECISIO XXVI.

### *ARGUMENTUM.*

Examinatur difficilis illa Quæſtio: Qua lege ordinati in Sacris obligati ſint, ratione Ordinis, recitare quotidiè Breviarium? Referuntur quatuor opiniones. Prima, quæ refutatur ut falſa, quod nulla ſit lex, & nulla obligatio. Secunda, quod hæc lex ſit Juris Canonici. Tertia, Conſuetudinem immemorabilem, ac univerſalem eſſe legem conſtituentem hoc onus. Hæc eſt communior: ideò prædicta Conſuetudo probatur Hiſtoriis, Exemplis, ac Decretis per XVII. decurſa ſæcula. Quarta opinio, quæ magis arridet, quod ex Apoſtolorum præcepto, non ſcripto, ſed traditione apud omnes invecto, Ordo Sacer obliget ad Breviarium. Tandem recenſentur, ac declarantur quatuor cauſæ ab hoc debito eximentes, Impotentia, Charitas, Metus, atque Diſpenſatio.

### SUMMARIUM.

1 *Obligatio Officii quo jure proveniat?*
2 *Antiquorum DD. opinio, quod à nullo jure. Sed eſt falſa.*
3 *Obligatio Officii an ſit ex Jure Canonico? Rationes plures.*
4 *Presbyteri nomen comprehendit etiam Diaconos, & Subdiaconos.*
5 *Breviarium diverſi ritus quando liceat recitare?*
6 *Baſileenſe Concilium in quibus ſit reprobatum?*
7 *Conſuetudo univerſalis an obliget Subdiaconos ad Officium?*
8 *Ordinati in Sacris deputantur Miniſtri ad Dei laudes celebrandas.*
9 *Conſuetudo recitandi Officium privatim ab ordinatis in Sacris probatur per omnia ſæcula Eccleſiæ.*
10 *Angelus qui portabat Uvas modò acerbas, modò maturas, modò marcidas Clerico Officium recitanti.*
11 *Pſalmi omnes olim à Clericis memoriter retenti.*
12 *Pater noſter ab aliquibus omittebatur in Officio.*
13 Debet *eſt verbum importans neceſſitatem.*
14 *S. Ludgeri recitantis Officium devotio.*
15 *Itinerantes non excuſantur à recitatione Officii.*
16 *S. Edmundus, cum eſſet ſimplex Presbyter Officium recitabat.*
17 *S. Philippus Nerius uſque ad ultimum diem penſum Officii ſolvit. Idem faciebant Presbyteri Congregationis Oratorii.*
18 *Cornelii Muſſii Epiſcopi Bituntini Synodus de recitatione, tùm publica, tùm privata Officii.*
19 *Synodus Patavina Anni* 1580. *de eadem recitatione.*
20 *Baldi pulchrum dictum de reverentia debita Conſuetudini.*
21 *Subdiaconi neſcientes recitare Breviarium peccant mortaliter.*
22 *Conſuetudo à quibus debeat introduci? Et quibus circumſtantiis?*
23 *Civitates ſubditæ non condunt legem, ſed conſuetudinem.*
24 *Apoſtolicum Præceptum ex Traditione habitum eſt origo obligationis recitandi Breviarium.*
25 *Traditiones Apoſtolicæ tùm quo ad fidem, tùm quo ad mores; ac eorum Præcepta alia ſcripta, alia tradita.*
26 *Subdiaconi tenentur recitare Officium ex Apoſtolorum præcepto.*
27 *S. Caroli præceptum ad Subdiaconos, de re-*

*de recitando Officio.*

28 *Synodus Farfenſis, ac Toletana de eadem obligatione.*

29 *Cauſæ quatuor excuſant à Breviario.*

30 *Impotentia tùm Phyſica, tùm Moralis eximens à Breviario, quæ ſit?*

31 *Scrupuloſi an ſint obligati ad Officium? Remedium S. Ignatii.*

32 *Impotentiæ ad Officium multi relati caſus.*

33 *Parochus quando poſſit cœnare, & Officii recitationem omittere?*

34 *Charitas erga proximum quando excuſet à Breviario?*

35 *Metus gravis eximit ab eodem.*

36 *Diſpenſare à recitatione Officii quis poſſit? Quando, & quomodò?*

37 *Cenſuris irretiti an teneantur Officium recitare? Et an qui dubitant de ſua ſanitate.*

38 *Reſtitutio fructuum ob non recitatum Officium quomodo facienda? Remiſſivè.*

39 *Nocturnum impoſitum ab Epiſcopo recitandum ab ordinatis an ſit de Præcepto?*

SEquitur, ut explicemus duo ultima Quæſita in præcedenti Deciſione propoſita. Et equidem

Quo ad quintum Quæſitum, videlicet,
*Quo Jure Subdiaconi, Diaconi, ac Presbyte-*
1 *ri non habentes beneficium Eccleſiaſticum,*
*& nulli Eccleſiæ deputati, teneantur*
*quotidiè recitare Divinum Officium?*
non eſt facilè reſpondendo ſatisfacere;
& tale reſponſum dare, quod plenè omnibus arrideat; ſiquidem reperio quatuor opiniones inter ſe omninò diverſas.

Prima opinio eſt, quod Subdiaconi,
& alii ſupradicti nullo jure cogantur ad
2 quotidianam Divini Officii recitationem,
& per conſequens cum nullum reperiatur Jus, nulla in eis exiſtat obligatio; & quamvis adepti ſint Ordinem Sacrum, arctari non poſſint ad penſum Horarum Canonicarum ſolvendum; quia eſt debitum pertinens ad Clericos poſſidentes beneficia Eccleſiaſtica. Ita multi DD. antiqui, quos tacito nomine citat, ſed reſpuit Gloſſa *in cap. ult. 92. diſt.* Fagnanus verò *in cap. 1. de Celebrat. Miſſar. num. 15.* refert, quod Petrus de Sampſone Magiſter Abbatis antiqui ſolebat dicere (teſte eodem Abbate *in d. cap. 1.*) ratione Ordinis neminem teneri ad Horas Canonicas *arg. cap. ult. 92. diſt.* ſubdit tamen ibidem Fagnanus, *ſed hoc nullus ſequitur, & oppoſitum tenent hic* Jo: Andr. *num. 12. in Verb. Presbyter.* Henricus Boich. *num. 5. & communiter Doctores, ut Abbas teſtatur loco citato, imò ad hoc nullus diſcrepat, ut aſſerunt* Hoſt. *num. 3.* & Joan. Andr. *ubi ſupra, & conſentit* S. Thomas *Quodlibet. 6. q. 5. art. 8.* & Summiſtæ omnes *in Verb. Horæ.* Eſt igitur hæc opinio prorsùs reiicienda; quia ut inquit Donatus *d. tract. 18. q. 9. num. 5.* caret omni probabilitate, & tanquàm noxia ſaluti animarum reputanda eſt temeraria, & ſcandaloſa; & non ſine magna admiratione audivi aliquos Religioſos proferentes id, quod de iiſdem admirans ſcripſit doctiſſimus Mabillon *de Curſu Gallicano diſquiſit. Unica §. 6. num. 64.* his verbis: *Durior multis videtur hæc obligatio, quâ ſub lethalis peccati pœnâ Divinorum Officiorum recitatio à Sacris Miniſtris exigitur. Cenſent quippè ejuſmodi homines novitiam hanc eſſe obligationem, priſcis temporibus ignotam, nec ulla Eccleſiæ Univerſæ lege impoſitam; ſed à Scholaſticis, & à caſuum Arbitris inductam.* Ea igitur abjurata:

Secunda opinio dicit, hanc obliga-
tionem in perſonis Sacris, beneficia non 3
obtinentibus, procedere à Jure Canonico; & hoc probare nituntur: Primò *ex cap. Presbyter. 1. De Celebr. Miſſar.* in quo expreſsè injungitur onus recitandi quotidie, horis debitis, ſeptem Canonicas Horas; & quamvis textus ille loquatur tantùm de Presbytero, ajunt Canoniſtæ ſub eo nomine venire etiam Diaconos, ac Subdiaconos; & alle-
gant *cap. 2. De Cohabit. Cleric. & mu-*
*lier.* id innuens his verbis, *Si quiſquam* 4
*Sacerdotum, ideſt Presbyter, Diaconus,*

*vel*

Digitized by Google

*vel Subdiaconus*; Gloſſam quoque ibi ita declarantem *in Verb. Sacerdotum: Nomine Sacerdotis intelliguntur inferiores, ut patet hîc, quia inferiora includuntur in Superioribus &c.* Hoc idem confirmant per *cap. Si quiſpiam* 81. *diſt.* in quo ita: *Si quiſpiam Sacerdotum, ideſt Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus &c.* Igitur cum appellatione Presbyteri, ſeu Sacerdotis veniant etiam Diaconi, atque Subdiaconi; & Jus Canonicum *in cit. cap.* 1. *de Celebr. Miſs.* loquatur de obligatione recitandi Horas Canonicas, quæ incumbit Presbyteris, intelligendum venit etiam de Diaconis, ac Subdiaconis. Ita Lancellottus *in Inſtit. Can. libr.* 1. *tit.* 22. §. *ult.* & Fagnanus *in eod. cap.* 1. *num.* 15. *de Celebrat. Miſſar.* Verùm hæc illatio non placet Azorio *d. libr.* 10. *cap.* 5. *quæſ.* 1. quia in pœnalibus, & in odioſis non fit extenſio ad perſonas non expreſſas; & quod magis reſiſtit, Presbyter in *d. cap.* 1. *de Celebr. Miſſar.* habebat beneficium Parochiale, ut deſumitur ex illis verbis: *Deindè peractis Horis, & infirmis viſitatis*; & ſic non eſt applicabile ordinatis in Sacris nullum habentibus beneficium, de quibus loquimur. Secundò itaque id meliùs probare intendunt per *cap. Dolentes eod. tit. de Celebr. Miſſar.* in quo differitur de ipſo onere recitandi Divinum Officium; & inculcatur adimplementum ejus *tàm Eccleſiarum Prælatis, quàm minoribus Clericis*; horum autem appellatione, reſpectu Prælatorum, veniunt Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi. Ergo ex hoc Canone, quod eſt Concilii Generalis Lateranenſis habiti ſub Innocentio III. Anno 1215.
5 reſultat obligatio, de qua agimus. Tertiò evidentius per *Clem.* 2. *De Celebr. Miſs.* in qua conceditur Clericis quibuſcunque familiaribus Cardinalium, & Epiſcoporum, ut recitantes Officium cum iiſdem Prælatis etiam ex Breviario ſibi non convenienti, non ſint ampliùs obligati eamdem recitationem cum proprio Breviario reiterare. Ergo ex hac Pontificia diſpenſatione deprehenditur antecedens Canonica obligatio. Quartò fortiùs ex Concilio Baſileenſi *ſeſs.* 21. *tit. Qualiter Horæ Canonicæ &c.* ubi monentur, ut devotè penſum Officii Divini ſolvant etiam illi, qui in ſacris conſtituti, beneficia non habentes, illud privatim recitare tenentur. Nec officit, Concilium illud tanquam Acephalum fuiſſe abolitum, quia abolitio fuit quo ad articulos fidei, & Pontificiæ deſpectæ Superioritatis, ſecùs quo ad decreta diſciplinam Eccleſiaſticam concernentia, quæ fuerunt confirmata per Nicolaum V. teſte Cabaſſutio in *Notitia Eccleſiaſtica ad d.* 6
*Concil.* & poſt *ſequen. Diatribam. n.* 10. Hæc ſecundæ opinionis fundamenta fulciunt initiatorum in Sacris obligationem, de qua eſt diſputatio, ſed non indicant ex jure Canonico ſcripto eam originaliter prodire. Quapropter

Tertia opinio, quam communiter Canoniſtæ, ac Theologi ſequuntur, eſt illa Navarri aſſerentis *de Oratione cap.* 7. *num.* 2. nullum Jus Canonicum extare, quod Diaconos, aut Subdiaconos, beneficia non poſſidentes, obliget ad Divini Officii recitationem; ſed hujuſmodi obligationem provenire ab univerſali conſuetudine Eccleſiæ; in qua abi- 7
immemorabili tempore ſemper, & ubique ſervatum fuit, ut Subdiaconi Diaconi, ac Presbyteri nulli Eccleſiæ deputati, & nullam Præbendam beneficialem habentes, ex vi Ordinis ſacri, & tanquam publici Miniſtri Eccleſiæ privatim recitarent Horas Canonicas, & ad hoc penſum ſolvendum tenerentur ſub pœna peccati mortalis. Hanc Navarri opinionem laudant, & ſequuntur omnes Moraliſtæ, quos allegant Baldellus *d. tom.* 2. *libr.* 3. *diſp.* 21. Layman *libr.* 4. *tit.* 1. *cap.* 4 *num.* 4. Salmanticenſes *d. tract.* 16. *de Horis Canonicis cap.* 2. *num* 3. Suarez *de Relig. tract.* 4. *libr.* 4. *cap.* 16. *num.* 9. Leſſius *de Juſtit. & Jur. libr.* 2. *cap.* 37. *dub.* 9. & Reginaldus *in Praxi Fori Pœniten. libr* 18 *num.* 135. & 136. ubi firmat ex communi doctrina ſcribentium, *Diaconi, ac Subdiaconi obligationem recitan-*

citandi Horas Canonicas ratione Sacri Ordinis provenire ex antiqua, & generali Eccleſiæ conſuetudine; quæ cum ſit rationabilis, & legitimè præſcripta vim legis habet, juxta cap. fin. de Conſuetud. Quod ſit rationabilis conſtat, quia Cle-
8 rici per Ordinem Sacrum deputantur Miniſtri Eccleſiæ ad cultum, & Laudes Divinas celebrandas. Leſſius *d. dubit. 9. num. 45.* quæ quidem Laudes Divinæ ne in incertum ferrentur, determinatæ fuerunt ab ipſa Eccleſia, prout modò leguntur in horis Canonicis. Eſt igitur rationi conſonum, ut ordinati in ſacris ſubeant quotidiè hoc onus, & recitent Divinas Laudes, ad quod ſe obligarunt, amplectentes ſtatum vitæ ad hanc recitationem deſtinatum per ſuſceptionem Ordinis Sacri. Quod autem quo ad omnes ſacris initiatos hæc conſuetudo ſit præſcripta, nullus eſt, qui dubitet, cum obſervata ſemper fuerit per curſum decem, ac ſeptem ſæculorum (ideſt ab initio Eccleſiæ, ac temporibus Apoſtolorum uſque ad præſens) ab omnibus Catholicis; & contra illam ſoli hæretici reclamaverint, ut benè notat Leſſius *eodem libr. 2. cap. 37. dub. 8.* Plurima verò teſtimonia liceat hìc referre & Hiſtoriis Sacris, ac probatiſſimis Auctoribus deducta, quibus oſtenditur inveteratus uſus recitandi privatim horas Canonicas ab Ordinatis in
9 Sacris, nullum habentibus beneficium. Id in primis demonſtrat S. Clemens in *Lib. 8. Conſtitut. Apoſtol. cap. 34.* in illis verbis: *Precationes facite mane, hora tertia, ac ſexta, & nona, & veſpere, atque ad Galli cantum;* quibus verbis horarum Canonicarum tempus, ac methodus deſignatur, & uſus earum innuitur quo ad omnes ordinatos. Non eſt incongruum hìc tranſcribere, quod ex Jo. Andræa notat Fagnanus *in cit. cap. 1. de Celebr. Miſſar. num. 8.* de Angelo, qui portabat cuidam Sacris initiato, vitam Eremiticam agenti, Uvas modò acerbas, modò maturas, modò marci-
10 das; & ab eo interrogatus Angelus de diverſitatis cauſa? reſpondit: *Se acerbas deferre, cum horas recitando præveniebat: maturas, cum congruo tempore recitabat: marcidas cum nimis tardabat.* Ergo in primis ſæculis Eccleſiæ recitatio privata Officii Divini erat in uſu. S. Gennadius Patriarcha Conſtantinopolitanus, qui vivebat Anno 458. *neminem ordinabat, qui Pſalterium non ſciret memoriter*, ut ex Theodoro Lectore apud Valeſium *pag. 554.* ſcribit Mabillon *in d. Diſquiſit. Unic. de Curſu Gallicano num. 73.* addens ibi, quod antiquitùs *ex Canonum præſcripto Clerici* 11
*omnes Pſalmos memoriâ tenere debebant.* Gregorius Turonenſis, qui Anno 580. florebat, in Libro *de Gloria Confeſſor. cap. 31.* agit de quodam Presbytero, qui in itinere apud pauperem quemdam hoſpitatus, juxta morem Sacerdotum de nocte *ab ſtratu ſuo conſurrexit, & matutinum perſolvit.* Hoc idem de ſe ipſo fatetur Gregorius *in libr. 8. Hiſtor. cap. 15.* Ergo recitatio privata Horarum Canonicarum apud Clericos in Sacris erat uſitata. Venantius Fortunatus contemporaneus ejuſdem Gregorii, in vita S. Germani Pariſiorum Epiſcopi pluries de ejus privata Divini Officii ſolutione loquitur, & præcipuè *cap. 76.* de eodem hæc habet: *Equitans in itinere ſemper de Deo aliquid aut verbo contulit, aut cantavit. Curſum* (ideſt Officium Divinum) *nudo capite dicens, etſi nix, aut imber urgeret.* In Concilio Toletano IV. (quod celebratum fuit Anno 633.) in *Can. 10. aliâs 9.* dolent Patres de omittentibus orationem Dominicam in principio horarum Canonicarum, & ſic decreverunt, (ut legitur in *tom. 3. Concillor. pag. 70.*) *Quiſquis Sacerdotum, vel ſubjacentium Clericorum, hanc* 12
*Orationem Dominicam quotidiè aut in publico, aut in privato Officio præterierit, propter ſuperbiam judicatus, Ordinis ſui honore mulctetur.* Quis negabit, eo tempore conſuetam fuiſſe privatam Divini Officii recitationem? Et quis *per Clericos ſubjacentes Sacerdotibus* non intelliget Diaconos, ac Subdiaconos? Ergo hi ratione Ordinis Sacri etiam privatim perſolvebant horas Canonicas. Albinus Alcuinus Anglus, Ven. Be-

dæ diſcipulus, qui floruit Anno 780. in formula Confeſſionis, quam compoſuit, *col.* 166. hæc habet: *Peccavi, quod negligens fui de meo Curſu, quem per horas Canonicas exſolvere debui, & de mea Pſalmodia, & de meis Orationibus*. Igitur recitatio Divini Officii tunc erat neceſſaria omnibus habentibus Ordines Sacros, & qui non recitabat illud, peccabat, & obligatus erat confiteri, & ſe accuſare de hac omiſſione; verbum enim *Debet* importat neceſſitatem *l. Se-*
13 *pè. ff. de Offic. Præſid.* Fagnanus *in cap. Qualiter. num.* 37. *De Cleric. non reſiden.* In Vita S. Ludgeri Epiſcopi Monaſterienſis legitur apud Surium *tom.* 2. *cap.* 32. 26. *Martii*, quod vocatus ſanctus iſte per nuncium à Carolo Magno Imperatore ſummo mane, dum domi cum ſuis Capellanis Divinum Curſum recitaret, priùs Pſalmodiam complevit,
14 deindè ad Palatium Imperatoris acceſſit; fuit autem hoc circa Annum 800; quod denotat ejuſdem privatæ recitationis uſum in Clericis Sacris. De eodem S. Ludgero legitur, quod increpavit unum de Capellanis ſuis, qui in recitatione privata Divini Officii penes ignem, curvato genu carbonem fumigantem ejecerat. Ita *in Specul. Exempl. diſt.* 8. *Exempl.* 57. Hoc idem confirmant Conſtitutiones Synodales de Anno 850. Crodegangi Metenſis Antiſtitis, quæ ita præcipiunt *cap.* 27. (apud Mabillonem *d. Diſquiſit. de Curſu Gallic. numer.* 66.) *Quicunque ex Clero in itinere cum Epiſcopo, vel cum alio proficiſcuntur, ordinem ſuum*, (ideſt Horas Canonicas) *in quantum iter, vel ratio permiſerit,*
15 *non negligant, & non eos debent præterire horæ conſtitutæ, tàm de Officiis Divinis, quàm de aliundè.* Hinc eodem ſæculo octavo cum dimidio, Leo Papa IV. in *Homil.* 4. *ad Presbyteros, & Sacerdotes* ita loquitur: *Omni nocte ad nocturnas Horas ſurgite: Curſum veſtrum horis certis decantate: Miſſarum celebrationes devotè peragite.* S. Petrus Damianus, qui ſcribebat Anno 1060. refert *in Epiſt.* 14. *ad Deſiderium Abb. cap.* 7. S. Severinum Epiſcopum Coloniens. Purgatorias pœnas ſuſtinuiſſe, quia cum Capellano omnes Horas diurnas ſummo mane recitabat. Et *cap.* 9. Presbyterum, qui in lecto Completorium recitabat; de hoc redarguitum fuiſſe à dæmoniaco, dum eum exorcizaret. Alia plura graviſſimorum Patrum teſtimonia adducit Mabillon ubi ſupra *à num.* 67. *& ſeqq.* ſuper neceſſitate ſolvendi devotè penſum Divini Officii uſque ad ſæculum decimum, & ultra, quibus ſatis ſit addere verba Jacobi à Vitriaco S. R. E. Cardinalis, qui *in Hiſtor. Occiden. cap.* 34. ita loquitur Anno 1240. *Horas Canonicas* (initiatus in Sacris) *non debet omittere; aliæ enim Orationes ſunt voluntatis, Hæ autem neceſſitatis.* Juxta hoc præceptum S. Edmundus, hoc eodem ſæculo, ac tempore, cum eſſet ſimplex Sacerdos, & Ma- 16
giſter Artium Pariſiis, quotidie antequam publicam lectionem faceret, Horas Canonicas recitabat, & Sacrum faciebat teſte Grangermano *in Specul. Exempl. diſt.* 8. *cap.* 6. Quare veritati, ac uſui inhærens Concilium Baſileenſe Anno 1430. aſſeruit *in ſupracit. ſeſſ.* 21. quod non solùm Clerici beneficiati, ſed etiam ordinati in Sacris abſque beneficio Horas Canonicas tenentur quotidie perſolvere.

Concludant Proceſſum ſuper immemorabili, & ab initio Eccleſiæ, per ſexdecim ſæcula, ſemper ſervata conſuetudine, recitandi Divinum Officium, quotidie per Clericos non beneficiatos: ordinatos in Sacris, exemplum S. Philippi Neri Presbyteri ſæcularis, ac filiorum ejus ſpiritualium, qui vixerunt poſt inceptum Annum 1500; nec non Conſtitutiones Synodales, quæ poſt eumdem Annum 1500 de eadem obligatione per conſuetudinem invecta loquuntur. De S. Philippo Nerio ita narrat Petrus Jacobus Baccius in eius vita *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 10. & 11. *L'Of-* 17
*ficio Divino era da lui recitato con grandiſſima devotione, e quando lo diceva ſolo, ſubito rimaneva rapito in Dio. E ſe bene, eſſendo già vicino à gl'ottanta anni, per le ſue continue infermità, &* aſtra-

*aſtrazioni di ſpirito, Gregorio XIV. gli haveva conceduto, che poteſſe in vece dell' Officio dire la Corona, ò altra più breve Oratione, non ſi volle però mai ſervire del Privilegio, mà ſempre lo diſſe*. Idem confirmat de hoc Sancto Joannes Marcianus *in Memor. Hiſtoricis Congregationis Oratorii tom.*1. *lib.* 2. *cap.* 13. *pag.* 121. ſubdens, *d. libr.* 2. *cap.* 25. *pag.* 179. quod in hac quotidiana Penſi Divini ſolutione perſeveravit uſque ad ultimam veſperam vitæ ſuæ; in qua *Vennero à viſitarlo Agoſtino Cardinale Cuſano, Girolamo Pamfilio Auditore di Rota, e Spinello Benci primo Veſcovo di Montepulciano, co' quali volle pagare quel debito, che non dovea, recitando con eſſi il Matutino del giorno ſeguente, nel quale ſarebbe ſtato non Viatore, mà Comprenſore*. Eamdem quotidianam Horarum Canonicarum devotè, ac attentè factam recitationem fuiſſe ab Eminentiſſimo Cardinale Baronio, Joanne Matthæo Ancina, Alexandro Fidelio, Angelo Vello, Petro Conſolino, Antonio Gallonio, Nicolao Lilio, Julio Saviolo Nobili Patavino, ac aliis pluribus, qui ſimplices Sacerdotes, non beneficiati, fuerunt de eadem Congregatione Oratorii, teſtantur eædem Memoriæ Hiſtoriæ Marcianæ *primo, ac ſeqq. voluminibus*.

Conſtitutiones Synodales ſub eodem ſæculo 1500. idem atteſtantes binas refero Cornelianas. Primæ ſunt
18 Cornelii Muſſii Epiſcopi Bituntini, ac famigerati Prædicatoris tùm in ſuggeſtu Eccleſiarum, tùm in Concilio Tridentino; in illis enim *ſerm.* 1. *ad Synod. de Divino Officio can.* 1. *pag.* 189. habetur monitio recitandi quotidiè Divinum Officium ad omnes ſacros Clericos, *Quia ad Divinum Officium tanquam ad publicam, & communem in Eccleſia ſervitutem Miniſtri Dei, ut ſeorsùm ſinguli, ſic ſimul omnes jure tenentur*: quæ verba mirabili energiâ oſtendunt eamdem eſſe obligationem ordinatorum in ſacris recitandi Divinas preces ſeorsùm cum illa, quam habent pſallendi publicè mancipati Choro. Aliæ ſunt Federici Cornelii, hujus Patavinæ Eccleſiæ Anno 1580. Epiſcopi vigilantiſſimi, ac paulò poſt S. R. E. Cardinalis ampliſſimi, qui in *cap. de Subdiaconis pag.* 30. ſic loqui-
tur: *Omnes Subdiaconi Officium Domi-* 19
*nicum quotidiè recitent*. Cur ita? Quia ſcilicèt talis etiam Patavii, prout in tota univerſali Eccleſia, erat irrefragabilis conſuetudo. Igitur ex combinatione tot teſtium, & probationum ab initio Eccleſiæ uſque ad noſtrum ſæculum, quaſi per viam proceſſus de ſæculo in ſæculum collectarum, conſtat maniſeſtè, & concludenter de conſuetudine obligante Subdiaconos, Diaconos, ac Presbyteros, (quamvis non beneficiatos) ad recitandum quotidiè Divinum Officium ſub pœna mortalis peccati; & idcircò eidem conſuetudini deferendum, & omninò ſtandum eſt, juxta dictum Baldi *conſ.* 318. repetitum per Rolandum à Valle *conſ.* 55. *num.* 19. *vol.* 3. &
allegatum à doctiſſimo, ſimulque eru- 20
ditiſſimo Gobato *d. tract.* 5. *Theol. Exper. num.* 560. videlicèt: *Conſuetudini ſicut Matri debet adhiberi reverentia*; qui quidem Gobatus *ibid. num.* 561. optimè infert; quod proindè peccat graviter, qui ſuſcipit hypodiaconatum ignarus legendi officium ex Suario *cit. libr.* 4. *cap.*27. *num.*6. & Tannero *tom.* 3. *diſp.*5.
*q.*1. *num.*17. vel rectè recitandi ex Na- 21
varro *de Oratione cap.*11. *num.*39. Azorio *part.*1. *libr.*9. *cap.*13. *q.* 18. & Reginaldo *libr.*18. *num.*193. incipit enim in ipſo Subdiacono eadem die, & hora, quibus Ordine illo Sacro inſignitur, obligatio perſolvendi Officium Divinum. Sanchez *Conſil. Moral. libr.*7. *cap.* 2. *dub.* 7. Palaus *part.* 2. *tract.* 7. *punct.* 4. *num.* 3. idem Gobatus *d. tract.* 5. *num.* 561. qui tamen pro prima ordinationis die, non eſſe integrum penſum ſolvendum, ſed vel ab hora ſexta, vel à veſpere contendunt.

Stat itaque inconcuſſa hæc immemorabilis conſuetudo: nihilominùs non deſunt, qui blaterant contra illam, vel tædio recitandi Canonicas horas, vel ſtimulo ſe ingenioſos oſtendendi; nonnulla, ad eam evertendam, commini-

ſcentes argumenta, quorum præcipua
22 ſunt. Primò: Conſuetudo introducta à non habentibus auctoritatem condendi legem, non poteſt habere vim legis. Sed hæc conſuetudo privatæ recitationis horarum Canonicarum introducta eſt à juvenibus Subdiaconis, & à profeſſis, nec non Monialibus, non habentibus facultatem condendi legem. Ergo non poteſt tanquam lex eos ad mortale obligare. Secundò: ut conſuetudo obliget ſub mortali debet introduci non ex devotione, ac mera pietate; ſed ex animo, ut obliget tanquam lex de re gravi. Conſuetudo, de qua agimus introducta fuit ex devotione ut dictum fuit ſupra *Deciſ.* 25. *num.* 43. Ergo non poteſt obligare ad mortale. Tertiò: conſuetudo invecta ex errore, vel ignorantia multitudinis judicantis ſe teneri ad aliquos actus ſub mortali, detecto errore, ad nihilum obligat. Suarez *de Legib. libr.* 7. *cap.* 12. Caſtropalaus *tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *punct.* 2. §. 3. *num.* 10. & paſſim omnes. Sed conſuetudo privatæ recitationis Breviarii à Subdiaconis, & Monialibus introducta eſt ex ignorantia, & ex errore, credentes adeſſe legem, quæ eos, & eas obliget ad mortale, etſi nulla lex ſit. Ergo detecto errore non obligat. Quartò: conſuetudo ut ſit obligatoria, debet eſſe certa, conſtans, & indubia apud omnes. Sed hæc, de qua loquimur, non eſt talis, quia multi opinantur non eſſe obligatoriam, ut diximus ſupra de viris profeſſis, de Monialibus, & de Subdiaconis ſæcularibus *num.* 43. *d. Deciſ.* 25. Ergo non obligat.

Frivola tamen hæc ſunt, & de facili reſolvuntur: ad Primum enim reſpondetur, falſam eſſe majorem propoſitio, quia omnes Civitates, Oppida, & Villæ, etſi non poſſint condere legem,
23 valent introducere conſuetudinem obligantem adinſtar legis, quia id faciunt ex Superioris conſenſu tacito, vel expreſſo. S. Thomas 1.2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 3. Caſtropalaus *d. tom.* 1. *tract.* 3. *diſp.* 3. *punct.* 3. *num.* 4. & Salas *de Legib. diſp.* 19. *ſect.* 6. *num.* 59. & *ſect.* 11. *n.* 9. Ad ſecundum reſpondetur, obligationem Divini Officii, non ex ſola devotione eſſe introductam, ſed ex debito, & ſub gravi culpa ob rationes notatas *ſupra num.* 8. Ad Tertium negatur, in primordio hujus Conſuetudinis fuiſſe errorem; imò ſupponitur cognitio proprii debiti, ad miniſtros Dei in ſacris conſtitutos ſpectantis, cujus intuitu omnes Subdiaconi, Diaconi, ac Presbyteri ſemper Divinum Officium privatim recitarunt. Ad Quartum, eſſe certam, & obligantem hanc conſuetudinem dicimus ex illis quatuor conditionibus eam comitantibus, quas poſuimus ſupra pro obligatione Monialium, & Profeſſorum non ordinatorum *Deciſ.* 25. *num.* 45. Et nihil ponderis habet opinio aliquorum Scribentium, & de valore hujus conſuetudinis dubitantium; quia cum non probent extare conſuetudinem in contrarium, imò confiteantur eam in facto ſubſiſtere, ac vigere; ſequitur, quod ea vigente, ac florente irrefragabilis ſit ejus obligatorius effectus; & redarguendi ſunt muſſitantes in illam verbis Donati, de quibus pariter *d. Deciſ.* 25. *num.* 46. nec non adagio Baldi *conſ.* 112. *vol.* 2. affirmantis, quod *Qui contra omnes loquitur, non benè loquitur.*

Quarta denique opinio, cæteris excellentior, circa initium privatæ recitationis Breviarii, quam faciunt ordinati
in ſacris non beneficiati, eſt, quod pro- 24
veniat ab Apoſtolico præcepto, in univerſam Eccleſiam evecto, non ſcriptura, ſed traditione. Ita Cardenas in Criſi Theologica *part.* 1. *tract.* 3. *de Legib. & Præceptis diſp.* 23. *cap.* 7. *à num.* 223. *& ſeqq.* Fulcitur hæc opinio, illo Religionis noſtræ fundamento, quod dantur in Eccleſia Apoſtolicæ Traditiones non ſolùm in his, quæ ad fidem pertinent, ſed etiam ad mores; ſiquidem
etiam in his habentur Apoſtolica præ- 25
cepta non ſolùm ſcripta, ſed tantùm tradita, ut ex Concilio Niceno II. *act.* 7. & ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 7. *Can.* 8. *de Baptiſmo*, probat idem Cardenas *d. diſp.* 23. *cap.* 5. *num.* 92. itaut quando reperitur præceptum aliquod nullibi ſcriptum, ſed ſemper in univerſa Eccleſia ſerva-

ſervatum , dicendum ſit , datum ab Apoſtolis, & per Traditionem inter omnes populos fideles propagatum . Ipſe Cardenas adducit teſtimonium S. Auguſtini *Libr.* 4. *contra Donatiſtas cap.* 24. dicentis: *Quod Univerſa tenet Eccleſia , nec Conciliis inſtitutum , ſed ſemper retentum eſt , non niſi auctoritate Apoſtolica traditum rectiſſimè creditur* : prout etiam *Lib.* 5. *cap.* 23. *Sunt multa , quæ univerſa tenet Eccleſia ; & ob hoc ab Apoſtolis præcepta benè creduntur, quamquàm ſcripta non reperiantur.* Hoc etiam confirmat Cardenas *ibidem* aliorum SS. Patrum aſſertionibus , præcipuè Tertulliani, Origenis , S. Hieronymi, & S. Baſilii , quorum verba tranſcribere omitto; non enim ad heterodoxos , ſed ad pios Catholicos , hanc profitentes veritatem , hæ Deciſiones diriguntur: & quod in Eccleſia ſint multa præcepta Apoſtolorum , de quibus conſtat ex ſola Traditione, dicit etiam Diana Coordinatus *tom.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 77. §. 2. quæ in veteri eſt *part.* 8. *tract.* 1. *reſol.* 77. Idcircò Subdiaconi , Diaconi , ac Presbyteri recitant privatim horas Canonicas ex Apoſtolorum præcepto; ab illis enim hoc onus injunctum fuit cunctis ordina-
26 tis in ſacris, quod & ipſi Apoſtoli quotidie adimplebant; ut conſtat tùm ex *Act. cap.* 3. 1. *Petrus , & Joannes aſcendebant in Templum ad horam Orationis nonam ;* tùm *ex cap.* 6. 4. quando decreverunt eligere ſeptem Diaconos , qui præſiderent menſis , & dixerunt : *Nos verò Orationi , & miniſterio Verbi inſtantes erimus* . Quoniam autem hoc Apoſtolicum præceptum non reperitur ſcriptum, cenſetur traditum, & de traditione firmam fidem , ac probationem facit univerſalis per totam Eccleſiam conſuetudo ; adeòut verè , & propriè non ſit conſuetudo , quæ obliget Sacros Miniſtros ad penſum Divini Officii ; ſed ipſa demonſtret, ac teſtetur , ad illud eſſe obligatos ex Apoſtolorum præcepto . Ita Cardenas *d. tract.* 3. *diſp.* 23. *cap.* 7. *à num.* 223. *uſque in fine ;* optimè deducens, conſuetudinem eſſe quid facti , probando præexiſtentiam Præcepti Apoſtolici , quod eſt quid Juris; & ſic Jus , ſeu lex obligans eoſdem ſacris initiatos ad quotidianam Divini Officii privatam recitationem , eſt Præceptum Apoſtolorum ; probatio verò ejuſdem præcepti eſt immemorabilis conſuetudo, univerſaliſque obſervantia hujus recitationis , quæ denotat Præceptum ipſum ex traditione fuiſſe in totam Eccleſiam diffuſum , & in tota Eccleſia ab ejus initio uſque ad præſentia tempora ſervatum . De hac Apoſtolica lege intellexit S. Carolus Borromeus , quando in *Concil. Mediolan. Provinc. V.* Hoc idem Anno 1579. in Titulo *De initiandis Ordinis Sacramento* dixit : *Qui Subdiaconatus Ordini adſcriptus eſt , cum ſtatim LEGE* 27
*adſtrictus ſit , canonicarum Horarum Officium ex Breviarii præſcripto recitandi ; nemo ad eum Ordinem capeſcendum recipiatur , qui in horarii illius Officii , cujus LEGE devinctus tenetur , rectè , ac ritè recitandi uſu peritus non ſit* . Ad eamdem Legem reſpexit etiam Emin. Card. Carolus Barberinus , dum Anno 1685. in ſua Synodo Diœceſana Farfenſi *cap.* 21. *num.* 4. ſuis Clericis ita fuit locutus : *Omnes verò , qui ad Divini Officii recitationem , ſivè Ordinis ſuſcepti , ſivè beneficii ratione TENENTUR, eandem* 28
*competentibus horis ſtudioſè pariter , & devotè peragant , nec unquam ſub pœnis per Apoſtolicas Conſtitutiones ſancitis omittere præſumant* . Eidem legi inhærens Synodalis Conſtitutio Toletana in *tit. de Celebr. Miſſar. cap.* 14. *Arbitrariam pœnam imponit Clericis , qui beneficium Eccleſiaſticum non habent , & horarias preces omiſerint recitare* , ut notat Lopez de Salzedo in *addit.* ad Diaz *Tract. Crimin. Canonic. cap.* 57. *Litt. A in fin.*

Quo ad Sextum , & Ultimum, in quo quæritur , quando Subdiaconi, & alii obligati ad penſum horarum Canonicarum excuſentur ab earum recitatione? Quatuor ob cauſas ajunt Doctores eos excuſari ; ſcilicèt ob Impotentiam , ob 29
Charitatem , ob Metum , & ob Diſpenſationem . Ita Sanchez *in Conſil. Moral. libr.* 7. *cap.* 2. *dub.* 25. *num.* 4. Reginaldus

*d. lib.* 18.

Digitized by Google

*d. libr.* 18. *à num.* 181. *& ſeqq.* & Gobatus *d. tract.* 5. *Experim. Theologiæ num.* 708. ubi duo notabilia ; unum , quod omnes cauſæ excuſantes ab auditione Miſſæ, excuſant etiam à penſitatione Breviarii ; alterum , quod major cauſa requiritur ab excuſando beneficiato , quàm ordinato in Sacris abſque beneficio. Impotentia eſt duplex , Phyſica , quæ complectitur omne impedimentum
30 corporis ; & Moralis , ſe extendens etiam ad animi mœſtitiam . Hinc infirmi , febricitantes , nimis defatigati , carenteſvè Breviario excuſantur ab hoc onere ſolvendo ob phyſicam impotentiam . Afflicti verò magno animi mœrore , puta ob mortem Patris , ob inopinatum grave infortunium , cenſentur ab eodem exempti ob impotentiam moralem . Sanchez, Tamburinus, & alii apud Gobatum . *num.* 709. *d. tract.* 5. qui *num.* 718. ſub hac morali impotentia ponit ſcrupuloſos , nempè illos ,
31 qui non ſemel repetunt pſalmos jam recitatos , tanquam vel nunquam , vel non benè recitatos ; & narrat prudens remedium, quo S. Ignatius Loyola liberavit ab his ſcrupulis P. Cornelium Brughelmanum Flandrum Sacerdotem ſuæ Societatis, ei præcipiendo, ut recitaret officium cum Horologio pulverario, & in eo recitando non plus temporis poneret, quàm alii Patres conſueverant; quo tempore conſumpto, ſi qua fortè pars ad totum officium explendum deeſſet, eam ille eo die prætermitteret. Cornelius veritus ne aliquam partem omittere cogeretur , ceſſavit ſcrupulizare, & jugi pronunciatione penſum proſequi; ſicque ab illa animi infirmitate ſe liberavit.

Plures autem quæſtiones faciunt Theologi ſuper utràque impotentia ;
32 verbi gratia, an qui prævidet ſe impeditum iri in recitatione, teneatur præveniendo recitare ? An expectans febrem tertianam , vel quartanam, debeat ante paroxiſmum officium dicere ? An ſi ſolus non poteſt , cogatur ſocium quærere , vel ſe ultrò offerentem admittere? Valetudinarii an dubii de detrimento poſſint non recitare ? An dicto Medici ſtent tuta conſcientia , etiam ſi Medicus ſit Lutheranus, vel, ut in hac Civitate, Judæus ? An Cæcus adſtrictus ſit ad pſalmos quos memoriter tenet ? An timens oculorum læſionem . Et plures aliæ, circa quas alii DD. negant, alii DD. affirmant; quos allegant Sanchez *d. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 43. Jo. Sancius in *Selectis diſp.* 15. Tamburin. *libr.* 2. *in Decal. cap.* 5. §. 8. & Gobatus *eod. tract.* 5. *à num.* 711. *& ſeqq.* uſque ad *num.* 721. ubi refert caſum facetum Parochi, qui prorogavit ſumere cibum, & totum officium recitare uſque ad ultimam dimidiam horam ante mediam 33
noctem; adeòut, ſi priùs penſum officii ſolvat , manducabit poſt dimidiam noctem , & die ſequenti Miſſam , tanquam non jejunus, celebrare non poterit: ſi verò priùs comedat, terminabit media nox , & non erit tempus ſolvendi officium pro die decurſo. Quid igitur Parochus prædictus facere debet? Cœnare, ut poſtridiè celebret, omittendo officium divinum diei decurſi? Vel recitare officium, deindè cœnare, & die ſequenti non celebrare? Diſtinguit Gobatus ita: Vel Sacrificium diei ſequentis eſt de præcepto, & omitti non poteſt abſque magno ſcandalo populorum? Et tunc cœnet ante mediam noctem, omittatque recitare officium diei decurſi; quia majus præceptum prævalet minori; & majus cenſetur illud de celebrando, ne ſequatur ſcandalum die ſequenti, quàm recitare officium pro die anteacto . At ſi Miſſam eſt dicturus ob ſolam devotionem, ſolvat penſum horarium, deindè cœnet poſt mediam noctem, & abſtineat die ſequenti à celebratione; ſiquidem officium, quod eſt in præcepto , prævaleredebet Miſſæ ex ſola devotione. Ita ingenioſè Gobatus, apud quem *num.* 726. *d. tract.* 5. extat alia reſolutio ad hunc caſum , quam facit Leander *de Ord. tract.* 8. *diſp.* 5. *q.* 43. quod ſcilicet Parochus ille cœnet per quartam partem ultimæ horæ, & per aliam quartam partem recitet officium, quantum poteſt, & quod non poteſt, omittat.

Non

Non placet Gobato hæc reſponſio, ſed mihi arridet.

Charitas eſt ſecunda cauſa excuſans à penſitatione Breviarii, ideſt, ut proximo ſuccurratur vel in corporalibus, vel
34 in ſpiritualibus indigentiis. Hinc aſſiſtentia infirmo graviter ægrotanti, debitum prædicandi, Confeſſiones audiendi, moribundum confortandi, & ſimiles piæ actiones à recitatione Horarum excuſant. Sanchez *d. libr. 7. cap. 2. dub. 52.* Gobatus alios cumulans *d. tract. 5. num. 727.* ſubdens tamen, quod Sancti Viri hæc omnia faciebant, & ab onere officii Divini non ſe excuſabant.

Metus concernit tùm perſonam ordinati in ſacris, ſi per vim, & metum
35 cadentem in conſtantem Virum fuerit initiatus: vel ſi recitando officium timeat graviſſimum aliquod corporis, vel bonorum detrimentum. Sanchez, Tamburinus, & alii apud eumdem Gobatum *d. tract. 5. num. 728.*

Diſpenſatio denique eſt quarta cauſa excuſans ab horarum Canonicarum penſo; hæc autem provenire poteſt vel à Summo Pontifice, vel ab Epiſcopo, vel ab ejus Vicario, vel à Prælato Re-
36 gulari erga profeſſos ſibi ſubditos, Choro adſtrictos. Inter hos omnes Superiores illud eſt commune, quod ſemper requiratur juſta cauſa pro diſpenſatione concedenda. Ab Epiſcopis, & eorum Vicariis non diſpenſatur ab hoc onere niſi ex brevi tempore, & ad paucos dies. Tamburin. *in Decalog. libr. 2. cap. 5. §. 8.* Gobatus *d. tract. 5. num. 729.* Prælati Regulares hanc poteſtatem habent ex Apoſtolicis Privilegiis, quæ referuntur ab eodem Gobato *ibid. num. 730.* advertens, quod præter juſtam cauſam debent ſemper injungere aliquas breves orationes dicendas loco penſi Horarii, prout obſervat ipſemet Summus Pontifex, quando diſpenſat ab hoc onere, ut diximus ſupra *Deciſ. 5. num. 20.* & notatum eſt de S. Philippo Nerio *num. 17.*

Corollarii loco notanda ſunt duo.
37 Unum quod Clerici cenſuris irretiti non ſunt exempti ab onere Divini officii; damnati verò ad triremes excuſantur ſecundum aliquos, & ſecundum alios cenſentur obligati. Alterum, quod dubitans, an poſſit, vel non poſſit abſtinere ab officio divino, tenendum eſt pro obligatione, donec per prudentes viros judicetur, adeſſe juſtam cauſam non recitandi. Gobatus *in Appendice d. tract. 5. poſt num. 731.* Menochius *de Arbitr. Judic. caſu 429. num. 15.* Quomodo autem Clericus beneficiatus omittens Officium peccet mortaliter, & ſit obnoxius reſtitutioni fructuum? & quando 38
excuſari poſſit ab eadem reſtitutione? legendus eſt Gobatus *d. tract. 5. à num. 573. & ſeqq.* nec non Collegium Salmanticenſe *d. tract. 16. de Horis Canonicis cap. 2. punct. 3. à num. 26. & ſeqq.* ubi DD. allegantur, & caſus, ac dubia magis frequentia circa eoſdem beneficiatos, Horas canonicas non recitantes, reſolvuntur.

Unum adhuc, appendicis loco reſtat notandum; An ſcilicet, Nocturnum, quod Epiſcopus recitandum imponit Subdiacono, ac Diacono in eorum ordinatione, ſit ab iiſdem dicendum ſub pœna peccati mortalis? Non deſunt DD. qui affirmant, quos citat Tamburinus *lib. 7. de Ordine cap. 3. §. 4.* Sed ipſe contrarium tenet, prout facit Sanchez *in Conſ. moral. libr. 7. cap. 2. dub. 2. num. 6.* & alii, ea ratione, quia illa impoſitio non eſt de præcepto, aut in pœnitentiam, ſed de conſilio, & in gratiarum actionem; idemque aſſerunt tùm de Pſalmis Pœnitentialibus, qui injunguntur ordinatis in minoribus, tùm de tribus Miſſis Sacerdotio initiatis.

## DECISIO XXVII.

### *ARGUMENTUM.*

De Caſtitate, ad quam obligantur Subdiaconi, & alii Miniſtri Sacri, tractat præſens Deciſio. Diſputatur, An hæc obligatio ſit de Jure Divino? vel de Jure Eccle-

Eccleſiaſtico? Inquiritur initium ejuſdem obligationis, & oſtenditur incœpiſſe ab Apoſtolis. Probatur ejus jugis obſervantia decretis Conciliorum, & Summorum Pontificum; dictis Sanctorum Patrum, atque Exemplis, de ſæculo in ſæculum collectis. Pſeudoſynodi Quinilextæ refertur Canon, cujus vigore Græci ordinati in ſacris utuntur uxoribus. Recenſentur Nuptiæ Sacrilegæ Lutheri, & Carolſtadii. Diſcutitur, An prædicta obligatio inſit voto ordinati, vel Præceptó Eccleſiæ? Et quibus in caſibus Subdiaconi non teneantur ſervare caſtitatem?

SUMMARIUM.

1 *Caſtitas in Clericis Sacris tria continet. Et quæ?*
2 *Matrimonium nunquam prohibitum minores ordines habentibus.*
3 *Matrimonium facit vacare beneficia, ac Penſiones.*
4 *Matrimonium ſemper probibitum ordinatis in Sacris.*
5 *Caſtitas in Miniſtris Sacris quod ſit de Jure Divino.*
6 *Nicolaus primus Diaconus Uxoris ſuæ uſum volebat*, & num. 19.
7 *Caſtra ſic dicta à caſtimonia Militum.*
8 *Venus cur dicatur adulterata cum Marte?*
9 *Uxores Militum cur permiſſæ in exercitu Imperiali Anno* 1684.
10 *S. Paulus Apoſtolus caſtus, & innuptus.*
11 *S. Petrus ſolus uxoratus. Non etiam alii Apoſtoli.*
12 *Epiſcoporum ſtatus perfectior ſtatu Religioſorum.*
13 *Hebraici Sacerdotes an obligati ad caſtitatem?*
14 *Caſtitas in Miniſtris Sacris, quod ſit de Jure Eccleſiaſtico.*
15 *Papa non diſpenſat contra Jus Divinum.*
16 *Uxores aliquando permiſſæ Subdiaconis, ac Diaconis. Et cur?*
17 *Græci in Sacris utuntur uxoribus ante ordinationem acceptis.*
18 *Anxietas in rebus temporalibus prohibetur omnibus fidelibus non ex præcepto, ſed de conſilio.*
19 *Nicolaitarum hæreſis, quotidie luxuriæ vacare.*
20 *Epiſcopis paupertas non eſt injuncta.*
21 *Caſtitas cur impoſita Miniſtris Sacris?*
22 *Caſtitas Miniſtrorum Sacrorum fuit ab initio Eccleſiæ.*
23 *Apoſtoli probibent Matrimonium Clericis Sacris. Et* num. 25.
24 *Ac etiam Uxorum ante ordinationem ductarum uſum.*
26 *Origenis verba de continentia Clericorum.*
27 *Lucii Papæ decretum de caſtitate eorundem Anno* 255.
28 *Eliberitani Concilii canon de eadem Anno* 305.
29 *Morini error calculi.*
30 *Ancyrani Concilii canon pro Diaconis Uxoratis Anno* 314.
31 *Arelatenſis, ac Romani Concili canon de caſtitate Miniſtrorum Sacrorum. Anno* 320.
32 *Niceni Decretum de eadem Anno* 325.
33 *Paphnutii inſtantia in Synodo Nicæna contra caſtitatem Clericorum fabuloſa.*
34 *Euſebii Cæſarienſis dictum de Clericali caſtitate.*
35 *Item S. Epiphanii, ac S. Baſilii Magni.*
36 *Siricii Papæ, & Conc. Carthaginen. II. Decreta de eadem.*
37 *S. Hieronymi teſtimonium de ipſa. Ac*
38 *S. Joannis Chryſoſtomi; &*
39 *S. Leonis Papæ.*
40 *Concilii Turonici I. Canon de eadem Anno* 461. &

41 Con-

41 *Concilii Agathenſis Anno 506. nec non*
42 *Concilii Turonici II. Anno 570.*
43 *Concilii Matiſconenſis I. Anno 581.*
44 *Urſicini Presbyteri Exemplum de Caſtitate Clericali.*
45 *Subdiaconi in Sicilia Uxorati Anno 590.*
46 *S. Gregorii Magni remedium cum illis.*
47 *Concilii Toletani VIII. Canon contra impudicos Clericos Anno 655.*
48 *Concilii Sexti Trullani Canon Anno 680. de iiſdem.*
49 *Synodi Quiniſextæ Trullanæ Decretum pro uſu Uxorum Clericorum Græcorum Anno 692.*
50 *Eadem non Oecumenica, ſed Erratica.*
51 *Ejus Canones rejecti, & non approbati ab Apoſtolica Sede; neque à tribus Patriarchis Orientalibus.*
52 *Græci cur à Deo puniti furore Turcarum?*
53 *Meldenſis Concilii Anno 845 Canon pro Clericorum caſtitate.*
54 *Leonis Papæ IX. dictum de eadem.*
55 *Alexandri III. Decreta circa conjugatos ordinandos.*
56 *Votum ſolemne Ordinis Sacri impedit, & dirimit Matrimonium.*
57 *Hæreſiarchæ Sæculi XVI. impugnantes cælibatum Clericorum.*
58 *Lutheri Uxor Monialis ab ejus diſcipulis oſculata.*
59 *Carolſtadius Archidiaconus primus contra Votum ſolemne Uxorem duxit.*
60 *Carolſtadii vita, ac mors infeliciſſima.*
61 *Caſtitas Miniſtrorum Sacrorum an ex Voto, vel ex Præcepto?*
62 *Quod ex Voto rationes quatuor.*
63 *Quod ex Præcepto Eccleſiæ itidem rationes quatuor.*
64 *Caſtitas Clericorum eſt ex Voto, ac Præcepto ſimul.*
65 *Subdiaconi tribus in caſibus non teneatur ad caſtitatem. Et qui ſint?*

SEcunda principalis obligatio Subdiaconorum, ac aliorum in Sacris Ordinatorum, eſt ſervare perpetuam continentiam, ac caſtitatem; cui quidem obligationi tria inſunt, Unum, ne 1
quis Sacris Ordinibus initiatus Uxorem ducat; & de facto ſi contrahat matrimonium, hoc ſit non ſolùm illicitum, ſed irritum, & nullum. Alterum, ne poſſit uti uxore, quam fortè duxiſſet ante ordinationem, ſed ab ea prorsùs abſtineat; niſi abſque ejus licentia Ordinem Sacrum ſumpſiſſet; nam tunc, eâ requirente, debitum reddere teneretur, non etiam petere, ut ſuo loco demonſtrabimus. Tertium, ut abhorreat quoſcunque actus venereos, qui etiam Laicis extra Matrimonium vetantur, adeò ut ſi eorum aliquo ſe coinquinet, ultra ſpeciem illius actus inhoneſti, etiam malitiam Sacrilegii teneatur in confeſſione exprimere, ut præter Valentiam *tom. 4. diſp. 9. q. 5. punct. 5. §. 1.* notant Salmanticenſes *de Sacram. Ordinis tract. 8. cap. 6. num. 2.* De hac autem obligatione continentiæ, & caſtitatis ordinatorum in Sacris tria ſunt videnda.

1 An ſit de Jure Divino, vel de Jure Eccleſiaſtico?
2 A quo tempore ipſa cœperit?
3 An inſurgat talis obligatio ex voto ordinati in Sacris, vel ex præcepto Eccleſiæ ipſi Ordini Sacro annexo?

Quo ad Primum. Præmittendum, Clericis in minoribus ordinibus conſtitutis nunquam fuit hæc obligatio continentiæ, ac caſtitatis impoſita; itaut iiſdem ſemper licitum fuerit ſivè Græ- 2
cis, ſivè Latinis contrahere Matimonium; ut habetur in *cap. Si qui verò diſt. 32.* ubi ſic dicitur: *Si qui verò ſunt Clerici extra Sacros Ordines conſtituti, qui ſe continere non poſſunt, ſortiri uxores debent.* Idemque legitur *in cap. Si quis. ead. diſt. 32.* ibi: *Si quis eorum, qui ad Clerum accedunt, voluerit nuptiali jure mulieri copulari, hoc ante ordinem Subdiaconatus faciat.* Idem decernitur in *cap. Lectores, & in cap. De illo Clerico. ead. diſt.* Eſt tamen verum, quod ſtatim ac uxores accipiunt, ſi poſ-

ſi poſſident beneficia Eccleſiaſtica, vel Penſiones, iiſdem ipſo jure privantur. *cap.* 1. cum duobus ſequentibus. *De*
3 *Cleric. Conjug.* Loterius *de Re benefic. lib.* 3. *quæſt.* 26. *à num.* 64. *& ſeqq.* uſque *ad num.* 75. ubi id procedere demonſtrat, etiamſi Matrimonium contractum eſſet nullum, aliâ tamen nullitate, quàm ex defectu conſenſus, ut etiam ait Rota *part.* 3. *rec. deciſ.* 8. *num.* 3. Clericis autem Sacros Ordines habentibus, incipiendo à Subdiaconatu uſque ad Epiſcopatum, ſivè Græcis, ſivè Latinis illicitum eſt contrahere Matrimonium, ut deciditur *in cap. ult. diſt.* 27. his præciſis verbis: *Presby-*
4 *teris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis concubinas habere, ſeu Matrimonia contrahere penitùs interdicimus.* Concordant *texx. in diſt.* 32. *cap.* 1. ibi: *Ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur.* Et eò fortiùs *cap. Erubeſcant ead. d.* 32. ita loquente: *Erubeſcant impii, & apertè intelligant, judicio Spiritus Sancti eos, qui in Sacris Ordinibus Presbyteratu, Diaconatu, Subdiaconatu ſunt poſiti, niſi mulieres abjecerint, & caſtè vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate.* Plurima alia Concilia, ac Canones de hac obligatione caſtè vivendi ordinatorum in Sacris (quos infra de anno in annum referemus) cumulat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp.* 9. *à num.* 162. *& ſeqq.* & ibi allegat S. Thomam 2. 2. *q.* 88 *art.* 11. Scotum *in* 4. *diſt.* 37. *in princ.* & S. Bonavent. *ibid. art.* 1. *q.* 2. idem docentes. Hoc præmiſſo, Duæ ſunt opiniones Theologorum circa originem continentiæ, & caſtitatis in Miniſtris Sacris.

Prima arbitratur, hanc obligationem procedere à Chriſto Domino, & ſic à jure Divino; & innititur his argumentis. Primò, quia Chriſtus Dominus
5 præcepit Apoſtolis *cavere à curis hujus vitæ. Luc.* 21. 34. Divus Petrus exhortans Eccleſiarum Paſtores, monet illos, ut *omnem ſollicitudinem ſuam proiiciant in Deum* 1. *Petr.* 5. 7. Apoſtolus Paulus ſcribens ad Timotheum, admonet illum, quod *Nemo militans Deo implicet ſe negotiis ſæcularibus.* 2. *Timoth.* 2. 4. & Titum certum fecit, quod Chriſtus eoſdem Apoſtolos erudivit, ut *abnegarent impietatem, & ſæcularia deſideria. Tit.* 2. 12. Sed qui uxoribus vacant, ac generationi, & educationi filiorum, implicant ſe curis hujus vitæ; non poſſunt omnem ſollicitudinem ſuam proiicere in Deum; ſæcularibus negotiis, ac deſideriis ſe immergunt. Ergo, ut ab his omnibus, qui Deo ſunt miniſtri conſecrati, abſtineant, continentia, & caſtitas cenſetur iiſdem à Chriſto Domino injuncta. Secundò, quia Chriſtus Dominus per Joannem in Apocalypſi *cap.* 2. *Verſ.* 14. reprehendit Epiſcopum Pergami his verbis: *Quia habes illic tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere ſcandalum coram filiis Iſrael, edere, & fornicari: ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum.* Sed doctrina Nicolai fuit,
quia cum eſſet unus ex ſeptem primis 6
Diaconis, voluit adhuc retinere uxorem (quam ante ordinationem duxerat) & cum illa commercium habere, ut ſumitur ex Clemente Alexandrino *Libr.* 3. *Stromatum.* & ex S. Epiphanio *Hæreſ.* 25. Ergo ex Jure Divino prohibitum erat uti Matrimonio Eccleſiaſticis in Sacris conſtitutis, quia Spiritus Sanctus invehit contra Clericos Sacros Uxoribus vacantes. Tertiò quia iterum Apoſtolus Paulus ita dixit ad Timotheum, *Labora ſicut bonus miles Chriſti.* 2. *Timoth.* 2. 3. Sed militibus Romanis interdicta erant matrimonia, & uſus omnium mulierum; & idcircò eorum exercitus vocabantur caſtra à caſtimo-
nia, ut notat Iſidorus *libr.* 9. *Orig. cap.* 7
3. non enim permittebantur fœminæ in caſtris. Tacitus *Annal. libr.* 14. undè Quintilianus in *Declamat. Marianæ* ait: *Meretrices ab exercitu ſubmoventur; intrare caſtra fœminis non licet.* Et Propertius innuens hanc prohibitionem *libr.* 4. *Eleg.* 3. ita cecinit:

*Romanis utinam patuiſſent caſtra puellis,*
*Eſſem militiæ Sarcina fida tuæ.*

Imò

Digitized by Google

Imò S. Auguſtinus ad ſignificandum , incongruam eſſe belligerantibus Vene-
8 rem, eam uxorem Vulcani adulteratam eſſe cum Marte finxiſſe Poetas ſcribit *libr.* 20. *contra Fauſtum cap.* 9. Etſi noſtris temporibus in exercitu Auguſtiſſimi Imperatoris Leopoldi contra
9 Turcas, Annis 1684. & ſequentibus , permiſſas fuiſſe uxores Militum , mihi teſtatus fuit Venerabilis Pater F. Marcus de Aviano Capuccinus Prædicator zelantiſſimus, qui comitatus fuit eumdem exercitum in recuperatione Budæ, ea ratione, quia prædictæ mulieres egregiè ſuffragabantur iiſdem militibus à pugna revertentibus , exhibentes eis cibum præparatum, & vulneratis mirâ inſervientes patientiâ . Porrò antiquitùs obligati erant milites caſtè vivere; & cum Apoſtolus vellet , Timotheum laborare ſicut bonum Chriſti militem, intelligenda eſt obligatio caſtitatis, quæ de Jure divino impoſita ei fuerat ſacris initiato. Quartò quia & ipſe Apoſtolus
10 Paulus caſtitatem colebat, & erat innuptus, ut 1. *Cor.* 7. 8. *Dico non nuptis, & viduis : bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicut & ego* ; ubi Cornelius à Lapide ita notat: *Hinc clariſſimum eſt, S. Paulum non habuiſſe uxorem, ſed cælibem fuiſſe*. Idem ſcribit in eadem 1. *Cor.* 9. 5. ſubdens quod *imò S. Hieronymus* (*libr.* 1. *contra Jovinian.*) *docet inter Apoſtolos ſolum Petrum habuiſſe*
11 *Uxorem, idque tantùm ante converſionem*: & quod *idem tradit Tertullianus* (libr. de Monogomia ante medium) *inquiens, Petrum ſolum invenio maritum*, quod pariter probat Gonetus *d. diſp.* 3. *de Ordine num.* 68. Si itaque Chriſtus Dominus elegit Apoſtolos cœlibes, quos Sacerdotes conſecravit, eoſque continentiam, ac caſtitatem ſervare voluit; ſequitur in Miniſtros ſacros, eorum Succeſſores, hanc obligationem ex præcepto Divino dimanaſſe. Quintò, quia Status Epiſcoporum perfectior eſt ſtatu Religioſorum, ut docet S. Thomas 2. 2. *q.* 184. *art.* 7. Sed ſta-
12 tus Religioſus ex jure divino habet annexum votum caſtitatis, ut latè probat Sanchez *de Matrimonio libr.* 7. *diſp.* 25. *num.* 8. Ergo etiam Status Epiſcoporum , & ſubindè aliorum in ſacris miniſtrorum, ex eodem Jure Divino injunctam habet obligationem continentiæ, & caſtitatis; ait enim S. Leo Papa *Epiſt.* 92. *ad Ruſticum: Lex continentiæ eadem eſt Miniſtris Altaris, quæ Epiſcopis, atque Presbyteris*. Sextò tandem quia Sacerdotes Hebraici, ſicut & eorum ſacrificia, erant imperfectiores, ut ait Apoſtolus ad *Hebr.* 7. 11. & tamen nec ſacrificare poterant , nec 13
panes Propoſitionis manducare , niſi eſſent mundi, ideſt abſtinentes à mulieribus , ut ait Abimelech Davidi 1. *Reg.* 21. & obſervat Azorius *tom.* 1. *libr.* 13. *cap.* 12. *q.* 1. adeòut ex præcepto Divino colere debebant caſtitatem tempore, quo erant ſacrificaturi, ut legitur etiam in *cap. Plurimos. diſt.* 82. & probat Gonetus *d. diſp.* 3. *num.* 54. Ergo multò magis cenſendum eſt, Sacerdotibus, & miniſtris ſacris Evangelicæ legis, qui perfectiores ſunt, hoc divinum præceptum eſſe injunctum. Hanc opinionem tenent Major Chlictoveus, Waldenſis, & alii, quos citat Azorius *d. cap.* 12. *q.* 1. ac Salmanticenſes *d. tract.* 8. *de Sacramento Ordinis cap.* 6. *num.* 9. ac præcipuè Turrianus *libr.* 2. *de Dogmat. charact.* à quibus probabilis vocatur.

Secunda opinio , quæ communior eſt, & à Theologis, atque Canoniſtis amplectitur, docet, obligationem caſtitatis in Miniſtris ſacris provenire ab Eccleſiaſtico Jure tantùm ; idque pro- 14
bant : Primò , quia nullus reperitur Scripturæ locus, in quo iiſdem Matrimonium prohibeatur; nec aliquis Concilii Canon, qui declaret dictam obligationem eſſe de Jure Divino; aliquodvè Decretum, vel Conſtitutio Romani Pontificis, quæ id aſſerat. Secundò, quia ſi eſſet de Jure Divino Papa non poſſet circa illam diſpenſare; ſiquidem in iis, quæ Juris Divini ſunt, nulla humana poteſtas diſpenſat. *cap. Satagen-* 15
*dum. cap. Deceſſorum. cap. Quicunque; & cap. Juſtitiæ.* 25. *q.* 1. Sed ut

Miniſtri Sacri; & in ordinibus Sacris conſtituti, poſſent matrimonium contrahere, non ſemel ob juſtam cauſam Sedes Apoſtolica diſpenſavit; prout de nobili Veneto Juſtiniano narrat Tarcagnota Anno 1169. *in Hiſt. Mundi part. 2. libr. 13. pag. 495.* & prout ex exemplis relatis per Eminen. Card. de Lauræa *d. diſp. 9. de Sacram. Ord. num.* 204. in præterito ſæculo ab anno 1602. uſque ad annum 1659. Tertiò, quia ab initio Eccleſiæ, & per ſubſequentia ſæcula habentur Canones ejus prohibentes Miniſtris Sacris matrimonia contrahere, vel antea contractis uti. Ergo ab Eccleſia inducta eſt iiſdem obligatio continentiæ, & caſtitatis. Leguntur Canones prædicti præcipuè *Libr. 6. Conſtit. Apoſtol. cap.* 17. & *in cap. Presbyteris. & cap. Diaconus. diſt.* 27. Item *in cap. Diaconi. cap. Presbyter. & cap. Decernimus. diſt.* 28. Nec non in *Clem. Unica. De Conſanguin. & in Extravag. Antiquæ. De Voto:* & alii plurimi per nos infra congeſti. Quartò, quia antiqui-
16 tùs S. Gregorius Magnus indulſit Subdiaconis Siciliæ, ut uterentur uxoribus, quas abſque promiſſione ſervandæ caſtitatis duxerant, ut *in cap. 1. diſt.* 31. Ancyrana quoque Synodus permiſit, ut Diaconi, qui in eorum ordinatione proteſtati erant, velle ſe habere uxores, nec poſſe ſe continere, eas haberent, nec cogerentur ad continentiam ſervandam, ut *in cap. Diaconi. diſt.* 28. Et uſque in præſentem diem Græci
17 Subdiaconi, Diaconi, ac Presbyteri uxorati utuntur uxoribus, vidente, ſciente, ac tolerante Eccleſia Romana · *cap. ult. diſt.* 31. quæ omnia nec facta, nec tolerata fuiſſent, ſi contra jus Divinum eſſent. Quintò, quia expreſsè Concilium Tridentinum *ſeſs. 24. can.* 9. dicit, prohibitionem Matrimonii in Miniſtris Sacris eſſe ex lege Eccleſiaſtica: ibi: *Si quis dixerit, Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante lege Eccleſiaſtica, vel voto &c. Anathema ſit.* Quare ita tenent, ac docent. S. Thomas 2. 2. *q. 88. art. 11. in corp.* Scotus *in 4. diſt. 37. per totam.* Sanchez *de Matrim. libr. 7. diſp. 27. num. 5.* ubi innumeros allegat. Layman *libr. 5. tract. 9. cap. 11. num. 1.* Fagnanus in *cap. Majores. num. 110. de Baptiſmo.* Gonzalez in *Comm. ad cap. Si qui Clericorum. 3. de Cleric. Conjug. num. 3.* Gonetus *de Sacram. Ord. diſp. 3. art. 3.* Gobatus *tract. 8. num.* 754. Salmanticenſes *d. tract. 8. cap. 6. à num. 10. & ſeqq.* Diana Coordin. *tom. 3. tract. 1. reſol. 77. §. 4.* ubi allegat textum *in cap. Ut lex. 27. q.* & plures DD. adducit; quibus adſtipulatur noviſſimè ipſe Emin. Card. de Lauræa *in cit. diſp. 9. de Sacram. Ord. art. 9. §. 2. à num. 202. & ſeqq.* Qua opinione retenta.

Non obſtant argumenta contraria. Non primum, quia loca illa Sacræ Scripturæ prohibent quidem nimiam anxietatem in rebus temporalibus; ſed non continent prohibitionem Matrimonii, de qua agimus; licèt enim magis expediat eſſe cælibes, ad mundanas curas evitandas, tamen etiam uxorati poſſunt caſtè, ſobriè, ac piè vivere; id-
circò exhortationes illæ non ad ſolos 18
Miniſtros Sacros factæ fuerunt, ſed ad omnes fideles, ut ajunt Salmanticenſes *d. cap. 6. num. 15.* addentes, eas fuiſſe de conſilio, non de præcepto. Non ſecundum de reprehenſione ad Epiſcopum Pergami, de qua in *Apocal.* 2.14. quia eſto errorem Nicolai Diaconi fuiſſe uſum Uxoris, quam ante Ordinem Sacrum ſuſceperat, & poſt ordinationem dimiſerat, de quo reprehendebatur ab Apoſtolis, ut pluribus probat Cornelius à Lapide *Comment. in Apocal. d.* 19
*cap. 2. Verſ. 14.* & Saleles *de S. Inquiſit. lib. 3. cap. 5. regula 217.* non ſequitur, Jus divinum prohibuiſſe Miniſtris Sacris uſum uxorum, ſed ipſos Apoſtolos; à quibus propterea prædictus Nicolaus arguebatur, & ad cujus exemplum invaluit ſecta Nicolaitarum profitentium, omnes homines debere, ſe quotidie luxuriis coinquinari. Non Tertium, quod milites Chriſti ſacris ordinibus initiati

tiati

Digitized by Google

tiati ad imitationem militum Romanorum à mulieribus abſtinerent; quia hoc verum eſt, ſed non ex divino præcepto, de quo quærimus, at ex lege Eccleſiaſtica, ut indicavimus. Non Quartum; conceſsâ enim Pauli, & aliorum Apoſtolorum continentiâ, & caſtitate; conſequentia non ſubſiſtit, quod eam ſervarint ex divino præcepto, ſed, ut dictum eſt, ex Eccleſiaſtica lege. Non Quintum, quia ſtatus Epiſcoporum dicitur magis perfectus, quàm ſtatus religioſorum, non reſpectu ſui, ſed in ordine ad alios dirigendos, gubernandos, & perficiendos; quapropter non eſt de Jure Divino impoſita continentia
20 Epiſcopis; prout neque paupertas, etſi ſecùs ſit in ſtatu Religioſo pro eorumdem Religioſorum perfectione, ut latè diſſerit Sanchez *de Matrim. libr. 7. diſp. 25. num. 8. & diſp. 27. num. 7.* Tandem non obſtat ſextum, ex Levitarum Hebræorum exemplo; quia ſi Deus voluit iiſdem prædictum præceptum facere, ut notat Gonetus *d. diſp. 3. num. 47.* hoc noluit de per ſe injungere in Evangelica Lege; ſed reliquit prudentiæ Apoſtolorum, ac aliorum Pontificum, in eorum locum ſuccedentium; qui quidem juſtas ob cauſas continentiam, & caſti-
21 tatem Miniſtris Sacris indixerunt, ac præcipuè ut iidem rebus divinis magis vacarent, & à populis venerarentur, videntibus illos vitam caſtam, atque Angelicam ducere: Ut majorem exercerent in pauperes charitatem, atque hoſpitalitatem, quàm ſi onerati eſſent uxoribus, ac filiis: Et ne redditus Eccleſiaſtici traherentur, more mundano, ad ſucceſſores eorumdem Miniſtrorum Sacrorum, ut latiùs diſſerunt ipſi Salmanticenſes *d. tract. 8. de Sacram. Ord. cap. 6. num. 3.*

Quo ad Secundum. Si quærimus à quo tempore hæc obligatio continentiæ, & caſtitatis incœperit in Miniſtris Sa-
22 cris? Reſpondetur, eam incœpiſſe ab initio Eccleſiæ, ac tempore Apoſtolorum, & quamvis in tertio ſæculo, in aliquibus Provinciis, ex acerbitate temporum, ex malitiis hominum, & ex incuria Antiſtitum, fuerit intermiſſa: iterum tamen inſtaurata, & renovata fuit tùm per Concilia, tùm per Summos Pontifices, prout ex ſequentibus decretis, canonibus, ac præceptis eorumdem, per ordinem temporum collectis, facile eſt cognoſcere; exceptis Græcis, qui, ſi uxorati aſſumantur ad Ordines Sacros, abuſum antiquorum temporum retinentes, ab uxoribus non abſtinent, ut *in cap. ult. diſt. 31.* Igitur

Primò: Apoſtolorum tempore, & Eccleſiæ initio, qui Ordines ſacros accipiebant, Matrimonium contrahere ampliùs non poterant, & ſi ante ordinationem uxores habuiſſent, ab eorum uſu abſtinere obligabantur, ut ex *Apo-*
*ſtolorum can. 25.* ita dicente: *Ex iis, qui* 23
*non ducta Uxore ad Clerum promoti ſunt, jubemus, ſi velint uxorem ducere, Lectores, & Cantores ſolos.* Ergo qui in Sacris erant, non poterant uxorem ducere, ſic vetantibus, ac prohibentibus Apoſtolis. Hinc Paulus ad *Titum cap. 1.* ait: *Oportet Epiſcopum continentem eſſe*: ubi S. Hieronymus exponit, *Nempe ab Uxoris etiam amplexibus.*

Secundò: Anno 99. Clemens Papa Primus *in Epiſtola I.* in qua proteſtatur, quod omnia, quæ ibi refert, acceperit
à S. Petro, inter alia hæc habet: *Ad* 24
*Domini autem miniſteria tales eligantur, qui ante ordinationem ſuam conjuges ſuas noverint; quod ſi poſt ordinationem ſuam, Miniſtro Altaris contigerit proprium invadere cubile Uxoris, Sacrarii non intret limina, nec Sacrificii portitor fiat.* Igitur etiam uſus Uxorum, quæ ductæ erant ante ordinationem, interdictus fuerat per Apoſtolos Miniſtris Sacris.

Tertiò: Concordat aliud Apoſtolorum Decretum prohibens Miniſtris Sacris uxores ducere, quod legitur in *Libr. 6. Conſtit. Apoſtol. cap. 17.* ſic dicens: *Epiſcopum, & Presbyterum, ac Diaconum ordinari præcipimus, qui ſint Mono-* 25
*gami &c. Poſt ordinationem tamen, ſi Uxores non habent præcipimus, ut non liceat ampliùs ducere.* En prohibitæ apparent nuptiæ poſt ſuſceptionem Ordinis

nis

Digitized by Google

nis Sacri. At non ſequitur, quod eſſet licitus uſus uxorum ante ordinationem ſuſceptarum; ſiquidem ab ipſo Miniſtri Eccleſiæ ſacris initiati omninò abſtinebant, & erant obligati abſtinere; ut teſtatur

Quartò: Anno 226. Origenes *Hom. 13. in Numer.* his verbis: *Illius ſolius eſt*
26 *offerre Deo Sacrificium, qui ſe indeſinenti, & perpetuæ devoverit caſtitati.* Et hoc idem confirmatur

Quintò: Anno 255. ex Decreto Lucii Papæ, quod legitur in *cap. Miniſtri. diſt. 81.* ita præcipiente: *Si verò poſt ordinationem ſuam Miniſtros contingerit*
27 *propriæ Uxoris invadere cubile, Sacrarii non intrent limina, neque Sacrarii portitores fiant, neque Altare contingant, neque ab offerentibus holocauſti oblationem ſuſcipiant* (hic loquitur, & intelligit de Subdiaconis, quorum officium erat recipere oblationes in Miſſa (, ut oſtendimus ſupra *Deciſ. XXIV. num. 10.*) *neque ad Dominici Corporis portionem accedant*, ea ratione, quia revertens Miniſter ordinatus in ſacris ad uſum Uxoris, violabat votum continentiæ, ac caſtitatis in ordinatione emiſſum, & habebatur tanquam excommunicatus. Porrò, quia Conſtitutiones, ac Decreta hucuſque ſcripta non videbantur expreſsè locuta circa hanc obligationem etiam de Subdiaconis; ideò

Sextò: Annò 305. emanavit novum Decretum in Concilio Illiberritano, ſeu (ut alio nomine vocatur) Eliberrino, (Illiberis erat civitas in Hiſpania, ſe-
28 ptimo Lapide ab Urbe Granatenſi diſtans, teſte Plinio *lib. 3. cap. 3.*) in quo Concilio *can. 33.* ſic fuit definitum: *Placuit in totum prohiberi Epiſcopis, Presbyteris, Diaconibus, & Subdiaconibus poſitis in miniſterio, abſtinere ſe à conjugibus, & non generare filios: quicunque verò fecerit, ab honore Clericatus exterminetur.* Et ex hoc textu apparet, errorem continere computum,
29 quod fecit Morinus, quando dixit, *De Sacr. Ord. part. 3. Exercit. 12. cap. 5. nu. 8.* quod *poſt ſexcentos à Nativitate Chriſti annos cælibatus per univerſum Occidentem Subdiaconatui erat lege perpetua conjunctus*, quandoquidem ab initio Eccleſiæ etiam Subdiaconi comprehenſi erant in hac lege, & in hoc Concilio Illiberritano. ſtatim poſt tercentos annos à Nativitate Chriſti expreſsè denominati leguntur. Eſt tamen verum, quod paulò poſt in Eccleſia Orientali ab aliquibus Diaconis continentia ſacra cœpit deturpari; undè

Septimò: Anno 314. in Concilio Ancyrano (Ancyra eſt urbs principalis in Galatia, nunc ſub ditione Turcarum) emanavit hoc Decretum *in can. 10.* quod legitur etiam *in cap. Diaconi.* 30
*diſt. 18. Diaconi quicunque, cum ordinantur, ſi in ipſa ordinatione proteſtati ſunt dicentes, velle ſe habere uxores, nec poſſe ſe continere, hi poſtea, ſi ad nuptias venerint, maneant in miniſterio, propterea quod his Epiſcopus licentiam dederit. Quicunque ſanè tacuerunt, & ſuſceperunt manus impoſitionem, profeſſi continentiam, ſi poſtea ad nuptias venerint, à miniſterio ceſſare debebunt.* Porrò hoc Decretum intelligendum venit de Diaconis ordinatis per vim, & metum, ac penitùs invitis; alioquin nullius roboris eſſet cenſendum; reſiſtentibus Apoſtolicis Conſtitutionibus in univerſali Eccleſia per annos tercentos obſervatis, ut notat Cabaſutius *in Notitia Eccleſ. Concilior. Sæculo IV. ad d. Concil. Ancyran. num. 5.* quo tamen non obſtante in Eccleſia Occidentali ſervata fuit lex continentiæ à Miniſtris Sacris; ut patet

Octavo: Anno 320. ex Concilio Arelatenſi II. *can. 2.* poſito *in cap. 6. diſt. 28.* his verbis: *Aſſumi aliquem ad Sacerdotium in conjugii vinculo conſtitutum* 31
*non oportet, niſi fuerit promiſſa converſio*, ideſt caſtitas, & continentia. Patet etiam eodem Anno 320. in Concilio Romano ſub S. Sylveſtro Papa, in quo *cap. 8.* præceptum fuit *Nullum Subdiaconorum ad nuptias tranſire*; & multò minùs eos, qui in Diaconatus Ordine ſuperiori eſſent conſtituti. Fuit autem confirmata hæc lex

Nonò: Anno 325. in magna Synodo

do

do Nicæna I. nam (firmatis articulis fidei contra hæreticos Arianos) quo ad diſciplinam Eccleſiaſticam *in cap.* 3. *Interdixit per omnia Sancta Synodus non*
32 *Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, vel alicui omninò, qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierem, niſi fortè aut Matrem, aut Sororem, aut Amitam, aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones*. qui quidem textus relatus à Gratiano *in cap. 16. diſt. 32.* comprobat, quanta tùnc eſſet ſollicitudo Prælatorum in cuſtodienda continentia, ac caſtitate in perſonis Sacrum Ordinem adeptis; dum iiſdem prohiberent familiaritatem omnium mulierum præter matrem, amitam, ac ſororem. Et quoniam *in cap. Nicæna Synodus. diſt.* 31. narratur eamdem, (perorante, ac ſuadente Paphnutio Confeſſore, ut permitteretur Miniſtris Sacris uſus Uxorum,) ab ipſarum prohibitione ſuperſe-
33 diſſe, & quod *nihil ex hac parte ſancivit; ſed hoc in uniuſcujuſque voluntate, non in neceſſitate dimiſit*: non lateat ſtudioſum Lectorem, narrationem illam eſſe confictam, & fabuloſam, ut demonſtrat Gerunda *de Epiſcop. Ratione libr. 3. diſp. 5. cap. 3. num.* 24. Cabaſſutius *d. Sæcul. IV. ad d. Nicæni Conc. Can. 3. num.* 8. Layman *lib. 5. tract. 9. de Sacram. Ord. cap. 11. num.* 8. & P. Macedo *de Clavib. Petri libr. 4. cap. 7. col. 4. Verſ. Quod autem obiiciunt hæretici*. Et equidem ita dicendum eſſe apparet, cum

Decimò: Anno 326. Euſebius Epiſcopus Cæſarienſis, qui in eadem magna Nicæna Synodo intervenerat, ſcripta reliquit hæc verba in *Lib. 1. De Evan-*
34 *gelica demonſtrat. cap. 9. Veruntamen eos, qui Sacrati ſunt, atque in Dei cultu, & miniſterio occupati, continere ſe deinceps ab uxoris commercio docet*. Et paulò poſt: *Cæterùm Sacratis viris, & circa Dei cultum vacantibus abſtinere de reliquo, & continere ſe convenit à nuptiali conſuetudine*. Hæc eadem verba græcè, ac latinè tranſcribit Cabaſutius ad d. Concilii Nicæni *can. 3. nu.* 5. Quapropter ſicut in tribus tranſactis ſæculis Ordines Sacros habentes colebant caſtitatem; ita ab omnibus eadem ſervabatur in ſæculo quarto; juxta teſtimonium S. Epiphanii tunc viventis; ipſe enim

Undecimò: Anno 370. ad finem operis contra hæreſes ita ſcribit: *Sanctum Sacerdotium ex Virginibus ut plurimùm, aut ex ſolitariis, aut ſi hi ad miniſterium*
*non ſuffecerint, ex his conſtituitur, qui* 35
*propriis ab uxoribus ſe continent. Et ſi quis ab initio continens fuerit, aut viduus, habere poteſt locum Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut Subdiaconi*. Hæc apud Cabaſutium *ad d. can. 3. muner.* 7. Aliaſque ejuſdem Sancti expreſſas atteſtationes de cultu continentiæ apud Epiſcopos, Presbyteros, Diaconos, ac Subdiaconos illius ſæculi tranſcribit Emin. Card. de Lauræa *diſp. 9. de Sacram. Ord. num.* 218. 219. 235. & 239. quibus adſtipulatur factum S. Baſilii Magni ejuſdem temporis, (relatum in ejus *Epiſt.* 198.) in qua graviter objurgat Paregorium Presbyterum ſeptuagenarium, qui mulierem, etſi non ſuſpectam, intra ſuas ædes ad miniſterium habebat, eumque ab Ordine ſuſpendit tanquam Nicæni decreti tranſgreſſorem. Hinc

Duodecimò: Anno 385. Syricius Papa *Epiſt.* 1. cum præmiſiſſet, Chriſtum Dominum caſtiſſimum ſponſum velle
Eccleſiam ſuam continentiæ ſplendore 36
radiare, ſubdit: *Nos omnes Sacerdotes, atque Levitæ inſolubili lege conſtringimur, ut à die ordinationis noſtræ ſobrietati, ac pudicitiæ, & corda noſtra mancipemus, & corpora*. Et concorditer Concilium Carthaginenſe II. quod eodem Anno 385. refertur celebratum, in atteſtationem ejuſdem inviolatæ Miniſtrorum Sacrorum caſtitatis *can.* 2. hæc habuit: *Placuit, & condecet Sacroſanctos Antiſtites, & Dei Sacerdotes, nec non & Levitas, vel qui Sacramentis divinis inſerviunt, continentes eſſe in omnibus, quo poſſint ſimpliciter, quod à Deo poſtulant impetrare, &, ut Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoque cuſtodiamus. Ab univerſis Epiſcopis dictum eſt: Omnibus placet, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, & qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes*

*des*

*des etiam ſe ab uxoribus contineant.* Habetur etiam *in cap. Cum in præterito. diſt.*84. in quo duo ſunt obſervatu digna, quod ſcilicèt hæc obligatio incipit ab Apoſtolis, & eam ſervavit antiquitas, & quod in illis verbis, *qui Sacramentis divinis inſerviunt;* & in illis, *qui Sacramenta contrectant*, Subdiaconi intelliguntur.

Decimotertiò: Anno 390 corroborat hanc veritatem S. Hieronymus, qui tunc vivebat, vitaque ſua pœnitenti, ac ſcriptis egregiis Eccleſiam illuſtrabat; in
37 *Epiſtola* enim 53. *ad Riparium numer.*8. ſcribit: *In Oriente, & Ægypto non eſſe licitum Clericis uti uxoribus; ſed continere debere.* Et *in libr.* 1. *contra Jovinian.* hæc habet: *Si Laicus, & quicunque fidelis orare non poteſt, niſi careat officio conjugali, ut ait Apoſtolus* 1.*Cor.*7. *Sacerdoti, cui ſemper pro populo offerenda ſunt, ſemper orandum eſt; igitur ſemper matrimonio carendum.* Et in libro adverſus Vigilantium ſubdit: *Quid facient Orientis Eccleſiæ? Quid Ægypti, & Sedis Apoſtolicæ? Quæ aut Virgines Clericos accipiunt, aut continentes, aut ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt?* En igitur per quatuor ſæcula fidelitas Miniſtrorum ſacrorum in obſervatione pudicitiæ, caſtitatis, atque continentiæ. Confirmatur quoque

Decimoquartò: Anno 398. teſtimonio S. Joannis Chryſoſtomi, ſcribentis eo tempore, ac verſantis inter Græcos, qui *Homil.* de Patientia Job. ait *Sic dicit*
38 *Apoſtolus Unius uxoris virum; non ea ratione, ut id nunc ab Eccleſia obſervetur: oportet enim prorſùs caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe.* Inviolata autem cuſtodiebatur hæc obligatio caſtitatis in habentibus Ordines Sacros etiam in principio, ac medietate quinti ſæculi ex atteſtatione Innocentii Papæ I. qui

Decimoquintò: Anno 402. *Epiſt.* 9. *ad Victric.* ait: *Quod dignum, & pudicum, & honeſtum eſt, tenere Eccleſia omninò debet, ut Sacerdotes, & Levi-*
39 *tæ cum Uxoribus ſuis non coeant*, & S. Leonis Papæ, qui, Anno 440. cum ipſe ſederet in Vaticano, ſic locutus eſt de illa, *Epiſt.* 82. *ad Anaſtaſ.* (& extat *in cap.* 1. *diſt.* 32.) videlicèt: *Omnium Sacerdotum tàm excellens eſt electio, ut hæc quæ in aliis membris Eccleſiæ vacant à culpa, in illis tamen habeantur illicita, Nam cum extra Clericorum Ordinem conſtitutis, nuptiarum ſocietati, & procreationi filiorum ſtudere ſit liberum; ad exhibendam tamen perfectæ continentiæ puritatem, nec Subdiaconis quidem connubium carnale conceditur; ut & qui habent, ſint tanquam non habentes; & qui non habent, permaneant ſingulares. Quod ſi in hoc ordine, qui quartus eſt à capite, dignum eſt cuſtodiri, quantò magis in primo, vel in ſecundo, tertiovè ſervandum eſt; ne aut Levitico miniſterio, aut Presbyterali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus æſtimetur, qui ſe à voluptate uxoria necdum frænaſſe detegitur.* Succeſſivè

Decimoſextò: Anno 461. in Concilio Turonico Primo *cap.* 1. innovata fuit hujus obligationis memoria omnibus Miniſtris Sacris, præmiſſa ejuſdem relevantia, ſub his propriis verbis: *Si* 40
*enim univerſis fidelibus ſecundùm Apoſtolicam doctrinam, caſtitas cuſtodienda indicitur, ut qui habent uxores, ita ſint quaſi non habentes: quantò magis Sacerdotes Dei, ac Levitæ divino mancipati Altari, ſe cuſtodire debent, ut non ſolùm cordis, verùm etiam corporis puritatem ſervantes, pro plebe ſupplicaturi, preces eorum ad divinum mereantur introire auditum!* Hoc idem

Decimoſeptimò; Anno 506. confirmatum videmus in Concilio Agathenſi tunc celebrato, in quo *cap.* 16. & 17. (prout etiam legitur *in cap. Epiſcopus diſt.* 77.) ita fuit diſpoſitum: *Sanè ſi co-* 41
*njugati juvenes conſenſerint ordinari, etiam Uxorum voluntas ita requirenda eſt, ut ſequeſtrato manſionis cubiculo, religione promiſſa, poſteaquàm pariter converſi fuerint, ordinentur.* Concordat de obſervantia continentiæ, ac caſtitatis apud Sacris Ordinibus inſignitos, Concilium Turonenſe II. Siquidem per ipſum,

Decimoctavò: Anno 570. ita in

*can.* 20.

Digitized by Google

*can.* 20. fuit Decretum: *Si inventus fue-*
*rit Presbyter cum ſua Presbytera, aut*
42 *Diaconus cum ſua Diaconiſſa, aut Sub-*
*diaconus cum Subdiaconiſſa* (ſic nomina-
bantur Uxores ordinatorum, prout
nunc dicuntur Duciſſæ, & Marchio-
niſſæ Uxores Ducum, aut Marchio-
num) *annum integrum excommunicatus*
*habeatur, & depoſitus ab omni officio*
*Clericali inter Laicos ſe obſecrare cogno-*
*ſcat*. Necnon

Decimonono: Anno 581. Concilium
Matiſconenſe I. tunc celebratum, cu-
jus *can.* 11. de Clericis Sacris loquens,
43 dicit: *Quiſquis ille eſt, divino munere*
*benedictione percepta, uxoris priùs ſuæ*
*frater illicò efficiatur ex conjuge*. Erat
namque conſtans tota Eccleſia Occi-
dentalis in cuſtodienda Miniſtrorum
Sacrorum caſtitate; adeò ut ſi uxorati
Ordines Sacros ſuſcepiſſent, ab uxori-
bus in perpetuum abſtinerent; ſi cæli-
bes, conjugia contrahere non poſſent.
Facit eximium Urſicini Presbyteri
44 uxorati exemplum, quod hoc tempore
vivebat, narratum à S. Gregorio Papa
*libr.* 4. *Dialog. cap.* 11. his verbis: *Hic ex*
*tempore ordinationis ſuæ Presbyteram*
*ſuam ut ſororem diligens, ſed quaſi ho-*
*ſtem cavens, ad ſe propiùs accedere nun-*
*quam ſinebat*. Sequitur deindè narrare,
qualiter factus ſenex Urſicinus eſſet,
ægrotanſque vix extremos ſpiritus tra-
heret; & ipſa ejus Presbytera incerta ſi
expiraſſet, aurem naribus ejus admo-
vit; tunc ille recollectis viribus in has
erupit voces: *Diſcede mulier, adhuc*
*igniculus eſt, amove paleam*.

Non eſt autem ignorandum, quod
hoc tempore in Sicilia invaluerat abu-
ſus, ut uxorati ordinarentur Subdiaco-
ni, qui poſtea ab uxoribus recuſabant
45 abſtinere, eò quia ſe, dicebant, nullam
promiſiſſe continentiam; quare Sum-
mus Pontifex Pelagius II. iiſdem prohi-
buit earumdem uſum Uxorum; at ip-
ſo defuncto Sanctus Gregorius Papa ad
Sedem Apoſtolicam evectus

Anno 590. mitiùs procedendo, (ut
habetur in *cap. Ante triennium, diſt.* 31.)
permiſit Subdiaconis illis cum uxoribus
ſtare; ſed deinceps præcepit omnibus
Epiſcopis, *ut nullum Subdiaconum face-*
*re præſumerent, niſi qui ſe victurum ca-*
*ſtè promiſerit*: ſubdens: *Quia nullus de-*
*bet ad miniſterium Altaris accedere, niſi*
*cujus caſtitas ante ſuſceptum miniſterium* 46
*fuerit approbata*: ſicque reſtituit S. Gre-
gorius, & in viridi obſervantia repo-
ſuit continentiam, & caſtitatem, quam
ſemper coluerant Subdiaconi, Diaco-
ni, Presbyteri, ac Epiſcopi in Eccleſia
Latina ex Apoſtolorum conſtitutione,
ut advertit etiam Gloſſa *in cit. cap. An-*
*te triennium. in princ.* Cæterùm in ſe-
ptimo ſæculo tentarunt in Hiſpania
nunnulli Subdiaconi abuſum Siciliæ jam
extinctum ſuſcitare; quibus ſtatim ſe
oppoſuit Concilium Toletanum VIII.
quod quidem

Anno 655. convocatum *in can.* 4. 5.
6. & 7. repreſſit Eccleſiaſticorum incon-
tinentiam; & in *can.* 7. ita de Subdia-
conis loquitur: *Relatum eſt nobis, quoſ-*
*dam Subdiaconos, poſtquam ad ſacri hu-*
*jus ordinis pervenerint gradum, non ſo-* 47
*lùm carnis immunditia ſordidari, cum*
*ſcriptum ſit, Mundamini qui fertis va-*
*ſa Domini: ſed etiam (quod dictu quo-*
*que nefas eſt) novis uxoribus copulari*.
Subindè quamcunque mulierum familia-
ritatem iiſdem auferri præcipit, con-
cludens: *Quod ſi hoc vulnere deinceps*
*fuerint ſauciati, mox erunt ſub pœni-*
*tentiæ oneribus uſque ad extremum vitæ*
*Monaſteriis relegandi*. At mirabile eſt
quod ſequitur decretum ſextæ Œcume-
nicæ Synodi, *Trullanæ* vocatæ (tan-
quam habitæ Conſtantinopoli in Secre-
tario Palatii Regii, quod *Trullum* vo-
cabant). Hæc

Anno 680 legitimè convocata, præ-
ſidentibus Legatis Agathonis Romani
Pontificis, poſt firmatos articulos fidei
contra hæreticos illius temporis; quo
ad Eccleſiaſticam diſciplinam commu-
niendam in *can.* 6. ita ſancivit: *Quo-*
*niam in Apoſtolicis canonibus dictum eſt*, 48
*eorum qui non ducta uxore in Clerum pro-*
*moventur, ſolos Lectores, & Cantores*
*uxorem poſſe ducere: & Nos hoc ſer-*
*vantes decernimus, ut deinceps nulli pe-*



Digitized by Google

*nitus Hypodiacono, vel Diacono, vel Presbytero poſt ſui ordinationem Matrimonium contrahere liceat. Si quis autem hoc facere auſus fuerit, deponatur.* Refertur, etſi ſtrictis verbis, in *cap. Si quis eorum. diſt.* 32. & ex eo conſtat; prohibitas nuptias Miniſtris Sacris, ac quarum nuptiarum, ante ordinationem contractarum, uſum prohibitus erat in *cap. Subdiaconis. cap. Eos, qui. cap. Erubeſcant. & cap. Placuit. ead. diſt.* 32. Sed ecce excidium caſtitatis in Subdiaconis, Diaconis, ac Presbyteris Græcis ex ſequenti Pſeudoſynodo Trullana, *Quiniſexta* nuncupata, promanans: Nam

Anno 692. habitus eſt Conſtantinopoli Præſulum Orientalium conventus in Trullo Imperialis Palatii, Secretario ſupernè fornicato, qui duos ſupra centum Canones condiderunt. Voca-
49 runt hunc conventum *Synodum Quiniſextam*, ut ei conciliarent auctoritatem Quintæ, ac Sextæ Synodorum; in quibus de articulis fidei tantummodò actum; alios pro diſciplina tunc non extenſos hæc compleret, ut diſſerit Emin. Card. Baronius, atque Spondanus *Ad hunc annum* 692. & Cabaſutius *in Notitia Eccleſ. Sæculo VII. ad eundem Annum pag.* 297. Igitur hoc Conciliabulum, cum priùs *in can.* 12. ſtatuiſſet, conjugatos ad Epiſcopatus ordinem aſſumptos, non poſſe ampliùs cum Uxoribus coire, quod ſervant Græci uſque in præſentem diem, poſtea *in can.* 13. aliis Miniſtris Sacris ad libidinem relaxavit habenas, ita decernens: *Quoniam à Romana Eccleſia pro canone traditum eſſe cognovimus, ut Diaconi, vel Presbyteri, qui digni, qui ordinentur, exiſtimandi ſunt, profiteantur, ſe non ampliùs ſuis uxoribus conjungendos, Nos antiquum Canonem Apoſtolicæ perfectionis, ordiniſque ſervantes, hominum, qui ſunt in ſacris, conjugia deinceps ex hoc temporis momento firma, & ſtabilia eſſe volumus, nequaquam eorum cum uxoribus conjunctionem diſſolventes, vel eos mutua, tempore convenienti, conſuetudine privantes. Quamobrem ſi quis dignus inventus fuerit, qui Hypodiaconus, vel Diaconus, vel Presbyter ordinetur, is ad talem gradum aſſumi nequaquam prohibeatur, ſi cum legitima Uxore cohabitet. Sed neque Ordinationis tempore ab eo poſtuletur, ut profiteatur ſe à legitima cum uxore conſuetudine abſtenturum; ne ex eo à Deo conſtitutas, & ſua præſentia benedictas Nuptias, injuria afficere cogamur; Evangelica voce exclamante, Quæ Deus conjunxit, homo non ſeparet; & Apoſtolo docente, Honorabiles Nuptias, & Thorum immaculatum; & : Alligatus es Uxori? ne quære ſolutionem. Scimus autem, ſicut & qui Carthagine convenerunt, & Miniſtrorum gravitatis, honeſtatiſque curam gerentes dixerunt, ut Subdiaconi, qui ſacra Myſteria contrectant, & Diaconi, & Presbyteri propriis terminis à conſortibus abſtineant: ut & quod per Apoſtolos traditum eſt, & ab ipſa uſque antiquitate ſervatum, Nos quoque ſimiliter ſervemus, tempus in omni re ſcientes, & maximè in jejunio, & oratione. Oportet enim eos, qui divino Altari aſſident, in ſanctorum tractandorum tempore eſſe omninò continentes, ut poſſint id, quod à Deo impliciter petunt, obtinere. Si quis ergo præter Apoſtolicos canones incitatus ſit aliquem eorum, qui ſunt in ſacris, Presbyterorum, inquimus, vel Diaconorum, vel Hypodiaconorum conjunctione cum legitima Uxore, & conſuetudine privare, deponatur. Similiter & ſi quis Presbyter, vel Diaconus ſuam uxorem, pietatis prætextu, ejecerit, ſegregetur; & ſi perſeveret, deponatur.* Hucuſque Quiniſextæ Synodi Decretum *ex tom. 3. Concilior. pag. mihi* 395. & 396. tranſcriptum; quod Gratianus poſuit (pluribus tamen conciſis verbis) in *cap. Quoniam. diſt.* 31.

Circa ipſum autem plura ſunt notanda, & mandanda memoriæ. *Primum*, quod hæc Synodus non fuit Œcumenica, ſed Pſeudoſynodus; nam abſque licentia Romani Pontificis convocata, 50
& ejus Legatis non præſidentibus, ex quorum præſentiæ defectu, hujuſmodi conventus pluries declarati fuerunt Concilia-

Digitized by Google

ciliabula, Erratica Concilia, ac nullius auctoritatis, ut demonſtrant Emin. Card. Baronius, & Spondanus *ad hunc Annum* 692. & exempla adducens Cabaſutius *d. pag.* 297. *Secundum*, quod prædicti Canones à Sergio Papa tunc
51 vivente rejecti, atque damnati fuere, etſi Juſtinianus Orientalis Imperator graviter inſtetiſſet pro eorum confirmatione; quam nec potuit obtinere à Joanne Septimo, ac Conſtantino Romanis Pontificibus Sergii Succeſſoribus. *Tertium*, quod eoſdem Quiniſextæ Synodi Canones recipere noluerunt Patriarchæ Orientales Alexandrinus, Antiochenus, & Hieroſolymitanus, tùm quia eos adverſantes Apoſtolicis decretis, & univerſalis Eccleſiæ cognoverunt; tùm etiam quia ipſi nec per ſe, nec per ſuos Legatos ejuſmodi Conciliabulò interfuiſſent, ut Spondanus, & Cabaſutius *loc. ſupra cit.* probant. *Quartum*, quod falsò obiiciunt Eccleſiæ Romanæ, eam contra Evangelium ſolvere nuptias ante Ordinationem à Miniſtris ſacris contractas; non enim eas ſolvit quo ad vinculum; ſed quo ad uſum juxta præceptum Apoſtolorum, & doctrinam Catholicam per ſeptingentos circiter annos in univerſa Eccleſia de cælibatu prædictorum receptam, & cuſtoditam; ac à Sanctis Patribus Græcis eximiè commendatam. *Quintum*, non poſſe deſumi, eoſdem Canones fuiſſe approbatos à Gregorio II. & ab Hadriano Papa, qui citarunt ex eis *Canonem* 83. loquentem de Sacris imaginibus; id enim fecerunt ad magis convincendos Græcos Iconoclaſtas, & ut eoſdem ſuis ipſorum gladiis jugularent. *Sextum*, (& ſunt verba ipſius Spondani *ad d. Ann.* 692. *num.* 5.) *Cùm, tantâ procaciâ, inter alia mala, Græci confregerint jugum à Patribus cuſtoditum*
52 *Eccleſiaſtici cœlibatus, iidem & in reliquis ſunt in deteriùs æquè prolapſi; ut vix brevia poſt hæc ſit reperire interſtitia temporum, quibus vel Hæreſi, vel Schiſmate, non fuerint ab Eccleſia Catholica, & Orthodoxa diviſi; quouſque tandem, in ultionem ſcelerum, à Deo vindice, poſt longam patientiam, meruerunt Virgâ furoris Aſſur conteri*. Hanc eamdem Miniſtrorum Sacrorum caſtitatis deſtructionem à Græcis factam, contra Decreta Eccleſiæ Univerſalis per Annos 692. ubique ſervata narrat etiam Epiſcopus Sarnellius *tom.* 2. *Epiſt* 37. ubi de aliis Græcorum erroribus. *Septimum*, quod nihilominùs Eccleſia Romana tolerandam duxit hanc Orientalis Eccleſiæ Clericalis cælibatus violationem *cap. Cum Olim. De Clericis conjug.* Illum tamen conſtanter ſervavit, & ſervatum eſſe voluit apud Miniſtros ſacros Latinos juxta decreta Pontificia, ac Conciliaria relata in *cap. Lex continentiæ. cap. Omninò diſt.* 31. *cap. Eos, qui. cap. Placuit. & cap. Seriatim. diſt.* 32. pro quorum majori executione

Anno 845. in Concilio Meldenſi ſub Sergio II. Papa *can.* 26. innovata fuit omnibus Clericis ſacris, ac ipſis Epiſcopis prohibitio cohabitandi cum mulieribus ſub his verbis: *Quia ſi ſecundum leges canonicas in manſiones Clericorum* 53
*introitus fœminarum prohibentur, quantò magis domus Epiſcopi ab hujuſmodi inhabitatione, & converſatione, etiam & à legitimo connubio conjugatorum debet immunis eſſe, & aliena?* In hac eadem conformitate

Anno 1049. Leo Papa IX. reſpondens Epiſtolæ Nicetæ Abbatis, (prout habetur *in cap. Omninò diſt.* 31.) ſic ſcribit: *Omninò confitemur, non licere Epiſcopo, Presbytero, Diacono, & Subdiacono propriam uxorem cauſa religionis abiicere à cura ſua, ſcilicèt ut ei victum,* 54
*& veſtitum largiatur, non ut cum illa ex more carnaliter jaceat.* Et quoniam uxorati, qui petebant ſe ordinari etiam in Sacris, devotionis prætextu, cauſam violandi cœlibatus Clericalis præbebant:

Anno 1063. *in Concil. Lateran.* 3. ab Alexandro III. convocato, ſtatutum fuit, ut uxorati Clerici nec beneficia, nec immunitatem Eccleſiaſticam haberent; neque ad Sacros Ordines promoverentur, niſi voverent caſtitatem; & hoc idem reſcripſit idem Pontifex; prout legitur in *cap.* 2. *de Clericis Conjugat.* ſub his

55 verbis: *Provideas attentiùs, ne deinceps Clericus coniugatus ad Eccleſiaſtica beneficia, vel Sacros Ordines, aut adminiſtrationes Eccleſiaſticas admittatur, niſi fortè caſtitatem voveret perpetuam, & qui unicam, & virginem habuiſſet uxorem*. Sed quoniam multi uxorati, ut ordinarentur in Sacris, vovebant continentiam perpetuam, & eorum Uxores reclamabant, decrevit ipſe Pontifex Alex. III. ut *Nullus conjugatorum ſit ad Sacros Ordines promovendus, niſi ab Uxore continentiam profitente fuerit abſolutus*. Ita *in cap. Conjugatus*. 5. *De Converſ. conjugat.* de quo latè diſſerit Fagnanus *in cap. Majores à num* 95. *& ſeqq. de Baptiſmo*. Et exindè

Anno 1294. Bonifacius VIII. declaravit Ordinem Sacrum habere ſibi annexum Votum ſolemne caſtitatis non ſolùm impediens Matrimonium contra-
56 hendum, ſed etiam dirimens contractum, ut legitur in *cap. 1. De Voto, & Voti redempt.* in his verbis: *Præſentis declarandum duximus oraculo Sanctionis, illud ſolum Votum debere dici ſolemne, quantum ad poſt contractum Matrimonium dirimendum, quod ſolemnizatum fuerit per ſuſceptionem Sacri Ordinis, aut per Profeſſionem expreſſam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apoſtolicam approbatis*.

Igitur à tempore Bonifacii VIII. uſque in præſens non fuit ampliùs neceſſitas diſputandi de obligatione, quæ Clericis Sacris incumbit, ſervandi continentiam; ſed coercendi prævaricantes ex humana fragilitate, ut in titulis Decretalium, Libri ſexti, Clementinarum, ac Extravagantium *De Vita, & Honeſtate Clericorum;* donec è latebris
57 Germaniæ, ne dicam Averni, Sæculo decimoſexto incœpto, impudentiſſimis Hæreſiarchis Luthero, Calvino, Brentio, Petro Martyre, Melancthone, Carolſtadio, & aliis erumpentibus, ab his omnibus impugnata ſcriptis, & attrita factis fuit caſtitas Miniſtrorum Eccleſiæ ſacrorum, ut refert Salelles *de S. Inquiſitione libr. 3. cap. 18. per tot.* Pater Macedo *De Clavib. Petri lib.4. cap.7.* (ubi notat, quod Lutherus cum duxiſſet in Uxorem Catharinam Boram Monialem, eam ſalaciſſimis diſcipulis ſuis 58
oſculandām dedit, ut impudica illa oſcula ſigilla eſſent, robur afferentia impudiciſſimæ ſuæ opinioni, & actioni.) & Gonzalez *tom. 3. in Comment. ad cap. Si quis Clericorum. De Clericis conjugatis num. 2. & 3.* addens ibidem, quod Andreas Carolſtadius Archidiaconus Witembergi in Saxia intimus, ſed pejor Luthero, primus omnium prædictorum hæreſiarcharum publicè Matrimonium iniit, in cujus laudem Luthe- 59
rani, nondum abrogatâ Miſsâ, hanc in ea recitabant orationem: *Deus, qui poſt longam Sacerdotum cæcitatem, beatum Andræam Carolſtadium ea gratia donare dignatus es, ut primus, nullâ habita Papiſtici juris ratione, Uxorem ducere auſus fuerit: da quæſumus, ut omnes Sacerdotes, hujus veſtigia ſequentes, ad legitimi conſortium thori convertantur*. Oh diabolica impietas? Oh cæcitas deplorabilis? impugnare, & atterere Cælibatum Eccleſiaſticorum, quem per quindecim integra ſæcula Sanctiſſimæ Synodi propugnarunt; & doctiſſimi Viri in univerſa Eccleſia coluerunt. Sed de Carolſtadio ſubdit Salelles *d. cap. 18. num. 302.* quod ejus vita, inito Matri- 60
monio, fuit miſerabilis; eum enim, ut viveret, oportuit agricolam agere; mors verò infeliciſſima, horrendiſſima, peſſima: viſo enim ſpectro terribili, ab eodem poſt triduum moriens raptus fuit. Contra Clericos incontinentes præſcriptæ ſunt pœnæ à Concilio Tridentino *ſeſſ. 25. de Reform. cap. 14.* de cujus intellectu videndus Barboſa *ibid. in Collect. DD.* & Theſaurus *de Pœnis part.2. V. Concubinatus cap. 1.*

Quo ad Tertium: Diſputant Theologi, an hæc obligatio caſtitatis, ad quam Miniſtri Sacri tenentur, inſurgat ex Voto, quod ipſi faciunt, dum Sa- 61
cros Ordinem ſumunt? ſeu ex Præcepto, quod eiſdem Ordinibus ſacris Eccleſia adjecit? Tres ſunt opiniones.

Prima tenet, eam inſurgere ex Voto ex ſequentibus fundamentis. Primò

*Ex cap.1.*

*Ex cap.1. diſt. 31.* ubi S. Gregorius Ma-
62 gnus ait: *A præſenti die Epiſcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum facere præſumant, niſi qui ſe victurum castè promiſerit*. Sed promiſſio facit Votum. Secundò *Ex cap. Unico. De Voto in 6.* in quo Bonifacius VIII. declarat, Matrimonium dirimi Voto ſolemni, quod fit in ſuſceptione Ordinis Sacri. Ergo ex Voto. Tertiò: Si non eſſet ex Voto, Miniſter Sacer peccando contra caſtitatem non committeret Sacrilegium. Sed ſic eſt, quod Sacrilegium committit; & in confeſſione tenetur hanc circumſtantiam exprimere, ut notavimus *ſupra ſub num.1.* Ergo eſt ex Voto. Quartò: Si non eſſet ex Voto, Papa poſſet diſpenſare abſque ulla cauſa cum ordinato in Sacris, ut contraheret Matrimonium. Sed ſic eſt, quod ſemper requirit juſtam cauſam, ut diximus *ſupra num. 75.* Ergo hæc obligatio eſt ex Voto; prout ita docet S. Thomas 2. 2. *q. 88. art.* .... Sanchez *de Matr. libr.7. diſp.27. num.10.* Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. d. diſp. 9. num. 249.*

Secunda opinio aſtruit, eam eſſe ex Præcepto Eccleſiæ. Primò: Quia circuitus ſunt vitandi. Sed Eccleſia poteſt de per ſe obligare Miniſtros Sacros ad
3 caſtitatem. Ad quid ergo præcipere iiſdem, ut eamdem voveant? Secundò: Si eſſet ex Voto, illud explicitè emitteretur in ſuſcipiendis Sacris Ordinibus. Sed ſic eſt, quod neque Subdiaconi, neque Diaconi, aut Presbyteri faciunt explicitè hoc votum. Ergo obligatio caſtitatis non eſt ex Voto, ſed ex Præcepto. Tertiò: Si eſſet ex voto, hoc contingeret fieri in multis contrà eorum voluntatem. Sed id eſſe non poteſt, cum Votum ſit voluntaria, ac deliberata promiſſio Deo facta. Ergo. Quartò: Quia ſi ex voto eſſet, plures non eſſent obligati, illi ſcilicèt, qui illud nollent facere. Igitur dicendum eſt, omnes Miniſtros Sacros obligari ad caſtitatem ex ſolo Eccleſiæ Præcepto. Ita tenent Valentia *diſp.9. q.5. punct.5. §. 1.* Averſa *de Ord. q.4. ſect.7. §. præferendus*, qui alios DD. allegat.

Tertià Opinio eſt, quòd hæc obligatio æquè naſcatur tàm ex Voto ordinatorum in Sacris, quàm ex Præcepto Eccleſiæ: ex Voto, quod quilibet facit, & tenetur facere aſſumendo Ordinem
Sacrum, cum ita ſtatutum ſit ab Eccle- 64
ſia; ut volentes ordinari in Sacris promittant caſtè vivere, prout ex *texx.* in prima opinione relatis. Nec obſtat, quod nemo explicitè hoc votum faciat; quia ſi verbis, & ore non facit, illud emittit facto; ſcilicèt ſuſcipiendo Ordinem. Nec dici poteſt, quod plures voveant inviti, & contra ſuam liberam voluntatem; ſiquidem cum quiſque ſciat Ordini Sacro annexam eſſe hanc obligationem vovendi caſtitatem, ſtatim hàc illum vult ſuſcipere, & ſuſcipit, voluntariè cenſetur vovere. Quod ſi daretur aliquis ignorans hanc obligationem vovendi; vel qui intra ſe diceret, nolo vovere, nec me obligare ad Caſtitatem, adhuc eſſet obligatus ad illam ex Præcepto Eccleſiæ, & abſolvi non poſſet in foro conſcientiæ, niſi admonitus de obligatione vovendi, voveret; cum eligendo ſtatum Clericalem in Sacris, tenetur etiam ad emittendum votum caſtitatis. De Præcepto autem Eccleſiæ conſtat ob plurimos canones hanc obligationem continentiæ in Miniſtris Sacris præcipientes, & potiſſimum in *cap. 1. & ſeqq. diſt.31.* Item *cap.1. cap. Si quis eorum. diſt.32.* Concil. Eliberitanum, de quo *ſupra Anno* 305. Nicænum *Anno* 325. Toletanum VIII. *Anno* 655. & Trullanum *Anno* 680. & in *tit. de Vita, & Honeſtate Clericorum* in Decretalibus in Libro VI. in Clementinis, & in Extravagantibus. Hanc opinionem amplexi ſunt Hurtadus, Perez *de Matrim.* Rebellius, & alii apud Gobatum *tract. 8. num.* 755. ac etiam noviſſimè Diana in Opere Coordinato *tom.3. tract.1. reſol.* 77. quæ in Veteri eſt *part.8. tract. 1 reſol.* 72. cui adhæret Cotonius *libr. 5. controv.1. num.* 297.

Tandem Corollarii loco, notandum eſt tribus in caſibus Ordinatos in Sacris non eſſe obligatos ſervare caſtitatem. Primus eſt, ſi ordinatio eſſet invalida ex de-

ex defectu materiæ, nam Votum caſti-
65 tatis eſt acceſſorium ad ordinationem; undè ſi hæc ſit invalida, neque Votum valet. Salmanticenſes. *de Sacram.Ord. d. tract.8. cap.6. num.* 41. qui ſecùs dicendum advertunt in profeſſione invalida Regularium; hi enim cum verè voverint caſtitatem, tenentur ad illam, ſed ex vi ſimplicis Voti, *cap. Quidam*, *& cap. Placet. De Converſ. Conjugator.* Secundus caſus eſt, ſi ordinetur Puer ante uſum rationis, nam ordinatio eſt quidem valida, etſi illicita; tamen ordinatus, niſi illam ratificet in annis pubertatis, non eſt obligatus ſervare Caſtitatem. Salmanticenſes, alios allegantes DD. *d. tract. 8. cap. 6, num. 42, & 43.* Tertius caſus eſt, ſi quis ordinetur per vim, & metum gravem cadentem in conſtantem Virum; & in hoc caſu, ſi expreſsè proteſtetur, ſe nolle ordinari, certum eſt, invalidam fore ordinationem, & nullam adeſſe obligationem caſtitatis. At ſi conſentiat in Ordines, etſi graviſſima violentiâ adductus; diſcordes ſunt DD. circa obligationem caſtitatis; alii enim negant, alii affirmant, ut videre eſt apud eoſdem Salmanticenſes, qui pro utraque parte rationes adducunt, & examinant *d. tract.8. cap.6. à num.45. & ſeqq.* ac DD. citant, quibus ego addo Deciſionem Rotæ Magiſtralem *part. 6. recent. dec. 40.* à Studioſis videndam.

## DECISIO XXVIII.

### *ARGUMENTUM.*

Nè Clerici Sæculares in Sacris cogantur cum dedecore Ordinis mendicare, ordinari non debent ex Jure Canonico antiquo, medio, ac noviſſimo, niſi habeant, undè honeſtè vivere poſſint. Contrarium effutierunt Marſilius Paduanus, Joannes Wicleff Anglus, & Martinus Lutherus, Hæreſiarchæ ab Eccleſia damnati. Explicantur tres Tituli pro initiandis Clericis Ordinibus Sacris, ſcilicèt Beneficium, Penſio, ac Patrimonium: nec non pro Regularibus titulus Profeſſionis Religioſæ. Circa eoſdem omnes Titulos recenſentur requiſita neceſſaria, & plurimæ Quæſtiones ſcitu dignæ, ac perpulchræ examinantur, & reſolvuntur.

### SUMMARIUM.

1. *Titulus neceſſarius ad ſuſcipiendos Ordines Sacros pro alimentis.*
2. *Hæreticorum doctrina contra beneficia Eccleſiaſtica.*
3. *Marſilii Paduani hæretici error contra bona temporalia Eccleſiarum.*
4. *Joannis Wicleffi hæretici idem error, & blaſphemiæ multæ.*
5. *Lutherus idem dogma hæreticale docet.*
6. *Militibus debita ſunt ſtipendia.*
7. *S. Hieronymi tempore Clerici non ordinabantur ſine patrimonio.*
8. *Chalcedonenſe Concilium Anno* 450 *requirit titulum ſuſtentationis in ordinandis.*
9. *Urbanus II. renovat Anno* 1092 *præceptum ejuſdem tituli.*
10. *Alexandri III. diſpoſitio circa eumdem titulum ordinandorum.*
11. *Innocentii III. altera Conſtitutio pro ipſo titulo.*
12. *Concilii Tridentini Decretum pro titulo Sacrorum Ordinum.*
13. *Tituli quatuor pro Ordinibus Sacris, Beneficium, Penſio, Patrimonium, & Profeſſio Religioſa.*
14. *Beneficii, pro Ordine Sacro ſumendo, quatuor requiſita.*
15. *Patrimonium Clerici nobilis debet eſſe majoris ſummæ, quàm Clerici ignobilis.*
16. *Beneficium, ad cujus titulum quis fuit ordinatus, quomodo reſignari poſſit.*

17 *Coa-*

17 *Coadjutoriæ ad titulum an quis poſſit in Sacris Ordinari?*
18 *Beneficio inſufficienti jungi poteſt pars Patrimonii pro ordinando Clerico in Sacris.*
19 *Penſio ſervit pro titulo ad Ordines Sacros.*
20 *Penſiones an ab Epiſcopis poſſint imponi ſuper beneficiis?*
21 *Penſiones à paucis promptè ſolvuntur.*
22 *Gregorii Card. Barbadici eximia charitas erga Clericum pauperem.*
23 *Præſtimonia quid ſint? Et an ſerviant pro Ordinibus Sacris.*
24 *Patrimonia pro Sacris Ordinibus quæ, & qualia eſſe debeant?*
25 *Subdiaconus ordinatus cum ficto Patrimonio an ſit ſuſpenſus?*
26 *Pactum de non petendo Patrimonio an ſit irritum, vel irritet Patrimonium ipſum?*
27 *Patrimonii renunciatio abſque licentia Epiſcopi, ſi ordinatus aliundè habeat, ut honeſtè vivat, an valeat?*
28 *Seminarii ad titulum an poſſit alumnus Ordinari in Sacris?*
29 *Seminarium Patavinum facit Ordinare ſuos Clericos in Sacris.*
30 *Abbatia Montis Crucium, & Cortoroduli unita eſt Seminario Patavino, per Card. Barbadicum pro Ordinandis Clericis.*
31 *Eleemoſynarum certarum ad Titulum ac Clerici poſſint Sacris initiari? Exemplum Venetiarum?*
32 *Regulares profeſſi Ordinantur in Sacris ad titulum Paupertatis.*
33 *Regularis ſciens ſuam Profeſſionem eſſe irritam, ſuſcipiens Ordines Sacros incurrit pœnam ſuſpenſionis, & irregularitatis.*
34 *Quando effugiat dictas pœnas?*
35 *Profeſſio invalida cenſetur ratificata per ſuſceptionem Ordinis Sacri. Contrarium* num. 36.

POſt Subdiaconorum obligationes, quas contrahunt recitandi officium, & ſervandi caſtitatem, aliam explicare oportet iiſdem incumbentem, antequam ad ipſum Sacrum Ordinem promoveantur; ſcilicet ut habeant ſufficientem titulum ad propriam ſuſtentationem, ne cum Ordinis dedecore mendicare cogantur. 1

Pro cujus obligationis majori intelligentia ſciendum eſt, tranſactis ſæculis non defuiſſe hæreticos homines, qui non valentes adipiſci pingues Eccleſiaſticas Præbendas, quas affectabant, in odium Prælatorum illas poſſidentium, docere cœperunt, eas eſſe illicitas, nec 2
à Clericis poſſidendas, & multò minùs ab Epiſcopis; utpotè Apoſtolorum Succeſſoribus, & imitatoribus Chriſti, cujus, & quotum vita in paupertate ſemper manſit. Inter hujuſmodi heterodoxos (præter Huſſitas, de quibus meminit Illuſtriſſimus Epiſcopus Baptalginus, vulgari idiomate, ſed erudito calamo, in Annalibus Sacerdotii, & Imperii *Anno* 1626. *num.* 2. *tom.* 2.) recenſentur à Salelle *in tract. de S. Inquiſit. libr.* 3. *cap.* 14. *num.* 16. Marſilius Paduanus, qui aſſerebat *Anno* 1117. 3
Eccleſiaſticos viros non poſſe ullas divitias poſſidere, nec agros, nec alia bona ob prædictum Chriſti, & Apoſtolorum exemplum; quam hæreticalem doctrinam, etſi ab Eccleſia damnatam, reaſſumpſit Joannes Wicleffus natione Anglus, qui inter cæteros errores, quos 4
Anno 1378. effutire, ac docere cœpit, affirmabat, contra Scripturam Sacram eſſe, quod Viri Eccleſiaſtici habeant poſſeſſiones. Decimas puras eleemoſynas fore, & eas Parochianos ad libitum ſuum auferre poſſe ob ſuorum Prælatorum peccata. Religioſos teneri per labores manuum ſibi victum acquirere. Erraſſe S. Sylveſtrum Papam, & Conſtantinum Imperatorem Eccleſias ditando. Sanctos Auguſtinum, Benedictum, ac Bernardum, niſi pœnituerint, damnatos eſſe, ex eo quod inſtituerint Religiones bona temporalia retinentes; ut refert idem Salelles *d. libr.* 3. *cap.* 16. *à num.* 245. *& ſeqq.* qui quidem Wicleffus damnatus fuit in Concilio Conſtantiæ ſub Joanne XXII. Anno 1415.

no 1415. ut legitur in *Tomo IV. Concil. ad præd. Concil. Conſtantiæ ſeſſ. 8. pag. mihi* 270. ubi referuntur omnes errores ejuſdem Wicleffi; cujus oſſa exhumari idem Concilium decrevit, & extra locum Sacrum proiici tanquam hæretici impœnitentis; quod etiam legitur apud Emin. Card. à Turrecremata *in Summa de Eccleſia part. 2. libr. 4. cap. 38.* & apud Odoricum Raynaldum *in Annalib. Eccleſ. ad Annum* 1415. *num.* 34. Hunc eumdem errorem, & hæreticale
5 dogma ſuſcitavit Lutherus Anno 1520. docendo, Eccleſiam, ſeu Eccleſiaſticas perſonas non poſſe, nec debere bona, agros, ullaſve poſſeſſiones habere; ſuadendo Principibus ſæcularibus, ut Eccleſias ſuis rebus ſpoliarent; quod factum fuit pluribus in locis Germaniæ, ac Galliæ, ut latiùs ex approbatis Auctoribus demonſtrat idem Salelles *d. libr.* 3. *cap.* 18. *num.* 54.

Cæterùm doctrina Catholica, & mens Eccleſiæ, ſemper fuit, ut ejus Miniſtri, præſertim in Sacris ordinati, haberent, undè honeſtè vivere poſſent; nec cogerentur mendicare, & hoc ob plures cauſas, ac rationes. Prima eſt, quia mendicitas Clerici cedit in dedecus Ordinis Clericalis. *cap. Diaconi ſunt. diſt.* 93. & *cap. Ad ſupplicationem. De Renunciat.* Secunda, quia cum dicat Gloſſa *in cap. Cum ſecundum. Verb. Obſequium. De Præbend.* quod *Non ſibi, ſed Domino gravis eſt, cui ſervit, egeſtas;* ſi Clericus egeat, redundat in opprobrium ejus, in cujus ſortem, ſeu hereditatem aſſumptus eſt. *cap. Cleros.* 21. *diſt.* Tertia, quia cum eligatur ad onus, repelli non debet à mercede. *cap. Charitatem. cum duob. ſeqq.* 12. *q.* 2. Quarta, quia ut ait Apoſtolus 1. *Cor.* 9. *Qui Altari ſervit, de Altare vivere debet.* Quinta, quia Clerici ſunt milites Chriſti; ſed militibus debita ſunt ſtipendia, quibus vivant; & de his ſol-
6 liciti erant Imperatores Romani, ut notat Svetonius *in Claudio cap.* 25. undè ſubdit Apoſtolus 1. *Cor.* 9. 7. *Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructibus ejus non edit? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Igitur irreprehenſibilis eſt determinatio Eccleſiæ, ut ejus Miniſtri habeant, undè honeſtè vivant. Nec vim facit Chriſti Domini, aut Apoſtolorum paupertas, quia hi paupertatis votum fecerunt; prout etiam DD. autumant feciſſe etiam Chriſtum, quos refert Cornelius à Lapide *in Act. Apoſtol. cap.* 5. *ſub Verſ.* 2. Sed Miniſtros Eccleſiæ ad hoc paupertatis votum non obligavit. Idcircò Ratio principalis, ob quam Eccleſia prohibet ordinari Subdiaconum non habentem, undè honeſtè vivat, utique in eo conſiſtit, ne cogatur mendicare cum dedecore habitus, ac ordinis Clericalis, ut notant omnes Canoniſtæ, ac Theologi. Fagnanus *in cap. Cum ſecundum.* 16. *num.* 28. *de Præbend.* Barboſa *alleg.* 19. *à num.* 1. *& ſeqq.* Pax Jordanus *libr.* 3. *tit.* 6. *num.* 293. Gobatus *de Sacram. Ord. tract.* 8. *num.* 602. & Salmanticenſes *eod. tract.* 8. *cap.* 6. *num.* 61. ubi citantur verba Concilii Tridentini in *ſeſſ.* 21. *cap.* 2. ſic loquentis: *Cum non deceat eos, qui Divino Miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut ſordidum aliquem quæſtum exercere.* Hinc antiquiſſimum fuiſſe morem in Eccleſia, ut nullus ordinaretur abſque ſufficienti ſuſtentationis titulo, adeò verum eſt, ut multi ex DD. quos citat Gonzalez *in Commentar. ad cap. Epiſcopus.* 4. *de Præbend. num.* 9. arbitrentur, illum viguiſſe etiam tempore S. Hieronymi, ſcilicèt Anno 390. ob verba ejuſdem Sancti relata in *cap. ult.* 16. *q.* 1. ubi ſcribens ad S. Damaſum Papam ait: *Clericos autem illos convenit Eccleſiæ ſtipendiis ſuſtentari, quibus parentum, & propinquorum nulla ſuffragantur.* Sed quidquid ſit de origine hujus tituli ſuſtentationis, de ipſa præceptum fecit

Primum, Anno 450. Concilium Generale Chalcedonenſe in *can.* 6. qui habetur *in cap. Neminem diſt.* 70. cujus hæc ſunt verba ſecundum Balſamonis 8
verſionem apud eumdem Gonzalez ubi ſupra. *num.* 7. *Neminem abſolutè ordinari*

nari

*nari* ( præcipimus ) *nec Preſbyterum, nec Diaconum, nec omninò aliquem eorum, qui ſunt in Ordine Eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in Eccleſia civitatis, vel pagi, vel Martyrio, vel Monaſterio is, qui ordinatur, deſignetur. Eos, autem, qui abſolutè ordinentur, decrevit Sancta Synodus irritam, ac invalidam haberi ejuſmodi manuum impoſitionem, & nuſquam exercere, ac operari poſſe, ad ejus, qui ordinavit, injuriam.* Quibus verbis oſtenditur, tunc temporis ordinandum priùs debuiſſe eſſe *deſignatum*, ideſt *intitulatum* in aliqua Eccleſia, ex cujus redditibus honeſtè vivere poſſet, aliàs ordinatio eſſet irrita quo ad executionem, itaut ordinatus eſſet ſuſpenſus ab ordine, ut notat ibi Gloſſa, & Barboſa, atque omnes ſcribentes. Hoc idem præceptum innovavit brevioribus, ſed clarioribus verbis Urbanus II. in
9 Concilio Placentino, Anno 1095. quæ referuntur *in cap. Sanctorum. eadem diſt.* 70. videlicèt: *Sanctorum Canonum ſtatutis conſona Sanctitate decernimus, ut ſine titulo facta ordinatio irrita habeatur:* non quo ad characterem, & validam ordinis collationem; ſed quo ad executionem, ut dictum eſt, quia ordinatus ſine titulo ſuſpenſus erat à divinis. Sed quoniam vel ex Epiſcoporum incuria, vel ordinandorum audacia, frequentia ſuccedebant ſcandala ob Subdiaconos ſine titulo ordinatos, qui ordinem exequentes, licèt ſuſpenſi, evadebant irregulares; ideò

Medium Jus Canonicum emanavit, huic malo opportunè occurrens; nempè Alexander Papa III. Anno 1160. *in cap. Epiſcopus 4. de Præbendis*, in quo ita ſtatuit: *Epiſcopus ſi aliquem ſine certo titulo, de quo neceſſaria vitæ percipiat in Diaconum, vel Preſbyterum or-*
10 *dinaverit, tandiù ei neceſſaria ſubminiſtret, donec in aliqua Eccleſia, ei convenientia ſtipendia militiæ clericalis aſſignet. Niſi talis ordinatus de ſua, vel paterna hereditate ſubſidium vitæ poſſit habere.* Verùm, quia deindè dubitabatur, an ordinati incurrerent, ut antea in pœnam ſuſpenſionis, cum titulum non haberent, etſi ab ordinatore alimenta reciperent? eos non incurrere in dictam pœnam declaravit Innocentius III. Anno 1198. *in cap. Cum ſecundum Apoſtolum. eod. tit. de Præb.* ubi præmiſsâ convenientiâ ejuſdem tituli, & honeſtæ ſuſtentationis, ſubjunxit: *Licèt autem Prædeceſſores noſtri, ordinationes eorum, qui ſine certo titulo promoven-* 11
*tur, in injuriam ordinantium irritas eſſe voluerint, & inanes: Nos tamen benigniùs agere cupientes tamdiù per Ordinatores, vel ſucceſſores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos Eccleſiaſtica beneficia conſequentur.* Duo itaque continet de novo hæc Innocentii III. declaratio. Unum, quod ordinati ſine titulo, de conſenſu Epiſcopi, non incurrant in ſuſpenſionis pœnam. Alterum, quod donec beneficium Eccleſiaſticum conſequantur, alimenta ſint eis præſtanda non ſolùm ab Epiſcopo Ordinatore; ſed etiam ab aliis Epiſcopis ſucceſſoribus illius; quod tamen intelligunt Doctores, ſi Epiſcopatus vacaverit per obitum, ſecùs autem ſi per renunciationem, translationem, dimiſſionem, aut aliam viam; tunc enim actio pro alimentis ut ſupra ordinati dirigitur, contra eumdem ordinatorem, ubicunque ſit. Barboſa *alleg. 20. num.* 22. Jordanus *de Sacram. Ord. d. libr. 3. tit. 6. num.* 368. ubi Quaranta, & Bonacina idem ſentientes.

Novum tandem Jus Canonicum ſucceſſit circa hanc neceſſitatem tituli Subdiaconorum, pro honeſta eorum ſuſtentatione, hoc eſt Concilium Tridentinum, quod ad magis compeſcendos abuſus tùm ordinantium, tùm ordinandorum in hac parte, in *ſeſſ. 21. cap.* 2. ita decrevit: *Statuit Sancta Synodus, ne* 12
*quis deinceps Clericus ſæcularis, quamvis aliàs ſit idoneus moribus, ſcientia, & ætate, ad Sacros Ordines promoveatur, niſi priùs legitimè conſtet, eum beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum honeſtè ſufficiat, pacificè poſſidere. Id verò beneficium reſignari non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum ſit promotus; neque ea*

*reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliundè vivere commodè poſſit, & aliter facta reſignatio nulla ſit. Patrimonium verò, vel Penſionem obtinentes, ordinari poſthac non poſſint, niſi illi, quos Epiſcopus judicaverit aſſumendos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiarum ſuarum; eo quoque priùs perſpecto, Patrimonium illud, vel Penſionem verè ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint: atque illa deinceps ſine licentia Epiſcopi alienari, aut extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti; vel aliundè habeant, undè vivere poſſint, antiquorum Canonum pœnas ſuper his innovando.*

Attento itaque hoc jure noviſſimo Concilii Tridentini, tres ſunt tituli, ad quos Subdiaconi ordinari poſſunt, ſi ſint Clerici ſæculares: Beneficium Eccleſiaſticum, Penſio, & Pa-
13 trimonium; quibus quartus addendus eſt pro ordinatione Regularium, nempè Profeſſio in Religione approbata. Lezana *in Summa tom. 1. cap. 14. num.* 10. ubi citat Navarrum *in Manuali cap.* 27. *num.* 258. & S. Antoninum *3. part. tit.* 14. dicentem, quod Regularibus pro titulo deſeruit ſporta, & pro illis extat Conſtitutio 75. B. Pii V. *Incipien. Romanus Pontifex*. Et de prædictis omnibus titulis, quia multa diſputant tùm Theologi, tùm Canoniſtæ, de eorum ſingulis quæ magis ſcitu ſunt neceſſaria, hic annotabimus.

Beneficium Eccleſiaſticum eſt primus Titulus, ad quem Clericus ſæcularis promoveri poteſt ad Ordines Sacros; ſed quatuor requiſita circa beneficium ſunt obſervanda. *Primum* eſt, quod be-
14 neficium (ſivè Simplex, ſivè Curatum) ſit perpetuum; ideòque beneficia amovibilia, prout capellaniæ manuales deſervire non poſſunt pro Sacris Ordinibus ſuſcipiendis. Sanchez *in Conſil. Moral. libr. 7. cap. 1. dub. 25. num.* 5. Philibertus *de Ordine tract. 2. part. 6. cap. 6. num.* 17. Barboſa *alleg.* 19. *num.* 25. Pariſius *de Reſign. benef. libr. 2. quæſt. 6. num.* 2. Jordanus *d. libr. 3. tit. 6. num.* 368. ubi alios allegat. *Secundum*, ut ejuſdem beneficii ordinandus habeat pacificam poſſeſſionem; non enim ſufficit nominatio, præſentatio, electio, aut etiam inſtitutio; ſed debet eſſe inductus in poſſeſſionem, & quidem pacificam; quæ talis eſſe cenſetur, quando circa eam nulla eſt lis, vel controverſia juris, vel facti, in Judicio, vel extra? Felinus in *cap. Cum Joannes. num.* 33. *de Fide Inſtrum.* Idcircò lite extante ab ordinatione eſt abſtinendum, ſivè lis ſit ſuper proprietate beneficii, ſivè ſuper ſola poſſeſſione. Barboſa *d. alleg.* 19. *num.* 19. Jordanus *d. tit. 6. num.* 304. & 305. ubi excipit litem, quæ concerneret tantummodò aliquod particulare prædium beneficii pacificè poſſeſſi; tunc enim non impediretur ordinatio beneficiarii, dummodò bona non litigioſa, quæ ſuperſunt, ſufficiant ad ejus congruam ſuſtentationem. Gloſſa *in cap. Commiſſa de Elect. in 6. Verb. Pacificam*. Item Gloſſa *final. in cap. Si tibi conceſſo. De Præb. in 6. Tertium* requiſitum eſt, ut prædictum beneficium, vel capellania ſit ſufficiens ad alimentationem ſubdiaconi ordinandi. Garzias *de Benefic. part. 2. cap. 5. à num.* 107. *& ſeqq.* Diaz *in Praxi Crimin. cap.* 18. *num.* 4. Sufficientiæ autem determinatio non eſt à jure taxata, ſed relinquitur arbitrio Epiſcopi, ut reſpondit S. Congregatio apud Pariſium *d. libr. 2. q. 6. num.* 14. & Garzlam *d. cap. 5. num.* 112. in quo quidem arbitrio formando, attendenda eſt conſuetudo regionis; ſed An hæc æqualiter procedat in Clericis ordinariæ conditionis, ac in nobilibus & qualificatis? Diſſenſio eſt inter DD. quos pro utraque opinione citat Jordanus *d. libr. 3. tit. 6. num.* 296. *& ſeqq.* ubi ſatis eſſe, ait, ſervare id, quod ordinariè ſervatur. Ego autem, pace
tanti Viri, contrarium dicendum cen- 15
ſeo, quia in perſona Nobili, vel graduata opus eſt majori Summa ad ejus condecentem, honeſtamque ſuſtentationem; nam opus habet majori famulatu, hoſpitalitate, veſtitu, & ſimilibus convenientiis, à quibus Clerici ordina-

Digitized by Google

dinariæ conditionis poſſunt abſtinere, non autem Nobiles, vel graduati. Quare hanc opinionem tenet Garzias *d. part. 2. cap. 5. num. 115.* & Ignatius in *addit. ad Diaz d. cap. 18. num. 4.* nec non Salmanticenſes in *d. tract. 8. cap. 6. num. 67.* & noviſſimè Pignatellus *tom. 9. Conſult. 168. num. 33.* Quantum requiſitum eſt, ut hujuſmodi Beneficium, quod Subdiaconatus ordini deſervivit pro titulo, renunciari non poſſit, niſi facta expreſſa mentione, quod renuncians ad illius titulum fuerit ordinatus, & quod reſignans habeat, undè
16 commodè ſuſtentari poſſit, juxta Decretum ipſius S. Concilii Tridentini *d. ſeſſ. 21. cap. 2.* & concordem omnium DD. aſſertionem, quos cumulat Jordanus *d. tit. 6. num. 321.* & Rotam Romanam relatam à Barboſa *d. alleg. 19. num. 34.* cuius vigore, in Tyrocinio Advocati Eccleſiaſtici mei ipſius, quinquaginta ab hinc annis, in hac Curia Epiſcopali Patavina, defendi, & manuteneri obtinui in poſſeſſione Beneficii Curati Villæ Cortelatæ Senem Parochum, qui flens meum imploraverat patrocinium, adverſus quemdam Presbyterum Eſtenſem, à quo malis artibus extortum fuerat mandatum Procuræ pro libera reſignatione illius non tenuis beneficii. Expeditæ erant Romæ litteræ reſignationis, & pro earum executione præſentatæ coram Vicario Generali Marco Marchiano Abbate Executore Apoſtolico; quas ego impugnavi, cum repererim, prædictum Senem fuiſſe promotum ad Sacros Ordines ad titulum illius beneficii, de qua ordinatione nihil dictum fuerat in reſignatione; quæ propterea fuit declarata nulla, ac reſignatarius licentiatus cum condemnatione expenſarum juxta meritum ejus indebitæ operationis.

Quærunt ulteriùs DD. an Subdiaconus poſſit ordinari ad titulum Coadju-
17 toriæ? Et reſpondent affirmativè, ſi in ea ſit aſſignata congrua portio fructuum pro ſuo labore, ac reſidentia. Garzias *d. part. 5. cap. 2. num. 132.* Barboſa *d. alleg. 19. num. 30.* Vivianus *de Jurepatr. libr. 15. cap. 1. num. 88.* & Jordanus *d. libr. 3. tit. 6. num. 315.* prout etiam ad titulum quotidianarum diſtributionum, quando certæ ſunt; ſecùs autem ſi dependeant ab eleemoſynis, aut aliis emolumentis incertis. Sacra Congregatio, quam refert Jordanus *ubi proximè num. 317.* & Pignatellus *d. tom. 9. Conſult. 168. num. 34.* & ibi Rota *coram Comitolo Deciſ. 70. num. 14.* Sed Utrùm beneficio inſufficienti poſſit jungi aliqua pars Patrimonii, quæ reddat illud ſufficiens, & ſic ad illius titulum ordinari? Affirmativè reſpondit Sacra 18
Congregatio, quam refert Garzias *d. part. 2. cap. 5. num. 111.* ea ratione, quia non curatur de modo, quando haberi poteſt effectus, cumque ex duobus de per ſe inſufficientibus, ſed unitis ſufficientiam cauſantibus poſſit Subdiaconus honeſtè vivere, poterit ad talem titulum ordinari. Jordanus *d. tit. 6. n. 316.*

Penſio eſt alter Titulus canonicus, ad quem Subdiaconus poteſt ordinari, dummodò ſit ſufficiens quo ad annuam ſummam, vel reſpectu conſuetudinis 19
regionis, vel qualitatis Penſionarii ad arbitrium Epiſcopi, ut dictum eſt de ſufficientia beneficii; & dummodò ſit perpetua, ideſt conceſſa per Papam; quia extra controverſiam eſt, quod Epiſcopi non poſſunt imponere Penſiones perpetuas ſuper beneficiis, nec aggravare beneficium, & ſucceſſores in ipſum; ſed tantùm Penſiones temporales, duraturas, donec duret in beneficio beneficiarius ille, quem Epiſcopi 20
voluerint gravare ad ſolvendam Penſionem alicui Clerico ob juſtam cauſam. Abbas *in cap. Conquerente. num. 5. De Clericis non reſid.* Gigas *de Penſionib. q. 6. à num. 2. & ſeqq.* Garzias *de benefic. part. 1. cap. 5. §. 2. à num. 295.* Jordanus *tom. 2. libr. 9. tit. 1. num. 489.* ubi innumeros DD. & Rotæ Deciſiones congerit; quibus noviſſimè adſtipulatur Tondut *in tract. de Penſionib. cap. 1. per tot.* In praxi tamen rariſſimè ordinantur Clerici ad titulum Penſionis Eccleſiaſticæ, quia pauci ſunt beneficiarii, qui promptè eas ſolvant; per-

multi autem qui litigiis, & cavillationibus penſiones involvant, ac eas ſolvere detrectent, ut didici in hac Curia
21 Epiſcopali, & dum Advocati, & dum Auditoris, ac Vicarii Generalis munus exercerem. Hic autem recenſendus venit eximiæ actus charitatis Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Gregorii Cardinalis Barbadici Epiſcopi Patavini, quondam Heri mei Venerabilis, qui volens promovere ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem Clericum pauperem, quem in Epiſcopio alebat, & deputave-
22 rat tùm ad legendum in Menſa, tùm ad regiſtrandum relationes Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ, numerum operariorum, ac diſcipulorum, qui ſingulis Dominicis diebus ad eam convenerant explicandam reſpectivè, ac diſcendam, continentes; & quæ à trecentis & ultra Parochis totius hujus Diœceſis menſtruatim ad Eminentiam ſuam transmittebantur, (quo in officio legendi, ac regiſtrandi prædictus Clericus erat diligens, & aſſiduus) Penſionem annuam Ducatorum quadraginta, prævio Summi Pontificis aſſenſu, impoſuit ſuper fructibus Abbatiæ S. Mariæ de Buſco, quam Eminentia ſua in commendam tenebat; & litteras Apoſtolicas pro eadem Penſione ſuis expenſis expeditas conſignavit antedicto pauperi Clerico dicens: Accipe titulum, ut promovearis ad Ordines Sacros, Penſionem ſcilicèt à me mihi impoſitam ſuper mea Abbatia. Hanc enim certus ſum, quod promptè exiges à me; non etiam ab alio, ſi ſuper alio beneficio ad tui favorem illam impoſuiſſem. Sed hæc obiter in laudem, reverentiam, & gloriam tanti Præſulis.

Similitudinem cum Penſionibus Eccleſiaſticis habent Præſtimonia, quæ ſunt in uſu apud Hiſpanos; & dicuntur
23 eſſe certi redditus abſtracti ex redditibus beneficiorum, juvenibus conceſſi, ut ſtudiis vacare poſſint, ut notant Salmanticenſes *d. tract. 8. cap. 6. num. 69.* & Gonzalez *ad Reg. 8. Cancell. gloſs. 5. §. 2. num. 15.* quæ deſervire poſſunt pro titulo ad Ordines Sacros, quia conſeruntur in perpetuum: nec poſſunt reſignari, prout Penſiones non valent extingui, vel aliis obligari, niſi ordinatus habeat aliundè honeſtam ſuſtentationem, & licentia Epiſcopi interveniat, ut decernit Concilium Tridentinum in *cit. ſeſs. 21. cap. 2.*

Patrimonium eſt tertia ſpecies Tituli, ad quem Subdiaconi promoventur ad Sacros Ordines; conſiſtit autem in poſſeſſione temporalium introituum, qui annuatim exigantur, & ſufficiant ad 24
vitam ordinati ſuſtentandam. Garzias *d. p. 2. cap. 5. numer. 74. & 75.* Jordanus *d. lib. 3. tit. 6. num. 323. & 324.* atque Salmanticenſes *d. tract. 8. cap. 6. num. 76. & 77.* dicentes, quod hoc Patrimonium debet eſſe certum, fundatum in re immobili, ac frugifera, pacificè poſſeſſum, ære alieno non onuſtum, nec alteri hypothecatum; ac illius quantitatis, quam requirit uſus regionis, quæ in hac Diœceſi Patavina ex Synodalibus Conſtitutionibus quondam Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Marci Cornelii Sanctiſſimi Antiſtitis de Anno 1620. eſſe debet Ducatorum Venetorum quadraginta L. 6. 4. pro Ducato; quæ ſumma etſi rigoroſè loquendo non ſufficiat ad victum, & veſtitum unius Clerici, nihilominùs prælaudatus Emin. ac Reverendiſſimus Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Succeſſor, in ſua Synodo Anni 1670. noluit eam augere, miſertus paupertati hujus Urbis incolarum, ne magis difficilem faceret viam ad vitam Eccleſiaſticam iis, qui mediocrem habent bonorum fortunam. Igitur non habens beneficium Eccleſiaſticum, neque Præſtimonium, aut Penſionem poterit ad Sacros Ordines aſcendere ad titulum Patrimonii, ſi ſibi realiter cum ſupradictis requiſitis aſſignetur vel à parentibus in primo, aut ſecundò gradu tantùm, juxta Synodum Patavinam prædicti Anni 1620. vel etiam ab extraneo donatum, Epiſcopo conſentiente; & hæc aſſignatio eſt præcisè neceſſaria, etiamſi quis haberet Patrem divitem, vel facultatem locupletem, ut notant omnes DD. Pariſius *de Reſignat. lib. 2.*

*libr.2. q.6. à num.22. & ſeqq.* Garzias *d. part.2. cap.5. num. 77.* Jordanus *d. lib.3. tit.6. num. 333.* & Salmanticenſes *d.cap. 6. num.77.*

Plura verò ſunt quæſita, quæ faciunt Theologi, ac Canoniſtæ circa hujuſmodi Tituli Patrimonialis conſtitutionem; quorum duo tantùm, brevitatis gratia, hic referam, cætera apud DD. & præcipuè apud Pariſium, Garziam,
25 Barboſam, Jordanum, ac Salmanticenſes locis ſupracitatis videnda relinquens. Unum eſt, an Subdiaconus, qui decepit Epiſcopum, & propoſuit eidem Patrimonium fictum, falſum, aereum, vel factum cum præcedenti promiſſione, de eo renuntiando, vel fructibus non petendis, incurrat ſuſpenſionem *in cap. Neminem. & in cap. Sanctorum. diſt. 70.* inflictam, & Epiſcopus teneatur alere eumdem Subdiaconum juxta *cap. Si Epiſcopus, & cap. Secundum Apoſtolum. De Præbend.* atque Concilium Tridentinum in *præd.ſeſſ.22.cap.2.* ubi ſi fuerit contraventum eidem *cap.2.* dicit, ſe innovare pœnas Sacrorum Canonum? Concorditer reſpondent DD. quod, ubi Epiſcopus non fuit in culpa, quia adhibuit omnem diligentiam, & à nimia ordinati malitia fuit deceptus, non eſt obligatus alere ordinatum, ſed imò eum debet ſeverè, ac rigoroſè punire. Philibertus *de Ordine cap. 7. diff. 5.* Sanchez *de Matrim. lib.6. diſp.32. num.8.* Avila, Corduba, & alii apud Salmanticenſes *d. tract.8. de Sacram. Ord.cap.6. num.82.* Quo verò ad ipſum ordinatum, diſcordes ſunt DD. quo ad pœnam, etſi concordent quo ad culpam, dicentes omnes, quod peccavit mortaliter tranſgrediendo decretum Tridentini Concilii, & decipiendo ſuum Superiorem. Quo verò ad pœnam, atque ſuſpenſionem à Divinis aliqui faciunt eum immunem, quando realiter factum fuit
26 Patrimonium, etſi cum promiſſione præcedenti, vel illud renunciandi, vel fructus non petendi; quia (inquiunt) hæc promiſſio eſt irrita ipſo jure, & conſtitutio Patrimonii ſubſiſtit. Alii verò putant, Patrimonium non ſubſiſtere, & ſervandam eſſe promiſſionem factam conſtituenti, de eo renunciando, vel non petendo, & idcircò ordinatum incurrere ſuſpenſionem, & multò magis, ſi bona nominata pro Patrimonio non eſſent in rerum natura, ſed conficta, & falſa, ut latiùs diſſerunt DD. quos allegant Salmanticenſes in *cit.tract. 8. cap.6. à num.80. & ſeqq.* & multò plures pro utraque opinione apud Dianam *part. 2. tract. 16. reſol. 5.* nec non *part. 3. tract.4. reſol. 184.* ac etiam *part. 5. tract. 10. reſol. 50.* Quæ omnes nunc reperiuntur unitæ ſimul in Diana Coordinato *tom.5. tract.3. reſol. 48. 49. & 50.* quibus ego addo Jordanum *d. lib. 3. tit. 6. num. 353. cum ſeqq.* & Fagnanum *in cap. Cum ſecundum. num. 68. & 69. de Præbend.* nec non Pignatellum modernum Auctorem pro affirmativa, & negativa ſcribentem *tom.5. Conſult.77. per totam;* ſed præcipuè *num. 29.* quos Auctores, his caſibus occurrentibus, poterit Confeſſarius, aut Judex conſulere; ait enim Diana præcitatus, quod frequenter accidunt; etſi in hac Patavina Diœceſi, in qua per annos 30. & ultra Judex fui ad Patrimonia Clericorum approbanda ſpecialiter Deputatus, nulla fictio, aut falſitas occurrit; attamen me rigoroſum in examinandis ſcripturis eorumdem Patrimoniorum, & in petendis cautionibus pro ipſorum ſecuritate, omnes vocitabant.

Alterum Dubium, & quidem famoſum eſt, An Ordinatus in Sacris ad titulum Patrimonii; (idem eſt de beneficio, aut Penſione) ſi poſtea alibi acquirat bona, vel beneficium ſufficiens ad 27
ſui ipſius honeſtam ſuſtentationem, poſſit de per ſe renunciare Patrimonium ſine licentia Epiſcopi? Ingens eſt numerus DD. qui negant, & DD. qui affirmant, quos cumulant Jordanus *d. libr.3. tit.6. num.342. & 343.* ubi ipſe tenet, eſſe neceſſariam Epiſcopi licentiam ob plures rationes canonicas, & politicas ibi conſideratas. Sed abſque illa validè, & licitè fieri poſſe prædictam renunciationem docent Azor. *part.2. lib.3. cap. 4. q. 3.* Molſeſius *tract. 2. cap. 18. num.31.* at-

que

que Garzias *de benefic. part. 2. cap. 5. num. 186.* eam adducentes rationem, quia Concilium Tridentinum *d. ſeſſ. 21. cap. 2.* ait, quod Patrimonium, aut Penſio *ſine licentia Epiſcopi alienari, extingui, vel remitti nullatenus poſſint, donec beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, vel aliundè habeant, undè vivere poſſint.* At illa dictio *Donec* eſt reſtrictiva temporis, habetque naturam ſuſpenſivam, donec aliud emergat. Ergo dato beneficio, vel aliis bonis ſufficientibus ad ſuſtentationem Clerici, poterit Patrimonium ſuum alienare abſque licentia Epiſcopi. In hoc opinionum conflictu Sacra Congregatio ſtat pro negativa, quia in *una Aquilana die 24. Februarii 1652.* reſpondit, renunciationem Patrimonii etiam poſt obtentum beneficium ſufficiens, abſque licentia Epiſcopi non valere; prout refert Pignatellus *tom. 1. Conſult. 303.* Pro affirmativa militat praxis in noſtris regionibus, nullus enim requirit Epiſcopalem licentiam; ſed de Patrimonio diſponit, quando beneficium, vel alia ſufficientia bona acquiſivit, forſan quia ferè in omnibus inſtrumentis Patrimoniorum inſeritur hæc clauſula, ut quandocunque Clericus ille aliundè habuerit, undè honeſtè vivere poſſit, Patrimonium ceſſet, & ad conſtituentem illud revertatur. Quidquid ſit, Epiſcopi poſt Ordinatos Clericos, nihil cogitant de eis; ac ſibi magnum quid feciſſe arbitrantur, ſi ſuper ſufficientia Patrimonii informationes acceperint, antequam illos ordinent in Sacris.

Sed dicet aliquis, alumnus Seminarii poteſtne Ordinari in Sacris ad titulum Menſæ Seminarii? Reſpondet Jordanus *d. libr. 3. tit 6. num. 310.* quod, ſi eſſent unita beneficia eidem Seminario ad
28 hunc effectum, poſſet ordinari, aliàs non; quia Seminaria inſtituta ſunt, & dotata ad alendos Magiſtros, Rectores, ac alios miniſtros, qui Clericos doceant ſcientias, ac eoſdem Clericos, donec eas didicerint, non ut eos in perpetuum alimentent. Porrò Seminarium Patavinum hanc poteſtatem aſſecutus eſt ab heroica Pietate prælaudati Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi Gregorii Cardinalis Barbadici Antiſtitis, qui cum eſſet Romæ Anno 1670, à Summo Pontifice Clemente Decimo obtinuit licentiam uniendi, in perpetuum Patavi- 29
no Seminario Abbatiam Montis Crucium, & Prioratum S. Andreæ de Cortarodulo Paduanæ Diœceſis, quorum beneficiorum (duorum millium Ducatorum ſummam circiter annuatim reddentium) Eminentia ſua erat Commendatarius, ac poſſeſſor; & hoc ad effectum ut ex prædictis annuis redditibus Clerici pauperes Alumni ejuſdem ſui Seminarii ad Sacros Ordines poſſent pro- 30
moveri, & ex eis alimentari, donec de competenti beneficio Eccleſiaſtico providerentur; & interim inſervirent, vel docendo alios Clericos ſcientias in ſcholis ipſius Seminarii; vel animabus Patavinæ Diœceſis Sacramenta, ac Verbum Dei, prout opus eſſet, ad nutum Antiſtitis miniſtrando. Mihi Eminentia ſua, tunc ſuo Auditori, expeditionem Litterarum Apoſtolicarum commiſit ſuper prædicta unione, quam, Deo dante, feliciter complevi dicto Anno 1670. ſumma cum admiratione generoſæ, ac eximiæ charitatis prædicti Sanctæ memoriæ Eminentiſs. Præſulis, ac Heri mei; cujus pietatis fructus nunc Diœceſis Patavina recepiſſe lætatur, & lætabunda poſſidet.

Ulteriùs ſi quis petat, Utrùm Clerici adſcripti alicui Eccleſiæ Collegiatæ poſſint Ordinari in Sacris ad titulum eleemoſynarum, quæ tamen certò veniant ex largitate fidelium? Reſpondet 31
affirmativè Ugolinus *de Offic. Epiſc. cap. 26. §. 8. num. 6.* Barboſa *eod. tract. alleg. 19. num. 26.* & Jordanus *d. libr. 3. tit 6. num. 312.* ſed cum duabus conditionibus; una, quod adſcriptio ſit perpetua, non ad tempus; alia, ut obtineatur aſſenſus Summi Pontificis; prout obtentus fuit Anno 1592. per Patriarcham Venetiarum à Sixto Papa V. pro Clericis inclytæ Civitatis illius, ut conſtat ex Brevi Pontificio, quod ponit Jordanus *ibid. num. 313.*

Pro-

Profeſſio Religioſa, ſeu Votum ſo-
lemne paupertatis emiſſum dicitur quar-
tus Titulus, ad quem Regulares or-
dinantur in Sacris; ipſi enim non com-
32 prehenduntur in *cit. cap. 2. ſeſſ. 21 Conc.
Trid.* nec egent beneficio, penſione, aut
patrimonio, ut declaravit B. Pius V. *in
cit. ſua Conſt.* 75. incipien. *Romanus
Pontifex.* & ſcribit Lezana *in Summa
tom. 1. cap. 14. num.* 10. nec non *in tom. 4.
num.* 17. ubi advertit, quod ſi Regularis
ſciat, ſuam Profeſſionem irritam eſſe,
& faciat, ſe promoveri ad Ordines Sa-
cros ad Titulum paupertatis, peccat mor-
taliter, & incurrit pœnam latam contra
Clericos ſæculares ordinatos ſine Titu-
lo, quia re vera talis Regularis ſæcula-
ris eſt, & debet habere vel Beneficium,
vel Penſionem, vel Patrimonium, ut
ritè, ac rectè ordinetur in Sacris. Portel-
lus *in Dubiis Regul. Verb. Ordines Sacri
num.* 8. Hieronym. Rodriquez *in Com-
pend. QQ. Regular. Reſolut.* 106. *num.* 25.
atque Bordonus *Reſol.* 8. *num.* 32. & ulte-
riùs prædictus Regularis afficitur pœnâ
33 ſuſpenſionis latâ per Pium II. in ſua Bul-
la VII. anni 1461. incipien. *Cum ex Sa-
crorum &c.* contra ſuſcipientes Sacros
Ordines abſque legitimis Dimiſſoriis;
iſte enim non ordinatur cum Dimiſſo-
riis legitimis, quia non ſunt conceſſæ à
legitimo Superiore Regulari, cum Præ-
latus Monaſterii non ſit verè Prælatus
reſpectu invalidè profeſſi, ut notat Bor-
donus *d. Reſol.* 8. *num.* 32. & Lezana *d.
tom* 4. *num.* 17. inferens ex hoc, quod in-
currit etiam in irregularitatem, ſi cum
dicta ſuſpenſione celebraverit, diſpen-
ſabilem à ſolo Papa juxta antedictam
Bullam 75. B. Pii V. prout declaravit
tùm S. Congregatio apud Garziam
*d. part.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. tùm Rota in *una
Urgellen. Canonicatus* 3. *Martii* 1595. *co-
ram Blanchetto*, quam ponit ibi Garzias,
ac Sanctarellus *Var. Reſol. q.* 49. *num.* 10.
Barboſa *alleg.* 19. *num.* 5. & Theſaurus
*de Pœnis Eccl. part.* 2. *Verb. Ordo cap.* 11.
Excuſant tamen omnes præfati Theolo-
gi Regularem ordinatum cum profeſſio-
34 ne invalida in Sacris, ſi bona fide crede-
bat, eam eſſe validam, vel ſciens eſſe
irritam auſus non fuiſſet eam manife-
ſtare ob aliquam graviſſimam cauſam,
timorem, damnum, vel ſcandalum;
quo in caſu conſulendi ſunt antedicti
Auctores, ac etiam Sanchez *de Matrim.
lib.* 7. *diſp.* 37. *num.* 43. Illud autem eſt
valdè notabile, quod invalidè profeſſus
ſuſcipiens Ordines Sacros ad titulum
profeſſionis cenſetur eam tacitè ratifica-
re, ut reſpondit S. Congregatio in una
*Beneventana* 20. *Decembris* 1619. apud 35
eumdem Lezanam *d. tom.* 4. *Verb. Pro-
feſſio Regularis num.* 4. à ſtudioſis viden-
dus. Si tamen obtineat Regularis, ut
ſupra in Sacris ordinatus, declarari
nullam ſuam profeſſionem, debet ſibi
providere de Patrimonio, antequam ce-
lebret, & illius approbationem obtine-
re ab Ordinario, prout præcipiunt Judi-
ces Apoſtolici in ſententia ſuper nulli-
tate Profeſſionis; & ego pluries practi-
cavi circa Patrimonia, ad approban-
dum mihi exhibita in Curia Epiſcopali
à Regularibus, qui obtinuerant in Nun-
ciatura Apoſtolica Venetiarum declara-
tionem nullitatis ſuæ profeſſionis; ex
quibus ſententiis deduco, non eſſe in
viridi obſervantia antedictam declara-
tionem S. Congregationis, & circa eam- 36
dem non leves conſiderari poſſe difficul-
tates, ſiquidem Regularis inſcius nulli-
tatis ſuæ profeſſionis ſi ordinetur in Sa-
cris, non videtur poſſe ratificare illam,
quia nemo ratificat rem, quem ignorat;
& è contra ſi ejuſdem nullitatis ſcien-
tiam habebat, numquam poſſet, ſen-
tentiam ſuper eadem nullitate reportare,
& de clauſtris exire; quod tamen fre-
quenter fieri videmus. Sed & hæc obi-
ter, non enim talis diſputatio ſpectat
ad præſentem Deciſionem.

## DECISIO XXIX.

### *ARGUMENTUM.*

Suppoſita incontrovertibili exi-
ſtentia Ordinis Diaconatus, &
quod ipſe ſit Sacramentum;
Inquiritur, Quænam ejus ſit
Mate-

Materia, & Forma? Referuntur Quinque opiniones diverſæ, ſed valdè eruditæ, nec non earum Auctores, ac Fundamenta, cum objectionibus, quas ſibi faciunt adinvicem. Concluditur, Materiam Diaconatus conſiſtere tùm in impoſitione manuum, tùm in traditione Libri Evangeliorum; Formam verò in Verbis, quæ in utraque Actione ab Epiſcopo proferuntur.

## SUMMARIUM.

1 *Diaconatus Ordo ſemper fuit in Eccleſia.*
2 *Epiſcopi nomen olim comprehendebat etiam Presbyteros.*
3 *S. Clementis Papæ, & Conciliorum teſtimonium de exiſtentia Diaconorum.*
4 *Diaconatus Ordo eſt Sacramentum.*
5 *Diaconatus de Materia, & Forma opiniones quinque.*
6 *Manus impoſitio an ſit materia Ordinis Diaconatus?*
7 *Apoſtoli per eam ordinarunt ſeptem primos Diaconos.*
8 *Carthaginenſis Conc. IV.* Can. 4. *declaratio.* Et num. 35.
9 *Gratia an conferatur in Diaconatu, per impoſitionem manus?* Et num. 37.
10 *Ritualia antiquiſſima quid dicant de materia Diaconatus?* Et num. 16.
11 *Evangeliorum libri traditio in Ordine Diaconatus antiquiſſima.*
12 *Monachi Caſſinenſes prædicant Fidem in Anglia Anno 596.*
13 *Scriptoribus antiquis incognita traditio Libri Evangeliorum in Ordine Diaconatus.*
14 *Durandus Epiſcopus fuit Urbis Anicienſis.*
15 *Diaconi ab initio Eccleſiæ Evangelium recitabant.*
17 *Anicienſis Civitas ubi ſit? ac Bellovaci?*
18 *Carlomannus filius Regis Franciæ factus Clericus, & Diaconus.*
19 *Orientalis Eccleſia ordinat Diaconos ſola manuum impoſitione.*
20 *Gabrielis Metropolitæ Philadelphiæ dictum de Materia Ordinum.*
21 *Græcus Epiſcopus Romæ alitur à Papa pro Ordinationibus Græcis.*
22 *Græci Ritus circa Euchariſtiam approbati à Papa qui ſint?*
23 *Innocentii IV. Bulla quod Græci ordinent juxta Ritum Eccleſiæ Romanæ.*
24 *Diaconatus Materia eſt Libri Evangeliorum traditio.*
25 *Concilii Florentini Verba circa Materiam, & Formam Sacrorum Ordinum.*
26 *Pontificalis Romani Verba circa Ordinem Diaconatus.*
27 *Pontificale, ac Cæremoniale Romanum habent vim legis.*
28 Cap. 1. De Sacram. non iteran. *declaratio.* & num. 39.
29 Cap. Presbyter. eod. tit. *explicatur.* & num. 39.
30 *Forma Sacramentorum debet eorumdem Virtutem innuere.*
31 *Maſtrii reſponſio circa Materiam, & Formam Diaconatus.*
32 *Traditio Libri Evangeliorum in Diaconatu habetur ultra XI. Sæcula.*
33 *Diaconatus Materia duplex, Traditio Libri, & Manuum impoſitio.*
34 *Concilii Florentini doctrina infallibilis.*
36 *S. Hieronymi auctoritas de impoſitione Manuum in Diaconatu.*
38 *Conciliorum Carthaginenſis IV. & Florentini concordatio.*
40 *Stola, an ſit Materia Diaconatus?*
41 *Diaconus an peccet mortaliter cantando Evangelium ſine Stola?*
42 *Ritualium antiquorum alia ponunt Stolam dari Diacono, alia non.*
43 *Diaconorum Manuum in Ordinatione Unctio.*

Expediti ab his omnibus, quæ circa Subdiaconorum ordinationem erant neceſſariò explananda, opus eſt aſſu-

aſſumere declarationem Ordinis Diaconatus; cujus cauſa immorandum non eſt in probanda ejus exiſtentia; & in
1 demonſtrando, quod iſte Ordo ſit, & ſemper fuerit in Eccleſia, etiam ab initio; cum de eo teſtimonia habeamus in Scriptura Sacra, videlicèt *in Act. Apoſt. cap.6. num.5.* ubi Apoſtoli elegerunt ſeptem Diaconos, & eorum primum S. Stephanum, qui fuit Prothomartyr. Item de Diaconis verba fecit Apoſtolus Paulus, indicans virtutes, quibus ornati eſſe debent, dicens 1. *Timoth.3. 8. Diaconos ſimiliter pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Et hi probentur primùm, & ſic miniſtrent nullum crimen habentes.* Prout etiam *in Epiſt. ad Philippenſes cap.1. num. 1.* ibi: *Paulus, & Timotheus ſervi JESU CHRISTI omnibus Sanctis in CHRISTO JESU, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis, & Diaconis.* ubi Cornelius à Lapide ſic ſeipſum interrogat, ac reſpondet: *Dices, in una Civitate Philippenſi tantùm unus erat Epiſcopus, quomodo ergo ſcribit Paulus Epiſcopis in plurali? Re-*
2 *pondeo, per Epiſcopos hic Apoſtolus intelligit Presbyteros. Ita Chryſoſtom. Theophil. Oecumen. & alii. Undè Syrus vertit, cum Presbyteris, & eorum Miniſtris: vult enim Apoſtolus hiſce duobus nominibus ſalutare totum Clerum Philippenſem, & ſic Presbyteros nominat Epiſcopos; Diaconos verò, Subdiaconos, & reliquos inferiores, digniori Diaconorum nomine complectitur. Epiſcopum autem non ſalutat, quia hic erat Epaphroditus harum lator Litterarum.* Igitur tunc Diaconi erant.

Ulteriùs teſtimonium reddunt exiſtentiæ Ordinis Diaconatus in Eccleſia Dei primi Apoſtolorum diſcipuli, quos inter S. Clemens Papa, electus Anno 93. ipſe enim *in lib.8. Apoſtolic. Conſti-*
3 *tut. cap.10.* ſic eos nominat: *Oremus pro omnibus Diaconis, & Miniſtris, ut tribuat eis Dominus Miniſterium ſine querella ullius.* Et inter Canones, qui dicuntur Apoſtolorum, *cap. 41.* ita legitur: *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus aleis, & ebrietatibus vacans, vel ceſſet, vel deponatur.* In Concilio Arelatenſi I. celebrato Anno 310. hæc habentur *in cap. 18. De Diaconibus Urbicis ut non aliquid per ſe præſumant; ſed honor Presbyteris reſervetur.* Et *cap.22. De Presbyteris, aut Diaconibus, qui ſolent dimittere loca ſua, in quibus ordinati ſunt, & ad alia loca ſe transferunt, placuit, ut his locis miniſtrent, quibus præfixi ſunt.* Concilium Anciranum de Anno 318. *in cap. 9.* Ita Diaconos indicat: *Diaconi quicunque ordinantur, ſi in ipſa Ordinatione proteſtati ſunt, & dixerunt, velle ſe conjugio copulari &c.* Concilium verò Romanum Anno 325. habitum ſub S. Sylveſtro Papa *cap. 6.* dicit: *Ut Diaconi non ſint plus, vel ampliùs per Parochiarum examen, niſi duo.* Similiter *cap. 18. Nemo enim Diaconus adverſus Presbyteros afferat crimen turpitudinis.* Concilium autem Nicænum Primum, quod eodem Anno 325. fuit congregatum in *can. 16.* de Diaconis ita diſſerit: *Diaconus non debet communicare priùs, quàm Epiſcopus, neque priùs, quàm Presbyter, quia gradus Diaconi infra gradum Presbyteri eſt.* Ex quibus omnibus, præter alia Concilia, quæ ſupradictis ſubſequuntur, & de Diaconis decreta ediderunt, pleniſſimè conſtat de exiſtentia Ordinis Diaconatus, qui quidem ſemper extitit apud omnes Eccleſias.

Pari modo non eſt opus probare, quod Diaconatus Ordo ſit à Chriſto Domino inſtitutus; & quod ſit Ordo Sacer, atque Sacramentum; tùm quia id à nobis plenè probatum fuit ſupra *Deciſ. VI.* & demonſtratur à Barboſa *de Jure Eccleſ. Univ. lib. 1. cap. 35. num. 8.* tùm etiam quia id habetur expreſsè in Concilio Tridentino *ſeſſ.23.can.6.* his verbis: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe* 4
*Hierarchiam Divina Ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris: Anathema ſit.* At Diaconus eſt unus de principalibus Miniſtris. Ergo eſt ex Divina inſtitutione: Ergo Ordinatio Diaconi eſt Sacramentum.

tum. Hinc S. Ignatius Martyr *Epiſt.* 14.
ſcripſit ad Epheſios: *Enitimini, Cha-
riſſimi, ſubjecti eſſe Epiſcopo, & Presbyte-
ris, & Diaconis; qui enim bis obedit, obe-
dit Chriſto, qui eos conſtituit.* At Dia-
conatus eſſentia, & Ordinis Diaco-
natus qualitas Sacramentalis innote-
ſcunt ex decreto Concilii Florentini, in
quo hujus Ordinis exprimitur Materia,
& Forma; certum eſt autem quod talis
expreſſio indicat illum eſſe Sacramen-
tum, ut copiosè differit Emin. Card.
de Lauræa *de Sacr. Ord. diſp.* 6. *à nu.* 69.
*& ſeqq.* Idcircò pro explanatione hujus
Ordinis duo tantùm veniunt examinan-
da; Unum, *Quæ, & Qualis ſit Ma-
teria, ac Forma Ordinis Diaconatus?*
Alterum, *Quæ, & Quot ſint officia
Diaconorum?* De primo agendum in
præſenti Deciſione; de altero in ſe-
quenti.

Et equidem quo ad hoc Aſſumptum
requirens, *Quæ, & Qualis ſit Materia,
ac Forma Ordinis Diaconatus?* reperio
5 quinque opiniones. Prima, quod ma-
teria ſit traditio Libri Evangeliorum.
Secunda, quod ſit impoſitio manus
Epiſcopi ſuper caput Ordinandi. Ter-
tia, quod utraque ex prædictis concur-
rat ſimul ad integram hujus Ordinis
materiam. Quarta, quod ultra primam,
& ſecundam materiam antedictam con-
currat etiam traditio Stolæ. Quinta,
quod præter omnes materias præenar-
ratas olim accedebat Unctio manuum
ejuſdem Diaconi Chriſmate Sacro. For-
ma autem ſint Verba, quæ profert
Epiſcopus in prædictarum materiarum
traditione. De ſingulis differamus, ea-
rum fundamenta demonſtrando, obje-
cta referendo, ac juxta approbatos Au-
ctores reſolvendo.

Prima itaque opinio tenet, quod Ma-
teria Ordinis Diaconatus ſit impoſitio
manus Epiſcopi ſuper caput ordinandi;
6 Forma verò Verba illa, quæ tunc Epi-
ſcopus profert, nempè: *Accipe Spiri-
tum Sanctum ad robur ad reſiſtendum dia-
bolo, & tentationibus ejus in nomine Do-
mini.* Hanc opinionem ait Morinus
*d. part.* 3. *Exercit.* 9. *de Sacris Ordinat.
cap.* 1. *num.* 2. doceri à S. Bonaventura
*in* 4. *diſt.* 24. *part.* 1. *art.* 1. *q.* 4. à Durando
*ibid. q.* 3. *num.* 7. & 8. à Scoto *in ead. diſt.
q.* 1. (ſed Scotiſtæ negant, opinionem
hanc eſſe Scoti). à Roffenſe in libro
contra Captivitatem Babylonicam *cap.*
22. §. 7. & de Sacerdotio contra Luthe-
rum *Axiom.* 9. ab Arcudio *libr.* 6. *cap.* 4.
à Becano *de Sacram. Ord. cap.* 26. *q.* 4.
quibus additur Hoſius à Maſtrio *in* 4.
*Sent. diſp.* 4. *num.* 42. Fundamenta hujus
opinionis ſunt ſequentia:

Primum, quod hoc modo ordinati
fuerunt primi ſeptem Diaconi ab Apo-
ſtolis, ut legitur in *ſupracit. cap* 6. *Act.
Apoſt. num.* 6. *Hos ſtatuerunt ante conſpe-
ctum Apoſtolorum, & orantes impoſue-* 7
*runt eis manus.* Quo loco ſcribit Tiri-
nus: *Qua ratione verò Diaconorum bo-
rum Ordinatio ſit verum, ac propriè di-
ctum Sacramentum à Chriſto inſtitutum,
& hîc ab Apoſtolis primùm collatum, pa-
tet ex impoſitione manuum hîc adhibita,
quo ſigno repreſentatur illapſus, & obum-
bratio Spiritus Sancti, & ita docet* In-
nocentius III. *libr.* 3. *de Myſt. Miſſæ cap.* 5.
& 56.

Secundum; quod Concilium Cartha-
ginenſe IV. in *can.* 4. de hac tantùm
Materia, ſcilicèt impoſitione manuum
loquitur, ita dicens: *Diaconus cum or-
dinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum be-
nedicit, manum ſuper caput illius ponat,
quia non ad Sacerdotium, ſed ad mini-* 8
*ſterium conſecratur.* Cæterùm, qui ſe-
quuntur aliam opinionem, quod Ma-
teria ſit traditio Libri Evangeliorum,
de qua infra, reſpondent ſupradicta duo
fundamenta non concludere, ſolam ma-
nuum impoſitionem eſſe Materiam
Diaconatus; quia non excludunt eam-
dem traditionem Libri, etſi eam non
enuncient; imò Concilium Carthagi-
nenſe præfatum non videtur voluiſſe in
illo Canone docere materiam hujus Or-
dinationis; ſed tantummodò decerne-
re, quod dum Diaconus ordinatur,
ſolus Epiſcopus debet imponere manum
ſuper caput ejus; non autem cum Epi-
ſcopo etiam alii Sacerdotes, ut faciunt
in ordinatione Presbyteri; ſiquidem ait
Con-

Concilium, *non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur*. Ita Dicaſtill. *tract.6. num.171.*

Tertium fundamentum eſt; quia per hanc impoſitionem manus tàm in Diaconatu, quàm in Presbyteratu confertur gratia, ut docet S. Thomas *in 4 diſt. 25. q.1. art.1. ad 5.* & colligitur ex D.
9 Paulo *1. ad Timoth. 4.14. Noli negligere gratiam, quæ data eſt tibi, cum impoſitione manuum Presbyterii*. Ideò definivit Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. can. 4. Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proindè fruſtra Epiſcopos dicere, Accipite Spiritum Sanctum. Anathema ſit*. Ergo per impoſitionem Manus perficitur Ordinatio Diaconi, & conficitur Sacramentum; quia ubi gratia confertur, ibi datur Ordo, & Sacramentum. At huic fundamento reſponderi poteſt, quod datur gratia non materialiter ad illa Verba *Accipe Spiritum Sanctum ad robur &c.* ſed moraliter in tota Ordinatione; quod eſt dicere inchoativè, dum illa Verba proferuntur, completivè, quando traditus eſt Liber Evangeliorum, ut diſſerunt Salmanticenſes *de Sacram. Ordinis tract.8. cap.3. num.31. & ſeqq.* & nos diximus ſupra *Deciſ. XI. num.28.*

Quartum fundamentum eſt, quia in Ritualibus, ſeu Libris Pontificalibus antiquis, ideſt exaratis ab initio Eccleſiæ uſque ad annos nongentos, ubi agitur de Diaconorum Ordinatione, non fit mentio de alia Materia, quam de Manus
10 Epiſcopi impoſitione. Horum Ritualium plura exempla ponit Morinus *in cit. tract. de Sacr. Ordinat. part. 2. à pag. 212. uſque ad pag. 280.* quorum exemplar primum conſcriptum eſſe ait Anno Quingenteſimo, in quo ad *pag. 214.* in Oratione, quæ inſcribitur *Conſecratio in Ordinatione Diaconi*, verſus finem hæc habentur Verba deprecativa: *Emitte in eum, quæſumus Domine, Spiritum Sanctum, quo in opus miniſterii tui fideliter exequendi munere Septiformis tuæ gratiæ roboretur*. Et proſequitur deprecando, ut in eo chriſtianæ virtutes abundent. Porrò huic fundamento obſtare videtur id, quod ſcribit idem Morinus *d. tract. part. 3. Exercit. 9. cap.1. num. 4.* his verbis: *Excipiendum eſt ſolum Sacramentarium Anglicanum, quod Annorum videtur octingentorum, & illam* 11
*traditionem habet* (Libri Evangeliorum) *cum formula ſpeciali: Poſtea tradat ei Epiſcopus Sanctum Evangelium dicens: Accipe iſtud volumen Evangelii, lege, & intellige, & aliis trade, & tu opere adimple*. Nam prædictum Sacramentarium, ſeu Rituale, aut Pontificale poteſt eſſe vetuſtius, ac non ſolùm ante Annos octingentos ſcriptum (ut arbitratur ipſe Morinus) ſed etiam ante mille Annos, & ultra; cum enim ſit Anglicanum, prout illud quoque nominat Menardus *in Notis ad Libr. Sacram. S. Gregorii pag.289.* cur nihil illud ſcripſerit, ac ſecum tulerit S. Auguſtinus, nuncupatus Apoſtolus Anglorum, quem S. Gregorius Magnus miſit cum aliis Monachis Caſſinenſibus ad prædicandam fidem in Angliam Anno 596, teſte *ibid.* 12
Emin. Cardin. Baronio, nam fuerat à S. Gregorio Papa creatus Epiſcopus, & per conſequens opus habebat Pontificali Libro pro Ordinationibus Sacris?

Quintum fundamentum hujus opinionis, quod totis viribus dilatat Morinus *d. p.3. Exercit.9. cap.1. à num.4. & ſeqq.* eſt, quod Scriptores antiqui, de Ordinibus Eccleſiaſticis, ac de Divinis Of- 13
ficiis ſcribentes, nullam fecerunt mentionem de traditione Libri Evangeliorum in Ordinatione Diaconi, ut videre eſt apud S. Iſidorum Epiſcopum Hiſpalenſem, qui vivebat Anno 630, *lib.2.cap.8.* apud Alcuinum, qui ſcribebat Anno 780, & apud Amalarium, qui florebat Anno 830. ex cujus verbis *lib. 2. de Eccleſiaſt. Offic. cap. 11. & 12.* imò deſumitur, non potuiſſe Librum Evangeliorum tunc eſſe materiam Diaconatus, quia ibi notat, quod eo tempore Diaconi non legebant Evangelium in Miſſa. Igitur ordinabantur ſola Manuum impoſitione, & hæc erat unica Materia illius Ordinis. Hoc idem expreſsè teſta- 14
tur Durandus Ord. Prædicatorum, &

Epiſcopus Anicienſis Anno 1320. *in 4. Sent. diſt. 24. q. 3. num. 7.* ubi hæc habet: *Traditio Libri in Ordinatione Diaconi non obſervatur in omni Eccleſia; undè ſecundum Ordinarium* ( 1. Rituale, ſeu Librum Pontificalem ) *antiquiſſimum Eccleſiæ Anicienſis, cui præfuimus, Liber Evangeliorum non tradebatur Diacono in Ordinatione ſua; ſed Nos volentes nos conformare cæteris Eccleſiis poſuimus de manu noſtra in margine dicti Ordinarii, quod Liber Evangeliorum tradatur Diacono cum conſueta forma Verborum.* Sed ſubverti poſſe videtur fundamentum hoc ex præcitatorum Auctorum dictis coacervatum, tanquam minùs ſtabile; quia alii antiquiores ipſis teſtantur, quod in primis Eccleſiæ Sæculis Diaconi in Miſſa Evangelium recitabant. S. Hie-
15 ronymus Anno 390. ſcripſit *in Epiſt. ad Sabinianum: Evangelium Chriſti quaſi Diaconus lectitabat.* S. Gregorius Magnus d. Anno 596. *libr. 4. Epiſt. 44. in Synodo Romana* habet hæc: *Conſtitutio, ut in hac Sede Sacri Altaris Miniſtri* ( ideſt Diaconi ) *cantare non debeant, ſolumque Evangelicæ lectionis Officium inter Miſſarum ſolemnia exolvant.* S. Iſidorus Hiſpalenſis, antedicto ſuo ævo, ſcilicèt Anno 630. *d. lib. 2. De Divinis Officiis cap. 8.* poſtquam multa Diaconorum officia retulit, ſubdit: *Ipſi etiam, ut aures habeamus ad Dominum, clamant; ipſi quoque Evangelizant; ſine ipſis Sacerdos nomen habet, officium non habet.* Ergo priſcis illis temporibus Diaconi cantabant Evangelium in Miſſa, & Auctores præcitati contrarium aſſerentes, non cenſentur benè informati. Annotationem Durandi ſi quis carpere vellet, inquirere poſſet, cujus ætatis eſſet Ordinarius, ſeu Ritualis Liber, in quo aſſerit, nihil fuiſſe ſcriptum de traditione Libri Evangeliorum in Ordinatione Diaconi? quandoquidem in Rituali Bellovacenſi ſcripto Anno 970, quem ponit ipſe Morinus *d. part. 2. de Sacr. Ordin. pag. 270. col. 2.* in ejuſdem Diaconi Ordinatione, poſt traditam ei-
16 dem per Epiſcopum Stola, leguntur hæc Verba: *Tunc porrigit Epiſcopus ei textum Evangelii, ita dicens: Accipe licentiam legendi Evangelium in Eccleſia Dei.* Iſtud Rituale ſcriptum fuerat annis quadringentis ante Durandum, & continebat in ſe traditionem Libri Evangeliorum in Ordinatione Diaconi. Ergo vetuſtius eſſe debebat ordinario Durandi, ſeu ejus Eccleſiæ Anicienſis, in quo hæc traditio Libri Evangeliorum non erat. At eſt nè credibile dictu, quod Liber Ritualis adhiberetur ab Epiſcopis Anicienſibus per annos quadringentos, & integer perduraret? Tanta laborabat paupertate Eccleſia Anicienſis, ut in curſu quatuor ſæculorum novum Codicem, Librumvè Ritualem ſibi comparare non poſſet? Fortiùs. Anicienſis Epiſcopatus, ac Civitas eſt in Gallia, diſtans à Lugduno leucis 22. 17
ut notat Ferrarius *in Lexico Geograph. Verb. Anicium.* At quomodo aſſeverare poſſunt ſupracitati Auctores, quod neque traditio Libri Evangeliorum ſpectabat ad Ordinationem Diaconi, neque Lectio Evangelii in Miſſa ad Officium Diaconorum; ſi in prædicto Rituali Bellovacenſi ea notabatur, & Bellovacum eſt Urbs Galliæ? Certiſſimè Annales Metenſes Anno 870. apud eumdem Morinum *d. part. 3. Exercit. 9. cap. 1. num. 14.* referunt hæc, quæ ſequuntur de Carlomanno Caroli Calvi Galliarum Regis Filio: *Carlomannus cum eſſet parvulus, juſſu Patris attonſus, Clericus factus eſt. Dehinc procedente tempore ad Diaconatus Officium, quamvis invitus, atque coactus in præſentia Genitoris ordinatus eſt, legitque publicè Evangelium, & Pontifici Miſſam celebranti juxta morem miniſtravit.* Ex his deducitur, cantare Evangelium in Miſſa fuiſſe proprium Officium Diaconi, non ſolùm tempore Durandi, ſed per quingentos annos ante illum, atque in temporibus Alcuini, Amalarii, & Rabani. Igitur quomodo negabant traditionem Libri Evangeliorum in Ordinatione Diaconi ex ſuppoſita non Lectione Evangelii à Diacono in Miſſa? Hac Lectione comprobatâ poteſt deduci ex ea prædicta Libri traditio in Ordinatio-

ne; &

ne; & impugnari quod Ordinatio Diaconorum fieret per ſolam manus impoſitionem. Hæc dicta ſint, non ad impugnandam, ſed ad magis dilucidandam veritatem.

Sextum fundamentum ſupradictæ primæ opinionis eſt Eccleſiæ Orientalis uſus, ac immemorabilis conſuetudo ordinandi Diaconos ſolà manuum impoſitione; ut demonſtrant omnes ſcri-
19 bentes Scholaſtici, ac Canoniſtæ, & teſtantur Libri Rituales Ordinationum Græcarum, quos inſervit ipſe Morinus *in d. tract. de Sacis Ordinat. part. 2.* inter quos in vetuſtiſſimo Codice exiſtente in Bibliotheca q. Eminen. Cardinalis Franciſci Barberini, conſcripto (ut ait) nongentis ab hinc annis de Diaconorum Ordinatione pag. 55. apud eumdem Morinum ita legitur. *ORDINATIO „ DIACONI: Poſtquam facta eſt Sancta Oblatio, & portæ apertæ ſunt, antequam dicat Diaconus, OMNIUM „ SANCTORUM, adducitur Archiepiſcopo, qui ordinandus eſt Diaconus, „ & cum dictum eſt, DIVINA GRATIA, genuflectit qui ordinatur; Archiepiſcopus autem tribus factis ſuper „ caput ejus, Crucis ſignis, Manuque „ ipſi impoſita, ſic precatur.*

„ Domine Deus noſter, qui Providentia tua ſubminiſtrationem, & abundantiam Sancti tui Spiritus in eos miſiſti, qui ab inſcrutabili virtute tua „ conſtituti ſunt Miniſtri, ut inſerviant „ immaculatis tuis Myſteriis: Ipſe Domine hunc, quem Tibi placuit à me „ promoveri ad Diaconi munus, in omni morum gravitate, & ſeveritate conſerva, ut Myſterium Fidei in pura „ conſcientia detineat. Donaque illi „ gratiam, quam Stephano Prothomartyri tuo donaſti. Et quem primum „ vocaſti ad opus Miniſterii tui, dignum „ quoque illam redde pro tuo beneplacito, qui adminiſtret datum ſibi à benignitate tua gradum. Qui enim benè „ miniſtrant, gradum ſibi ipſis bonum „ acquirunt. Perfectum quoque ſervum „ tuum effice, quia tuum eſt regnum, „ & virtus.

„ *Facitque precem Diaconorum unus.* „ In pace Dominum deprecemur. Pro „ pace ſuperna, & ſalute animarum noſtrarum Dominum deprecemur. Pro „ pace Univerſi mundi. Pro Archiepiſcopo noſtro N. ipſius Sacerdotio, auxilio, perſeverantia, pace, & ſalute ipſius, & operibus manuum ejus, „ Dominum deprecemur. Pro eo, qui „ nunc promovetur, Diacono, & ſalute ipſius, Dominum deprecemur; ut „ benignus Deus, & hominum amans „ illi donet Diaconatum ſine macula, & „ inculpatè exercere: Dominum deprecemur pro piiſſimo Imperatore noſtro.

„ *Dum à Diacono ſit hæc Oratio, Archiepiſcopus habens ſimiliter manum „ ſuper caput illius, qui ordinatur, ſic „ precatur.*

„ Deus Servator noſter, qui incorrupta voce Apoſtolis tuis prædixiſti, & „ primum eorum fore prædicaſti eum, „ qui adimpleverit Diaconi Miniſterium, ſicut ſcriptum eſt in Sancto „ Evangelio tuo, *Quicunque voluerit inter vos eſſe primus, ſit veſter Miniſter.* „ Tu omnium Domine hunc quoque „ ſervuum tuum, quem dignum effeciſti, qui Diaconi miniſterium ſubiret, „ reple per adventum vivifici tui Spiritus omni fide, & charitate, & virtute, & ſanctificatione. Non enim in „ impoſitione manuum mearum, ſed in „ viſitatione divitis miſericordiæ tuæ iis, „ qui de Te digni ſunt, gratia conceditur; ut omni peccato purgatus in die „ tremenda Judicii tui ſine culpa Tibi „ præſentetur, & mercedem tuæ promiſſionis, quæ fallere non poteſt, recipiat. Tu enim es Deus noſter, Deus „ miſericordiæ, & ſalutis. ℟. Amen.

„ *Amen pronunciato, tollit Phenolion „ illius, qui ordinatur, & illi Orarium „ imponit, datoque illi oſculo tradit ei „ Sanctum Flabellum, ſiſtitque ventilando ſancta Dona, quum in Divina „ Menſa exponuntur. Tunc qui in ambone eſt Diaconus dicit:* Omnium Sanctorum memoriam agentes &c *Cum „ autem Ordinatus participaverit Sancto Corpo-*

„*Corpori*, *& pretioſo Sanguini*, *tradit* „*ei Archiepiſcopus Sanctum Calicem;* „*quo accepto participes facit Sacri San-* „*guinis ad eum accedentes*. *Hæc equi-* „*dem cum Miſſa integra peragitur &c.*

Patet itaque ex Uſu, ac conſuetudine Orientalis Eccleſiæ ordinandi Diaconos abſque inſtrumentis materialibus; Materiam hujus Ordinis eſſe manus impoſitionem, quam facit Epiſcopus Eccleſiæ Occidentalis, dum ordinat Diaconos. Hanc Eccleſiæ Græcæ, & Orientalis conſuetudinem teſtantur omnes ſcribentes de Ordinis Sacramento; cui nihilominùs refragatur Gabriel Philadelphiæ Metropolita in Libello de ſe-
20 ptem Eccleſiæ Sacramentis, quem per extenſum poſuit Morinus *de Sacr. Ordin. part.* 2. *pag.*163. in eo enim ita teſtatur *cap.* 4. *Materia quidem Sacrati Ordinis ſanctus eſt panis*, *& Sanctorum Vaſorum quantitas*, *& cætera unjuſcujuſque Ordinis*, *ut fert conſuetudo*. His verbis manifeſtè innuit Græcus hic Antiſtes, ac Metropolita, quod ſuis temporibus etiam in Eccleſia Orientali Ordines Sacri conferebantur non per ſolam manuum impoſitionem, ſed cum traditione Inſtrumentorum. Diſplicent ſupradicta verba Morino, qui *in Adnot. ad Græcas Ordinationes. pag.* 205.*nu.* 151. ea retundere conatur, ita ſcribens: *Vult Gabriel aliquo modo ſe Latinis accommodare*, *qui conſtituere ſolent Sacramenti Ordinis materiam in Inſtrumentorum porrectione*. Porrò Joannes Baptiſta Catumſyrites Italogræcus in Libello *De Vera Utriuſque Eccleſiæ Sacramentorum concordia Accuſ.* 82. obteſtatur, veriſſimam eſſe doctrinam Metropolitæ Philadelphienſis; & pro ea ſentit Fagnanus in *cap. Cum veniſſet*. *num.*75. *De Sacra Unct.* ubi affirmat, ita etiam atteſtatum ſibi fuiſſe à Græcis Catholicis qui habitant Venetiis, ut latiùs notavi ſupra *in Deciſ. VII. num.* 21. & 22. Cæterùm Veritate circa Ritus Ordinationum Orientalis Eccleſiæ illibata permanente:

Septimum fundamentum exhibetur antedictæ opinionis, conſiſtens in approbatione Græcorum Rituum, quam fecerunt Summi Pontifices Romani Leo X. *Anno* 1521. *die* 18. *Maii*. Clemens VII. *Anno* 1526. *die* 26. *Martii*. Clemens VIII. *Anno* 1595. *die* 23. *Decembris*, & Paulus V. *Anno* 1615. *die* 10. *Decembris*; quorum Conſtitutiones per extenſum ponit Morinus *de Sacr. Ordin. part.* 1. *cap.*4. *à num.*6. *& ſeqq.* advertens, quod prædicti Summi Pontifices Clemens VIII. ac Paulus V. aluerunt Romæ Epiſcopum Græcum, qui 21
ibi Ordinationes Ritu Græco celebraret, ut diximus etiam ſupra *Deciſ. VII. num.* 25. idemque fecit Urbanus VIII. ampliando, ut præfatus Græcus Epiſcopus Divina Officia, atque ordinationes in Eccleſia S. Athanaſii Ritu Græco perageret, & cæremonias, ac Ritus Orientalis Eccleſiæ Alumnos illius Collegii doceret; concludens Morinus *d. cap.* 4. *num* 16. in fine: *Eſt igitur evidentiſſimum*, *Eccleſiam Romanam Græcas Ordinationes ſemper approbaſſe; Græcorum Epiſcopos*, *& Presbyteros*, *Schiſmate ejerato*, *nunquam reordinaſſe; ſed cum exercitio Ordinum*, *quos à Schiſmaticis ſuſceperant*, *niſi aliud crimen ſubeſſet*, *admiſiſſe*, *ratamque Ordinationem*, *quam apud eos acceperant*, *ſemper habuiſſe*. Inferens Morinus ex his omnibus, Materiam Ordinis Diaconatus eſſe manuum impoſitionem; Formam verò verba deprecatoria, ſeu Orationem, quam recitat Epiſcopus tenens manum ſuper caput Ordinandi, deprecans ſuper eum Spiritus Sancti illapſum, ac Divinæ gratiæ conceſſionem. Hæc omnia ad favorem prænarratæ primæ opinionis.

Verùm contra hoc ultimum fundamentum obiici poſſet; quod Conſtitutiones Leonis X. Clementis VII. ac VIII. loquuntur, non de Ritibus Græcis Ordinationes Sacras concernentibus; ſed de reſpicientibus panem fermentatum in con- 22
ſecratione Euchariſtiæ; formam verborũ in Baptiſmo, uſum Matrimonii Ordinatorum in ſacris contracti ante Ordinationem; nutritionem Barbæ, ac Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie diſpenſationem cuicun-

cuicunque fidelium, etiam pueris; quorum articulorum Ritus Leo X. ac ſubſequentes nominati Pontifices ex deſiderio unionis utriuſque Eccleſiæ approbarunt, & permiſerunt: at de materia, & forma Ordinum conferendorum nihil dixerunt. E contra Innocentius Quartus Anno 1254. in ſua Conſtitutione XIV. quæ incipit: *Sub Catholicæ*. agens de variis Græcorum Ritibus circa ſancta Sacramenta, in §. *Ad hæc* 19. circa Ordines ita diſpoſuit: *Ad hæc volumus, & expreſsè præcipimus, quod Epiſcopi*
23 *Græci ſeptem Ordines ſecundum morem Eccleſiæ Romanæ de cætero conferant*. Sed utrùm Papa intellexerit tantùm de numero Ordinum ſeptenario, vel etiam de traditione Inſtrumentorum, quæ ſunt materia Ordinum? cogitet Studioſus Lector. Nicolius citans prædictam Conſtitutionem Innocentii IV. in *Floſculis Verb. Græci num.*10. tantummodò ait: *Ordines ſecundum morem Eccleſiæ Latinæ Græci conferre tenentur*. Hæc de prima opinione.

Secunda opinio tenet, in Ordinatione Diaconi Materiam eſſe traditionem Libri Evangeliorum, quam facit Epi-
24 ſcopus Ordinando; Formam verò hæc Verba: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei, tàm pro vivis, quàm pro Defunctis in nomine Domini*. Tutores, ac defenſores hujus opinionis ſunt Richardus *in* 4. *diſt.* 24. *art.* 4. *q.* 3. Summa Aſtenſis *libr.*6. *tit.* 5. *art.* 6. Sylveſter *Verb. Ordo* 2. *num.* 3. Ruardus Tapperus *art.* 17. *contra Lutherum*. Paludanus *diſt.* 24 *q.* 2. *art.* 8. *num.* 15 *& ſeqq.* Major *ead. diſt. q.* 1. *circa medium*. Viguerius *in Inſtit. cap.* 16. §. 6. *Verſ.* 1. Dominicus Soto *ibid. q.* 1. *art.* 3. §. *Per quam tamen*. Gregorius de Valentia *diſp.* 9. *q.* 1. *de Sacramento Ordinis punct.* 5. Ludovicus Meratius *tract. de Ordine diſp.* 6. *ſect.* 1. *tom.* 3. *in Summ. S. Thomæ*. Vaſquez *in* 3. *part. diſp.* 236. *cap.* 7. *num.* 85. *& diſp.* 238. *cap.* 4. *num.* 35. 36. Bonacina *de Sacram. Ord. diſp.* 8. *q. Unica punct.* 3. *num.* 4. Caſtropalaus *tract.* 27. *diſp. Unica punct.* 4. *num.* 10. Faber, Villalobos, Nugnus, & alii apud Dianam Coordinatum *tom.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 5. §. 2. requieſcente in ejus opere inordinato *part.* 3. *tract.*4. *reſol.*187. quibus ego addo Gonetum *tom.* 5. *de Sacram. Ord. diſp.* 2. *art.* 3. *num.* 48. & Emin. Card. de Lauræa *de eod. Sacram. diſp.* 6. *art.* 5. per totum. Probant hanc opinionem ſequentibus argumentis, juribus, ac rationibus.

Primò ex Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. ubi loquens de Ordine ait: *Sextum Sacramentum eſt Ordinis, cujus Materia eſt illud, per cujus* 25
*traditionem confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem; Diaconatus verò per Libri Evangeliorum traditionem*. Ergo hæc opinio innititur punctuali, & manifeſtæ doctrinæ Concilii Florentini.

Secundò probatur ex Pontificali Romano impreſſo *Anno* 1582. juſſu Gregorii XIII. in quo *part.* 1. *de Ordinat. Diaconor.* dum Epiſcopus tradit Librum Evangeliorum notatur in margine. *In* 26
*hoc actu imprimitur Character hujus Ordinis*. Modò ſic argumentatur. Character in Sacramento Ordinis tunc imprimitur, quando Ordinando traditur materia propria tangenda. Sed Character Ordinis Diaconatus imprimitur, dum traditur ab Epiſcopo, & tangitur ab Ordinando Liber Evangeliorum, ut innuit Pontificale Romanum. Ergo Libri Evangeliorum traditio eſt Materia Ordinis Diaconatus; Forma autem Verba, quæ dicuntur in eadem traditione Libri. Quod autem Pontificale Romanum ſit Liber authenticus, & habeat vim legis, nefas eſſet dubitare, ut de aliis Libris Ritualibus, ac Cæremonialibus per Summos Pontifices approbatis docent Gratian. *Diſcept. forenſ. cap.* 112. 27
*num.* 7. Loterius *libr.* 1. *q.* 16. *num.* 123. Sperellus *Deciſ.* 179. *num.* 23. atque Rota Romana *part.* 4. *recent. tom.* 3. *deciſ.* 647. *& part.* 17. *deciſ.* 87. *num* 23.

Tertiò: allegatur textus *in cap.* 1. *De Sacram. non iteran.* in quo Innocentius III. interrogatus, *An permitti debeat*

*mini-*

Digitized by Google

28 *miniſtrare, qui ſine impoſitione manuum fuerit ad Ordinem Diaconatus aſſumptus?* Reſpondit, *Non eſſe aliquid iterandum, ſed cautè ſupplendum, quod incautè fuerat prætermiſſum*. Modò ſic differitur: quando Ordo fuit nulliter collatus, eſt omninò iterandus, quia quod nullum eſt à principio, nullum producit effectum, & nullam concedit poteſtatem. *cap. Solemniter. de Conſecr. diſt.* 1. DD. *in cap. Unico. De Sacra Unct.* E contra ſi quid eſt omiſſum in collatione Ordinum, quod non impediat eorum validitatem, non ſunt Ordines repetendi, ſeu reiterandi. *cap.* 1. *&* 2. *&* 5. 68. *diſt. cap. Conſultationi. De Tempor. Ordinat.* Sed ſupplendum tantummodo eſt id, quod fuit omiſſum. *d. cap.* 1. *De Sacram. non iteran.* & ibi Gonzalez *in Comment. num.* 8. Sanchez *in Conſil. Moral. libr.* 7. *cap.* 1. *dub.* 3. Cum igitur Innocentius III. in hoc *cap.* 1. *de Sacram. non iteran.* dicat, non eſſe iterandam Ordinationem Diaconi, in qua fuit omiſſa manus impoſitio; ſequitur eumdem Diaconum fuiſſe benè ordinatum. Sed cum qua materia, & forma? Utique per traditionem Libri Evangeliorum, cum illis verbis, *Accipe poteſtatem legendi Evangelium &c.* Nec amaritudinem faciat, quod textus *in d. cap.* 1. non dicat *ad Ordinem Diaconatus*; ſed habeat, *ad Ordinem Subdiaconatus*; quia eſt error Typographi; & debet legi *ad Ordinem Diaconatus*, tùm ob manifeſtam rationem, ſiquidem Subdiaconi non ordinantur per manus impoſitionem, ſed per traditionem Calicis vacui, ac patenæ. *cap. Subdiaconus.* 23. *diſt.* tùm quia in bonis exemplaribus Juris canonici habetur expreſsè *ad Ordinem Diaconatus*, ut teſtantur Anton. Auguſtinus, & Hoſtienſis *in eod. cap.* 1. Suarez *de Cenſuris diſp.* 41. *ſect.* 4. *num.* 12. Franciſcus Hallierius *de Sacris Elect. pag.* 434 & alii, quos citat, & ſequitur ipſe Gonzalez *in Not. ad d. cap.* 1. *De Sacram. non iteran.*

Quartò facit textus *in cap. Presbyter.* 3. *eod. tit. De Sacram. non Ordin.* ubi pariter Gregorius IX. reſpondit, & dixit;
quod ſi omiſſa fuerit manus impoſitio 29
tàm in ordinatione Presbyteri, quàm Diaconi; non eſt Ordo iterandus; *Sed ſtatuto tempore ad hujuſmodi Ordines conferendos cautè ſupplendum quod per errorem exſtitit prætermiſſum*. Igitur ex ſupradicta conſideratione eſſentia Ordinis Diaconatus non conſiſtit in impoſitione manus, ſed in traditione Libri Evangeliorum, quam ibi Pontifex ſupponit interfuiſſe.

Quintò: quia ſi manus impoſitio eſſet Materia eſſentialis Ordinis Diaconatus, haberet formam expreſſivam miniſterii, ac officii Diaconalis, nam
in omnibus Sacramentis forma debet 30
exprimere vim, & operationem illius Sacramenti, & præcipuè in Sacramento Ordinis debet innuere poteſtatem, quæ confertur Ordinato. Salmanticenſes *de Sacr. Ord. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 27. At quando Epiſcopus imponit manum ſuper caput Diaconi nullam formam profert indicativam miniſterii Diaconalis; & è contra illam exprimit in traditione Libri Evangeliorum, dicendo *Accipe poteſtatem legendi Evangelium &c.* Ergo ſequitur veram, & eſſentialem Materiam Ordinis Diaconatus eſſe ipſam Libri Evangeliorum traditionem; Formam verò Verba prædicta.

Veruntamen graviter obſtat huic opinioni, quod Sancti Apoſtoli non tradiderunt Librum Evangeliorum ſeptem Diaconis, quos ordinarunt, & conſecrarunt *Act.* 6. 6. nec in aliquo Concilio ante Florentinum enunciatur hæc Libri Evangeliorum traditio; nullumque Rituale, aut Auctor Catholicus per nongentos circiter annos poſt fundatam Eccleſiam mentionem facit prædictæ Evangeliorum Libri traditionis; ut tetigimus ſupra *num.* 7. *&* 13. ubi Durandi teſtimonium de ſua Eccleſia Anicienſi retulimus.

Reſpondet doctiſſimus Maſtrius *in* 4. *Libr. ſent. diſp.* 4. *de Sacram. Ordinis ſub num.* 44: his verbis: *Minimè du-*
*bitandum eſt in univerſali Eccleſia Ri-* 31
*tum*

tum hunc tradendi Librum Evangeliorum ſemper fuiſſe ſervatum; licèt aliqua Eccleſia particularis pro aliquo tempore circa hoc errare potuerit; & auctoritas præſertim illius Eccleſiæ Anicienſis, cujus Durandus ipſe fuit Epiſcopus, non eſt tanta, ut nos movere, vel turbare debeat, ut inquit Coninchius. Ratio eſt, quia mos, & laudabilis Summorum Pontificum conſuetudo fuit, ad tollendam Religioſorum ambitionem, ac eorum humilitatem ſervandam, dum Epiſcopalem dignitatem extra clauſtra quærunt, vel eam non concedere, vel ſolùm in Eccleſiis infimi ordinis; undè talem eſſe illam cenſeo, cui Durandus præfuit Religioſus ex Ordine Prædicatorum aſſumptus. Reſpondent aliqui, qaod licèt ab Eccleſiæ initio conſcriptus non fuerit integer Evangeliorum Liber, poterat eſſe, ut in chartis quibuſdam deſcriptæ eſſent aliquæ partes, ſivè aliqua Myſteria Fidei, quæ utique habuiſſent eamdem vim, & nomen Evangelii, & ad hanc Ordinationem ſufficiebant. Alii dicunt, Chriſtum in initio diſpenſaſſe cum Apoſtolis, ut poſſent hunc Ordinem conferre ſine traditione Libri Evangeliorum.

Meliùs tamen reſpondetur ex communi doctrina jam tradita ab initio Quæſtionis num. 36. cum Bellarmino, Coninchio, Marchino, Averſa, & aliis, quod ſicut Chriſtus externam peccatorum confeſſionem inſtituit determinatè materiam Sacramenti Pœnitentiæ: Nùm autem hæc facienda ſit verbo, vel ſcriptò, aut aliis ſignis ſenſibilibus non determinavit, ſed Eccleſiæ determinandum reliquit; & materiam, ac formam Matrimonii inſtituit conſenſum contrahentium externis verbis, vel aliis ſignis expreſſum; hæc autem ſigna in particulari non determinavit, ſed ea communi uſui, & contrahentium voluntati reliquit: Item formam cujuſque Sacramenti inſtituit in genere Verba, quæ actionem conferentis ſignificarent. V. G. talem hìc, & nunc à baptizante ablui in Nomine Patris &c. ipſa autem Verba in particulari, & in individuo talem actionem exprimentia non inſtituit, ſed hæc reliquit communi loquentium uſui in proprio Idiomate; ſiquidem ad illam eamdem actionem ſignificandam alia adhibet verba Græcus, alia Dalmata, alia Latinus, alia Gallus, Italus, & Hiſpanus in propria vernacula lingua: Sicut, inquam, dicta Signa in Matrimonio, & Pœnitentia, & Verba in aliis formis Sacramentorum inſtituit quidem determinata ſecundum rationem ſuam formalem, ſeu ſignificationem, quatenùs determinatè talia eſſe voluit, ut certam rem determinatè ſignificarent; indeterminata tamen ſecundum eſſe materiale: ITA PARITER inſtituit materiam hujus Ordinis in traditione alicujus rei, quâ Diaconi officium deſignaretur; quænam autem res in individuo tradi deberet, hoc determinationi Eccleſiæ reliquit; ita quod hanc Materiam Diaconatus inſtituit ſecundum rationem formalem determinatam; qua ſcilicèt determinatè ſignificaretur hìc, & nunc per talem actionem tribui Ordinato certam Poteſtatem Eccleſiaſticam; indeterminatam tamen ſecundum eſſe materiale; quatenùs in poteſtate Eccleſiæ reliquit per traditionem hujus, vel illius rei collationem hujus poteſtatis ſignificare. Et per hanc doctrinam facilè conciliantur Ritus diverſi Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ in Ordinibus conferendis; utraque enim confert Ordinationem per ſignum ſenſibile, & Verba, quæ optimè collationem Ordinis ſignificant. Quarè utraque validè conficit, & utraque ſervat, formaliter loquendo, Materiam, & Formam à Chriſto inſtitutam; licèt materialiter ſignis diverſis utatur. Hæc, eſt reſponſio communis inter Theologos, & Canoniſtas, quos longa ſerie citavi ſupra in Deciſ. VII. n. 28. & 29.

Idcircò oſtendendum eſſet tantum-
modò, quando cœperit Eccleſia ordina- 32
re Diaconos cum traditione Libri Evan-
geliorum? At hoc initium non reperi-
tur ſcriptum; & poteſt procedere ex
traditione Apoſtolica, cujus fideliſſima
cuſtos eſt Eccleſia Romana, ut oſten-
dimus in Deciſ. VII. num. 32. Equidem
ex illo Rituali Anglicano vetuſtiſſimo
arguitur eſſe ultra XI. ſæcula, ut di-

ximus *ſupra num.* 11. certiſſimum eſt autem, quod erat in uſu per ſexcentos annos, & ultra ante Concilium Florentinum; & quod hoc errare non potuit in aſſignanda traditione Libri Evangeliorum pro Diaconatus Ordinis Materia, ut pluribus rationibus oſtendit Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 6. *de Sacram. Ord. num.* 102. *& ſeqq.*

Tertia Opinio, quæ eſt magis com-
33 munis docet, non ſolùm traditionem Libri Evangeliorum, ſed etiam Manuum impoſitionem cum illis verbis: *Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad reſiſtendum diabolo, & tentationibus ejus* eſſe duas partiales, ſed eſſentiales hujus Ordinis Materias, ac Formas. Ita S. Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 2. *art.* 3. & in Supplemento 3. *part. q.* 37. *art.* 5. *ad* 5. *& q.* 38. *art.* 1. *ad prim.* Card. Hoſius *in Confeſs. Cathol. cap.* 52. Card. Bellarminus *de Sacram. Ord. cap.* 9. Hallerius *de Sacris Ordin.* §. 15. Iſambertus *de Sacr. Ord. diſp.* 3. *art.* 3. Layman *libr.* 5. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 2. ac Eſtius, Puteanus, Gammacheus, & alii plures, quos cumulat Morinus *d. part.* 3. *Exercit.* 9. *cap.* 1. *num.* 3. quibus addendi Caietanus, Card. de Lugo, Coninchius, Marchinus, & alii, quos citant, ac ſequuntur Salmanticenſes *de eod. Sacram. Ord. tract.* 8. *cap.* 3. *num.* 28. & quos approbat Maſtrius in *cit. diſp.* 4. *num.* 42. nec non Diana Coordinatus *tom.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 5. *ac tom.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 67.

Probatur hæc opinio, quo ad ipſam traditionem Libri Evangeliorum, cum
34 forma Verborum illam aſſociantium, ex Concilio Florentino, in quo de eadem Materia, & Forma datur expreſſa doctrina; & ideò de ea nefas eſſet dubitare, ob infallibilitatem, quam omnes Catholici profitentur in Concilio Generali, præſente Papa, & illud approbante. Fagnanus *in cap. Majores. num.* 36. *de Baptiſmo tom.* 3. *pag.* 234. & alii DD. quos citavimus ſupra *in Deciſ. VII. n.* 16. Quo verò ad impoſitionem manus, & Verba Epiſcopi eam comitantia, ſequentes dantur probationes.

Prima ex Concilio Carthaginenſi IV. *can.* 5. in quo ſic definitur: *Diaconus cum ordinatur, ſolus Epiſcopus manum* 35
*ſupra caput ejus ponat, quia non ad Sacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur*. Et quamvis ſupra *numer.* 8. obiiciendo dixerimus ſecundum aliquos, ibi Concilium non videri locutum de hac manus impoſitione tanquam materia Ordinis Diaconatus, ſed ad diſtinctionem impoſitionis manuum, quæ fit in Presbyteratu non à ſolo Epiſcopo, at etiam ab aliis Sacerdotibus unà cum eodem Epiſcopo; nihilominùs communiter docent DD. inter quos Maſtrius *d. diſp.* 4. *num.* 42. verba Concilii Carthaginenſis eſſe intelligenda de Materia Ordinis Diaconatus; ſiquidem in antecedenti Canone loquitur de Materia Ordinis Epiſcopatus, & Presbyteratus, & in ſubſequentibus de materia Subdiaconatus, Acolythatus, Exorciſtatus, Lectoratus, & Oſtiariatus; qui omnes Canones repoſiti leguntur à Gratiano *in diſt.* 23. *cap. Epiſcopus. cap. Presbyter. cap. Diaconus. cap. Subdiaconus*, cum aliis eorundem Ordinum minorum ſubſequentibus.

Secunda probatio deſumitur ex Ver- 36
bis Divi Hieronymi in *cap.* 56. *Iſaiæ* ita ſcribentis: *Ordinatio non ſolùm ad imprecationem vocis, ſed etiam ad impoſitionem manuum impletur*.

Tertia probatio & quidem præcipua, eſt Gratia, quæ datur Diacono per manus impoſitionem, ut diximus *ſupra num.* 9. Et docet S. Thomas *in* 4. 37
*diſt.* 25. *q.* 2. *art.* 3. *in corp.* & aliæ auctoritatis *d. num.* 9. à nobis adductæ. Neque obſtat, quod ſi manus impoſitio ſit materia Ordinis Diaconatus, videatur dicendum, quod per eam imprimatur Character, & Gratia conferatur contra id, quod ex Pontificali Romano probatum eſt *ſupra num.* 26. & dictum eſt *d. num.* 9. Nam reſpondent Salmanticenſes, quod quando aliquis Ordo habet duas partiales materias, Character imprimitur, & Gratia confertur, dum materia principalior, ac magis expreſſiva poteſtatis illius Ordinis

dinis applicatur; & ideò, quia traditio Libri Evangeliorum eſt materia magis principalis Ordinis Diaconatus; idcircò, dum traditur Liber imprimitur Character; & Gratia, quæ moraliter cœpit infundi in impoſitione manus Epiſcopi, in eadem Libri traditione completur. Ita Salmanticenſes *d. tract. 8. cap. 3. num.* 33. Minùs obſtat, quod adinvicem videantur ſibi contraria Concilium Carthaginenſe, & Conci-
38 lium Florentinum, dum primum non loquitur de traditione Libri Evangeliorum; ſecundum autem non meminit impoſitionis manus; nam reſpondet Maſtrius *d. diſp.* 4. *num.* 42. quod licèt utrumque Conciliorum de utraque materia mentionem non fecerit, nihilominùs altera, de qua nihil dixerunt, non fuit ab iiſdem excluſa; & per conſequens concludendum utramque materiam cum ſua forma verborum concurrere ad eſſentiam Ordinis Diaconatus; etſi traditio Libri Evangeliorum, tanquam magis expreſſiva poteſtatis, quæ per hunc Ordinem confertur, ſit magis principalis, & in ea imprimatur Character; & ob hanc rationem *in cap.* 1. *& in cap.* 3. *de Sacram. non iterand.* dictum ſit à Summis Pontifici-
39 bus Innocentio III. ac Gregorio IX. quod ſi in ordinatione Diaconi omiſſa fuerit manus impoſitio, non ſit Ordinatio reiteranda; ſed opportuno tempore ſupplendum, quod fuit omiſſum, quia ſcilicèt ob traditionem Libri Evangeliorum, quæ eſt materia principalior, & in qua imprimitur character, & conſiſtit eſſentia Ordinis Diaconatus, validè fuit collatus Ordo, & Ordinis Sacramentum. Hæc de Tertia opininione.

Quarta reperitur opinio, quæ cenſet, Materiam Ordinis Diaconatus ultra Manuum Impoſitionem, & Libri Evangeliorum traditionem, eſſe quo-
40 que Stolam in humero Diaconi applicationem. Hanc opinionem habuit Sichardus Cremonenſis Epiſcopus *Libr.* 2. *de Inſtitut. Eccleſ. cap.* 2. ubi ita ſcribit de Ordinatione Diaconi: *Poſtea dat ei Stolam ſuper humerum ſiniſtrum Epiſcopus dicens, Accipe Stolam candidam de manu Domini &c. & poſtea, ut intelligat ſe eſſe preconem Chriſti, tradit ei Evangelium dicens, Accipe poteſtatem legendi Evangelium tàm pro vivis, quàm pro defunctis in nomine Domini. Hæres igitur, & hæc Verba ſunt hujus Sacramenti ſubſtantia. Dalmatica verò ſi cui datur, ſolemnitatis eſt, & non ſubſtantiæ.* Similiter ita opinatus eſt Paulus Jadrenſis Archiepiſcopus in ſuo Opere inſcripto *Theſaurus Pontificum*, in quo ita notavit: *Diacono, cum ordinatur, traditur ſub certis verbis Stola, & Codex Evangelii, quæ res, & verba ſunt hujus Sacramenti ſubſtantia; cætera ſunt de ſolemnitate.* Horum Auctorum verba prædicta tranſcribit Morinus *de Sacris Ordin. d. part. 3. Exercit. 9. cap. 1. num.* 2. Porrò hæc opinio nullum alium ſequacem habet, & jure merito, quia Stola eſt ſimplex ornamentum Diaconi, qua uti debet in cantando Evangelio, ut demonſtrat Magrius *in Hierolexico Verb. Stola*; addens, quod ſi illud cantaret abſque Stola, peccaret mortaliter; quod nos notavimus in De- 41
ciſionibus. *De Sacrificio Miſſæ Deciſ.* 50. *ſub num.* 29.

Hic autem credimus magna obſervatione dignum, quod nonnulli ex Libris Ritualibus antiquis apud Morinum *part.* 2. *de Sacris Ord.* faciunt 42
mentionem de Stola danda per Epiſcopum Diacono in ejus Ordinatione; ut videre eſt *pag.* 221. *pag.* 255. *& pag.* 274. At eorumdem Ritualium major numerus nullum verbum continet de eadem Stola, neque de ejus impoſitione in ſiniſtro humero, quam facit Epiſcopus, dum ordinat Diaconum, prout ſtudioſus Lector obſervare poterit in eodem Morino *à pag.* 213. ubi incipiunt Ritualia pro Latinis Ordinationibus. Sequitur ex hoc ſilentio circa Stolam, quod prædicti Libri Rituales non exprimunt omnia, quæ in antiquiſſimis ſæculis ſervabat Eccleſia in collatione Ordinum; undè ex eis deduci non poteſt concludens argumentum circa traditionem Libri Evangeliorum dicendo, Rituales

antiqui de ea non loquuntur: Ergò antiquitùs traditio Libri Evangeliorum in Ordinatione Diaconi non erat in uſu. Nam neque de Stola tradenda Diacono loquuntur plurimi eorumdem Ritualium vetuſtiſſimorum; & tamen ineptum eſſet dicere, quod Stola non daretur; cum alii Rituales libri ejuſdem antiquitatis vel ejuſdem Stolæ dationem ponant, vel ipſius benedictionem notent in ordinandis Diaconis. Præterquàm quod dicendum foret, Diaconos antiquitùs ordinatos fuiſſe abſque Veſtibus Sacris; eo quia de iiſdem nulla mentio habeatur in prædictis Ritualibus. Igitur ſicut Scriptores antiqui prædictorum Ritualium non curarunt notare Veſtes Sacras, & Stolam, quibus Diaconi, dum ordinantur, induuntur; ita non debet eſſe à veritate alienum dicere, quod antiquitùs traderetur Liber Evangeliorum, ut habetur in illo Rituali Anglicano, de quo ſupra *num.* 11. & in alio Bellovacenſi de Anno 900 circiter apud eumdem Morinum *d. part.* 2. *pag.* 270. etſi alii Libri Rituales antiqui ejus non meminerint.

Quinta demùm opinio in aliquibus Eccleſiis antiquitùs erat, quod Manuum impoſitioni, Libri Evangeliorum traditioni, Stolæque exhibitioni accederet, pro Materia Diaconatus,
43 etiam Unctio manuum Ordinandi cum Sacro Chriſmate, cum verbis vim Formæ habentibus in eadem Unctione prolatis; ut refert Hugo Menardus *in Notis ad Libr. Sacrament. S. Gregorii Papæ pag.* 289. ita ſcribens: *In citato Pontificali Anglicano M. S. poſt traditionem Libri Evangeliorum Diaconi manus unguntur, ita enim habetur.* Conſecratio manuum Diaconi de Oleo, atque Chriſmate. Conſecrentur Manus iſtæ, quæſumus Domine, & ſanctificentur per iſtam Unctionem, tuamque Benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificata ſint. *Et ſanè olim in Gallia hic mos inoleverat, ut manus Diaconis ungerentur; quod manifeſtum eſt ex. Epiſtola Nicolai Papæ I. ad Rodulphum Archiepiſcopum Bituricenſem*, ibi: Præterea ſciſcitaris, Utrùm ſolis Presbyteris, an Diaconibus debeant, cum ordinantur, manus Chriſmatis liquore perungi: *Quod non interrogaſſet Pontificem Maximum Rodulphus, niſi id moris eſſe in Diaconorum Ordinatione alicubi in Gallia compertum habuiſſet*. Hucuſque Menardus. De qua quidem unctione ſcribunt etiam Magrius *in Hierolexic. Verb. Chriſma col.* 3. *& in Verb. Diaconus col.* 2. Et Emin. Card. Bona *Rer. Liturgic. libr.* 1. *cap.* 25. *in fine*. Forſan tunc prædicta Unctio reputabatur Materia Ordinationis Diaconatus ex his, quæ habentur apud Tertullianum *Libr. de Reſurrect. Carnis*: videlicèt: *Caro ungitur, ut anima conſecretur: caro ſignatur, ut anima muniatur: caro manus impoſitione adumbratur, ut anima ſpiritu illuminetur.* Cæterùm hæc opinio nullo ſtabili innixa fundamento de ſe corruit, & prædicta Unctio, quæ erat introducta motivo devotionis ab aliquibus Epiſcopis Galliæ, à pluribus ſæculis eſt intermiſſa; & ſic concluditur, reſtringi Materiam Ordinis Diaconatus tùm ad impoſitionem Manus, quàm facit Epiſcopus ſuper caput Ordinandi, tùm ad traditionem Libri Evangeliorum; Formam verò ad Verba, quæ in utraque actione ab eodem Epiſcopo proferuntur.

## DECISIO XXX.

### *ARGUMENTUM.*

Ut declarentur Officia, ac Miniſteria Diaconorum, hi in tria genera dividuntur, & oſtenditur, Diaconos eſſe vel Maximos, vel Majores, vel Inferiores. Primi ſunt Cardinales Diaconi S. R. E. quorum origo, numerus, & Officia explicantur, pluribus eruditionibus circa eoſdem inſertis. De majo-

ribus Diaconis, ideſt Archidiaconis Eccleſiarum Collegiatarum agitur, & de miniſteriis ad eos de jure ſpectantibus. Pariter narrantur Officia Diaconorum inferiorum, tùm de Jure Divino, tùm ex commiſſione Eccleſiæ eis competentia. Tandem diſſeritur de Flabello, quod Diaconi Græci ex Officio tenent in manibus, ac movent ad Altare: ejuſque Myſtica ſignificatio, cum aliis curioſis Ritibus Maronitarum, exponitur.

SUMMARIUM.

1 *Diaconi græcè, Levitæ hebraicè, Miniſtri Latinè dicuntur.*
2 *Diaconi alii Maximi, alii Majores, alii Inferiores.*
3 *Cardinales S. R. E. Diaconi ſunt maximi.*
4 *Cardinalium omnium numerus ſeptuageſimus..Et cur?*
5 *Cardinalium nomen, ac Dignitas tempore S. Sylveſtri Papæ.*
6 *Cardinales undè ſic nominati?*
7 *Cardinalium numerus olim varius.*
8 *Cardinales alii Epiſcopi, alii Presbyteri, alii Diaconi.*
9 *Diaconi Cardinales olim ſeptem tantùm. Et cur?*
10 *Angelorum ſeptem coram Deo aſtantium nomina.*
11 *B. Amadæi Luſitani Reformantis Ord. S. Franciſci laudes.*
12 *Diaconi Cardinales ſeptem cur dicti Regionarii?*
13 *Cur deindè quatuordecim; ac poſtea decem, & octo?*
14 *Cardinales Epiſcopi VI. Presbyteri L. Diaconi XIV.*
15 *Diaconiæ, ſeu Tituli Cardinalium Diaconorum qui ſint?*
16 *Diaconorum Cardinalium antiquitùs Officia tria. Et quæ?*
17 *Menſæ, ſeu Tabulæ ligneæ ſuper qua Chriſtus inſtituit Euchariſtiam deſcriptio, & conſervatio.*
18 *Diaconorum Cardinalium nunc Officia quinque. Et quæ?*
19 *Conciſtorium Papale quid ſit? & Quotuplex?*
20 *Congregationes Cardinalitiæ Urbis Romæ quæ?*
21 *Cardinales tenentur reſidere Romæ. Pœnæ contra abſentes.*
22 *Diaconi Cardinales an poſſint ſolemniter benedicere populum?*
23 *S. Benedictus Abbas Diaconatus Ordine fuit contentus. Item S. Maurus, ac S. Placidus.*
24 *Archidiaconi nomen quid ſignificet?*
25 *Archidiaconi prima dignitas de Jure in Collegiatis. Et cur?*
26 *Archidiaconorum Officia antiquis temporibus.*
27 *Conſuetudo attendenda circa Officia Archidiaconorum.*
28 *Archidiaconatus Paduæ, ac Plebis Sacci eſt ſecunda Dignitas.*
29 *Archipresbyter Patavinus eſt prima Dignitas.*
30 *Diaconorum miniſteria quatuor ex Jure Divino. Et quæ?*
31 *Menſæ tempore Apoſtolorum duplices, Sacræ, & Profanæ.*
32 *Diaconi ſeptem ordinati ab Apoſtolis, ut Euchariſtiam diſtribuerent.*
33 *Baptizare ſolemniter quando Diaconus poſſit?*
34 *Diaconorum miniſteria ſeptem ex commiſſione Eccleſiæ.*
35 *Benedictiò Cerei Paſchalis an competat Diacono de Jure Divino?*
36 Munda cor meum &c. *an recitet Diaconus ante Præconium* Exultet.
37 *Præconii* Exultet &c. *cantatio cur commiſſa Diacono?*
38 *Græcorum Diaconorum officium tenendi in Miſſa* Flabellum. *Et quid ſit?*
39 *Flabelli prædicti myſtica ſignificatio.*
40 *Maronitarum* Flabella, *& eorum uſu in Miſſa.*
41 *Organi vox tremula cur ſonetur ad elevationem Hoſtiæ in Miſſa?*

Reſtat

REſtat pro integra Diaconatus Or-
dinis explicatione, ut Diacono-
rum officia, ſeu miniſteria declaremus;
triplici enim voce Diaconi nuncupan-
tur; Hebraica ideſt *Levitæ*; Græca,
nempè *Diaconi*, & Latina ſcilicèt *Mi-*
1 *niſtri*; & his tribus vocibus formatur
eadem ſignificatio, quæ eſt *miniſtrare,*
*ac ſervire* Sacerdoti, juxta id, quod
Deus præcepit Moyſi in Lege Veteri
Numer. 3. 6. *Applica Tribum LEVI, &*
*fac eam ſtare in conſpectu Aaron Sacer-*
*dotis, & miniſtrent ei; & excubent,*
*& obſervent quicquid ad cultum pertinet*
*multitudinis coram Tabernaculo Teſtimo-*
*nii, & cuſtodiant vaſa Tabernaculi ſer-*
*vientes in miniſterio*. Pro majori autem
intelligentia dicendorum advertendum
eſt, Tria eſſe genera Diaconorum, alii
2 enim ſunt Maximi, alii Majores, & alii
Inferiores, ac de ſingulis ſingillatim eſt
agendum, & eorum officia, ac mini-
ſteria demonſtranda.

Diaconi Maximi ſunt Eminentiſſimi
S. R. E. Cardinales Diaconi; ſiquidem
Sacrum Collegium Cardinalitium con-
3 ſtat ex Epiſcopis ſex, ex Presbyteris
quinquaginta, & ex Diaconis quatuor-
decim; qui omnes conſtituunt nume-
rum ſeptuaginta Cardinalium juxta ma-
4 giſtralem Conſtitutionem Sixti Papæ
Quinti, quæ legitur in Bullario novo
*tom. 2. Conſtit. 50. §. Quoniam verò. pag.*
561. quod quidem Eminentiſſimum
Cardinalium Collegium à Jure Divino
originem duxiſſe Canoniſtæ teſtantur,
tùm ex verbis Domini ad Moyſem *Nu-*
*mer. 11. 16. Dixit Dominus ad Moyſem,*
*congrega mihi Septuaginta viros de ſeni-*
*bus Iſrael, quos tu noſti, quod ſenes*
*populi ſint, & magiſtri; & duces eos ad*
*oſtium Tabernaculi fœderis, facieſque ibi*
*ſtare tecum, ut deſcendam, & loquar*
*tecum, & auferam de ſpiritu tuo, tra-*
*damque eis, ut ſuſtentent tecum onus po-*
*puli, & non tu ſolus graveris*. tùm ex
electione duodecim Apoſtolorum, quam
fecit Chriſtus Dominus *Luc. 6. 13.* &
aliorum ſeptuaginta duorum diſcipulo-
rum *Luc. 10. 1.* undè ait Innocentius III.
*in cap. Per Venerabilem. Qui fil. ſint*
*legit. Sunt autem Sacerdotes Levitici ge-*
*neris Fratres Noſtri, qui Nobis Jure*
*Levitico, in executione Sacerdotalis Of-*
*ficii Coadjutores exiſtunt*. Et Eminen.
Card. Paleottus *in tract. de Sacr. Conſiſt.*
*Conſult. membr. 5. cap. 11.* ſubdit: *Alii*
*autem eos in locum Apoſtolorum, qui*
*Chriſto Domino Noſtro aſſiſtebant, ſuc-*
*ceſſiſſe tradunt, quæ magnorum Virorum*
*eſt ſententia, & magna probabilitate ni-*
*titur: certum enim eſt Chriſtum Domi-*
*num Redemptorem Noſtrum, cum in ter-*
*ris verſaretur, ſibi duodecim Apoſtolos,*
*& ſeptuagintaduos diſcipulos habuiſſe,*
*qui ſibi aſſiſterent*. Hoc autem nomen
Cardinalis, ſeu potiùs dignitas Cardi-
nalitia antiquiſſima eſt, de ea enim
mentio expreſſa habetur in Concilio
Romano à S. Sylveſtro Papa celebrato 5.
*Anno* 324. dum in *cap. 6.* ſancivit, *Ut*
*Diaconi non eſſent plùs, nec ampliùs, per*
*Parochiarum examen, niſi duo: Et Dia-*
*coni Cardinales Urbis Romæ ſeptem*.
Et in Synodo Nicæna habita *Anno ſe-*
*quenti* 325. ſub eodem S. Sylveſtro,
iidem Cardinales nominantur in decreto
firmato ab eadem Synodo, circa modum
procedendi judicialiter contra Prælatos
Eccleſiarum, quod refertur *in cap. Præ-*
*ſul. 2. q. 4.* his verbis: *Præſul non dam-*
*nabitur, niſi cum 72. teſtibus; nec Præ-*
*ſul Summus à quoquam judicabitur, quo-*
*niam ſcriptum eſt, Non eſt diſcipulus ſu-*
*per Magiſtrum. Presbyter autem Car-*
*dinalis niſi cum 44. teſtibus condemnabi-*
*tur. Diaconus verò Cardinalis Urbis*
*Romæ niſi cum 27. teſtibus condemnabi-*
*tur*. Ideòque dicuntur Cardinales à
cardine Apoſtolicæ Sedis, cui aſſiſtunt;
nam, ut ait Anacletus Papa in *cap. Sa-* 6.
*croſancta. 22. diſt. in fin. Apoſtolica Se-*
*des Cardo, & caput omnium Eccleſiarum*
*à Domino, & non ab alio eſt conſtituta,*
*& ſicut Cardine oſtium regitur, ſic hujus*
*Sanctæ Sedis Auctoritate omnes Eccleſiæ*
*(Domino diſponente) reguntur*. Undè
Archidiaconus Canoniſta in eodem tex-
tu ita ſcribit: *Senatus Cardinalium à*
*Cardine nomen accipit, quaſi ſe regat,*
*& alios; ſicut enim oſtium regitur per*
*Cardinem, ita Eccleſia per iſtos: &*
*Cardi-*

*Cardinales Cardines dicuntur in Romana Eccleſia duplici ſimilitudine, vel quia ſicut domus habet Oſtium, & Cardinem, ſic Eccleſia habet Papam, qui eſt Oſtium Dei, vel Eccleſiæ, & Cardinales, qui ſunt Cardines*. Prout etiam Zecchius *De Republ. Eccl. part. 2. tit. de Cardinal.* hæc ſubdit: *Nomen Cardinalis idem ferè ſignificat, quod Principalis; vel is, à quo alii dependent; ut à Cardine oſtia pendere ſolent; undè & Venti Cardinales, Virtutes Cardinales, & puncta Cœli Cardinalia dici ſolent*.

Igitur Cardinalitius Senatus conſtat ſeptuaginta Proceribus Sacris ex antedicta *Conſt.* 50. *Sixti V.* qui hunc numerum firmavit ad imitationem ſeptuaginta Seniorum, quos Deum dediſſe Moyſi Coadiutores in regimine populi Hebraici *ex Num.* 11. diximus ſupra; etſi
7 numerus iſte ante Sixtum V pro varietate temporum variaverit; itaut aliquando decreverit uſque ad octo tantùm Cardinales, aliquando auctus fuerit uſque ad ſex, & ſeptuaginta, ut ex probatis Auctoribus oſtendit Jacobus Cohellius *in Notitia Cardinalatus cap.* 3. ubi in fine ex doctrina Martini Laudenſis, Caſſanæi, Zecchii, ac Mandoſii advertit, poſſe Summum Pontificem augere prædictum numerum Septuaginta, non obſtante Sixtina Conſtitutione; & *cap.* 4. docet, in tres Ordines diſtinctum eſſe numerum Cardinalium, Epiſcoporum ſcilicet, Presbyterorum, &
8 Diaconorum ad ſimilitudinem Cœleſtis, ac Triumphantis Eccleſiæ, ubi Omnipotens humani generis Auctor tres ſummos, ac præcipuos Angelorum Ordines inſtituit, Seraphim, Cherubim, & Thronorum; & ſic in Romana Eccleſia ſex Cardinales Epiſcopi ſignificant Seraphim, qui præ cæteris in amore ſui Creatoris ardentiſſimi, & intimi ſunt; Cardinales Presbyteri deſignant Cherubim, qui ſunt Sapientia, & eruditione præſtantiſſimi; Cardinales Diaconi repreſentant Thronos, doctrina, ac juſtitia rectiſſimos; quod latiùs demonſtrat Moſconius *de Majeſt. Milit. Eccl. libr. 1. part. 1. cap.* 5. & his tribus Ordinibus Cardinalium utitur Papa velut Summus Sacerdos, & Supremus Hierarcha in regimine totius Orbis Chriſtiani in tribus illis hierarcicis actibus, qui ſunt purgare, illuminare, ac perficere, juxta doctrinam S. Dioniſii Areopagitæ *de Cœleſt. Hierarch. cap.* 3.

Et quod attinet ad Cardinales Diaconos, quos Maximos nominamus, hi ab initio Eccleſiæ ſeptem fuerunt, tùm in
Alma Urbe, tùm in aliis Eccleſiis Ca- 9
thedralibus juxta Sanctionem S. Evariſti Papæ *Anno* 112 quæ legitur *in cap.* 11. *diſt.* 93. præcipientem ita: *Diaconi (qui quaſi oculi videntur eſſe Epiſcopi) in unaquaque Civitate juxta Apoſtolorum conſtituta ſeptem debent eſſe*. Septem enim Diaconos elegerunt Apoſtoli ab initio *Act.* 6. 5. ad imitationem ſeptem Spirituum Deo adſtantium, de quibus Raphael ait ad *Tobiam* 12. 15. *Ego ſum unus ex ſeptem, qui adſtamus ante Dominum*. Et S. Joannes in *Apoc.* 8. 2. *Et vidi ſeptem Angelos ſtantes in conſpectu Dei;* quorum nomina recenſet Nicolaus Serarius in *Tob.* 12. 15. dicens, quod hi vocantur *Michael*, *Gabriel*, *Raphael*,
*Uriel*, *Scaltiel*, *Jehudiel*, & *Bara-* 10
*chiel*. At Cornelius à Lapide *in Apoc.* 1. 4 *col.* 4. notat, quod ultima quatuor nomina incerta ſunt; & ſola tria prima agnoſcuntur, & coluntur ab Eccleſia, ut dictum fuit in Concilio Romano, cui præfuit Zacharias Papa *Anno* 745. cum prima tria tantùm habeantur in Scriptura Sacra approbata; etſi alia recenſeantur à pluribus SS. Patribus ibi per Cornelium à Lapide allegatis; qui etiam adjungit, Nomina ſeptem Angelorum jam recenſita divinitùs fuiſſe re-
velata B. Amadæo Viro ſanctitate, mi- 11
raculis, ac prophetiis illuſtri; qui fuit familiæ Luſitanæ, & Dei amore incenſus, ſpretis opibus, ac ſtatibus, monitu S. Franciſci, ejus Ordinem amplexus eſt, illiuſque reformationem, quæ Amadæorum vocatur inſtituit; & à Luſitanis B. Amator, ab Italis B. Amadæus vocatur. Hinc à Sixto IV. in confeſſarium electus, ab eo obtinuit Montem Aureum, vulgò dictum Montorium,

torium, ubi Crucifixus fertur S. Petrus Apoſtolus; ibique Monaſterium ſui Ordinis extruxit; & de ejus Sanctitate, & revelationibus multa habent Annales Ordinis S. Franciſci *part. 3. libr. 6. cap. 30.*

Hunc autem Septenarium numerum Diaconorum Cardinalium longo tempore duraſſe, neque auctum fuiſſe uſque ad Decimum Sæculum teſtatur Panvinus *de Septem Urbis Eccleſ. cap. 3.* & Ciacconius *in Vita S. Sixti Papæ Primi;* ac ratione, quia poſt incendiatam Urbem à Nerone, in ipſa remanſerunt ſeptem Regiones tantùm, & his Regionibus deputati fuerunt ipſi ſeptem
12 Diaconi Cardinales, ut in eis Chriſtianam Religionem promoverent, pauperum inopiæ de Eccleſiæ theſauris, ac fidelium oblationibus ſubvenirent, vitâque, ſi opus eſſet, expoſitâ pietatem tuerentur; qua de cauſa ipſi Diaconi appellabantur Regionarii, ut ſcribit Emin. Card. Baronius *ad Annum* 324. notans, quod tunc S. Sylveſter Papa, cum deeſſent Diaconi duo, & eſſent in humanis tantum quinque videlicet *Fabianus*, *Marcus*, *Liberius*, *Archidamus*, & *Julius*, ordinati, & additi fuerunt ab eodem Pontifice alii duo, *Priſcus* ſcilicèt, & *Theodorus*. Verumtamen reſtitutis XIV in Urbe Regionibus, & aucta Romanæ Eccleſiæ Majeſtate, ordinati ſunt alii ſeptem
13 Diaconi Cardinales, ut unaquæque Regio ſuum haberet; ac deinde cum etiam Summus Pontifex egeret aliquorum Diaconorum aſſiſtientia, alios quatuor Diaconos Cardinales creavit, qui Palatini, nam Palatio Papæ incumbebant, nuncupabantur, & Pontifici Romano celebranti miniſtrabant. Poſt plura autem ſæcula variavit hic numerus, adeòut teſtetur Panvinus in Vita Higinii Papæ *tom. 1. pag. 47.* ſub Paulo III. Anno 1545. Diaconos Cardinales fuiſſe XIX. ſub Pio IV. extitiſſe XXV. & tandem ſub Sixto V. redactum eſſe numerum eorumdem ad XIV. ut in ejuſdem Sixti *Conſt.* 50. ubi, ut dictum eſt ſupra, *in §. Quoniam verò*. ſancivit, ut Cardinales Epiſcopi eſſent VI. 14
Presbyteri L. Diaconi verò XIV. & ſic omnes ſimul aſcenderent ad LXX. de quo numero, præter antiquos Scriptores, eleganter diſſerit Emin. Card. de Luca *in Opuſculo il Cardinale cap. 3.* in quo notat, has eſſe Diaconias, ſeu Titulos XIV Diaconorum Cardinalium, videlicèt: *S. Mariæ in Via Lata.* 15
*S. Mariæ de Scala. S. Adriani. S. Nicolai in carcere Tulliano. S. Agathæ. S. Mariæ in Dominica. S. Mariæ in Coſmedino. S. Angeli in Piſcaria. S. Georgii ad Velum Aureum. S. Mariæ in Aquiro, SS. Coſmæ, & Damiani. SS. Viti, & Modeſti. S. Mariæ in Porticu. & S. Laurentii in Damaſo.*

Officia itaque, ac Miniſteria horum Maximorum Diaconorum alia erant in tempore antiquo, alia in præſenti. Antiquitùs tria erant. Unum miniſtrandi Summo Pontifici celebranti, & eidem, 16
dùm prædicaret, aſſiſtendi; ut ex ſanctione S. Evariſti *in cap. Diaconi 93. diſt.* Alterum proſpicere neceſſitatibus tùm ſpiritualibus, tùm temporalibus fidelium in Regione ſibi aſſignata habitantium, prout *ex Epiſt. 1. S. Clementis* relata *in cap. 6. ead. diſt. 93.* in qua ita dicit: *Diaconi Eccleſiæ tanquam oculi ſint Epiſcopi, oberrantes, & circumluſtrantes cum verecundia actus totius Eccleſiæ, & perſcrutantes diligentiùs, ſi quem videant vicinum fieri præcipitio, & proximum eſſe peccato, ut referant hæc ad Epiſcopum. Sed & de peregrinis ſimiliter Epiſcopo ſuggerant refovendis, & cætera his ſimilia, quæ ad cultum Eccleſiæ, & diſciplinam ejus pertinent, Diaconis curæ ſint.* Tertium erat, quod narrat Emin. Card. Raſponus *Libr. 2. de Baſilica Lateranen. cap. 8. pag. 140.* ex Innocentio III. *lib. 1. de Myſter. Miſſæ cap. 5.* his verbis: *Diaconi Cardinales Menſam Lateranenſis Altaris ſupra humeros ſuos in die Cœnæ deportant, & reportant in Sabbato.*

Menſa prædicta Tabula eſt lignea, atque ſacroſancta, ſuper qua Chriſtus Dominus feria quinta ante Paraſceve 17
cœnavit cum Apoſtolis; & in ea inſtituit

tuit Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum; ac primum obtulit Sacrificium Corporis, ac Sanguinis ſui Æterno Patri ſub ſpeciebus Panis, & Vini, tanquàm Summus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech; quæ quidem Menſa, ac Tabula lignea ſervatur magna cum veneratione inter Sacras Reliquias in Eccleſia Lateranenſi; illamque ego obtinui videre, ac oſculari *Anno* 1667. quo Romæ eram; & tunc intellexi, quod ſingulis annis in feria Quinta Cœnæ Domini exponebatur publicè fidelium venerationi; & de ea agit Maſinus *in Chriſt. Schola cap.* 21. *pag.* 174. ubi citat Maſellum, ac Theopulum de ea differentes. Duo ultima antiqua Cardinalium Diaconorum munia receſſerunt ab aula, primo ſolùm retento.

Præſenti tempore quinque ſunt Officia, ſeu Miniſteria eorumdem Eminentiſſimorum Diaconorum. *Primum*
18 eſt, de quo jam diximus, inſervire Pontifici ſolemniter celebranti tàm in Miſſa, quàm in Veſperis, ac aliis Divinis officiis juxta Rubricas Cæremonialium Romanorum. *Secundum* eſt, dum eos Papa conſulit, opinionem ſuam, ac votum ei cum veritate, ac ſinceritate exprimere, tamquam boni, ac fideles Conſultores, nullo habito reſpectu ad intereſſe vel ſui, vel ſuorum, vel perſonarum, quibus ſint obligati; ſed ſolum Deum præ oculis habentes, juſtitiam, ac ſervitium Chriſtianæ Religionis, ut benè advertit Emin. Card. de Luca *in cit. Opuſc. Il Cardinale cap.* 8. *à num.* 5. *& ſeqq.* & hoc ſivè interrogentur privatim à Papa, ſivè in Conſiſtorio. Eſt autem Conſiſtorium illa adunantia, ſeu Congregatio, quæ fit per Papam cum Collegio
19 Cardinalium in forma Senatus in ejus Palatio Apoſtolico, pro rebus Chriſtianam Rempublicam concernentibus diſcutiendis, ut doctè ſcribit idem Emin. Card. de Luca *in Relat. Rom. Curiæ diſc.* 5. *num.* 1. declarans ibidem, quod Conſiſtorium aliud eſt publicum, in quo interveniunt non ſolùm Cardinales, ſed etiam Oratores Principum, & alii Prælati; aliud eſt ſecretum, in quo Cardinales tantùm interſunt; aliud verò Semiſecretum admittens etiam aliquos Prælatos, ſeu Miniſtros. *Tertium* officium, ac munus eorumdem Diaconorum Cardinalium (prout etiam aliorum Purpuratorum altioris Ordinis) eſt intereſſe Congregationibus Cardinalitiis, quibus ſunt deputati, & quæ ſemel, bis aut pluries in hebdomada convocantur,
præcipuè in Congregatione S. Officii, 20
Tridentini Concilii, Sacrorum Rituum, Epiſcoporum, ac Regularium; & aliis de quibus idem Card. de Luca *in d. Opuſculo Il Card. à cap.* 25. *& ſeqq.* ubi *cap.* 25. *num.* 2. hanc notabilem reddit rationem: *Perche col mezo di eſſe Congregationi più maturamente ſi eſaminano, e ſi maturano i negozii più gravi.*

Et ex his provenit *Quartum* munus, & officium principale eorumdem DD. Diaconorum Maximorum, videlicèt Reſidentia, & onus reſidendi in Alma Urbe; ut poſſint præſtò eſſe, quando
Papa eos petit vel pro conſilio, vel pro 21
opere, & ut antedictas Cardinalitias Congregationes non deſerant; & tanti æſtimatur eorum reſidentia, ac præſentia in Urbe, ut contra diſcedentes abſque licentia Papæ, graviſſimæ pœnæ inflictæ ſint in diverſis Bullis Pontificiis, ſed præcipuè ab Innocentio X in Conſtitutione XV. Incipien. *Cum juxta Sacrorum Canonum, &c. diei* 19. *Februarii* 1646. *Quintum* tandem officium eſt, Apoſtolicâ Sede Vacante per mortem Papæ, intrare Conclave, & ad præſcriptum ſolemnis Bullæ Gregorii XV eligere novum Pontificem; circa quam electionem plura differunt Canoniſtæ, ac Theologi, quos cumulat Barboſa *de Jure Eccl. Univ. libr.* 1. *cap.* 1. ubi plenè de Summi Pontificis electione.

Diſputabant olim Cæremonialiſtæ, Utrùm ſpectaret ad officium Diaconi Cardinalis benedicere ſolemniter populo
in ſuis Eccleſiis Titularibus, ſeu Dia- 22
coniis? Et quia plures negabant, prodiere doctiſſimæ allegationes pro affirmativa, ſummò ſtudio elaboratæ per

Eminentiſſimos Cardinales Albitium, & Brancatium, nec non per eruditiſſimos antiquitatis, & Cæremoniarum profeſſores, Dominicum Magrium, Jacobum Bonamicum, ac Franciſcum Griſendum; quæ omnes impreſſæ leguntur in Opuſculis ejuſdem Eminentiſſimi Franciſci Mariæ Cardinalis Brancatii *ſub titulo De Benedictione Diaconali*, in quibus perpulchra collecta ſunt argumenta, Jura, rationes, & Hiſtoriæ; inter quas, quod S. Benedictus Abbas ſe continuit in Ordine Diacona-
23 li, ut ſcripſimus ſupra *Deciſ. XIV. nu.* 22. & *Deciſ. XVI. num.* 8. prout etiam S. Maurus, ac S. Placidus Abbates Caſſinenſes ejuſdem S. Patriarchæ ſpirituales filii, & tamen ſuis Monachis ſolemniter benedicebant; prout etiam quod Diaconus in Sabbato Sancto benedicit Cereum benedictione non ſolùm deprecativa, at ſimul conſtitutiva, atque ſanctificante de qua nos infra *num.* 35. Quapropter rejecta opinione plurium Theologorum, ac Canoniſtarum dicentium Cardinales Diaconos non poſſe ſolemniter benedicere; videlicet Mioli, Tamburini, Panvini, Joannis Andreæ, Franchi, & aliorum, qui referuntur in *d. Opuſcul. de Benedict. Diacon. pag.* 302. & 303. tandem Sacra Rituum Congregatio *die* 15. *Septembris* 1668. reſolvit, eoſdem Emin. Cardinales Diaconos poſſe in ſuis Diaconiis ſolemniter populum benedicere; & hanc ſententiam Sacræ Congregationis Clemens Papa IX. laudavit, & approbavit, ut *ſub eodem tit. de Benedict. Diacon. pag.* 253. legitur, & continetur. Hæc de officiis Diaconorum Maximorum.

Secundum genus Diaconorum Majorum, de quorum miniſteriis, & officiis nunc eſt agendum, comprehendit Archidiaconos, qui ſunt inſtituti in Eccleſiis Cathedralibus, & Collegiatis. Hoc
24 autem nomen *Archidiaconus* græcum eſt, & ſignificat Principem Miniſtrorum; componitur enim ab *Archos* quod eſt *Princeps*, & *Diaconus*, nempè *Miniſter*, ut obſervat Petr. Gregorius *in Syntagm. Jur. libr.* 25. *cap.* 20. *in princ.* Reginaldus *in Praxi libr.* 30. *n.* 49. & Azorius *part.* 2. *libr.* 3. *cap.* 14. *quæſ.* 1. Antiquitùs Archidiaconi Dignitas prima poſt Epiſcopum erat; itaut Archi- 25
diaconi præcederent Archipresbyteris, Primiceriis, & aliis Dignitatibus de Capitulo in voce, loco, & aliis ſeſſionibus, ut notant omnes Canoniſtæ *in cap.* 1. *De offic. Archid.* Vulpes *in praxi cap.* 34. *num.* 12. Adden. *ad Gregor. XV. deciſ.* 411. *num.* 5. & Loterius *libr.* 1. *q.* 16. *num.* 112. Proceſſerat autem hæc majoritas Archidiaconorum è duplici fonte, nempè ex Juriſdictione ſuper totum Clerum, quam tanquàm Vicarii Epiſcopi exercebant; & ex redditibus Eccleſiæ, quos colligebant, & adminiſtrabant, ut notat Gonzalez *in cap.* 1. *num.* 3. *de Offic. Archidiac.* ubi ita ſcribit: *Eorum dignitas adeò primis Eccleſiæ Sæculis aucta fuit, ut divitiarum, quas adminiſtrabant, potentia freti, clientela Diaconorum, & aliorum Miniſtrorum, quibus imperitabant, & aſſiduo Epiſcoporum, in quorum comitatu verſabantur, favore intumeſcentes, cœperunt primas ſedes occupare, & non ſolùm Presbyteris anteferri, ut in cap. Legimus. 93. diſt. verùm, & Epiſcopis anteponi. cap. Diaconos. ead. diſt.* Quare opus fuit, ut Concilia generalia tantam arrogantiam Archidiaconorum compeſcerent, ut legitur in Nicæno *can.* 14. in Laodicen. *can.* 24. in Carthag. 4. *can.* 37. & in aliis apud eumdem Gonzalez *d. cap.* 1. *num.* 4. & Morinum *de Sacr. Ordinat. part.* 3. *Exercit.* 16. *cap.* 3. per totum

Hæc autem antiquis temporibus erant officia, ac miniſteria, quæ de jure competebant Archidiaconis. 1. Ad 26
eos ſpectabat publica reconciliatio pœnitentium. *cap.* 2. *de Furt.* ubi Gonzalez, Barboſa, & alii; quibus addo Morinum *de Sacr. Pœnit. lib.* 6. *cap.* 16. *nu.* 12. 2. Viſitare Eccleſias, ac perſonas Eccleſiaſticas, ſi Epiſcopus eſſet impeditus. *cap.* 1. & *cap. Ad hæc. de Offic. Archid.* 3. Epiſcopo ſolemniter celebranti miniſtrare, & in choro deputare illos, qui lectiones in officio divino recitent.

*cap.*

Digitized by Google

*cap. Perlectis.* 21. *diſt. cap.* 2. *de offic. Archid.* 4. Vaſa diurnis Eccleſiæ uſibus dicata ſedulò cuſtodire. *cap. Ea, quæ. de offic. Archid.* 5. Clericos ad Ordines promovendos examinare. *cap. Ad hæc. cap. Ut noſtrum. eod. tit. cap. Unico. De Scrutinio in Ord. fac.* 6. Eoſdem Clericos examinatos Epiſcopo, ut eos ordinet, nomine Eccleſiæ præſentare. *d. cap. Ad hæc. & cap. Ut noſtrum.* Vulpes *in Praxi cap.* 8. *num.* 35. 7. Inſpicere, an Primicerius, Cuſtos, Sacriſta, & alii de Eccleſia in proprio munere ſint diligentes. *d. cap. Perlectis.* 25. *diſt. cap. Ea quæ contra. De Offic. Archid.* 8. Abbates, & Abbatiſſas in ſua Sede collocare. *d. cap Ut noſtrum. eod. tit.* 9. Lites, & jurgia Clericorum audire, & terminare, atque errantes punire. *cap. Licet. De Pœnis. cap. Referente. De Præbend.* 10. Etiam cenſuras infligendo, ſed habita licentia ab Epiſcopo. *cap. Archidiaconis. De Offic. Archid.* 11 Inſtituere beneficiatos, nomine tamen, & vice Epiſcopi. *cap. Si in plebibus.* 63. *diſt. cap. Nullus.* 16. *q.* 7. 12. Inſtitutos ab Epiſcopo ponere in poſſeſſionem beneficiorum. *d. cap. Ad hæc. De Offic. Arch.* 13. Epiſcopo abſente, & Vicarium proprium non habente, Epiſcopatus jura ſpiritualia, ac temporalia adminiſtrare; non tamen Sede Epiſcopali vacante; quia tunc hæc facultas ſpectat ad totum Capitulum. Barboſa *de Jur. Eccl. libr.* 1. *cap.* 24. *num.* 35. niſi Archidiaconus haberet pro ſe præſcriptionem; ut reſpondit Rota ad favorem Archidiaconi Vicentini Anno 1624. ut legitur apud Poſtium *de Manuten. tom.* 2. *deciſ.* 194.

Cæterùm hæc officia Archidiaconorum, quæ eis de Jure competebant antiquitùs, hodie per conſuetudinem contrariam ſunt imminuta, & eis ablata; adeòut circa eadem officia, ac miniſte-
27 ria attendenda ſit conſuetudo. *cap. Cum olim. de Conſuetud. cap. Ad hæc. De Exceſſ. Prælat.* Hinc in pluribus locis Archidiaconi nec omnia prædicta officia exercent, nec primam dignitatem dicuntur habere; prout hîc Patavii, & in Collegiata Plebis Sacci hujus Patavinæ Diœceſis, in quibus Archipresbyter obtinet primam Dignitatem, & habet præcedentiam ſuper Archidiacono, 28
& ponit in poſſeſſione beneficiatos, ut ſcripſit olim Alexander *conſ.* 142. *Viſo proceſſu libr.* 6. & refert Barboſa *d. libr.* 1. *cap.* 24. *num.* 40. ubi idem ſervari ait in Cathedrali Eccleſia Taurinenſi, in qua pariter ad exemplum Eccleſiæ Patavinæ Archipresbyter eſt prima Dignitas; ſecunda autem Archidiaconus, in omnibus cedens locum, & præcedentiam Archipresbytero; qui propterea inſervit cum pluviali Epiſcopo Patavino ſolemniter celebranti; & eo abſente in feſtivis ſo- 29
lemnioribus diebus Archipresbyter cantat Veſperas, ac Miſſam; non autem Archidiaconus, niſi caſu quo Archipresbyter eſſet abſens, vel impeditus; & ita ſervatur in praxi hîc Patavii. Illud autem eſt notandum, quod ſcribit Barboſa *d. cap.* 24. *in princ.* videlicet Archidiaconum eſſe debere Doctorem, vel in Theologia, vel in Jure Canonico ad præſcriptum Concilii Tridentini *ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 12. & juxta doctrinam omnium ſcribentium, quos ibi Barboſa cumulat *num.* 5.

Tertium genus Diaconorum complectitur omnes Diaconos, qui minores ſunt, ideſt nulla præditi dignitate, ſed tantummodò ſacro Diaconatus Ordine inſigniti; & horum officia, ac miniſteria alia ſunt de Jure Divino; & alia ex commiſſione Eccleſiæ. Miniſteria Diaconorum, ad eos ex Jure Divino pertinentia, hæc ſunt. I. Promulgare popu- 30
lo Evangelium tùm illud cantando in Miſſa ſolemni, tùm illud prædicando; ut conſtat Exemplo S. Stephani primi Diaconi *Act.* 6. & ex Pontificali Romano, quod in ordinatione Diaconorum hæc habet ad illos: *Curate, ut quibus Evangelium ore annunciatis, vivis operibus exponatis.* Et in actu Ordinationis: *Accipe poteſtatem legendi Evangelium in Eccleſia Dei &c.* II. Diſpenſare Sacram Euchariſtiam populo; non autem illam offerre in Sacrificium, ut demonſtrat Cabaſutius *in Notitia Con-*

*cilior. Sæculo IV. Ad Concil. Ancyran. Anno* 314. *can.*2. Hinc in Actibus Apoſtolorum *cap.* 6. Diaconi electi ſunt ab Apoſtolis, ut miniſtrarent Menſis, quæ
31 quidem erant duplicis generis; Sacræ, in quibus diſtribuebatur fidelibus Corpus, & Sanguis Chriſti, juxta illud Apoſtoli 1. *Cor.* 10. *Panis, quem frangimus, nonnè participatio Domini eſt?* Et illud: *Quicunque manducaverit Panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè, reus erit Corporis, & Sanguinis Domini*. Et profanæ, in quibus poſt complementum Divinorum officiorum elargiebatur in Eccleſia cibus materialis iiſdem fidelibus; juxta proviſionem, quam quilibet ſibi fecerat, undè de hoc ait idem Apoſtolus 1. *Cor.* 11. *Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt*. Igi-
32 tur ſeptem primi Diaconi ordinati fuerunt, ut aſſiſterent Menſæ Sacræ, diſtribuendo Sanctiſſimam Euchariſtiam; non autem ſolùm menſis profanis; quia pro his non erat opus ordinatione. Hinc. S.Laurentius Levita ajebat S.Xyxto Papæ eunti ad Martyrium: *Experire, Utrum idoneum miniſtrum elegeris, cui commiſiſti Dominici Sanguinis diſpenſationem*. III. Miniſtrare, ac inſervire Sacerdoti celebranti. *cap. Cleros. diſt.* 21. ubi dicitur: *Diaconi ſuccedunt Levitis, qui in myſticis illis Sacramentis veteribus Sacerdoti miniſtrabant. Diaconus græcè idem ſonat, ac latinè Miniſter, quia ſicut in Sacerdote conſecratio, ita in Diacono miniſterii deputatio habetur*. Prout etiam *in cap. Perlectis. diſt.* 25. *Ad Diaconum pertinet Sacerdotibus miniſtrare in omnibus, quæ aguntur in Sacramentis Chriſti*. IV. Diaconorum officium pariter de Jure Divino ipſis competens eſt ſolemniter baptizare; de commiſſione tamen Epiſcopi, vel Parochi, niſi in caſu neceſſitatis, Sacerdotibus deficientibus. Prima pars probatur exemplo Philippi Diaconi tempore Apoſto-
33 lorum, qui baptizabat. *Act.*6. & *in cap. Perlectis diſt.* 25. Secunda pars deſumitur *ex cap. Conſtat. de Conſecr. diſt.* 4. ubi ita dicitur: *Baptiſmi miniſterium nec ipſis Diaconis explere eſt licitum, abſque Epiſcopo, vel Presbytero, niſi, his procul abſentibus, ultima languoris neceſſitas cogat*. Ergo in hoc caſu poteſt ſolemniter baptizare, ideſt faciendo Exorciſmos, & recitando omnes Orationes, ut in Rituali Romano; quia in neceſſitate omnis perſona privatè, ideſt ſola ablutione aquæ, baptiſmum dare poteſt. *cap. In neceſſitate. cap. Mulier. diſt.* 93. Et ſic tenet Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ordinis diſp.* 6. *num.* 124. & ego dixi in meis Deciſionibus *de Baptiſmo Deciſ.* 28. *num.* 2. & *Deciſ.* 35. *num.*4. & hæc ſunt quatuor miniſteria, quæ de Jure Divino competunt Diaconis ex vi ſui characteris, & Sacræ Ordinationis.

Ex commiſſione autem Eccleſiæ, & ſic de Jure Eccleſiaſtico olim ſpectabant, & nunc ſpectare poſſunt ad Diaconos ſequentia officia. 1. Gerere curam pauperum, eis eleemoſynas elargiendos, ut legitur de S. Laurentio. 34
2. In collectione, & cuſtodia reddituum Eccleſiæ. *cap. Volumus. cap. Diaconum* 89. *diſt.* 3. Inſtruere Catechumenos, & eos ad Baptiſmum diſponere. S. Dionyſ. *de Eccleſ. Hierar. cap.* 2. nec non Miſſam Catechumenorum celebrare. Morinus *de Sacramento Pœnitentiæ libr.* 6. *cap.* 10. *num.*3. Erat autem Miſſa Catechumenorum ab Introitu uſque ad Offertorium, ut ibi Morinus probat, ſubdens *libr.*8. *cap.* 24. quod aliquando totam Miſſam dicere præſumpſerunt, ſed fuerunt repreſſi. 4. Curare, ut in Eccleſia omnia fiant cum modeſtia, & ſine ſtrepitu. S. Clemens Papa *Apoſt. Conſtit. libr.*2. *cap.*44. ubi præcipitur, quod Diaconus ſit Epiſcopi auris, oculus, os, cor, & anima. 5. Cuſtodire Epiſcopum prædicantem. *cap. Diaconi*. 93. *diſt.* 6. Cantare Pſalmos in Choro, ex S. Fabiani *Epiſt.* 1. *in princ.* Et 7. cantare Præconium *Exultet*, ac benedicere Cereum Paſchalem in die Sabbati Sancti.

Quod ſi Lector quærat, an hæc benedictio Cerei competat Diacono ex Jure Divino? vel ex commiſſione Eccleſiæ? Dubia eſt reſponſio; nam quod 35
ſit ex Jure Divino facit, quia Preconium

nium illud eſt Evangelizatio Reſurrectionis Chriſti; at Evangelium cantatur à Diacono, ut dictum eſt ſupra, de Jure Divino. Item quia Diaconus antea benedicitur à Celebrante iiſdem verbis, quibus utitur in benedicendo illum ante Evangelium, nempè *Dominus ſit in corde tuo &c.* E contra quod ſit ex ſola commiſſione Eccleſiæ urget, quia ſoli Sacerdotes de Jure Divino benedicunt, & benedictiones rerum in Eccleſia faciunt, ad quem effectum in eorum ordinatione Epiſcopus ungit Oleo Sacro eorum manus dicens: *Ut quæcunque benedixerint, benedicentur, & quæcunque conſecraverint, conſecrentur.* Ideò DD. ajunt de Jure Divino nullum inferiorem Sacerdoti poſſe benedicere. Quartus *de Benedictionib. tit. 1. ſect. 4. dub. 2.* & ibi Suarez *in 3. p. D. Thom. tom. 3. diſp. 15. ſect. 3.* Nec obſtat, quod Diaconus petat, & recipiat benedictionem à Celebrante pari modo, ac verbis, quibus ad cantandum Evangelium: Nam quoad ipſum Diaconum magna eſt differentia;
36 non enim recitat præcedentem Orationem: *Munda cor meum, ac labia mea Omnipotens Deus &c.* ut advertit Bauldry *in Manuali Sacrar. Cæremon. part. 4. cap. 11. art. 3. num. 1.* Ergo non ex Jure Divino, ſed ex commiſſione Eccleſiæ peragit illam benedictionem.

Quod ſi iterùm quis petat, Cur Eccleſia commiſerit benedictionem Cerei Paſchalis, & decantationem illius Præ-
37 conii *Exultet* ipſi Diacono, non autem Sacerdoti? Reſpondet idem Quartus *eod. tract. de Benedictionib. tit. 2. ſect. 6. dub. 1.* his verbis: *Quia Chriſtus poſtquam reſurrexit à mortuis, ſe primum manifeſtavit Mariæ Magdalenæ, cui etiam commiſit, ut hoc Myſterium aliis nunciaret: ut ſicut mortis initium per mulierem, ideſt per debiliorem ſexum in mundum intraverat; ita novæ vitæ, ſeu Reſurrectionis initium per mulierem, & ſexum debiliorem nuntiaretur. Hinc in repræſentationem hujus Myſterii non deſtinatur celebrans ad cantandum Præconium, quo benedicitur Cereus, & nunciatur populo gloria Reſurrectionis Chriſti; ſed Miniſter inferioris Ordinis, videlicèt Diaconus.* Ita Rupertus *de Divin. Offic. lib. 6. cap. 30.* & Durandus *in Ration. lib. 7. cap. 80. num. 3.*

Tandem omittere non debemus alterum officium Diaconorum Eccleſiæ Orientalis, præter omnia ſupradicta, quæ ſunt in uſu in Eccleſia Latina. Siquidem Diaconi Græci exercent mini- 38
ſteria, & officia hucuſque recenſita; ſed ulteriùs in Miſſa, dum inſerviunt celebranti, tenent Flabellum in manu, illud leniter, ſed jugiter moventes ad muſcas abigendas, quod Flabellum compoſitum eſt ex pennis Pavonum; & traditur Diaconis Græcis in eorum Ordinatione ab Epiſcopo, ut in Ritualibus Ordinationum Græcarum apud Morinum *de Sacr. Ordin. part. 2. pag. 89.* & notat Magrius *in Hierolex. Verb. Flabellum*, ubi refert hæc verba, quæ leguntur apud Surium *die 3. Aprilis* in Vita S. Nicetæ. *Sanctus verò Athanaſius aſſiſtebat cogitatione, & mente tota intentus, miniſterii Flabellum tenens; erat enim Diaconus.* Legatur forma, qua Epiſcopus Græcus ordinans Diaconum dat ei Flabellum, apud eumdem Morinum *d. pag. 89.*

Duo autem notatu digna ſubdit Magrius *ibidem*. *Unum* eſt myſterium, ſeu myſtica ſignificatio ejuſdem Flabel- 39
li; quam eſſe dicit S. Germanus repræſentationem Seraphinorum ſex alas habentium, ac Cherubinorum, qui ſunt pleni oculis, ut innuunt pennæ Pavonum formantes Flabellum. At S. Hidelbertus ajebat, abigere muſcas de Altari tempore Sacrificii cum Flabello eſſe expulſionem omnium malarum cogitationum de mente Sacrificantis. *Alterum* eſt Ritus Maronitarum utentium pariter iiſdem Flabellis in Miſſa, de quibus idem Magrius ita: *Maronitæ verò orbiculatis Flabellis ex argenteis, ſeu* 40
*cupreis laminibus utuntur, ac circumcirca Tintinnabula addunt, quæ à duobus Clericis hinc indè poſt Celebrantem tremulo motu agitantur. Imò & ipſe Sacerdos pronunciando illa verba*, Sanctus, Sanctus &c. *tremorem Beatorum Spiri-*

*tuum*

Digitized by Google

*tuum manibus repræſentat ; qui tremor*
41 *tunc in Organi pulſatione ſolet etiam penes varias Eccleſias formari* . Utique hîc Patavii mos eſt , ad elevationem Hoſtiæ, & Calicis in Miſſa ſolemni, Organi ſonum tremulentum facere ob hoc myſterium ; paucis tamen , ne dicam nulli cognitum.

## DECISIO XXXI.

### *ARGUMENTUM.*

Antiquarum Diaconiſsarum Originem, Ordinationem, Miniſteria , ac abolitionem continet hæc Deciſio . In ea declaratur quadruplex genus Mulierum Deo dedicatarum , & ex his olim unum erant Diaconiſsæ. Referuntur Ritus, quibus ordinabantur ; & inquiritur, an earum Ordinatio eſset Sacramentum ? Recenſentur earumdem Miniſteria octo ; & cauſæ , ob quas receſserunt ab Aula.

### SUMMARIUM.

1 *Mulierum Deo dedicatarum olim genera quatuor* .
2 *Virgines Sanctimoniales erant tempore Apoſtolorum* .
3 *S. Marthæ Virginis vita Monaſtica*.
4 *Viduæ in initio Eccleſiæ ſe Deo dedicabant cum voto caſtitatis*.
5 *Vela ſex mulierum Deo dedicatarum* . *Et quæ ?*
6 *Velum probationis datur Monialibus Novitiis* .
7 *Velum Profeſſionis , & Velum Conſecrationis Monialium Profeſſarum* .
8 *Velum Prælationis olim dabatur Abbatiſſis perpetuis ?*
9 *Velum Converſionis erat , quod dabatur Viduis* .
10 *Velum Ordinationis erat illud Diaconiſſarum* .
11 *Uxores illorum , qui ſumebant Ordines ſacros , Deo ſerviebant emiſſo continentiæ voto* .
12 *Epiſcopæ , Presbyteræ , Diaconæ , Subdiaconæ quænam eſſent ?*
13 *Græci ſumentes Ordines Sacros non dimittunt Uxores* .
14 *Diaconiſſæ verè , & propriè quænam olim eſſent ?*
15 *Diaconiſſarum origo tempore Apoſtolorum* .
16 *Phœbe , de qua* in Epiſt. ad Rom. 16. 1. *quænam eſſet ?*
17 *Cenchri quis eſſet locus ?*
18 *Diaconiſſarum mentio apud SS. Patres antiquos* .
19 *S. Martina V. & M. Romana fuit Diaconiſſa* .
20 *Theoſebia Uxor S. Gregorii Niſſeni Diaconiſſa* .
21 *Diaconiſſæ Conſtantinopolitanæ nobiliſſimæ* .
22 *Bibliotheca Monaſterii S. Juſtinæ de Padua laudata* .
23 *Diaconiſſarum Ordinationis formula ex S. Clemente Papa* .
24 *Ritualium Græcorum alia formula* .
25 *Ritus Romanus in conſecranda Diaconiſſa* .
26 *Stola , Velum , & Anulus dabatur Diaconiſſis in Ordinatione* .
27 *Diaconiſſæ an Ordinis Sacramentum reciperent ?*
28 *Benedicebantur ; non ordinabantur* .
29 *Manuum impoſitionis genera duo . Et quæ* .
30 *Mulieres non ſunt capaces Sacramenti Ordinis* . Et num. 38.
31 *Balſamonis Auctoris Græci verba de Ordine Diaconiſſarum* .
32 *Conſtitutiones Apoſtolicæ S. Clementis quas objectiones patiantur ?*
33 *Ordinare Diaconiſſas ſignificat , eas benedicere* .
34 *Arcudii ſenſus circa Ordinem Diaconiſſarum* .
35 *Diaconiſſarum Officia , ac Miniſteria octo* .
36 *Mulieres in Eccleſiis ſeparatæ à Viris* .

37 *Cate-*

Digitized by Google

37 *Catechumenæ docebantur à Diaconiſſis articulos fidei.*

38 *Baptiſmus dabatur antiquitùs per trinam immerſionem totius corporis in Aqua.*

39 *Mulieres baptizandæ ſpoliabantur, & veſtiebantur à Diaconiſſis.*

40 *Diaconiſſæ tempore perſecutionum viſitabant in domibus, & confortabant Mulieres Chriſtianas.*

41 *Eleemoſinæ diſpenſabantur à Diaconiſſis.*

42 *Infirmæ ab eis viſitabantur.*

43 *Extrema Unctio dum eis dabatur, aſſiſtebant.*

44 *Mortuas veſtiebant, & ornabant.*

45 *Diaconiſſæ quando ceſſaverint in Eccleſia?*

46 *Diaconiſſæ cur extinctæ in Eccleſia?*

47 *Matronæ docentes Doctrinam Chriſtianam puellas Venetiis, ac Patavii.*

48 *Mediolani extat ſpecies quædam Diaconiſſarum.*

EXplicatis Diaconorum officiis, nec inutile, nec injucundum erit exponere hic in unum, quidquid ſparſim legitur apud antiquos Conciliorum Canones de Diaconiſſis. Igitur de his quatuor examinabimus, & docebimus:

1. Quænam eſſent Diaconiſſæ? & quando incœperint?
2. Quomodo Ordinarentur?
3. Quæ earum Officia, ac Miniſteria?
4. Quomodo, quando, & cur Diaconiſſæ ceſſaverint?

Quoad Primum. Præmittere oportet, quod in primis Eccleſiæ ſæculis quatuor erant genera mulierum Deo
1 dedicatarum. In primo genere ponebantur Virgines, quæ ſtatim poſt publicationem Evangelii votum Virginitatis emittebant, ac ſe Deo conſecrabant, quarum primæ fuerunt quatuor filiæ Philippi Diaconi, de quibus in Actibus Apoſtolorum *cap.* 21. *num.* 9. dicitur: *Huic autem* (Philippo Diacono Evangelium prædicanti in Cæſarea)
2 *erant quatuor Filiæ Virgines prophetantes;* ideſt divinas laudes celebrantes, uti nunc faciunt Moniales, & notat *ibi* Cornelius à Lapide, ex eo, quod etiam in libris Regum vocantur Filii Prophetarum, qui Pſalmis, & Divinis Laudibus vacabant; ſubdens, quod ævo S. Hieronymi extabant Cæſareæ domuncula, & cubicula Filiarum harum Virginum Philippi, quæ S. Paula itura Hieroſolymam, cum veniſſet Cæſaream, pio inviſit affectu, ut ipſe teſtatur in ejus Epitaphio. Inter eaſdem primas Virgines Deo conſecratas recenſenda eſt S. Martha ſoror Mariæ Magdalenæ, ac Lazari, quæ poſt Aſcenſionem Domini à Judæis in navim poſita unà cum 3
ſorore, fratre, & aliis Chriſti diſcipulis ſine velo, ac remigio, vaſtiſſimoque mari ad certum naufragium data fuit: ſed navis Deo gubernante, ſalvis omnibus Maſſiliam appulit, ac *Martha*, (ut ait Breviarium Romanum die 29. Julii) *mirabili vitæ ſanctitate, & charitate, omnium Maſſilienſium animis in ſui amorem, & admirationem adductis, in locum à viris remotum* (nempè Monaſterium) *cum aliquot honeſtiſſimis fœminis ſe recepit*. Verùm de hoc primo genere ſic ſcribit Giballinus *De Clauſura Regulari Diſquiſit.* 1. *cap.* 1. *num.* 3. *Virgines Deo ſolemni Voto dicatæ duplicis generis olim fuerant. Aliæ enim domi ſuæ cum parentibus, & cognatis alebantur, & ſi quæ ditiores eſſent, alias ſibi ſocias, ejuſdemque propoſiti uſciſcebant, cujuſmodi erat Marcellina Ambroſii ſoror, Romæ à Liberio Pontifice Deo conſecrata, ut ipſe teſtatur* lib. 3. de Virginib. *Euſtochium, Principia, Demetria, & aliæ, quarum S. Hieronymus ſæpè meminit. Aliæ verò Virgines in Monaſteriis, & Aſceteriis ſimul degebant ex antiqua Apoſtolorum diſciplina; nam Collegia Virginum ſalutat Ignatius* Epiſt. 10. 12. & 13. *Et Clemen. Romanus apud Epiphanium* Hæreſ. 30. *earumdem meminit; quod etiam teſtatur Hieronymus* lib. 1. adv. Jovinian. *& alii antiquiores paſſim indicant.*

Secundum genus Mulierum, Deo dedicatarum erant Viduæ, quæ defuncto marito caſtitatem Deo vovebant: & hæ

& hæ pariter vel vivebant in Monaſte-
4 riis cum Virginibus, vel domi ſuæ cum
parentibus, ſub peculiari tamen Epiſ-
copi cura, prout differit Morinus *de
Sacr. Ordin. part. 3. Exercit.* 10. *cap.* 1.
*num.* 2. advertens hanc fuiſſe differentiam
inter dedicationem, ſeu conſecratio-
nem Virginum, ac Viduarum; quod
illis velum ſacrum dabatur ab Epiſcopo,
iſtis autem à Presbytero juxta Conci-
liorum Canones, & Summorum Pon-
tificum Epiſtolas, quas ibi allegat; qui-
bus ego addo textum *in cap. fin.* 20. *q.* 1.
Porrò hic notandum venit, quod docet
Jordanus *Elucubr. tom.* 1. *libr.* 5. *tit.* 5. *à*
5 *num.* 6. *& ſeqq.* ſex ſcilicèt reperiri ſpe-
cies ſacrorum Velorum. *Unum* eſt Ve-
lum probationis, quod datur Moniali-
bus Novitiis deferendum cum habitu
Religioſo per annum, antequam pro-
fiteantur, ut interim probent difficulta-
tes Religionis, & è contra Moniales
obſervent earum mores, & qualitates ad
præſcriptum S. Concilii Tridentini *ſeſſ.*
6 25. *cap.* 15. *de Regularib.* & hoc Velum
vocatur etiam Velum album, & Ve-
lum Converſionis. Hoſtien. *in Sum. De
Tempor. Ordin. num.* 4. *Secundum* eſt Ve-
lum Profeſſionis, quod imponitur Mo-
nialibus profitentibus perpetuam caſtita-
tem, paupertatem, ac obedientiam,
7 ſervatis requiſitis, de quibus in *eadem
ſeſſ.* 25. *cap.* 15. *de Regul. Tertium* eſt Ve-
lum Conſecrationis, quod datur ſolem-
niter ab Epiſcopo iiſdem Monialibus
profeſſis, quando pervenerint ad annum
ætatis ſuæ vigeſimumquintum, & non
ſint in Religione, ſeu ex Ordine Men-
dicantium. Jordanus *ubi ſupr. num.* 20.
& ibi Decretum S. Congr. Regul. *diei*
30. *Septembris* 1616. *Quartum* eſt Ve-
lum Prælationis, quod olim dari ſole-
8 bat Abbatiſſis in ſignum earum Prælatu-
ræ. *cap. Sanctimoniales*. 20. *q.* 1. *cap.
Quamvis*. 68. *diſt.* & ex Pontificali Ro-
mano *ſub tit. De Benedict. Abbatiſſæ*,
concurrentibus tamen requiſitis, de qui-
bus per Jordanum *d. libr.* 5. *tit.* 6. *à nu.* 7.
*& ſe qq.* inter quæ, quod ſit Abbatiſſa
perpetua, prout eſt illa nobiliſſimi Mo-
naſterii Venetiarum, vulgò vocati *delle
Vergini*, ſecùs autem ſi ſit triennalis,
prout nunc eſt in uſu in tota Italia; qua
de cauſa non datur ampliùs Abbatiſſis
hoc Velum Prælationis. *Quintum* eſt
Velum Converſionis, quod elargitur
Mulieribus Viduis, quæ deſerentes pom- 9
pas mundi, toto corde ſe Deo conver-
tunt, votum continentiæ facientes.
*cap. Vidua*. 27. *q.* 1. de quibus mox di-
ximus, & exempla habemus innumera
in Breviario Romano de Sanctis Vi-
duis, quarum feſtum Eccleſia celebrat,
& de S. Paula Romana diſcipula S. Hie-
ronymi. *Sextum* Velum eſt Ordinatio-
nis, quod erat proprium Diaconiſſa- 10
rum, de quo infra dicturi ſumus.

Tertium genus Mulierum, quæ olim
Deo dedicabantur erant illæ, quorũ ma-
riti de earum conſenſu aſſumebantur ad
Ordines Sacros Subdiaconatus, Diacona-
tus, Presbyteratus, ac etiam Epiſcopatus; 11
hæ etenim vovebant continentiam, ut di-
ctum eſt ſupra *Deciſ. XXVII. num.* 55.
& ad imitationem Viduarum ſerviebant
Deo. Solebant autem vocari eo nomi-
ne, quod Ordini Sacro per earum mari-
tos aſſumpto conveniret, nempè *Sub-
diaconiſſæ*, *Diaconiſſæ*, *Presbyteræ*, *ac
Epiſcopæ*. Morinus *d. part.* 3. *Exercit.*
X. *cap.* 1. *num.* 5. & ibi Concilium Tu-
ronen. 2. *cap.* 14. ita dicens: *Epiſcopum* 12
*Epiſcopam non habentem nulla ſequitur
turba mulierum*. & *can.* 20. ſubdens *Si
inventus fuerit Presbyter cum ſua Pres-
bytera, aut Diaconus cum ſua Diaconiſ-
ſa, aut Subdiaconus cum ſua Subdiaco-
niſſa, annum integrum excommunicatus
habeatur*. Et attento voto continentiæ,
quod prædictæ mulieres emiſerant, nu-
bere alteri non poterant neque poſt mor-
tem maritorum Ordinatorum in Sacris;
ideò Gregorius Papa II. in Concilio Ro-
mano *cap.* 1. *Anno* 721. ita decrevit:
*Si quis Presbyteram duxerit in conju-
gium, Anathema ſit*. Hæc quidem fie-
bant, & obſervabantur in Eccleſia Lati-
na, non autem in Eccleſia Græca; in
qua Uxorati Viri promoti ad Ordines
Sacros Subdiaconatus, Diaconatus, & 13
Presbyteratus, Uxores non dimittunt,
ſed eis utuntur, ſic Romano Pontifice
tole-

tolerante. *cap. ult. diſt.* 31. & notatum eſt ſupra *Deciſ. XXVII. num.* 17.

Quartum verò genus antedictarum Deo conſecratarum Mulierum erant Diaconiſſæ, (non quidem Uxores Diaconorum, de quibus mox locuti ſumus,
14 & quarum talis erat ex ordine Maritorum denominatio) ſed erant Mulieres ſivè Virgines, ſivè Viduæ virtutibus ornatæ, ac pietate conſpicuæ ex omni conditione, (non tamen ex Monialibus Profeſſis,) his etenim egreſſus è Monaſteriis rariſſimè concedebatur; Diaconiſſæ verò, ut explicabimus, ut plurimùm ex officio Civitatem circuire tenebantur ad pia opera ſibi competentia explenda; & ad hunc effectum eligebantur, & Deo votum caſtitatis facientes, in anno ſaltem quadrageſimo conſtitutæ ad hunc gradum Diaconiſſatus initiabantur.

Harum autem Diaconiſſarum origo adeò eſt antiqua, ut eam Canoniſtæ, ac Theologi coævam faciant Apoſtolis, quorum unus Paulus in illis verbis
15 1. *Timoth.* 5. 9. *Vidua eligatur non minor ſexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor*, cenſetur loqui de muliere eligenda ad hunc gradum Eccleſiaſticum Diaconiſſarum, eo quia in ea requirit non ſolùm ætatem annorum 60. & bonorum operum teſtimonium; ſed etiam quod fuerit Viri unius uxor, non bigama, prout requiritur in Viris ad gradus Ordinum Eccleſiæ promovendis, qui ſi conjugati fuerint, Unius Uxoris tantum mariti fuerint, & à bigamiæ irregularitate ſint penitùs immunes, ut reflectit, & notat ſubtiliter Morinus *d. pârt.* 3. *cap.* 2. *num.* 1. Hinc Interpretes Scripturæ Sacræ obſervant, Sanctam illam mulierem Phœbem, de qua loquitur idem Apoſtolus Paulus *ad*
16 *Rom.* 16. 1. in illis verbis: *Commendo autem vobis Phœbem ſororem noſtram, quæ eſt in miniſterio Eccleſiæ, quæ eſt in Cenchris, ut eam ſuſcipiatis in Domino dignè Sanctis: & aſſiſtatis ei in quocunque negotio veſtri indiguerit: etenim ipſa quoque aſtitit multis, & mihi ipſi*: obſervant, inquam, ipſam fuiſſe Diaconiſſam, ut ex auctoritate S. Joannis Chryſoſtomi, ac Origenis ſcribit Cornelius à Lapide in *d. cap.* 16. *Verſ.* 1. *ad Roman.* ſubdens, quod Cenchri erat portus, & pagus Corinthi, undè diſcedebat Phœbe Romam versùs, portàns 17
illam Apoſtoli Epiſtolam ad fideles Romanos, quibus S. Paulus commendat eamdem latricem, quæ erat *in miniſterio Eccleſiæ*, ideſt Diaconiſſa, mulier omnium chriſtianarum virtutum genere conſpicua.

Nec deſunt alia plura teſtimonia antiquitatis de Diaconiſſis; de eis enim non ſemel mentionem fecit S. Clemens Papa, & Martyr, qui fuit diſcipulus Principis Apoſtolorum in libris Apoſtolicarum Conſtitutionum per eum conſcriptis; videlicet *in libr.* 3. *cap.* 15. ubi agens de miniſtris, & coadjutoribus
ab Epiſcopo eligendis, ait: *Eliges quoque Diaconiſſam fidelem, & ſanctam ad miniſtrandum mulieribus*. Similiter 18
*libr.* 6. *cap.* 17. *in fine* dicit: *Diaconiſſa verò eligatur Virgo pudica: Sin autem non fuerit Virgo, ſit ſaltem vidua, quæ uni nupſerit, & fidelis, atque honorata ſit*. De iiſdem pleniùs loquitur etiam *libr.* 8. *cap.* 19. & 20. tradens formam benedicendi eaſdem Diaconiſſas, quam inferiùs tranſcribemus. S. Ignatius Martyr diſcipulus & ipſe SS. Apoſtolorum eaſdem Diaconiſſas nominat in Epiſtola ad Antiochenos, ita ad eos ſcribens: *Saluto ſanctarum portarum cuſtodes Diaconiſſas: Saluto Chriſto acceptas Virgines*. Et in Epiſtola ad Philippenſes: *Saluto Collegium Virginum, & Ordinem Viduarum*. In quodam antiquo manuſcripto Lectionario (ſcribit Magrius *in Hierolexic. Verb. Diaconiſſa*) in Archivio S. Petri Vaticani conſervato, legitur, S. Martinam Romanam Virginem, ac Martyrem fuiſſe Diaconiſ- 19
ſam, ut etiam teſtatur Torrigius *De Cryptis Vatican. impreſſ.* 2. *pag.* 557. Hæc autem Virgo conſummavit martyrium *Anno* 228. ut in Annalibus Emin. Card. Baronii *ad d. Annum*. Concilium generale Nicænum celebratum ſub S. Sylveſtro Papa, & Conſtantino Magno

Mm Impe-

Imperatore *Anno* 320. nominat eaſdem Diaconiſſas tùm *in can.* 19 loquendo de illis, quæ ab hæreſi Paulianiſtarum revertebantur ad Eccleſiam, tùm *in can.* 74. decernendo circa earum ætatem, & miniſteria, his verbis: *Et hujuſmodi Diaconiſſæ paratæ ſint, ut fœminas in Baptiſmo ſuſcipiant*. Theoſebiam S. Gregorii Nyſſeni conjugem, poſtquam ipſe ad Ordines Sacros aſſumptus fuit
20 *Anno* 380, Diaconiſſam factam eſſe ſcribit pariter Magrius *eod. Verb. Diaconiſſa*. Tempore S. Joannis Chryſoſtomi, qui florebat *Anno* 390, inter cœteras Diaconiſſas Conſtantinopolitanas nominantur Olympias, Pentadia, ac Salvina nobiliſſimæ, ac ſan-
21 ctiſſimæ Mulieres, de primariis totius Imperii proſapiis ortæ, & maritis dignitate conſpicuis viduatæ, ut refert Cabaſutius *in Notitia Concilior. Sæculo II. Diſſert. 2. num. 5.* qui allegat S. Hieronymum eodem ævo viventem, & de Diaconiſſis *in Epiſtola ad Nepotian.* diſſerentem, ac plura alia Concilia ſequentium ſæculorum colligit, in quibus habentur decreta, & Canones de Diaconiſſis; adeòut evidenter conſtet, eas ab initio Eccleſiæ conſtitutas fuiſſe, & earum gradum in primis, ac ſubſequentibus ſæculis obſervatum; & hoc idem confirmatur ex his, quæ ſcripta leguntur in Sæculis Benedictinis exiſtentibus in *Amalthea Caſſinenſi Patavina*, videlicèt in ampliſſima Bibliotheca No-
22 biliſſimi Monaſterii S. Juſtinæ, quam more Regio extruxit Reverendiſſimus Joannes Barpus Abbas Anno 1700, & An. 1704. excellentium librorum numero ditavit Reverendiſſimus Aloyſius Sylvaticus ex Comitibus Sylvaticis Nobilibus Patavinis Abbas Succeſſor in eodem Monaſterio S. Juſtinæ; ſiquidem in iiſdem Benedictinis Sæculis, *Tom. 4. ad Sæculum III. part. 2. Anno DCCC.* in vita S. Segolenæ Abbatiſſæ *pag.* 543. legitur, quod *Epiſcopus eam manu ſuperpoſita conſecravit Diaconam* & in additione *ibid.* quod S. Medardus Radegundem Diaconam ordinavit ita ſcribente Fortunato. Et hæc de Origine, ac exiſtentia Diaconiſſarum in ſæculis Eccleſiæ primioribus.

Quo ad Secundum; in quo quæritur, *Quomodo Diaconiſſæ Ordinarentur?* optimè ſatisfacere huic Quæſito cenſeo tranſcribendo formulas, quæ leguntur tùm in Apoſtolicis Conſtitutionibus S. Clementis Papæ, tùm in Ritualibus Græcis, tùm etiam in Ordine Romano, de quo teſtatur Morinus infra citandus. Itaque in Apoſtolicarum Conſtitutionum Clementis Romani *libr.* 8. *cap.* 19. ita legitur: *De Diaconiſſa Conſtitutio Bartholomei.*

*De Diaconiſſa verò Ego Bartholomeus conſtituo, ut manus ei Epiſcope imponas* 23
*præſentibus Presbyteris, & Diaconis, ac Diaconiſſis, & dices:*

*Imploratio in Ordinatione Diaconiſſæ cap. 20.*

Deus æternæ Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui viri, & mulieris Auctor es, qui Mariam, Deboram, Annam, & Oldam Spiritu Sancto impleviſti; qui non duxiſti indignum, ut Filius tuus Unigenitus ex muliere naſceretur; qui in Tabernaculo Teſtimonii, & in Templo cuſtodes fœminas januis tuis ſanctis præfeciſti: Ipſe etiam nunc reſpice hanc Ancillam electam ad Miniſterium, & da ei Spiritum Sanctum; illamque emunda ab omni inquinatione carnis, & ſpiritus, ut opus ſibi impoſitum dignè perficiat, ad gloriam, & laudem Chriſti tui, cum quo Tibi gloria, & adoratio, & Sancto Spiritui, in ſæcula. Amen. Hæc *in d. libr. 8. Conſt. Apoſtol. cap.* 19. & 20.

In Ritualibus verò Græcis, uno ante nongentos annos conſcripto, & relato à Morino *de Sacr. Ordin. part.* 2. *pag.* 56. altero ante octingentos annos *pag.* 65. & tertio ante ſexcentos annos, ut ſibi viſum fuiſſe ait idem Morinus, 24
*pag.* 80. ſequens formula habetur, quæ concordat cum iiſdem tribus Ritualibus; Videlicèt:

*Oratio in Ordinatione Diaconiſſæ.*

*Poſtquam facta eſt Sancta Oblatio, & apertæ ſunt portæ, antequam dicat Diaconus:* Omnium Sanctorum: *Ordinan-*

*da ad*

*da ad Epiſcopum ducitur, & alta voce pronnnciat iſtud:* Divina Gratia: *Ordinandæ caput inclinanti manum imponit, factiſque tribus Crucis ſignis, ſic precatur.*

Deus Sancte, & Omnipotens, qui per Nativitatem Filii tui Unigeniti, & Dei Noſtri ex Virgine ſecundum carnem ſanctificaſti ſexum Muliebrem, & largitus es non ſolùm Viris, ſed etiam Mulieribus gratiam, & adventum Spiritus Sancti; Ipſe nunc Domine reſpice ſuper hanc Ancillam tuam, eamque advoca ad opus Miniſterii tui; & immitte in eam divitem, & abundantem donationem Sancti tui Spiritus: Conſerva illam in orthodoxa Fide, in converſatione irreprehenſibili, Miniſterium ſuum juxta id, quod Tibi placitum eſt, ſemper exequentem: quia Te decet omnis gloria, & Honor.

*Dicto*, Amen, *Diaconorum unus hanc facit Orationem:*

In pace Dominum deprecemur. Pro ſuperna pace. Pro pace univerſi mundi. Pro Archiepiſcopo Noſtro N. Sacerdotio ejus, auxilio, perſeverantia, pace, & ſalute, & operibus manuum ejus. Pro hac iſta, quæ nunc promovetur Diaconiſſa, & ejus ſalute, ut clemens, & amans hominum Deus Noſter puram, & inculpatam illi largiatur Diaconiam. Dominum deprecemur pro piiſſimo, & à Deo cuſtodito Imperatore Noſtro.

*Dum hæc à Diacono fit Oratio, Archiepiſcopus ſimiliter habens manum ſuper caput Ordinandæ, ita precatur:*

Here Domine, qui non repellis Mulieres conſecrantes ſeipſas, & volentes, ut decet, miniſtrare ſanctis domibus tuis, ſed eas in Ordine Miniſtrorum recipis, largire gratiam Sancti Tui Spiritus huic Ancillæ tuæ,quæ vult ſeipſam Tibi conſecrare,Miniſteriique Diaconici gratiam adimplere; ut largitus es Phœbæ Miniſterii tui gratiam, quam vocaſti ad opus hujus adminiſtrationis. Da illi Deus ſine culpa perſeverare in ſanctis Templis tuis, cautè curare propriam converſationem, moderationem præſertim, & temperantiam. Effice præterea Ancillam tuam perfectam, ut ipſa Tribunali Chriſti tui adſiſtens dignum optimæ converſationis fructum reportet, miſericordia, & humanitate Unigeniti Filii tui.

*Dicto*, Amen, *circumponit collo ipſius Orarium, ſivè Stolam Diaconicam ſubtùs Maphorium ipſius, geſtans anteriùs duas Stolæ extremitates. Tunc qui ſtat in ambone dicit:* Omnium Sanctorum memoriam agentes, & reliqua. *Poſtquam autem particeps facta eſt ſancti Corporis, & pretioſi Sanguinis, tradit ei Archiepiſcopus Sanctum Calicem, quem accipiens in Sancta Menſa deponit.* Huculque Euchologium Græcum antiquius apud eumdem Morinum *part.2 pag.* 56. *&* 57. cui conſimilia ſunt alia duo juniora *pag.* 65. *& pag.* 80. Quid ſit *Maphorium*, mox nominatum, docet Morinus *part.3. Exerc.* 10. *cap.*1. *num.* 7. dicens, fuiſſe Velum oblongum, quod pendebat à capite per humeros Diaconiſſarum.

Ordo autem Romanus in Bibliotheca Patrum editus, ut ait idem Morinus
*d. part.3. Exercit.* 10. *cap.*2. *num.* 11. Ri- 25
tum exhibet, & Miſſam peculiarem Ordinationis Diaconiſſæ; quæ ordinatur ad Altare inter Miſſarum ſolemnia, poſt Epiſtolam, & Graduale. Quæ ſint Orationes in hac ordinatione, Morinus non refert, ſed tantùm ſubdit: *Conſecratione peracta*, ideſt poſt Communionem, *Tunc ponat Epiſcopus Orarium in collo ejus dicens: Stola jucunditatis induat te Dominus. Ipſa autem imponat Velamen capiti ſuo,* (ideſt ſupra-
dictum Maphorium) *palam omnibus, de* 26
*Altari acceptum. Deindè datur illi Anulus, poſtea Torques in capite. Tandem Evangelium legitur, & Miſſa completur,* & paulò poſt ſubdit Morinus, notatum eſſe in eodem ordine Romano: *Quando autem ad Eccleſiam Diaconiſſa procedit, portat Orarium ſuper collum ſuum;ſic verò ut ſummitas Orarii ex utraque parte ſub Tunica ſit.* His igitur cæremoniis, ac formulis Diaconiſſæ ordinabantur; de quibus duo alia notatu digna obſervat

Cabaſſutius in *d. Notitia Concil. Sæcul.* 2. *Diſſert.*2. *num.* 5. ſcilicet quod iiſdem Diaconiſſis Veſtis Religioſa tradebatur, Laicali per ipſas depoſita; & quod ſtipendiis Eccleſiarum ſuſtentabantur, ut legitur in *Concil. Carthagin. IV. can.* 103. *& can.* 104. & differit S. Jo. Chryſoſtomus *libr.*3. *de Sacerdotio*.

Sed dicet aliquis; Diaconiſſæ ordinabantur per manuum impoſitionem, per infuſionem gratiæ, invocationem Spiritus Sancti, traditionem Stolæ, ac iiſ-
27 dem Orationibus, & ſolemnitatibus, quibus Græci ordinabant Diaconos: Ergo Diaconiſſæ recipiebant Sacramentum Ordinis, & Character Diaconatus in earum anima imprimebatur. Reſpondet Emin. Card. de Lauræa *de Sacr. Ord. diſp.* 9. *num.* 12. primò his verbis. *Fateor, quod ſtando in verbis illius Canonis (Apoſtolic. Conſtit. libr.* 8. *cap.* 19. *&* 20.) *& præſcindendo à praxi Eccleſiæ, quę traditione in his utitur, argumentum urget, quia canon eodem modo loquitur, ſicut de ordinatione Diaconi; & difformiter loquitur in can.* 24. *de Virginibus, & in can.* 25. *de aliis Viduis, quas non fieri ordinatione dicunt*. Secundò itaque reſpondet Eminentia Sua, negando illam conſequentiam; & dicendo, quod Diaconiſſæ non ordinabantur ſacramentaliter, ſed tantummodò benedice-
28 bantur; ſiquidem Mulieres ſunt incapaces de Jure Divino Ordinis Sacramenti. *cap. Nova quædam. De Pœnit. & Remiſſ.* S. Thomas 3. *p. q.* 39. *in addit. art.* 1. quem univerſi DD. Catholici ſequuntur, quos citat Barboſa *de Jure Eccl. Univ. lib.* 1. *cap.* 36. *num.* 6. & dicemus infra, ubi de ſubjecto Ordinis tractabimus. Nec obſtat, quod ſuper eis fieret ab Epiſcopo Manuum impoſitio; nam variæ ſunt ſpecies impoſitionis manuum, ut oſtendit idem Emin. Cardinalis de Lauræa in ſuo *Epitome Canonum Verb. Manus impoſitio*; ſed omnes reducuntur ad duo genera, quatenùs vel Manus impoſitio eſt *Conſecrativa*,
29 vel *Deprecativa*. Primi generis dicitur impoſitio Manus, quæ fit in conferendis Sacramentis Confirmationis, & Ordinis, quia in tali Manus impoſitione imprimitur Character; ſecundi generis dicuntur aliæ omnes impoſitiones Manuum, quæ fiunt ſuper Catechumenis, Energumenis, Publicis Pœnitentibus, Infirmis, Sanctimonialibus, Viduis, ac Diaconiſſis, ſunt enim hæ omnes deprecativæ; ideſt ſimplices Orationes, quas facit Miniſter Eccleſiæ ad implorandam Divinam Opem, ſuper prædictas perſonas, eas ſimpliciter benedicendo. Ita Cabaſſutius *ad d. Sæcul.* 2. *Diſſert.* 2. *num.* 7. Baſilius Pontius *de Impedim. Matrim.cap.*10.*Verſ.Sed cum in Diaconiſſæ*. Lavorius *Var. Lucubr. tom.* 1. *tit.* 4. *cap.* 34. *num.* 33. & deducitur ex Gloſſa *in cap. Diaconiſſam*. 27. *q.* 1. ita dicente: *Reſpondeo, quod mulieres non* 30
*recipiunt characterem, impediente ſexu, & conſtitutione Eccleſiæ; undè nec officium Ordinum exercere poſſunt* 23. *diſt. cap. Sacratas: nec Diaconiſſa ordinatur, ſed fundebatur ſuper eam benedictio*.

Nec urget, quod S. Clemens Papa *in cit. libr.* 8. *Apoſtolicar. Conſtit. cap.* 20. expreſsè dicat: *Imploratio in Ordinatione Diaconiſſæ*; non autem *in Benedictione Diaconiſſæ*. Item quod Concilium Chalcedonenſe *can.* 15. relatum *in cap. Diaconiſſam*. 27. *q.* 1. hæc verba habet: *Diaconiſſam non debere ante* 40. *annos ordinari*. Nec non quod Euchologia, ſeu Ritualia Græca & ipſa utantur verbo Ordinationis, & dicant: *Oratio in Ordinatione Diaconiſſæ*; ideòque Blaſtares, & Balſamon magnæ auctoritatis Scriptores Græci ſentiſſe videntur, quod ipſæ verè Ordinem Diaconatus reciperent, ait enim Balſamon *libr.* 5. *Jur.* 31
*Orient. Reſponſ.* 35. (quem refert Morinus *d. part.* 3. *Exercit.* 10. *cap.*1. *nu.*7.) *Olim aliquando Ordines Diaconiſſarum canonibus cogniti fuere; habebantque & ipſæ gradum, ſeu dignitatem in Sanctuario*. Siquidem reſpondetur:

Primò, quod Conſtitutiones Apoſtolicæ, quæ ſub nomine S. Clementis habentur, tanquàm ab eo ſcriptæ, non ſunt tales, quales ipſe Pontifex eas audivit ab Apoſtolis, & proprio calamo conſcripſit, plura enim additamenta ab

Orien-

Digitized by Google

32 Orientalibus fuerunt iiſdem facta, ut obſervat Morinus ipſe *in Præfat. ad eaſdem in part. 2. de Sacr. Ordin. num. 5. pag. 18.* ita dicens: *Itaque bis, aliiſque conjecturis fretus, Conſtitutiones illas, quæ vulgò Clementis nomine feruntur, cenſeo diſciplinam eſſe Eccleſiaſticam, qua Orientalis Eccleſia ante Conſtantinum Primum ſub ethnicis Imperatoribus regebatur. Primus eas in ordinem ex ore, & mandatis Apoſtolorum exceptas redegit, & edidit Clemens. Deinde ſucceſſu temporis à Synodis Orientis auctæ primi Auctoris nomen conſtanter retinuerunt. Hoc non inficiabitur, opinor, qui diſciplinæ Orientalis peritus Conſtitutiones illas legerit.* Hæc Morinus, & ex his non à veriſimili alienum eſt aſſerere; ordinationis Diaconiſſarum verba, & formam non venire ab Apoſtolis, neque ab eorum diſcipulo Clemente, ſed eſſe adinventa in ſecundo, vel tertio Eccleſiæ ſæculo à Synodis, vel Prælatis Eccleſiæ Orientalis juxta eorum devotionem, & proprium ſenſum, non autem totius Eccleſiæ Univerſalis. Reſpondetur ſecundò, quod verbum *Ordinare* reſpectu ad Diaconiſſas, de quo in iiſdem Apoſtolicis Conſtitutionibus, in Chalcedonenſi Concilio, & forſan in aliis, fuit ſem-
33 per interpretatum *Benedicere*; itaut Ordinatio ipſarum fuerit ſimplex *Benedictio*; ut declaravit Concilium Arauſicanum celebratum *Anno* 441. *in can.* 26. in quo ita definivit: *Diaconiſſæ omnimodè non ordinandæ. Siquæ jam ſunt, benedictioni, quæ populo impenditur, capita ſubmittant.* (Arauſicum eſt Urbs Epiſcopalis in Gallia Narbonenſi, vulgò *Orange*, parùm diſtans ab Avenione). Et Benedictionem expreſsè nominavit Concilium Aurelanienſe II. habitum in Aurelia Urbe Galliæ Celticæ vulgò *Orleans* Anno 533. in ejus enim *can.* 17. ſic legitur enunciatum: *Fœminæ, quæ benedictionem Diaconatus hactenùs contra interdicta Canonum acceperunt, ſi ad conjugium probantur iterùm devolutæ, à communione pellantur.* Ergo earum Ordinatio cenſebatur ſimplex benedictio, ac *Benedictio* tantùm erat conſimilis benedictioni Sanctimonialium, ac Viduarum velatarum; ut optimè advetit inter Canoniſtas Barboſa *d. libr. 1. Juris Univ. cap. 36. num. 5.* inter Scholaſticos Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 9. de Sacr. Ord. num.* 11. & inter antiquitatis perſcrutatores Magrius *d. Verb. Diaconiſſa.* & Cabaſutius *d. Sæcul. 2. Diſſert. 2. num.* 7. Hanc eamdem interpretationem eſſe dandam Euchologiis, ſeu Ritualibus Græcis nemo eſt, qui non videat; nihil relevante ſenſu Balſamonis, aut Blaſtarii, alteriuſvè Orientalis Eccleſiæ ſcriptoris, adverſus quem ita Arcudius celeberrimus apud Græcos *libr. 6. cap.* 10.
relatus à Morino *d. part. 3. Exercit.* 10. 34
*cap. 1. in fin.* reſpondet: *Quod refert Blaſtarius ex quibuſdam antiquis, ſeu potiùs Apocryphis Euchologiis de Stola Diaconæ, & quod ampliùs de forma illa enuncianda*, Divina Gratia, quæ infirma ſanat &c. *errorem eſſe judico, imò hæreticum, per conſequens improbandum, & omninò reiiciendum.* Igitur apud Latinos nullius ponderis eſſe debet aſſertio Græcorum, quod Ordinatio Diaconiſſarum ſit Sacramentum; cum hanc aſſertionem eſſe erroneam, imò hæreticam, atque improbandam aſſeveret Arcudius eximius Auctor Græcus.

Quo ad Tertium. Octo erant præcipua officia, ac miniſteria Diaconiſſarum in primis ſæculis Eccleſiæ; videlicet: Primum vacare januis Eccleſiarum, per quas introibant Mulieres, ne 35
per eas Viri auderent intrare; erat enim ſic præordinatum à Sanctis Epiſcopis, ad hoc ut in Templo Dei ſumma cum modeſtia Viri ingrederentur, & ſtarent ſeparati à mulieribus; quas propterea Diaconiſſæ comitabantur ad earum proprium locum, in quo Divina erant audituræ, ſivè eſſent baptizatæ, ſivè Catechumenæ. Hinc S. Ignatius Martyr, ut dictum eſt *ſupra num.* 18. eas ſalutat, & vocat *Cuſtodes Sacrorum Veſtibulorum*. Et S. Clemens Papa *in libr. 8. Apoſt. Conſt. cap.* 28. ſcribit: *Diaconiſſa non*

*ſa non benedicit, neque facit aliquid eorum, quæ Presbyteri, aut Diaconi faciunt, niſi quod Januas cuſtodit*. Unde ſubdit Magrius *in d. Verb. Diaconiſſa*:
36 quod *ejus incumbentia erat ad Eccleſiæ januam obſervare, per quam fœminæ ingrediebantur, & ad locum pro hoc ſexu ſeparatum, eas deducebat: Adhuc inter Orientales, Græcoſque Chriſtianos, & in ruralibus Melitæ Eccleſiis locus pro utroque ſexu ſeparatus obſervatur; qui tamen laudabilis uſus in hac inſula Parochorum incuria ſenſim deperditur*. Veriùs dixiſſet hic Auctor Antiſtitum incuria; quia ubi Epiſcopi ſolliciti ſunt, ut in ſuis Diœceſibus ſervetur hæc locorum diſtinctio in Templis pro Viris, ac pro Mulieribus; ſtat in viridi obſervantia, ut expertus ſum triginta annis, & ultra, in quibus ampliſſimam hanc Diœceſim Patavinam viſitando perluſtravi cum Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo S. M. Gregorio Cardinali Barbadico Antiſtite, cujus mandato in omnibus Eccleſiis ruralibus per portam majorem Templi intrant tantùm Mulieres, per laterales verò januas Viri; hi ſiſtunt ſe in medietate Templi viciniore Choro; illæ ſtant in alia remotiori medietate; ac tectis ſtragulis obductis ad altitudinem ſtaturæ unius hominis permanent à Viris inviſæ. Ubi autem Epiſcopi de hac ſancta antiquiſſima ſeparatione non curant, omnia in pejus ruunt; & deficit debita Deo reverentia in ejus domo.

Secundum Diaconiſſarum miniſterium erat docere Catechumenas Symbolum Fidei, orationem Dominicalem,
37 & alios articulos Doctrinæ Chriſtianæ, ut aptæ fierent ad recipiendum baptiſmum; & ſcirent ea, quæ reſponſuræ erant Sacerdoti eas interroganti, & baptizanti. Hoc deſumitur ex Verbis *Concilii Carthaginenſis IV. cap.* 12. ita loquentis: *Viduæ, vel Sanctimoniales, quæ ad miniſterium baptizandarum Mulierum eliguntur, tàm inſtructæ ſint ad officium, ut poſſint apto, & ſano ſermone docere imperitas, & ruſticas mulieres, tempore quo baptizandæ ſunt, qualiter baptizatori interrogatæ reſpondeant, & qualiter accepto baptiſmate vivant*. Quibus verbis relatis Morinus *part.* 3. *Exercit.* 10. *cap.* 3. *num.* 3. ait: *Puto ex antecedentibus, conſtare, Viduas, illas, vel Sanctimoniales electas ad hoc miniſterium fuiſſe Diaconiſſas, quæ ex Viduis, & Sanctimonialibus eligi ſolebant*. Hoc idem teſtantur Magrius, & Cabaſutius locis ſupracitatis, & Barboſa *d. libr.* 1. *cap.* 36. *num.* 7.

Tertium, & quidem præcipuum miniſterium, ac officium Diaconiſſarum erat, aſſiſtere mulieribus catechumenis tempore, quo baptizabantur in ætate adulta. Quare ſciendum, quod in prioribus Eccleſiæ ſæculis mos erat baptizare 38
gentes non per effuſionem aquæ ſupra caput, ut nunc eſt in uſu; ſed per immerſionem trinam totius corporis in aqua; ad quem effectum ipſa Aqua ſervabatur in fonte, in quem deſcendebat, qui erat baptizandus, & à Sacerdote formam Baptiſmi proferente ter totus demergebatur, & elevabatur ab aqua. Ita legitur *in Apoſt. can.* 50. *Si quis Epiſcopus, aut Presbyter non trinam merſionem unius myſterii celebret, ſed ſemel mergat in Baptiſmate, quod dari videtur in Domini morte, deponatur*. Et manifeſtè S. Auguſtinus, ut habetur *in cap. Poſtquam*. 77. *de Conſecr. diſt.* 4. aiebat ad baptizandos: *Poſtquam Vos credere promiſiſtis, tertiò capita veſtra in Sacro Fonte demerſimus. Qui Ordo Baptiſmatis duplici Myſterii ſignificatione celebratur. Rectè enim tertiò merſi eſtis, qui accepiſtis Baptiſmum in nomine Sanctæ Trinitatis. Rectè tertiò merſi eſtis, qui accepiſtis Baptiſmum in nomine JESU CHRISTI, qui die tertia reſurrexit à mortuis: illa enim tertiò repetita demerſio typum Dominicæ exprimit ſepulturæ; per quam Chriſto conſepulti eſtis in Baptiſmo, & cum Chriſto reſurrexiſtis in fide, ut à peccatis abluti in Sanctitate virtutum Chriſtum imitando vivatis*. De eadem forma baptizandi per immerſionem loquuntur S. Hieronymus, & S. Gregorius Magnus *in cap. De trina merſione*. 80. & *in*

cap.

Digitized by Google

*cap. Eodem modo* 81. *de Conſecr. ead. diſt.* 4. Igitur in hujus collatione Baptiſmi opus erat, ut baptizandi Viri expoliarentur; prout etiam Mulieres, retenta ſimplici ſubucula, quàm ſtatim egreſſæ de aqua, opus habebant exuere, corpus abſtergere, & veſtimenta induere; ad quæ omnia peragenda ad-
39 ſtabant Diaconiſſæ, Presbyteris, vel Diaconis baptizantibus ſemotis, ut pudori parceretur, prout teſtatur S. Epiphanius *ad Hæreſ.* 79. his verbis: *Quanquam Diaconiſſarum in Eccleſia Ordo ſit, non tamen ad Sacerdotii functionem, aut ullam ejuſmodi adminiſtrationem inſtitutus eſt: ſed ut muliebris ſexus honeſtati conſulatur, ut Baptiſmi tempore adſit, & cum nudandum eſt corpus mulieris interveniat, ne Virorum, qui ſacris operantur, aſpectui ſit expoſita, ſed à ſola Diaconiſſa videatur*. Et de hoc miniſterio eruditè ſcribunt tùm idem Morinus *d. cap.* 3. *num.* 3. tùm Cabaſutius *d. Diſſert.* 2. *num.* 2. ac Magrius *d. Verbo Diaconiſſa*.

Quartum erat officium earumdem Diaconiſſarum, tempore perſecutionum, accedere ad domus Chriſtiano-
40 rum, & in eis mulieres commorantes confortare in fide, atque juſſa, & mandata Epiſcoporum ſignificare, vigilias, jejunia de præcepto, aliaque pia monita inſinuare, quæ à Presbyteris, aut Diaconis non ita commodè iiſdem mulieribus deferri poterant, cum hi magis eſſent expoſiti paganorum oculis, & tyrannorum obſervationi; & hoc innuunt *Conſt. Apoſtolicæ d. libr.* 3. *cap.* 15. in illis verbis: *Eliges quoque* (Epiſcope) *Diaconiſſam fidelem, & Sanctam ad miniſtrandum mulieribus. Evenire enim ſolet aliquando in quibuſdam domibus, ut non poſſis propter infideles mittere Diaconum ad mulieres, mittere verò poſſis Diaconiſſam propter cogitationes improborum*.

Quintum earumdem officium erat deferre eleemoſynas per domos mulieribus egenis; earumque curam agere,
41 & neceſſitatibus temporalibus occurrere ex pecunia, quam ad hunc effectum Epiſcopi iiſdem Diaconiſſis ſubminiſtrabant, ut notant ſupracitati Auctores Morinus, Cabaſutius, ac Magrius, qui in *d. Verb. Diaconiſſa col.* 2. hæc ſubjungit: *In Arciſpriore Caſtro Tuſculanæ Diœceſis vidi aliquas ſimiles, quas ibi* Sanctesas *dicunt. Hæ in Quadrageſima per domos comeſtibilia pro Concionatore, & in Autumno pro Parocho, ejuſque Vicario oblationes fructuum colligunt*.

Sextum erat officium viſitare mulieres infirmas, ac iiſdem ſumma cum charitate miniſtrare, & inſervire, ut
præceperunt Conſtitutiones Apoſtolicæ 42
*libr.* 3. *cap.* 19. in quo cum hoc officium Diaconis commendaſſent erga infirmos, ulteriùs dixerunt: *Ac mulier quidem* (idest Diaconiſſa) *mulieres curet*; quod etiam notavit, teſte Narbona *ad Annum* 40. *q.* 3. *num.* 2. *in fin.* Cujacius *de Præſcription. cap.* 31. *in fine*.

Septimum refert Magrius *ubi ſupra* his verbis. *Item fœminas ad recipiendam Extremam Unctionem exuebant,* 43
*ſeu detegebant corporis partes ungendas, eaſdemque unctas extergebant*.

Octavum tandem ſuggerit idem Auctor *ibidem* dicendo: *Item mortuas veſtire, & ornare ſolebant*. Et hæc omnia
erant miniſteria Diaconiſſarum, ac 44
officia concernentia charitatis opera erga alias mulieres in ſpiritualibus, & temporalibus; illas adjuvando in inſtructione circa articulos fidei, & receptionem Sacramentorum; & in exhibitione eleemoſynarum; ut ex teſtimonio SS. Patrum referunt ſupracitati Auctores, quibus addendus eſt P. Menochius *in Storeis part.* 3. *Centur.* 6. *cap.* 11. ubi de Diaconiſſis differens, relatis ſupradictis earum officiis concludit: *Finalmente erano le Diaconeſſe come Madri, e Maeſtre dell'altre Donne; perche le inſtruivano, quando ſi dovevano battezare, havevano cura delle inferme, e pare c'haveſſero anco penſiero di diſtribuire le vivande alle Tavole communi, che ſi uſarono nella primitiva Chieſa*.

Quo ad Ultimum. Diaconiſſarum gradum

gradum ceſſaſſe in Eccleſia Sæculo De-
45 cimo ex multis conjecturis opinatur Morinus *d. part. 3. Exercit. 10. cap. 3. num. 5.* ſed præcipuè ex illa, quod Petrus Lombardus Epiſcopus Pariſienſis, cognominatus Magiſter Sententiarum, qui floruit *Anno* 1145. & exactè ſcripſit de Sacramento Ordinis, nullum verbum fecit de Diaconiſſis; quarum gradum non omiſiſſet, ſi tunc in Eccleſia fuiſſet in uſu. Hinc Petrus Pictavienſis primus Lombardi Commentator *in gloſſis ſuper Sent. libr. 4. diſt. 20. litt.* F. ut teſtatur ipſe Morinus *ubi prox. num.* 6. hæc verba poſuit: *Eſt velum Ordinationis in Diaconiſſis, quadrageſimo anno, ſed abiit in deſuetudinem.* Subdit tamen Morinus, quod priùs ceſſarunt in Eccleſia Latina; tardiùs autem in Græca. Quod ſi ſtudioſus requirat cauſas, propter quas extinctus fuit Diaconiſſarum Ordo? Reſpondet Barboſa *d. libr.* 1. *Jur. Univ. cap. 36. num.* 10. his verbis:
46 *Poſtmodum ſuccedentibus temporibus ex hac Ordinatione, & multiplici munere conceſſo Diaconiſſis, forſan ipſis inſoleſcentibus, & majora conantibus, prout innata eſt fœmineo ſexui ambitio, Diaconiſſarum Ordo aboleri cœpit, eo modo, quo & Chorepiſcoporum uſus ſublatus eſt.* Sed non obſcura eſt ratio abolitionis earumdem Diaconiſſarum; ſcilicèt quia Epiſcopi in primis Eccleſiæ ſæculis earum miniſterio potiſſimùm indigebant in baptizandis mulieribus adultis per immerſionem; opus enim erat, ut Diaconiſſæ aſſiſterent, baptizandas ſpoliarent, & poſt baptiſmum ſtatim veſtirent, ut dictum eſt ſupra. At reddita pace Eccleſiæ, extinctis tyrannis Idolorum cultoribus, & Catechumenarum mulierum deminuto numero, ob frequentem parvulorum baptiſmum; quem non ampliùs per immerſionem, ſed per infuſionem aquæ ſuper caput ferè ubique introduxit Eccleſia tanquam faciliorem, ac honeſtati magis conſentaneum; ceſſavit etiam uſus Diaconiſſarum in miniſtrando Baptiſmo; & hac de cauſa paulatim fuit intermiſſus, atque earum Ordo aboletus; cœtera Diaconiſſarum miniſteria aliis piis perſonis exequentibus; Et equidem in inclyta Civitate Venetiarum, ac etiam in hac Urbe Antenorea ſunt, & ſemper fuerunt Matronæ nobilitate, ac pietate eximiæ, quæ licèt non aſſumant Ordinem Diaconiſſarum, earum tamen officia egregiè exercent, tùm in edo-
cendo puellas doctrinam Chriſtianam 47
ſingulis Dominicis diebus, in Eccleſiis per Epiſcopos deſignatis; tùm in ſubminiſtrando largas eleemoſynas mulieribus egenis; ut mihi innotuit in viſitationibus Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ per annos jugitur quadraginta ſub regimine Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Georgii Cornelii Epiſcopi Patavini, ac Eminentiſſimi Gregorii Cardinalis Barbadici ſucceſſoris in hoc Epiſcopatu, quibus humilitati meæ datum fuit in gradu Auditoris, & Vicarii Generalis deſervire. Uterque enim ex Antiſtitibus prænominatis, ob eorum Apoſtolicum Zelum in inſtruendo populo, ac eo edocendo Doctrinam Chriſtianam, frequenter inviſebant Scholas ipſas, & antedictas pias Matronas in hoc Sancto opere laborantes, commendabant; & ad earum inſtantiam eleemoſynas ampliſſimas, quarum ſæpè ſæpiùs ego ſecretus delator eram, pro ſublevandis pauperibus vel innuptis, vel maritatis mulieribus, faciebant. Qui plura de Diaconiſſis ſcire deſiderat, legat Illuſtriſſ. Epiſcopum Sarnellium in ſua noviſſima *Baſilicographia cap.* 17. Emin. Card. Bonam *Rer. Liturgic. cap. 25. num.* 15. Joannem Bapt. Caſalium *De Veterib. Sacr. Chriſt. Ritib. part. 2. cap.* 29. Emin. Card. de Lauræa *in Epitome Canonum Verb. Diaconiſſæ.* Et Aſcanium Tamburinum *De Jure Abbatiſſarum diſp. 7. quæſ.* 8. ad cujus finem ait, Mediolani adhuc vigere ſpe-
ciem quandam antiquarum Diaconiſſa- 48
rum; ſcilicèt quatuor Matronas, quas Vetulas vocant, à quibus in Miſſa ſolemni defertur ad januam Chori panis, & vinum pro Sacrificio, quod etiam notat Magrius *iu d. V. Diaconiſſa.*

DE-

## DECISIO XXXII.

### *ARGUMENTUM.*

Harum Vocum *Presbyteri*, ac *Sacerdotis* ſignificatione præmiſsa, atque exiſtentia Sacerdotii, & Presbyteratus Ordinis in Eccleſia, examinatnr difficilis, laborioſa, ac famoſa Quæſtio, Quænam ſit Materia, & Forma in Ordinatione Presbyterorum? Referuntur quatuor Opiniones cum ſuis fundamentis. 1. Quod ſit ſola Traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane. 2. Quod ſit ſola manuum impoſitio, quam facit Epiſcopus unà cum Sacerdotibus Aſſiſtentibus ſuper caput Ordinandi. 3. Quod ſit & dicta Traditio Calicis, & Patenæ; ac etiam impoſitio Manuum, quam facit ſolus Epiſcopus in fine Ordinationis. 4. Quod ultra hæc omnia etiam Unctio manuum Ordinandi cum Sacro Oleo ſit materia eſſentialis. Forma ſint Verba in prædictis omnibus actibus ab Epiſcopo prolata. Eligitur Tertia Opinio, tribus aliis rejectis. Ratio ejus fundamentalis. Exceptiones Juridicæ contra Morini Rituales antiquos non facientes mentionem de jam dicta Traditione Calicis, ac Patenæ. Auctoritas Traditionum Apoſtolicarum. Repetitio communis Theologorum doctrinæ, quod Chriſtus inſtituit in genere Materias Sacramenti Ordinis, relinquens in poteſtate Eccleſiæ, eas in ſpecie deſignare.

### SUMMARIUM.

1 *Presbyteri, ac Sacerdotis nominum ſignificatio.*
2 *Presbyter ſignificat quatuor. Et quæ?*
3 *Presbyter in Jure ſignificat ſimplicem Sacerdotem.*
4 *Sacerdotum Hebraicorum, & Legis Evangelicæ diſcrimina.*
5 *Hæretici, qui Sacerdotium Legis gratiæ impugnarunt.*
6 *Pauli Samoſateni, & Zenobiæ Hiſtoria.*
7 *Albigenſium hæreticorum error circa Sacerdotes.*
8 *Huſſitani Hæretici negant poteſtatem Sacerdotalem.*
9 *Lutherus eorumdem ſectator.*
10 *Sacerdotes fuerunt in omni lege.*
11 *Sacerdotium in Lege gratiæ à Chriſto inſtitutum.*
12 *Presbyteratus Ordo eſt Sacramentum.*
13 *Presbyteratus de Materia, & Forma opiniones quatuor.*
14 *Calicis cum vino, & Patenæ cum pane Traditio an ſit Materia Presbyteratus? Et quæ Forma?*
15 *Florentini Concilii Verba circa dictam Materiam, & Formam.*
16 *Tridentini Concilii doctrina circa eamdem.*
17 *Character in ordinatione Presbyteri quando imprimatur?*
18 *Presbyteri in eorum ordinatione an conſecrent Euchariſtiam unâ cum Epiſcopo eos ordinante?*
19 *Presbyteri præcipuum officium quale ſit?*
20 *Judas Iſcariotes an fuerit ordinatus Sacerdos?*
21 Cap. Presbyter. De Sacram. non iter. *declaratio.*
23 *Abſolvendi à peccatis poteſtas an detur ex ſola traditione Calicis, & Patenæ?* & num.49.
24 *Manuum impoſitio, quod ſit Unica Materia Sacerdotii, fundamenta, & DD.*
25 *Carthaginenſis Concilii IV. Verba*

*circa Ordinationem Presbyteri.*
25 *Græci Presbyteros ordinant ſola Manuum impoſitione.*
27 *Presbyterorum ordinatorum ſine eorum conſenſu Hiſtoriæ.*
28 *Antiqui Auctoris nihil dixerunt de dando Calice, & Patena in ordinatione Presbyterorum.*
29 *Albini Alcuini atteſtatio Anno 780. de Traditione Calicis, & Patenæ.*
30 *Teſtibus duobus affirmantibus magis credendum, quam mille negantibus.*
31 *Rituales antiqui nihil dicunt Græci, & Latini de traditione Calicis, & Patenæ in ordinatione Presbyterorum.*
32 *Ritualium Græcorum diſcrepantia cum forma ordinationis Apoſtolicarum Conſtitutionum.*
33 *Rituale ab 800 annis, & ultra ſcriptum habet traditionem Calicis cum Patena, præmiſſa manuum Unctione.*
34 *Rituales alii antiqui cum dicta traditione Calicis, & Patenæ.*
35 *Morino probabilis æquivocatio circa tempora Ritualium.*
36 *Calicis, ac Patenæ traditio in ordinatione Presbyterorum antiquiſſima.*
37 *Manuum impoſitio triplex, dum Presbyteri ordinantur.*
38 *Materias, ac Formas duas Partiales in ordine Presbyteratus.*
39 *Presbyteri poteſtates duæ; & quæ?*
40 *Manuum impoſitio eſt Materia partialis eſſentialis Ordinis Presbyteratus.*
41 *Materiæ, & Formæ Ordinis Sacramenti cur non ſcriptæ in primis ſæculis Eccleſiæ?*
42 *Unctio manuum ordinandi Sacerdotis an ſit Materia eſſentialis? & Verba in ungendo An ſit Forma?*
43 *Unctio manuum prædicta antiquiſſima.*
44 *Benedicere perſonas, ac res ſpectat ex officio ad Presbyteros.*
45 *Hoſii Cardinalis opinio de Unctione manuum Presbyterorum.*
46 *Unctionis Manuum Sacerdotum myſteria.*
47 *Opinio communis de Materia, & Forma Presbyteratus quæ ſit?*
48 *Materiæ, ac Formæ duæ partiales cur in ordinandis Presbyteris?*
49 *Abſolvendi à peccatis poteſtas dari non poteſt non valenti conſecrare Eucharistiam.*
50 *Christus dedit Apoſtolis primùm facultatem conſecrandi, deindè abſolvendi à peccatis.*
51 *Manuum impoſitio ultima in ordinando Presbytero eſt materia eſſentialis, ac partialis.*
52 *Presbyteri non poſſunt eſſe Miniſtri Ordinis Presbyteratus.*
53 *Iſchyra, & Collythus quinam fuerint?*
54 *Rituales Libri apud Morinum* de Sacr. Ord. *quam fidem mereantur.*
55 *Scriptura ſine die, & anno, & ſine Auctore nihil probat.*
56 *Error probatur, cum oſtenditur, rem ſe aliter habere.*
57 *Traditio Apoſtolica de materia Ordinis Presbyteratus.*
58 *Eccleſia habet à Chriſto facultatem mutandi materias Ordinum?*
59 *Theologi Itali, & Galli docent poſſe Eccleſiam mutare materias Ordinum.*
60 *Morini confeſſio de legitima Materia, ac Forma Ordinis Presbyteratus.*

Presbyteratus Ordo nunc eſt explicandus, qui cunctis aliis excellit ordinibus; quippè ipſi inſtituti ſunt in obſequium hujus, & de eo præcipua diſputatio verſatur circa Materiam, ac Formam tùm ob diſcrepantes Scholaſticorum opiniones, tùm ob differentem uſum primitivæ Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ; quia ab initio nulla fit mentio Inſtrumentorum traditionis in collatione hujus Ordinis, ut infra demonſtrabimus. Porrò pro faciliori intelligentia dicendorum, quatuor ſunt præmittenda.

Primum eſt, quod hæc duo nomina *Presbyter*, & *Sacerdos*, licèt apud nos idem

idem ſignificent, olim tamen diverſum habebant ſignificatum tùm apud Scri-
1 ptores Sacros, tùm apud profanos. Siquidem *Sacerdos* ſemper ſignificavit perſonam Dei cultui dicatam ad ſacrificia facienda; ut oſtendit ipſius etymologia vocabuli; *Sacerdos* enim ita dicitur, quaſi *Sacra dans*, vel *Sacra faciens*. Hinc de Melchiſedech Rege Salem ſcriptum eſt *Geneſ.* 14. 18. quod protulit panem, & vinum, *erat enim Sacerdos Dei Altiſſimi*. Et de Aarone, ac filiis ejus, qui ad ſacrificia offerenda fuerant à Deo electi, dicitur *Exod.* 28. 1. Moyſi: *Applica quoque ad te Aaron fratrem tuum cum filiis ſuis, de medio filiorum Iſrael, ut Sacerdotio fungantur mihi*. Et Divus Paulus Apoſtolus his expreſſit verbis *ad Hebr.* 5. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Quæ omnia latè repetuntur *in cap. Cleros diſt.* 21. ubi ſic: *Sacerdos nomen habet compoſitum ex Græco, & Latino, quaſi Sacrum dans: ſicut enim Rex à regendo, ita Sacerdos à ſacrificando vocatus eſt; conſecrat enim, & ſacrificat*. & proſequitur oſtendere hoc ipſum in Sacerdotibus Gentilium, qui vocabantur Flamines, demonſtrans cauſam hujus denominationis. At nomen *Presbyter* quatuor habet ſignificationes; aliquando ſignificat
2 Judicem, ut legitur in Daniele *cap.* 13. *Verſ.* 28. *Venerunt & duo Presbyteri pleni iniqua cogitatione adverſus Suſannam*; ideſt illi duo Viri, qui exarſerant amore impudico verſus eam; & erant, non Sacerdotes, ſed Judices populi Judaici. Aliquando ſignificat ſapientem, & in hunc ſenſum dictum eſt ab *Eccleſ.* 7. 15. *Noli verboſus eſſe in multitudine Presbyterorum*, ideſt Virorum ſapientum. Aliquando ſignificat Epiſcopum, juxta verba illa in *Act. Apoſt.* 14. 22. *Et cum conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias Presbyteros*: ubi Cornelius à Lapide commentatur dicens: *tùm ſummos, ideſt Epiſcopos; tùm minores, ideſt Sacerdotes; Epiſcopi enim nomine Presbyterorum comprehenduntur*, ut dixi etiam 1. *Timoth.* 5 *Verſ.* 1. & 8. Nunc autem communi ſenſu ſignificat Sacerdotem inferiorem Epiſcopo, & ab Epiſcopo diſtinctum, Rota Maceraten. *tom.* 2. *deciſ.* 256 *num.* 21. & ita appellatur Sacerdos in Sacris Conciliis, & in Jure Canonico Presbyter; ut *in Apoſtol. can.* 6. *Epiſcopus, vel Presbyter, vel Diaconus*
*ſæculares curas non ſuſcipiat*: prout etiam 3
in Nicæni Concilii Primi *can.* 16. *Diaconus non debet communicare priùs, quàm Epiſcopus, neque priùs, quàm Presbyter; quia gradus Diaconi infra gradum Presbyteri eſt; ſcireque debet, officii ſui eſſe miniſtrare Epiſcopo, & Presbyteris*; ideſt ſimplicibus Sacerdotibus. Et ſic paſſim in Conciliis, ac ultimò in Tridentino *ſeſſ.* 23. *can.* 6. *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris, & Miniſtris. Anathema ſit* prout etiam *can.* 7. *Si quis dixerit, Epiſcopos non eſſe Presbyteris ſuperiores &c.* Ergo Presbyteri ſunt Sacerdotes inferiores Epiſcopis.

Secundum præmiſſum eſt; quod magnum verſatur diſcrimen inter Sacerdotes Legis veteris, & Legis gratiæ noſtro-
rum temporum: Illi enim ad certam 4
Tribum erant alligati, & debebant initis Matrimoniis ſucceſſores progignere; noſtri verò Sacerdotes non carnali propagatione, ſed divina conſecratione generantur. Illi immolabant belluinas carnes: noſtri offerunt Corpus, & Sanguinem Unigeniti Filii Dei. Illi raró accedebant ad ſacrificandum, quia non pro libito, ſed juxta tempus vicis ſuæ, ut demonſtravimus in noſtris Deciſionibus *De Sacrif. Miſſæ Dec.* 22. *n.* 25. *Dec.* 23. *n.* 4. ideſt omni vigeſimaquarta hebdomada tantùm; erant enim diſtincti Sacerdotes Aaronici in 24. vices, ſeu Claſſes; quæ per turnum accedebant ad Templum; & ibi unica hebdomada morabantur vacantes Sacrificiis, & hebdomada expleta revertebantur ad domos ſuas, locum cedentes Vici, ſeu Claſſi ſubſequenti. Noſtri autem Sacerdotes

quotidiè ſacris Myſteriis Sacrificiorum,
Divinarum Laudum, & Sacramento-
rum peragendis incumbunt. Illi tandem
Uxorati carnalibus operibus, ac tem-
poralibus negotiis vacabant; noſtri ve-
rò cœlibes, & continentes ſpiritualibus
exercitiis, ac cœleſtibus contemplatio-
nibus incumbunt, ut latiùs differit Gon-
zalez *in Comment. ad cap. Si qui Clerico-
rum. 1. num. 9. De Cleric. Conjug.* & nos
oſtendimus ſupra *Deciſ. XXVII. num. 21.*

Tertium præmiſſum concernit hære-
ticorum deliria contra Sacerdotium Le-
gis gratiæ. Primi omnium fuerunt Pau-
lianiſtæ circa annum Domini 300. cir-
5 citer dicentes, illud nullam poteſtatem
importare, ut notat Emin. Card. de
Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 6. nu.* 140.
Hi hæretici habuerunt Auctorem Pau-
lum Samoſatenum natione Syrum, qui
quaſi monſtrum horrendiſſimum, ſeu
quaſi peſtis pernicioſiſſima fuit gregi
Chriſtiano tempore, quo obtinuit Epi-
ſcopalem Sedem Antiochenam. Fer-
6 tur aſcendiſſe Cathedram illam Patriar-
chalem favore Zenobiæ, cui Perſæ,
victis Romanis, Syriæ regimen tradi-
derant, ut notat Salelles *de S. Inquiſit.
libr. 3. cap. 7. regul. 232. num.* 165. Erat
Zenobia natione Judæa erudita in ſcien-
tiis à Longino Philoſopho, & in fide
Chriſtiana ab eodem Paulo Samoſate-
no inſtructa, teſte Spondano *ad An-
num Chriſti* 265. *num.* 1. & *ad Annum*
269. *num.* 2. ubi ſubdit: *Totum Orientem
poſt Odenati obitum Zenobiam ejus uxo-
rem pluſquàm virili animo poſſediſſe.*
Et ſubindè *Anno* 274. indicto bello
contra ipſam per Aurelianum Impera-
torem, fuiſſe ab eo ſpoliatam Orienta-
li Regno, & ductam in triumphum
Romam; ſed poſtea liberam dimiſſam
fuiſſe à Senatu, & ei conceſſam poſſeſ-
ſionem in agro Tiburtino, ubi unà cum
filiis vixit more Romanæ Matronæ.
De ea tandem ſic Spondanus *ibidem*
concludit: *Zenobiam, quæ ex Hebræis
venerat, & exculta erat (ut aliàs di-
ctum) Chriſtianis Litteris, damnato jam
ejus Magiſtro, ac Doctore impietatis
Paulo Samoſateno, & ex Imperii faſtu
depoſitam, redditam putamus Sapientio-
rem; atque probè chriſtianam Romanæ
Eccleſiæ fidem ſectatam eſſe.* Igitur præ-
dicti Pauli Samoſateni diſcipuli nega-
bant Sacerdotii novæ legis vim, ac po-
teſtatem.

Poſt variorum ſæculorum curſum id eſt
*Anno Chriſti* 1176 inſurrexerunt hæ-
retici Albigenſes, qui aſſerebant, bo-
nos Sacerdotes habere quidem poteſta- 7
tem conficiendi Euchariſtiam, malos
autem nequaquam, ut advertit Emin.
Card. de Lauræa *d. diſp. 6. num.* 140. &
hi quidem fuerunt damnati in Concilio
Lateranenſi ſub Alexandro Papa Ter-
tio, ut obſervat Spondanus *ad Annum*
1179. *num.* 3. His extinctis ſurrexerunt
hæretici Huſſitani, ſic dicti à Joanne
Huſſ Bohemo *Anno* 1407 eorum ma-
giſtro; & hi docebant, Sacerdotibus in
Sacra Ordinatione nullam aliam pote-
ſtatem dari, quàm officium prædican- 8
di. Tandem his ſucceſſit Lutherus, qui
inter cæteras blaſphemias hæreticales
contra Catholicam fidem divulgabat,
Sacerdotium novæ legis nihil Sacrum
continere, ideòque à Laicis Magiſtra- 9
tibus poſſe cuicunque ad libitum con-
ferri, ut notat prælaudatus Emin. Card.
de Lauræa *d. diſp. 6. num.* 140.

Quartum præmiſſum eſt, quod de
exiſtentia Sacerdotii ac Ordinis Pres-
byteratus in Eccleſia Catholica nemo
eſt, qui dubitet; cum manifeſtum ſit,
in omni Lege, voluiſſe Deum, ut eſſent
Sacerdotes, atque homines Sacerdota-
li gradu inſigniti, qui ſibi hoſtias offer- 10
rent. Etenim in Lege naturæ habemus
exempla de Caino, Abele, ac Noe,
qui Sacrificia offerebant Deo, ac etiam
Abraham, & Jacob, nec non Melchi-
ſedech, & Job, de quo ſcriptum eſt:
*Conſurgenſque diluculò offerebat holocau-
ſta* (pro filiis ſuis.) *Dicebat enim: Nè
fortè peccaverint filii mei, & benedixe-
rint Deo in cordibus ſuis. Job.* 1. 5. De
Legis verò ſcriptæ, ſeu Moſaycæ ſacri-
ficiis, in ſignum cultus, & adoratio-
nis Dei plenus eſt Canonicus textus,
incipiendo ab Exodo, & percurrendo
per omnes libros uſque ad Evangelium,
ideſt

ideſt per annos MD, & ampliùs, nempè uſque ad devaſtationem Jeruſalem, ac Templi ſub Tito, & Veſpaſiano; in iis enim omnibus temporibus, ſivè in Tabernaculo per deſertum, ſivè in Galgalis, & Sylo, ſivè in Templo Sacrificia Moſayca in veri Dei adorationem à Sacerdotibus Aaronicis facta ſunt; eò quia, ut ait Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 1. Sacrificium, & Sacerdotium ita Dei Ordinatione conjuncta ſunt, ut utrumque in omni Lege extiterit.*

Igitur etiam in Lege gratiæ, in qua vivimus, & in Eccleſia Catholica extat Sacerdotium, & Sacrificium à Chriſto
11 Domino inſtitutum, tanquam Pontifice, & Summo Sacerdote ab æterno ejus Patre conſtituto; juxta illud *Pſalmi* 109. 4. *Juravit Dominus, & non pænitebit eum: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech.* & prout diſſerit Apoſtolus Paulus *ad Hebr.* 7. 24. oſtendens quod *JESUS eò quod maneat in æternum, ſempiternum habeat Sacerdotium*; & in Eccleſia ſua reliquit Sacerdotes, qui tales effecti ordinatione Sacra, & Charactere Sacerdotali inſigniti ſacrificium ſui pretioſi Corporis, ac Sanguinis offerrent; ac fideles à peccatis abſolverent, juxta poteſtatem traditam Apoſtolis, quos primos Sacerdotes, ac Epiſcopos conſecravit, undè ſubjunxit Trid. Concil. *in cit. ſeſſ. 23. cap. 1. Cum igitur in novo Teſtamento Sanctum Euchariſtiæ Sacrificium viſibile ex Domini inſtitutione Catholica Eccleſia acceperit, fateri etiam oportet, in ea novum eſſe viſibile, & externum Sacerdotium, in quod vetus translatum eſt. Hoc autem ab eodem Domino Salvatore noſtro inſtitutum eſſe; atque Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus in Sacerdotio, poteſtatem traditam conſecrandi, offerendi, & miniſtrandi Corpus, & Sanguinem ejus; necnon & peccata dimittendi, & retinendi Sacræ Litteræ oſtendunt; & Catholicæ Eccleſiæ traditio ſemper docuit.*

Idcircò cum in Lege gratiæ exiſtat Sacerdotium, & hoc ſit à Chriſto Domino inſtitutum ſequitur, Ordinem Sacerdotalem, ac Presbyteratum eſſe Sacramentum, tùm quia confert gratiam, 12
& imprimit characterem, tùm etiam quia eſt irreiterabile, ut oſtenſum eſt ſupra *Deciſ. VI. num. 18. & num. 22.* ubi DD. utriuſque Scholæ allegantur ita ſentientes, ac docentes; & hoc eſt de fide non ſolùm ex decreto Concilii Florentini *in Decreto Eugenii IV.* ubi loquens de Sacramento Ordinis aſſignat ejus materiam, & formam; ſed multò magis ex definitione Concilii Tridentini *d. ſeſſ. 23. can. 3.* facta his verbis: *Si quis dixerit Ordinem, ſivè Sacram Ordinationem non eſſe verè, & propriè Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum &c. Anathema ſit*; quòd latiùs demonſtravimus *d. Deciſ. VI.* & docet Layman *lib. 5. tract. 9. cap. 4. num. 1.* ac Caſtropalaus *part. 4. tract. 27. punct. 3. nu. 1.*

His ita prænotatis, ac præmiſſis, cum Sacerdotalis Ordinatio ſit Sacramentum, famoſa oritur controverſia apud Scholaſticos Theologos, & apud Canoniſtas, quærentes: *Quænam ſit Materia, ac Forma hujus Ordinis Presbyteratus?* Circa quam Quæſtionem 13
quatuor reperiuntur opiniones, quæ hìc ſunt referendæ cum fundamentis, quibus innituntur.

Prima opinio tenet, quod Materia Ordinis Presbyteratus ſit ſola traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia, quam fecit Epiſcopus, dum ordinat Presbyteros, & quam iidem ordinandi tangunt. Forma verò, quod ſint 14
Verba, quæ profert Epiſcopus, dum ipſi ordinandi eadem inſtrumenta tangunt: videlicèt: *Accipite poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia Dei tàm pro vivis, quàm pro defunctis.* Fundamenta hujus opinionis ſunt ſequentia. I. Auctoritas Concilii Florentini in Decreto Eugenii IV. ubi ſic dicitur: *Ordinis materia eſt illud, per cujus traditionem confertur Ordo; ſicut Presbyteratus traditur per Calicis cum vino, &* 15
*Patenæ cum pane porrectionem.* Et paulò poſt ſubdit: *Forma Sacerdotii talis eſt: Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium. &c.* Cum itaque Florentinum Con-

Concilium docendo, quænam ſit materia, ac forma Presbyteratus, nil aliud dixerit, præter ſupradicta verba; ſequitur totam materiam hujus Ordinis conſiſtere in traditione Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia; formamque totam reſtringi in iiſdem Verbis eamdem traditionem comitantibus. II. Ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. in
quo agens de prima oblatione, quam
16 Chriſtus Dominus fecit in ultima Cœna
pretioſi ſui Corporis, & Sanguinis ſub ſpeciebus panis, & vini, & in qua ordinavit Apoſtolos Sacerdotes, hæc habentur verba: *Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit; ac ſub earumdem rerum Symbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit; & eiſdem, eorumque in Sacerdotio Succeſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem, ut Eccleſia ſemper intellexit*. At horum verborum loco, in Sacerdotum ordinatione ponuntur hæc: *Accipite poteſtatem offerendi Sacrificium &c.* Ergo per iſta verba, & per Calicis cum vino, & Patenæ cum pane porrectionem, quæ tunc fit, cum proferuntur ab Epiſcopo, Diaconi conſtituuntur veri, ac perfecti Sacerdotes. III. Quia illa eſt materia, ac forma eſſentialis Sacramenti Ordinis;
in cujus traditione, & reſpectivè prola-
17 tione imprimitur Character. Sed hic
in ordinatione Sacerdotum imprimitur, dum illis traditur tangendus Calix cum vino, & Patena cum pane; & dum proferuntur prædicta verba: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium*, ut notat, ſignat, ac admonet Pontificale Romanum in margine ad eadem verba. Ergo horum Inſtrumentorum traditio eſt tota materia, & eorumdem verborum prolatio eſt forma Ordinis Presbyteratus. IV. Neomiſtæ, ſeu ipſi Sacerdotes recenter ordinati per dictam traditionem materiæ, & prolationem formæ; antequam illis imponatur manus ab Epiſcopo, & dicatur *Accipite Spiritum Sanctum. &c.* proferunt verba conſecrationis ſimul cum Epiſcopo, &
conſecrant eaſdem ſpecies, quas in Altari 18
habet ipſemet Epiſcopus unà cum illo; ut in confeſſo eſt apud omnes; & docent Layman *lib.* 5. *tract.* 1. *cap.* 7. *nu.* 5. Diana Coordinatus pluries, ideſt *tom.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 20. & 21. nec non *tom.* 3. *tract.* 1. *reſol.* 48. & latè *tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 89. & 90. Sed poteſtatem conſecrandi ſtatim poſt tradita prædicta Inſtrumenta Neomiſtæ non haberent, ſi per illam traditionem Inſtrumentorum, & prolationem Verborum, non eſſent perfectè ordinati, ac veri Sacerdotes effecti. Ergo tota, & integra materia Ordinis Presbyteratus eſt antedicta Calicis cum vino, & Patenæ cum pane traditio; forma verò verba, quæ in eadem traditione ab Epiſcopo proferuntur. V. Quando aliquis Ordo habet plura miniſteria, & officia, tunc imprimitur character, quando traditur inſtrumentum tangendum, per quod denotatur magis præcipuum officium, ut notant Theologi de Oſtiariis, Acolythis, ac Subdiaconis. Sed Presbyteri magis præcipuum
officium eſt conſecrare Corpus, & San- 19
guinem Domini; & hoc denotatur per traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum pane. Ergo in hac traditione character imprimitur, & completur Ordo. Ergo horum Inſtrumentorum traditio eſt materia; verba autem, quæ tunc dicuntur, ſunt Forma. VI. Judas Iſcariotes fuit verè ordinatus Sacerdos
cum aliis Apoſtolis, & habuit verum
Sacerdotium, de quo intellexit S. Pe- 20
trus, cum ipſi Judæ applicavit, quod Spiritus Sanctus prædixerat in *Pſal.* 107. *Et Epiſcopatū ejus accipiat alter*: ideſt Sacerdotium, ut commentatur S. Jo. Chryſoſt. *in d. Pſalm. Hom.* 3. Sed Judæ non fuerat à Chriſto inſufflatum, & dictum *Accipe Spiritum Sanctum &c.* quia hæc inſufflatio fuit poſt Reſurrectionem tantùm. Ergo eſſentia Ordinis Sacerdotalis conſiſtit in Inſtrumentorum traditione, quæ eſt totalis, & integra materia; & in prolatione Verborum, quæ eſt vera, & unica forma. VII. tandem probatur hæc opinio per *text. in cap. Presbyter.*

*byter. De Sacram. non iteran.* ubi Gre-
gorius IX. ita reſpondit: *Presbyter*, *&*
*Diaconus cum ordinantur, manus impoſi-*
*tionem tactu corporali ( Ritu ab Apoſtolis*
21 *introducto ) recipiunt. Quod ſi omiſſion*
*fuerit, non eſt aliquatenùs iterandum; ſed*
*ſtatuto tempore ad ejuſmodi Ordines con-*
*ferendos cautè ſupplendum, quod per*
*errorem extitit prætermiſſum.* At hæc
doctrina de non iterando Sacramento
eſſet falſa, ſi jam Sacramentum Presby-
teratus, ac etiam Diaconatus per tradi-
tionem materiæ cum forma, de qua
ſupra, non fuiſſet validè collatum. Er-
go traditio Calicis, & Patenæ cum pa-
ne, & vino eſt ſubſtantialis materia
Ordinis Sacerdotalis; & Verba, quæ
dicuntur in eadem traditione, ſunt for-
ma. Hanc opinionem tenent Sotus *in*
*4. diſt. 24. q. 1. art. 4. concl. 5.* Gregorius
de Valentia *tom. 4. diſp. 9. q. 1. punct. 5.*
ubi *verſ. Secundò* ait, quod Ordinatus
Sacerdos poſt ſibi traditum Calicem
cum vino, & Patenam cum pane, quo
ad poteſtatem Ordinis poſſet abſolvere
à peccatis, etſi nondum ei ab Epiſcopo
23 fuiſſet dictum cum impoſitione manus,
*Accipe Spiritum Sanctum &c.* Idem do-
cet ex Scotiſtis Faber *de Sacram. Ord.*
*in 4. diſt. 24. q. 1. diſp. 1. cap. 4. num. 96.*
Joannes della Cruz *in Director. Con-*
*ſcien. part. 2. de Sacram. Ord. dub. 2. concl. 1.*
Nugnus *in 3. part. tom. 2. q. 37. art. 5.*
Hos citat, & eorum opinionem proba-
bilem dicit Diana *part. 3. tract. 4. reſol.*
*186.* reſidente in ejus operis Coordinati
*tom. 2. tract. 5. reſol. 6.* Alios pariter DD.
allegat Caramuel *in Theol. Fund. libr. 3.*
*num. 3636.* quibus noviſſimè adhæret
Gonetus *tom. 5. de Sacram. Ord. diſp. 2.*
*art. 3. §. 1. à num. 45. & ſeqq.*

Secunda Opinio tenet, veram Mate-
riam Ordinis Presbyteratus eſſe Ma-
nuum impoſitionem; Formam verò
24 verba, quæ profert Epiſcopus cum [illegible]
nus imponit; adeòut traditio Calicis
cum vino, & Patenæ cum hoſtia, ſit
ſimplex cæremonia. Hanc mordicùs
defendit Morinus *de Sacram. Ord. part.*
*3. Exerc. 7. cap. 1. num. 7.* ubi ita: *Poſtre-*
*ma opinio ea eſt, quæ materiam Sacerdo-*
*tii conſtituit ſolam Manuum impoſitio-*
*nem. Hanc ſolam omnis Eccleſia Lati-*
*na, Græca, Barbara ſemper agnovit.*
*Hanc ſolam commemorant omnes anti-*
*qui Rituales Latini, Græci: omnes an-*
*tiqui, & recentiores Patres, Græci,*
*Latini.* Fundamenta hujus opinionis
ſunt. I. Auctoritas S. Clementis Papæ
*in Libr. 8. Apoſtolic. Conſtit. cap. 16.* ubi
ſic: *De Ordinatione Presbyterorum ego*
*( Joannes ) dilectus à Domino conſtituo*
*vobis Epiſcopis. Cum Presbyterum ordi-*
*nes Epiſcope, impone ipſe manum capi-*
*ti Presbyteri, aſtantibus tibi Presbyteris,*
*& Diaconis, & faciendo precationem,*
*dic: Domine omnipotens Deus noſter,*
*qui cuncta per Chriſtum condidiſti &c.* &
ſequitur ſatis prolixa oratio; in qua
imploratur gratia Spiritus Sancti, ut
ille ordinandus aptus evadat *ad opitu-*
*landum conſiliis populo Dei, ad eumque*
*corde mundo gubernandum.* Nihil de po-
teſtate Euchariſtiam conficiendi, vel
offerendi: nihil de traditione Calicis,
& Patenæ. II. Definitio Concilii Car-
thaginenſis IV. in quo *can. 3.* ſic dictum
fuit: *Presbyter cum ordinatur, Epiſco-*
*po eum benedicente, & Manum ſuper* 25
*caput ejus tenente, etiam omnes Presby-*
*teri, qui præſentes ſunt, Manus ſuas*
*juxta manum Epiſcopi ſuper caput il-*
*lius teneant.* Legitur idipſum relatum à
Gratiano in parte prima Decreti *diſt. 23.*
*cap. Presbyter.* III. Praxis Eccleſiæ O-
rientalis, quæ etiam nunc ordinat ſuos
Presbyteros more antiquo, ſola Ma-
nuum impoſitione, & hoc, ait Mori-
nus *d. cap. 1. num. 8.* etiam Romæ, vi- 26
dentibus, & probantibus Summis Pon-
tificibus Romanis, quod demonſtravi-
mus ſupra *Deciſ. VII. num. 25.* & oſten-
dit Gobat *tract. 8. num. 94. & 95.* IV.
Verba S. Hieronymi *in Comment. ſuper*
*Iſaia cap. 58. Verſ. 9.* quæ talia ſunt:
*Plerique noſtrorum Chirotoniam, ideſt*
*Ordinationem Clericorum, quæ non ſo-*
*lùm ad imprecationem vocis, ſed ad im-*
*poſitionem impletur Manus, ne ſcilicèt,*
*ut in quibuſdam viſimus, vocis impre-*
*catio clandeſtina Clericos ordinet neſci-*
*entes, ſic intelligunt, ut aſſumant teſti-*
*monium*

Digitized by Google

monium *Pauli ſcribentis ad Timotheum*: *Manum citò nemini impoſueris*. Nihil itaque de traditione Calicis, aut Patenæ: tota locutio de deprecatione cum impoſitione Manuum. V. Hiſtorica narratio Theodoreti, qui florebat *Anno* 410. & refert ordinationem Salamani ſanctiſſimi Eremitæ, quem Sacerdotem ex abrupto fecit Epiſcopus illius
27 loci, dum ſuper illum *Manum impoſuit*, *& peregit precationem*. Et alterius Macedonii ſolitarii Monachi, & hominis ſimpliciſſimi, quem pariter Sacerdotio inſignivit, Manu ſuper eo poſita, etſi ille ignoraret, quid ſecum ageretur; cumque aliqui ex adſtantibus eum certificaſſent, factum eſſe Presbyterum, *excanduiſſe* (ait) *& obvios conviciis*, *& baculo*, *cui innitebatur*, *laceſſiviſſe*. Ita in *Hiſt. SS. Patrum*, quam *Religioſam* vocat, ſeu *Philotheam cap.* 13. *& cap.* 19. prædictus Theodoretus. At quantam mereatur credulitatem? & an validè ordinari poſſit Sacerdos aliquis ex abrupto, ignorans, quid ſecum agatur? & detrectans omninò ordinari? cogitet ſtudioſus Lector; nos de hoc videbimus infrà ſuo loco. VI. Tractatus antiquorum omnium Auctorum, qui ante Annum Milleſimum ſcripſerunt de Divinis Officiis, & egerunt de Sacris Ordinationibns, inter quos S. Iſidorus,
28 Alcuinus, Amalarius, Rabanus Maurus, Valfridus Strabo, quos nominat ipſe Morinus *d. part* 3. *Exercit.* 7. *cap.* 1. *num.* 13. Hi enim omnes nullam fecerunt mentionem de traditione Calicis cum vino, & Patenæ cum pane in ordinatione Presbyterorum; ſed tantùm de Manuum impoſitione.

Cæterum ab his diſcordat Albinus Alcuinus, qui fuit Venerabilis Bedæ diſcipulus, & ſcribebat *Anno* 780. nam in libello de Divinis Officiis teſtatur,
29 tunc fuiſſe in uſu non ſolùm manus Epiſcopi impoſitionem iis, qui Sacerdotio augurabantur, ſed etiam traditionem Calicis habentis vinum aqua miſtum, ac Patenæ panem continentis; cum horum verborum prolatioue *Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo*, *Miſſamque celebrare tàm pro vivis*, *quàm pro defunctis*; ut doctè obſervavit, & notavit Cabaſutius in *Notitia Eccleſ. Concilor. ad Sæcul. IV. in Diſſertat. & Append. ad Concil. IV. Carthaginen. num.* 3. pag. mihi 176. Qua Alcuini atteſtatione attenta, unà cum alterius Ritualis ejuſdem ævi, de quo infrà, videtur intrare inconcuſſum illud Juris Axioma; quod magis eſt credendum duobus teſtibus affirmantibus, 30
quam mille negantibus. Gloſs. *in l. Diem proferre in §. Si plures. ff de Arbitr.* & *in cap.* 1. *de Præſcript. in* 6. Marcus Mantua Juris Conſultus, & Eques Patavinus *in Apophtegm. Juris Singular.* 373. & paſſim omnes.

Tandem VII. fundamentum hujus opinionis eſt Lectura Euchologiorum, ſeu Græcorum Ritualium, quæ ponit Morinus *de Sacr. Ordinat. part.* 2. *pag.* 52. *& ſeqq.* nec non Latinorum pariter Ritualium Librorum, tranſcriptorum à diverſis Bibliothecis antiquis per eumdem Morinum, & excuſorum *in eadem part.* 2. *à pag.* 212. *& ſeqq.* in quibus non reperitur annotata dicta Calicis, ac Patenæ traditio in Presbyterorum ordinatione; ſed ſola Manuum impoſitio; undè prædictus Auctor *in part.* 3. *Exercit.* 7. *num.* 12. amplificans 31
hoc fundamentum, ita ait: *Antiqui Rituales Latini; non ſecùs ac Græci, iſtam inſtrumentorum traditionem nobis non exhibent. Quidquid ſpectat ad illam materiam*, *& formam ab iis abeſt. Duo Ritus Ordinationis editi*, *unus Romæ in Sancti Gregorii Sacramentario ex Bibliotheca Vaticana; alter Pariſiis ab Hugone Mainardo ex Bibliotheca Corbeienſi*, *quos hîc cum aliis editos habes*, *iſta omnia nobis non repræſentant*. Et proſequitur narrando diverſa alia Ritualia Latina antiquiſſima per eum, ut dixi, collocata *in part.* 2. *à pag.* 212. quæ ſunt numero novem, in quibus nihil de traditione Calicis, ac Patenæ in Sacerdotibus inaugurandis, undè concludit *d. cap.* 1. *num.* 12. *Profundum*, *& mirum eſt de hiſce rebus*

*apud*

Digitized by Google

*apud eos ſilentium. Quis adeò deſipit, ut ſibi perſuadeat, iſtos Scribas, & Epiſcopos, qui eorum libris, in Sacris agendis, utebantur, ea omiſiſſe, quæ ſola Presbyterum creabant; innumera verò, quæ ad rem nihil pertinebant, tàm diligenter, & tàm magnificè deſcripſiſſe?*

Porrò tria opponi poſſunt prædictis Ritualibus. Unum, quod in Ritualibus Græcis, quoad formam verborum in ordinando Presbytero magna eſt differentia inter illam traditam ab Apoſtolis, quæ eſt *in Apoſtol. Conſtit. libr. 8. cap. 16.* & illam, quam iidem Rituales Græci continent: hi enim addiderunt, tùm
32 hæc verba: *Divina gratia, quæ infirma ſemper curat, & deficientia ſupplet, promovet hunc religioſiſſimum N. Diaconum in Presbyterum*; tùm in ſubſequenti Oratione *Deus, qui potens es in virtute &c.* addita ſunt hæc alia: *Ut dignus ſit ſine crimine, & querela aſſiſtere Altari tuo; Offerre Tibi dona, & Sacrificia ſpiritualia.* Nullum horum Verborum reperiuntur in antedicta forma deprecativa Apoſtolorum. Igitur Eccleſia Græca formam antiquam inaugurandi Sacerdotes, quam adhibebant Apoſtoli, & primi Epiſcopi eorum diſcipuli, mutavit; & aliam expreſſivam Miniſterii Sacerdotalis, & magis denotantem poteſtatem conſecrandi Euchariſtiam, illamque Sacrificandi, & Deo in Sacrificium offerendi, addidit. Ergo id ex Chriſti permiſſione potuiſſe facere credendum, ex noſtrorum Theologorum doctrina ſæpiùs dicta, ac iterùm infra repetenda, quod Chriſtus Dominus inſtituit materias, & formas Ordinum in genere, non autem in individuo; id relinquens facere Eccleſiæ ſuæ. Deducitur ex his, non eſſe criminandam Eccleſiam Latinam, ſi in ordinandis Presbyteris addidit traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum pane tanquam materiam magis expreſſivam effectus, ac facultatis ejuſdem ordinationis. Alterum eſt, quod in Codice Sacrarum Ordinationum Ritus antiquiſſimo, quem ponit Morinus *d. part. 2. pag. 257.* & affirmat ſibi ad utendum conceſſum fuiſſe Romæ à Venerabili, docto, pioque Sene Conſtantino Abbate Cajetano, Viro Litterarum, & antiquitatis amante, & quem Codicem ſcriptum eſſe ait circa *Annum Domini 800.* in hoc, inquam, Codice antiquiſſimo, in ordinatione Presbyteri ita legitur *pag. 262.*
*col. 2. Expleta autem Oratione*, (quam 33
recitavit Epiſcopus tenens manum ſuper caput Ordinandi, & cum eo illam pariter ita tenentes alii Presbyteri) *ac capiens oleum faciat Crucem ſuper manus ambas ita dicendo*: Conſecrare, & Sanctificare digneris Domine manus iſtas per iſtam Unctionem, ut quæcunque conſecraverint, conſecrentur, & quæcunque benedixerint, benedicantur, & ſanctificentur. In nomine Domini Noſtri Jeſu Chriſti. *Hoc facto accipiat Patenam cum oblatis, & Calicem cum vino, & dicat:* Accipe poteſtatem offerre Sacrificium Deo, Miſſamque celebrare, tàm pro vivis, quam pro Defunctis. In nomine Domini. Alios etiam Rituales Codices ponit Morinus *à pag. 269. & ſeqq.* quos juniores illo vocat, etſi aliquos ante annum milleſimum ſcriptos, in quibus pariter poſt
unctionem manuum ordinandorum Sa- 34
cerdotum fit mentio traditionis Calicis, ac Patenæ, vinum, & panem continentium. His ſtantibus, reflectat ſtudioſus Lector, & conſideret, dictam Calicis, ac Patenæ traditionem non eſſe nudius tertius introductam, cum de ea præfatus Ritualis Abbatis Cajetani meminerit anno octingenteſimo; ex quo confirmatur atteſtatio Albini Alcuini, de qua ſupra, ante eumdem Annum octingenteſimum ſcribentis; ſicque Concilium Florentinum eamdem traditionem Calicis,& Patenæ innuendo anno 1430. non poſuit pro materia Ordinis Presbyteratus quid novi; ſed quod erat in uſu ſeptingentis annis, & ultra juxta horum Ritualium antiquiſſimorum, ac eorum ætatem à Morino indicatam. Tertium autem, quod iiſdem Morini Ritualibus opponi poteſt, (ſalva ſemper reverentia ipſi Morino debita, tanquam Viro eruditiſſimo, & in

perſcrutandis antiquis Sacrarum Ordinationum Ritibus ſummè benemerito,) illud eſt, quod errare potuerit in ipſo-
35 rum ætate, ſeu antiquitate definienda; & fortè quod ſint ſeniores, atque antiquiores, quàm ille eoſdem faciat; utitur enim Aſtrologia judiciaria, ſeu Chiromantia, quæ eſt ars vaticinandi ex manuum ſignaturis, ac lineamentis, in eorumdem Codicum nativitate judicanda; videlicet ex aſpectu characterum, ſeu frontis; & circa hoc nihil eſt, quod eum ab errore præſervet, ſunt enim Libri antiqui adinſtar hominum, quos ſæpè judicamus ex aſpectu faciei vegetæ juniores multò, quàm ſint in ætate. Cur non licet aſſerere, Codices Rituales Anglicanos, ſeu Gallicanos, quos Morinus ortum habuiſſe vaticinatur parùm ante, vel poſt milleſimum annum; fuiſſe conſcriptos quatuor, vel quinque ſæcula ante milleſimum? In quarto, & quinto Sæculo Fides Catholica in florentiſſimis illis Regnis invecta eſt per Sanctos Viros, qui ſicut à Romanis Pontificibus fuerunt miſſi, ſic ab ipſis eoſdem Rituales Codices, traditionem Calicis cum vino, ac Patenæ cum pane in initiandis Presbyteris continentes, accepiſſe eſt veriſimile.

Quidquid ſit, hæc traditio Calicis, & Patenæ in Eccleſia Latina non eſt recens, ſed vetuſtiſſima; etſi non inficiemur, multos SS. Patres, imò etiam Pontifices Romanos antiquos de ordina-
36 tione Presbyterorum loquentes ſolius impoſitionis manuum meminiſſe, inter quos Alexander II. *in cap. Ex multis.* 1. q.3. & Urbanus II. *in cap. Daibertum.* 1.q.7. & Urbanus III. *in cap 2. de Clerico non Ord. miniſtr.* quorum verbis freti multi Theologi, qui ante Concilium Florentinum ſcripſerunt, non habentes notitiam vetuſtorum Ritualium atteſtantium traditionem Calicis, ac Patenæ, opinati ſunt, ſolam impoſitionem Manuum in ordinatione Sacerdotum, eſſe materiam eſſentialem; prout tenuiſſe videtur S. Bonaventura, qui ſcribebat *Anno* 1265. *in 4. diſt. 24. part. 2 art. 1. q. 4. num.* 58. & alii, quos citat Fagnanus *in cap. Presbyter. num. 32. De Sacram. non iteran.* quibus adhærere voluit Morinus *in cit. part. 3. Sacrar. Ordin. Exercit. 7. cap.* 1. ubi (quod magis eſt) *num.* 5. notat, tres manuum impoſitiones fieri in ordinatione Presbyterorum 37
ex Pontificali Romano; *Unam* ſtatim poſt Litanias tùm ab Epiſcopo, tum à Sacerdotibus adſtantibus ſub ſilentio; *Alteram* ab iiſdem omnibus, Epiſcopo Orationem alta voce recitante; & *Tertiam* in fine Ordinationis, dum ſolus Epiſcopus ponit manum ſuper caput ordinati, & dicit: *Accipe Spiritum Sanctum; quorum remiſeris peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta ſunt.* Hanc Tertiam impoſitionem manus, vult Morinus, (opinione ſua, equidem recenti, & Scholaſticis inaudita) eſſe ſimplicem ceremoniam, alienam prorsùs ab ordinis Presbyteratus eſſentia, ac quidditate; quæ in prima, ac ſecunda manum impoſitione vult tantùm exiſtere.

Tertia autem opinio communiter à Theologis, & Canoniſtis approbata docet, duas eſſe partiales materias, ac formas ordinis Presbyteratus, ſcilicet *Unam* Calicis cum vino, & Patenæ cum pane traditionem; *Alteram* Im- 38
poſitionem manuum, quam facit Epiſcopus ſuper Caput ordinandi, & ſubindè duas eſſe formas partiales, ſed eſſentiales; Verba ſcilicèt, quæ proferuntur ab Epiſcopo in applicatione ipſarum materiarum; in prima *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia Dei tàm pro vivis, quàm pro Defunctis*: in ſecunda, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccatà &c.* Hujus communis opinionis fundamenta ſunt. I. Quia duæ ſunt poteſtates, quæ conferuntur Presbytero in ejus ordina- 39
tione; *Una* in Corpus verum, & realem Chriſti ideſt ejus conſecrationis; *Altera* in Corpus myſticum, nempè abſolvendi fideles à peccatis. Itaque prima poteſtas traditione Calicis, ac Patenæ confertur cum prolatione ſuæ formæ; ſecunda in impoſitione manus cum Verbis, *Accipe Spiritum Sanctum*, quo-

*quorum remiſeris peccata &c.* II. Quia de prima Materia, & Forma expreſsè locutum eſt Concilium Florentinum, & in eo Eugenius IV. in Decreto Armenorum. De Secunda autem loquitur Concilium Carthaginenſe IV. *in cap. 3.* III. Quia illa eſt vera materia Sacramentorum, per quam denotatur effectus, ac vis ex eis emanans. Sed vis, & effectus ordinis Presbyteratus eſt conferre ordinato facultatem conficiendi Euchariſtiam, illamque offerendi Deo; & hæc denotatur per primam Materiam, ac primam Formam. Item ejuſdem Ordinis vis, & effectus eſt abſolvere à peccatis; & hæc innuitur in ſecunda materia, & forma. IV. Quia Epiſcopus in collatione hujus Ordinis imitatur Ordinationem Apoſtolorum à Chriſto Domino factam. Sed Chriſtus Dominus priùs contulit Apoſtolis poteſtatem conſecrandi, ideſt in ultima Cœna ante Paſſionem, poſtea dedit iiſdem facultatem abſolvendi à peccatis, ſcilicèt poſt Reſurrectionem. V. Proprium eſt omnium formarum Sacramentalium id efficere practicè, quod ſignificant ſpeculativè: ſed utraque forma ſignificat dictas duas eſſentiales poteſtates; ergo utraque eſt vera Forma; Res autem, cum quibus profertur, ſunt veræ materiæ. VI. Quia de jure Divino poteſtas abſolvendi à peccatis annexa eſt poteſtati conſecrandi Euchariſtiam, itaut hæc ſine illa nequeat exiſtere. Ergo cum dari non poſſit facultas abſolvendi à peccatis non habenti facultatem conficiendi Euchariſtiam; & illa facultas Euchariſtiam conficiendi non tribuat poteſtatem abſolvendi; neceſſe eſt, ut utraque expreſsè conferatur per ſuas proprias materias, & formas; quarum utraque eſt quidem partialis, ſed neceſſaria, & de eſſentia perfectæ Ordinationis. VII. Quia Concilium Tridentinum *ſeſs. 14. cap. 2. de Extr. Unct.* dicit, illius Sacramenti miniſtros eſſe,
40 *aut Epiſcopos, aut Sacerdotes, ab ipſis ritè ordinatos per impoſitionem manuum.* Ergò hæc eſt altera forma partialis, & eſſentialis ordinationis Presbyteratus; eò magis quia idem Concilium Tridentinum *ſeſs. 23. de Sacram. Ord. can. 4.* ſubdit: *Si quis dixerit per Sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum, ac proindè fruſtra Epiſcopum dicere, Accipe Spiritum Sanctum &c. Anathema ſit.*

Quare hoc canone manifeſtè reſultat, ſecundam Formam, quæ profertur ab Epiſcopo Presbyterum ordinante, *Accipe Spiritum Sanctum &c.* non eſſe ſimplicem cæremoniam, ut aſſerit Morinus, (cujus opinio relata ſupra *num.* 37. non ſolùm eſt improbabilis, ſed periculoſa in fide) ſed Formam partialem, ac de eſſentia ejuſdem Ordinationis, per quam confertur gratia Spiritus Sancti, & completur Sacerdotium, impartiendo facultatem ligandi, atque abſolvendi; prout tenent, ac docent Theologi Scholaſtici, Moraliſtæ, ac Canoniſtæ, quos allegant, & ſequuntur Salmanticenſes *de Sacram. Ord. tract. 8. cap. 3. à num. 38. & ſeqq.* Coninch, Vaſquez, Filliucius, Layman, Henriquez, & alii apud Dianam Coordinatum *tom. 2. tract. 5. reſol. 6.* deducta ex inordinato *part. 3. tract. 4. reſol. 186.* Eminen. Card. Bellarminus *de Sacram. Ordinis libr. 1. cap. 9.* Et de Lauræa *eod. tract. diſp. 6. art. 8.* per totum, quibus addo Caſtropalaum *part. 4. tract. 27 punct. 4. num. 7.* Gobatum *tract. 8. num. 117. 118. & ſeqq.* Brognolum *in Specul. Cleric. tract. 16. cap. 10. num. 4.* Doctiſſimum Maſtrium *in 4. Sent. diſp. 4. de Sacram. Ord. art. 2.* & Illuſtriſſimum Fagnanum *in cap. Presbyter. De Sacram. non iteran.* per totum, ubi copioſè de hac opinione; & *num.* 38. ubi notabiliter dicit, non eſſe mirandum, quod in Actibus Apoſtolorum, & per conſequens in primis ſæculis Eccleſiæ nulla mentio fiat de materia, & forma- 41
Ordinis Sacramenti, ſed de ſola impoſitione manuum, quia ut ex S. Dionyſio obſervat S. Thomas *in 4. diſt. 7. q. 1. art. 1.* hæc occultanda erant in primitiva Eccleſia propter irriſiones Gentilium; ſubdens: *Et propterea idem S. Dionyſius in fine Eccleſiaſticæ Hierarchiæ excuſat ſe à determinatione formarum*

*Sacramentalium; undè non mirum ſi in cap. 5. ubi Ordinationum Ritus declarat, non meminerit niſi ſolius manuum impoſitionis.*

Quarta denique opinio circa Materiam, & Formam Presbyteratus eſt, quod etiam Unctio manuum Ordinandi, quam facit Epiſcopus Oleo Sacro
42 Catechumenorum ſit Materia eſſentialis unà cum aliis materiis hucuſque relatis; Forma quoque eſſentialis ſint illa Verba, quæ in ipſa Manuum Unctione profert Epiſcopus; videlicet: *Conſecrentur Manus iſtæ, quæſumus Domine, & ſanctificentur per iſtam Unctionem, & noſtram Benedictionem, ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint; & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur.* Hujus opinionis duo poſſunt aſſignari fundamenta. *Unum eſt*, quod hujuſmodi Unctio manuum ordinando-
43 rum ad Presbyteratum eſt antiquiſſima; ſiquidem reperitur annotata non ſolùm in omnibus Ritualibus Latinis antiquis, quos Morinus tranſcripſit *d. part. 2. de Sacr. Ordin. à pag.* 217. *& ſeqq.* Sed etiam in antiquiſſimo, & omnium antiquorum primo, quem ſcriptum fuiſſe Anno 500. affirmat ipſemet Morinus, *ibid. pag.* 212. in gratiam Eccleſiæ Pictavienſis; & nunc conſervari in Bibliotheca Viri Ampliſſimi D. Petavii Senatoris Parlamenti Pariſienſis integerrimi. Si enim eſt Materia Presbyteratus traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum Hoſtia, quæ recentior eſt, ac poſterior in Ritualibus; multò magis dicendum videtur, Materiam quoque eſſe prædictam manuum Unctionem, quæ antiquior eſt, imò antiquiſſima in Eccleſia Latina, & de ea conſtat, quod fuerit in uſu circa quintum ſæculum à Chriſti Nativitate. *Alterum* fundamentum eſſe po-
44 teſt, quod proprium officium eſt Presbyterorum benedicere tùm perſonas, ut in Miſſa, tùm infirmos, ac alias res materiales comeſtibilia, candelas, palmas, & hujuſmodi, de quibus in Rituali Romano: hoc autem officium, ſeu poteſtas in Sacerdotibus provenire videtur ab hac manuum Unctione cum Oleo Sacro, quam receperunt in eorum Ordinatione. Hinc Quartus in Tractatu de Benedictionibus *tit. 1. ſect. 4. dub. 2.* ita ſcribit: *Sacerdotes conſecrantur, ut ſint præcipui Chriſti Miniſtri, & diſpenſatores Myſteriorum Dei, ex Apoſtolo 1. Cor. 4. Cum ergò per Benedictiones diſpenſentur gratiæ, & dona Dei, meritò Eccleſia adnexuit Ordini Sacerdotali munus benedicendi; itaut ſoli Sacerdotes ſint Miniſtri Benedictionum. Quare dum quis ordinatur Sacerdos* (notetur) *ejuſque manus conſecrantur, ſic ei dicitur ab Epiſcopo conſecrante: Ut quæcunque benedixerit, benedicantur; & quæcunque conſecraverit, conſecrentur, ſicuti conſtat ex Pontificali Romano tit. de Ordin. Presbyteri.*

Nihilominùs pauciſſimi ſunt Auctores, qui hanc opinionem approbaverint, ut teſtatur ipſemet Morinus *part. 3. Exercit. 7. cap. 1. num. 6.* ita dicens:
*Sententiam iſtam amplexus eſt Cardina-* 45
*lis Hoſius; pauciſſimi, aut nulli eum ſecuti ſunt, licèt præcedentibus omnibus ſit probabilior, ut potè Patrum dictis, & antiquis Ritualibus multò conformior.* Sed nec mirandum, quod non reperti ſint ſectatores opinionis Hoſii, quia officium benedicendi ſpectat ad Presbyteros tanquam omnium fidelium ſpirituales Patres, quorum officium eſt filios benedicere, ut ſubdit Quartus *d. dub. 2.* Unctio autem manuum in ordinatione habet alia myſteria, relata ab Amalario *De Offic. Eccleſ. libr. 2. cap.*
13. his verbis: *Ordinandis Ordine Pres-* 46
*byteratus unguntur Manus ab Epiſcopo, tùm ut ſint mundæ ad Hoſtiam Deo offerendam, tùm ut ſint largæ ad omnia pietatis Officia.* Quare Hoſii opinionem refutat Gobatus *d. tract. 8. num.* 128. ubi *num.* 130. ait, nihil innovandum, ſi per errorem Unctio facta fuiſſet cum Chriſmate.

Ex his igitur quatuor opinionibus hucuſque relatis circa Materiam, & Formam Ordinis Presbyteratus, videndum
eſt, quænam ex ipſis ſit eligenda, & 47
approbanda? Et equidem Tertia eſt, quam

quam ampleſtuntur communiter Theologi, ac Canoniſtæ; & quam nos quoque ſequi debemus, aliis tribus prorsùs exploſis, ac derelictis. Rationes, & Fundamenta inconcuſſa illa ſunt, quæ pro probatione ejuſdem Tertiæ opinionis retulimus; ſed illud præcipuum, quod in Ordinatione Presbyteri duæ traduntur ipſi poteſtates, Una in verum Chriſti Corpus, ut poſſit Euchariſtiam conſecrare, & offerre; Altera in Chriſti Corpus myſticum, quod eſt populus fidelis, ut valeat eum abſolve-
48 re à peccatis. Idcircò opus eſt duabus diſtinctis materiis, ac formis ad conferendas has duas poteſtates; nam etſi prima ſtet, & ſtare poſſit in Presbytero abſque ſecunda; per eamdem primam obtentam ipſe non habet ſecundam; adeòut ſi Epiſcopus moreretur poſt factam Ordinando traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia, unà cum recitatione formæ, talis ordinatus poſſet quidem conſecrare Euchariſtiam, ac dicere validè Miſſam, ſed non eſſet habilis ad abſolvendos fideles à peccatis. Caſtropal. *d. part.* 4. *tract.* 27. *punct.* 4. *num.*7. Salmanticenſes *De Sacram. Ord. tract.*8. *cap.*3. *num.* 41. *&* 42. ubi alios citant. Prout è contra, quia ſecunda poteſtas non poteſt ſtare ſine prima; nec poteſt initiandus Sacerdotio obtinere facultatem abſolvendi à peccatis, niſi prius receperit poteſtatem con-
49 ſecrandi Corpus, & Sanguinem Domini; ſequitur dicendum, quod ſi eidem initiando fieret manus impoſitio cum illis verbis, *Accipe Spiritum Sanctum; quibus remiſeris peccata remittuntur eis &c.* fruſtratoria eſſet illa manus impoſitio, & prolatio illius formæ; & nullam initiandus reciperet poteſtatem, ut probat Biſſus mox citandus; ea repetita ratione, quod ſicut Chriſtus Dominus primùm dedit Apoſtolis in ultima Cœna facultatem conſecrandi, & offe-
50 rendi Corpus, ac Sanguinem ſuum; deindè poſt Reſurrectionem, (ut habetur *Joan.* 20. 22.) *Inſufflavit, & dixit eis, Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* ita Epiſcopus in ordinatione Presbyterorum debet priùs iiſdem conferre poteſtatem conſecrandi, & offerendi Euchariſtiam per traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia; dicendo *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium in Eccleſia Dei &c.* poſtea verò debet iiſdem dare facultatem abſolvendi à peccatis, imponendo eis manum ſuper caput, & dicendo *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Ita tenent, ac docent Theologi Scholaſtici, ac Moraliſtæ, nec non Sacrorum Canonum expoſitores, quos citavimus ſupra poſt *num.* 40. quibus noviſſimè adſtipulatur Biſſus *in Hierurgia tom.* 2. *Verb. Materia Sacramentorum num.* 107. §. 90. qui ſubindè in ſequenti §. 92. notabiliter dicit, quod ſola ultima manuum impoſitio, quam 51
facit Epiſcopus ſuper ordinando Sacerdote cum illis verbis *Accipe Spiritum Sanctum, cui remiſeris peccata &c.* eſt altera materia, & forma partialis de eſſentia Ordinationis Presbyteri, per quam eidem confertur poteſtas abſolvendi à peccatis; non autem illa prior manuum impoſitio, quam facit Epiſcopus ſimul cum aliis Sacerdotibus adſtantibus, & quæ præcedit traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia; illa enim non eſt eſſentialis, nullum imprimit characterem, & nullam tribuit poteſtatem, ut aſſerebat Morinus *ſupra num.* 37. & quem retudimus *num.* 40. Hoc autem comprobat Biſſus *d.*§.92. duplici ratione. Prima, quia cum nondum ſit data facultas conſecrandi ipſi initiando, non eſt capax poteſtatis abſolvendi à peccatis. Altera, quia ſi hæc poteſtas abſolvendi daretur per priorem impoſitionem manuum, quæ fit à pluribus Presbyteris adſtantibus unà cum Epiſcopo, ſequeretur, eoſdem Presby- 52
teros eſſe Miniſtros Sacramenti Ordinis; nec Epiſcopum ſine illis poſſe Ordinem Presbyteratus conferre; contra doctrinam univerſalem Eccleſiæ; de qua diſſerit idem Biſſus *d. tom.* 2. *Verb. Miniſter Sacramentorum. num.* 171. §. 38. ubi ex Cabaſutio in *Notitia Concilior. cap.*2. *propè fin.* narrat, Synodum Alexan-

xandrinam obtinuiſſe declarari à S. Julio Papa I. *Anno* 342. Ichyram calum-
53 niatorem S. Athanaſii non fuiſſe verum Sacerdotem, eò quia ordinatus fuerat à Collutho ſimplici Presbytero, non autem Epiſcopo. De hoc Collutho ſic ſcribit Spondanus *ad Annum Chriſti* 315. *num.* 12. *His quoque temporibus, quibus Arius prodiit, Colluthus æquè Presbyter Alexandrinus, & uni ex Eccleſiis ejuſdem Civitatis Præpoſitus, ſe, cum non eſſet, Epiſcopum gerens cœpit ordinare Presbyteros, & docere hæreſim &c.* Retenta igitur ſupradicta tertia Opinione.

Reſtat, ut ſatisfaciamus objectioni, quæ urgere videtur contra illam; ſcilicèt ut reſpondeamus Ritualibus antiquis Græcis, & Latinis, de quibus ſupra *num.* 31. quorum ſilentium circa traditionem Calicis cum vino, ac Patenæ cum pane in ordinatione Sacerdotum amplificat Morinus, *eodem num.* 31. reputans ipſos Rituales libros teſtes omni exceptione majores ad probandum quod per mille annos, & ultrà incognita, inuſitata, & numquam adhibita fuerit dicta Calicis, ac Patenæ cum pane, & vino traditio in Presbyteris ordinandis. Reſpondetur primò, quod prædicti Libri Rituales non ſunt textus Canonici, nec Scriptura Sacra, ut iiſdem tanta, & tota fides præſtari debeat, ut præſtat
54 Morinus; imò de Jure nullam videantur facere probationem, cum ſint ſine die, ſine anno, ſine ſigillo publico, ſine nomine ſcriptoris, & ſint ſumpti ſine expreſſione originalis, à quo fuerint tranſumpti. Certum eſt autem in Jure, quod Scriptura etſi antiqua, etſi in aliquo publico Archivio reperta, quando eſt ſine die, & anno, ſine ſigillo, ſine nomine Auctoris, ſine ſubſcriptione publici Notarii, dicitur informis, & nihil probat. Ita Rota Romana *part.* 2.
55 *recent. Deciſ.* 382. *num.*2. & ibi Bartolus & alii DD. *in Auth. Ad hæc C. de Fide Inſtrument.* Puteus *Deciſ.* 136. *num.*2. *libr.* 3. & Capycius *Deciſ.* 104 *part.* 2. Undè poteſt eſſe, quod primus Scriptor alicujus ex ipſis Ritualibus Libris inadvertenter omiſerit verba *traditionis Calicis cum vino, & Patenæ cum pane in ordinatione Sacerdotum;* & ab eodem libro ſic imperfecto, & cum tali omiſſione alii Scriptores alia ſumpta fecerint. & ſic omnes ſubſequentes Rituales cum hoc mendo, & errore ſcripti fuerint. Hæc præſumptio confirmatur, reflectendo, quod omnes illi Rituales ſunt Gallicani, ideſt ſpectantes ad Bibliothecas, ſeu Archivia Monaſteriorum, ſivè Eccleſiarum in Gallia exiſtentium; vocantur enim ab eodem Morino iidem Rituales *Pictavienſis, Corbejenſis, Rothomagenſis, Remenſis, Senonenſis, S. Germani, & Tuanus* loca omnia Gallicana; ideòque mirum non debet eſſe, ſi error primi tranſierit in ſubſequentes tanquam ſcripti in eadem Regione, & in eodem Regno, juxta illud *Matth.*15. 16. *Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt.* Augetur præſumptio, quod per errorem ſcribentium omiſſa fuerit mentio *traditionis Calicis, & Patenæ cum vino, & pane,* dum ordinantur Presbyteri in iiſdem Ritualibus Gallicanis, ex eo quia in Rituali Romano Abbatis Cajetani antiquiſſimo, & quò ad annos æquiparante, & forſan ſuperante omnes prænominatos Rituales in Gallia exiſtentes; & quem Morinus tranſcripſit Romæ, & cuſum inſervit *in d. part.* 2. *Sacr. Ord. pag.* 257. continetur prædicta traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia dum Sacerdotes conſecrantur, ut obſervavimus ſupra *num.* 33. accedente atteſtatione traditionis eorumdem Calicis, & Patenæ, quam facit Albinus Alcuinus diſcipulus Venerabilis Bedæ, quam pariter retulimus ſupra *num.* 29. Atteſtatio hæc, & illa Ritualis Cajetani excedunt Annos mille; Rituales autem Gallicani à Morino poſiti ſunt aut ejuſdem ætatis ad ſummum, aut etiam juniores. Deducitur, in iiſdem per errorem ſcribentium fuiſſe omiſſam Calicis, & Patenæ traditionem; error enim ſufficienter probatur, quando oſtenditur, rem ſe aliter habere. *l. De ætate. §. fin. & l. Cum de indebito. ff. de Probat.* Bartolus in *l. Non fatetur. num.* 10. 56

*ff. de*

*ff. de Confeſſ.* Rota *part.* 4. *rec. tom.* 1. *Deciſ.* 482. *num.* 5.

Reſpondetur ſecundò: Supponamus, eoſdem Rituales Libros ſcriptos eſſe ſine errore ſcribentium; illis tamen prævalere debet Traditio Apoſtolica do-
57 cens nos, quod ſemper in Eccleſia Romana materia in ordinatione Sacerdotum partialis fuit Calix cum vino, & Patena cum pane; quem, & quam Epiſcopus tangendam porrigit ordinando. Nec turbare debet, quod horum Inſtrumentorum porrectio non legatur ſcripta per prima ſeptem ſæcula Eccleſiæ circiter; ſiquidem Traditio Apoſtolica non fundatur in ſcriptura, ſed in uſu, conſuetudine, & praxi ſemper ſervata ab Eccleſia Romana, quæ ſemper fideliter ſervavit, & ſervat Traditiones Apoſtolorum incorruptas, ut probavimus ſupra *Deciſ. VII. num.* 32. & legitur *in cap. Eccleſiaſticarum.* 11. *diſt.* ubi referuntur quamplurimæ actiones ſacræ, & cæremoniæ, quæ ſemper fuerunt ab Eccleſia Romana ſervatæ in Sacrificio Miſſæ, & in Sacramentorum miniſtratione tanquam traditæ ab Apoſtolis; & nihilominùs nullibi reperiuntur notatæ, vel ſcriptæ. Idcircò idem judicium fieri poteſt de hac materia Ordinis Presbyteratus in traditione Calicis, & Patenæ cum vino, & hoſtia; quod ſcilicèt eam Eccleſia Romana acceperit à Divo Petro, & ſemper fuerit ſervata, & adhibita in Sacerdotibus initiandis, etſi non fuerit ſcripta, niſi in ſeptimo circiter ſæculo, in quo præſumitur ſcriptus Liber Ritualis Abbatis Cajetani, relatus à Morino *d. part.* 2. *pag.* 262. faciens mentionem eiuſdem Calicis, & Patenæ porrectionis; & in quo de ea fuit locutus diſcipulus Ven. Bedæ Albinus Alcuinus.

Reſpondetur tertiò. Eſtò, quod uſque ad ſeptimum ſæculum ſola materia Ordinis Presbyteratus fuerit manuum impoſitio; ut ſervat Eccleſia Græca, & ſupponunt Rituales Libri Latini pervetuſti: Nihilominùs, deindè ſucceſſit in gradum materiæ partialis ipſamet traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane ex Eccleſiæ legitimo decreto; ſiquidem ut demonſtratum eſt *d. Deciſ. VII. ſupra nu.* 27. & 28. Theologi omnes, & Canoniſtæ docent, Eccleſiam poſſe materiam ac formam Sa- 58
cramenti Ordinis immutare ex conceſſione Chriſti, qui utramque inſtituit non in individuo, ſed tantùm in genere; videlicet, ut materia eſſet in re ſenſibili cum forma Verborum apta ad ſignificandam virtutem, poteſtatem, & miniſterium Ordinis conferendi. Hinc fit, ut Græci conferant Ordines ſola impoſitione manuum cum Verbis habentibus ſignificationem ejuſdem miniſterii, & officii, quæ Verba formalia Eccleſia ipſa Orientalis non ſemel mutavit, ut ex Conſt. Apoſtolicis S. Clementis, & ex eorum Euchologiis. Hoc idem fecit Eccleſia Latina ad majorem expreſſionem poteſtatis in Ordinibus, tàm minoribus, quàm majoribus collatæ, addendo traditionem Inſtrumentorum, quæ in promovendis Presbyteris ſunt Calix cum vino, & Patena cum pane. Hanc doctrinam, & diſtinctionem gratam, & ratam eſſe ait Morinus *d. part.* 3. *de Sacr. Ord. Exercit.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. non ſolùm Canoniſtis, & Theologis Italis antiquis, & modernis *ibi*, & in *libr.* 8. *de Sacram. Pœnitentiæ cap.* 17. per eum relatis, & à nobis *d. Deciſ. VII. num.* 28. recenſitis, ſed etiam Scholaſticis in tota Gallia celeberrimis; inter quos connumerat Nicolaum Iſam- 59
bertum Virum Clariſſimum, qui plurimos annos Theologiam Regiis ſtipendiis magna cum fama, & hominum concurſu Pariſiis publicè docuit; nec non Philippum Gamacchæum, quem appellat, alterum, dum viveret, Sorbonæ lumen; atque Franciſcum Hallerium doctiſſimum hominem, qui *De Mater. & Form. Ordinat. art.* 1. *cap.* 2. §. 21 *ſect.* 57. ita habet: *Negandum eſt Materias Sacramentorum Pœnitentiæ, Ordinis, ac Matrimonii ab Eccleſia variatas eſſe in ea ratione formali, ſecundum quas à Chriſto inſtitutæ ſunt Sacramentorum materiæ. Negandum in diverſis Eccleſiis eas ſecundum illam rationem*

*tionem eſſe diverſas; quamvis materialiter, ut ita dicam, & ut res quædam in ſe ſunt, nec per reſpectum ad Sacramentum, cujus ſunt Materiæ conſiderentur, & variatæ fuerint, & in diverſis Eccleſiis diverſæ ſint. Alio ritu Græci, alio Latini ordinant: alio à nobis ritu hoc tempore, alio primis Eccleſiæ ſæculis Ordinationes peractæ ſunt, manente ſemper eadem materia, ut eſt ſignum ſpiritualis poteſtatis traditæ, quamvis diverſa ſit, prout diverſæ res ad hanc poteſtatem ſignificandam aſſumptæ ſunt.*

Galli hi eximii Didiſcali omnem ab intellectu Morini abſtulerunt difficultatem circa varietatem materiæ, ac formæ in Sacramento Ordinis, & præcipuè in inaugurandis Presbyteris; quapropter ipſemet in *d. part. 3. de Sacr. Ord. Exercit. 1. cap. 1. num.* 19. ſic confitetur: *Admiſſa hac diſtinctione, nulla ſupereſt ampliùs difficultas, nec in varietate, quæ conſpicitur inter Latinos, & Græcos comparanti utriuſque gentis Ordinationes: nec in varietate, quæ conſpicitur inter Latinos ſolos comparanti antiquos eorum Rituales cum recentioribus. Semper enim erit in promptu, & uſquequaque recurret ad unamquamque innovationem, vel factam, vel faciendam, Chriſtum materias, & formas quorumdam Sacramentorum in genere tantùm inſtituiſſe, & univerſaliter decreviſſe, ſenſibile quoddam pro materia eſſe ab Eccleſia aſſignandum, quod ex uſu gentis poteſtatem ſignificaret, quam tradit per illius ſenſibilis applicationem. Hoc autem, vel illud ſenſibile in individuo Eccleſiam illis ſæculis ſecundum poteſtatem à Chriſto acceptam aſſignaſſe pro materia: iſtis verò ſæculis, atque etiam nunc, aliud ſenſibile, ſivè aliam materiam optimis de cauſis ſubſtituiſſe; vel declarando priorem eſſe tantùm nunc accidentalem, poſteriorem autem ſubſtantialem; vel priorem, & antiquam prorsùs abrogando.*

Hucuſque Morini verba, quibus concedit, legitimas eſſe duas materias, ac formas partiales, & ambas ſubſtantiales in ordinatione Sacerdotum; traditionem ſcilicèt Calicis cum vino, & Patenæ cum pane, dicente Epiſcopo: *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificii &c.* & Manus impoſitionem, Epiſcopo pariter proferente; *Accipe Spiritum Sanctum, cui remiſeris peccata &c.* & per conſequens per illa verba Morinus abrenunciat ſuæ præcedenti periculoſæ doctrinæ, quod ſola materia eſſentialis Ordinis Presbyteratus eſſet Manuum impoſitio; & hæc non illa ultima, quam facit Epiſcopus dicens *Accipe Spiritum Sanctum &c.* ſed illa prior, quam factitant cum Epiſcopo alii Presbyteri aſſiſtentes; eam accidentalem recognoſcendo.

## DECISIO XXXIII.

### ARGUMENTUM.

Quæſtiones octo curioſæ, ſed ſcitu neceſſariæ, concernentes Materiam, & Formam Ordinis Presbyteratus, proponuntur, examinantnr, & reſolvuntur in præſenti Deciſione. Deindè oſtenditur, quid poſſit, & debeat facere Semipresbyter, ideſt ille, qui poſt contactum Calicis, & Patenæ in ſua Sacerdotali Ordinatione, diſceſſit ab Eccleſia ob nimios dolores corporis, non recepta manus Epiſcopi impoſitione cum Verbis, *Accipe Spiritum Sanctum &c.*

### SUMMARIUM.

1 *An Calix, & Patena tangendi in ordinatione Presbyteri debeant eſſe conſecrati?*

2 *Calix vacuus, & Patena ſine hoſtia an ſint materia ſufficiens Ordinis Presbyteratus?*

3 *Patena cum hoſtia, & Calix vacuus: ſeu Calix cum vino, & Patena ſine hoſtia*

*ne hoſtia an ſint materia ejuſdem Ordinis Presbyteratus?* & nu. 6.

4 *Miſſa an celebrari poſſit cum ſola ſpecie Panis?*

5 *Norvegis an fuerit conceſſum celebrare Miſſam ſine Vino?*

6 *Cæremoniarum Magiſtri diligentia in Ordinationibus Sacris.*

7 *Ordinatus Presbyter tactu unius ſpeciei panis, vel vini tantùm, an ſit ſuſpenſus? & Irregularis?*

8 *Poteſtas conſecrandi Panem an per concomitantiam contineat poteſtatem conſecrandi Vinum?*

9 *Fabuloſa eſt diſpenſatio celebrandi Miſſam ſine Vino.*

10 *Tangere ſolummodò Calicem, vel ſolam Patenam an ſufficiat ordinando Presbytero?*

11 *Polluta Eccleſia polluitur etiam Cæmeterium ei contiguum.*

12 *Ordinandi Presbyteri qua methodo tangent ſimul Calicem, & Patenam.*

13 *Tactus Calicis, & Patenæ an debeat eſſe Phyſicus, vel Moralis?*

14 *Hoſtia ſtans in Patena an ſit tangenda ab ordinando Presbytero?*

15 *Calix, & Patena an ab ipſo Epiſcopo ſint tradendi Ordinando?*

16 *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur.*

17 *Materia Sacramenti eſt applicanda à formam proferente.*

18 *Sagienſis Civitas ubi ſit?*

19 *Tactus Calicis, & Patenæ an ſufficiat factus ante, vel poſt prolationem Formæ.*

20 *Simultas mathematica Materiæ, & formæ non requiritur in Sacramentis, ſed moralis.*

21 *Offerri, pro offerre, an vitiet formam Ordinis Presbyteratus?*

22 *Forma hæc ab alio prolata vitiat Ordinationem?*

23 *Ordinandus Sacerdos, ſi poſt tactum Calicis, ac Patenæ, ob dolores corporis diſcedat ab Eccleſia, an poſſit celebrare Miſſam?*

Duæ ſunt itaque Materiæ, ac Formæ partiales Ordinis Presbyteratus in Eccleſia Latina; traditio ſcilicèt Calicis cum vino, ac Patenæ cum pane ſub propria forma verborum; nec non impoſitio manus, quam in fine Ordinationis facit Epiſcopus cum illis formalibus verbis: *Accipe Spiritum Sanctum &c.* Circa primam materiam, Scholaſtici promovent octo quæſtiones; quas ne ſtudioſi noſtri ignorent, vel alibi cogantur inquirere, hic ſunt breviter proponendæ, ac examinandæ.

Prima Quæſtio eſt, An Calix cum Patena, quem Epiſcopus tangendum porrigit initiando Presbyteratu, debeat eſſe unà cum ipſa Patena conſecratus? & an Ordinatio ſit irrita, ſi fuerit abſ- 1
que conſecratione? Duæ ſunt opiniones: Una Caſtropalai *tom.* 4. *tract.* 27. *punct.* 5. *num.* 5. & aliorum ibi citatorum docentium: De neceſſitate Sacramenti, Calicem, & Patenam conſecratam eſſe debere, quia ſecluſa conſecratione, non ſunt vaſa ſacrificii, neque ad ſacrificium deputata. Ergo eorum traditio, & contactus ad ſacrificium referri non poteſt, neque ſignificare tangentem ea vaſa, eo contactu in ſacrificii obſequium deputari. Quare, eſtò, nullibi cavcatur, prædicta Vaſa conſecrata eſſe debere, id ex natura rei ſequitur ob ſignificationem, quam habere debet materia Ordinationis. Nec obſtat, quod validè conſecretur Corpus, & Sanguis Chriſti etiam in Patena, & Calice non conſecratis; quia Euchariſtiæ confectio pendet ſolùm ex materia Panis, & Vini; at Ordinatio Presbyteri pendet ex ſignificatione Sacrificii, quod in ſolis ſacratis Vaſibus perficitur. Præterquamquod, ſi Calix, & Patena non ſacrati ſufficerent ad inaugurandum Presbyterum, ſequeretur eumdem ordinari poſſe per traditionem cujuſcunque vaſculi terrei, vel lignei, nam in ſimilibus vaſibus ſi conficeretur Euchariſtia validè fieret conſecratio. Ita Caſtropalaus ubi ſupra, nec non Diana *part.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 20. §. 9. reportata à Coordinante ejus opera in Coordinato *tom.* 3. *tract.* 5.

*reſol.*7. Cui adhæret Quartus in *Rubric. Miſſal. part.*3. *tit.*1. *ſect.*2. *dub.*4. concludens, quod *ſic ordinatus non eſt tutus in praxi, ſed iterum ſub conditione ordinari debet*, ut etiam ſentit Diana *ubi ſupr.* §.10.

Contrarium tamen ſentit Biſſus *in Hierurgia Verb. Materia Sacramentorum num.* 107. §. 48. ubi ita. *Quæritur, Utrùm Calix, & Patena debeant eſſe de neceſſitate conſecrata? Reſpondeo, probabiliſſimam eſſe ſententiam negativam, ſaltem loquendo de neceſſitate Sacramenti, quia in iis non conſecratis poteſt validè confici Euchariſtia. Ergo etiam per traditionem illorum Vaſorum non conſecratorum poterit dari poteſtas ad conſecrandum.* Hæc opinio videtur amplectenda ex hac alia ponderante ratione; quod ſcilicèt illa eſt materia apta in Sacramento Ordinis, quæ habet vim ſignificandi poteſtatem, quæ traditur ordinato. At per Calicem, & Patenam, etſi non conſecrata, facta tamen juxta uſum, & formam Eccleſiæ Latinæ, denotatur in eorum traditione Ordinandis Presbyteris poteſtas, quæ tunc eis confertur. Ergo ſunt materia ſufficiens. Nec urget objectum factum à Diana, quod etiam quæcunque Vaſa terrea, lignea, & hujuſmodi dicerentur materia ſufficiens Ordinis Presbyteratus; negatur enim hæc paritas, & hæc conſequentia; quia ex eorum Vaſorum aſpectu non reſultat demonſtratio facultatis tradendæ in ordinatione pro Euchariſtia conficienda; ſiquidem etſi validè conficeretur in Vaſibus terreis, ac ligneis, ut erat in uſu in primis ſæculis Eccleſiæ; attamen in præſenti, cum hæc vaſa ſint à tanto tempore proſcripta, non retinent ampliùs vim demonſtrandi Sacerdotalem poteſtatem in Euchariſtia conficienda, prout habent Calix, & Patena ex argento, & auro ad formam præſentium temporum, quam Eccleſia adhibet. Idcircò hanc opinionem amplectitur Leander *de Sacram. tom.*2. *tract.* 6. *diſp.* 3. *q.* 16. Opatovius, & Geſualdus, quos citat, licèt non ſequatur Diana *d. reſol.* 7. §. 10. in Coordinato.

Secunda Quæſtio eſt, An inaugurandus Sacerdos ſit verè ordinatus, ſi ei porrigatur tangendus Calix vacuus, ac Patena ſine hoſtia? Ad hanc quæſtionem concorditer reſpondent omnes 2 Theologi negativè; ea ratione, quia Concilium Florentinum in ſæpè citato Decreto Eugenii IV. *pro Inſtruct. Armenor.* expreſsè enunciavit, Materiam Ordinis Presbyteratus eſſe *traditionem Calicis cum vino, & Patenæ cum hoſtia*. Ergo ſi deſit hoſtia, & vinum, illa Vaſa non ſunt materia apta illius Ordinis. Ratio rationis eſt, quia non ſignificant poteſtatem conſecrandi, & tranſubſtantiandi panem in Carnem, & vinum in Sanguinem Chriſti. Ulteriùs nulla eſſet differentia inter materiam Ordinis Subdiaconatus, & Ordinis Presbyteratus. Quare Joan. della Cruz *in Director. Conſcien. part.* 2. *de Sacram. Ord. dub.* 2. *concluſ.* 1. ita ſcribit: *Materia Sacerdotis eſt traditio Patenæ cum hoſtia, & Calicis cum vino; ita ut ſi in Patena non ſit hoſtia triticea, & in Calice vinum vitis, non manet ordinatus*. Idem ſentit Ledeſma *in Summa tom.* 1. *de Sacram. Ord. cap.* 3. *diffic.* 3. quibus adſtipulatur Biſſus *d. Verb. Materia Sacramentorum num.* 107. §. 99. ubi hanc ulteriùs reddit rationem: *Neceſſarium eſt, quod in Calice ſit vinum, & ſuper Patenam hoſtia; eò quia in Ordinatione Presbyteri non datur poteſtas conſecrandi Calicem, & Patenam; ſed panem, & vinum; quocirca ſolus Calix, & Patena non erunt ſufficiens Materia*.

Tertia autem Quæſtio difficilior, & magis agitata eſt, An initiandus Sacerdotio ſit validè ordinatus, ſi ei porrigatur Patena cum hoſtia, ſed Calix vacuus ſine vino? Vel è contra Calix cum 3 vino, ſed Patena vacua, ac ſine hoſtia? Plurimi affirmant. Plurimi negant. Illi, qui affirmativam amplectuntur opinionem, innituntur duobus fundamentis. *Uno*, quia poteſtas ad utramque ſpeciem conficiendam eſt indiviſibilis, & una in alia quaſi per concomitantiam continetur; undè ſicut in una ſpecie reperitur totum Euchariſtiæ Sacramen-

mentum, quia per concomitantiam in Hoſtia eſt Sanguis Chriſti, & in Calice Sanguis, & caro; ſic poteſtas, quæ per traditionem unius ſpeciei ad conſecrandam illam tribuitur, includit per concomitantiam poteſtatem ad aliam ſpeciem conſecrandam. Ergo quamvis una dumtaxat ſpecies porrigatur Ordinando, fit verus Sacerdos ad totam Euchariſtiam conficiendam. *Altero*, quia ex plurimorum DD. placito validè, etſi non licitè, conſecrari poteſt in Miſſa una ſpecies ſine altera; imò licitè ex diſpenſatione Summi Pontificis, juxta id,
4 quod refert Volaterranus *lib. 7. Geographiæ cap. 4.* Onuphrius Panvinus *in Chronico Anno* 1490. & Fagnanus *in cap. Cum veniſſet. num. 30. de Sacr. Unct. tom. 2.* videlicèt ab Innocentio VIII. fuiſſe conceſſum populis Norvegiæ, vitibus, ac vino ob rigidiſſima regionis
5 illius frigora carentibus, ut ibi Miſſa in ſola ſpecie panis celebraretur. Ergo ſimiliter poteſt ordinari Sacerdos per unius ſpeciei tantùm traditionem. Ita Henriquez *lib. 10. cap. 6. num. 1.* Bonacina *de Sacram. diſp. 8. q. Unic. punct. 3. num. 3.* Filliucius, Homobonus, & alii apud inordinatum Dianam *part. 3. tract. 4. reſol.* 185. translata in Coordinatum *d. tom. 3. tract. 5. reſol.* 13. in qua adhæret huic opinioni affirmativæ.

Negativa verò opinio communior eſt, & procedit ſtipata majori & rationum, & Doctorum numero. Rationes ſunt. *Primò*, quia Concilium Florentinum apertè requirit pro materia
6 utramque ſpeciem panis, & vini cum Patena, & Calice. *Secundò*, quia forma, quam profert Epiſcopus in traditione Calicis, & Patenæ non reſpicit alterutram partem Materiæ tantùm, ſed utramque ex æquo. Ergo utraque pars materiæ, & utraque ſpecies requiritur ex æquo ad valorem collationis Ordinis Presbyteratus. *Tertiò*, quia Patena cum pane, & Calix cum vino non traduntur diviſim, ſed ſimul. Ergo, ſignum eſt neutram ſpeciem diviſam, ſeu per ſe ſolam ſufficere ad validitatem Ordinationis. *Quartò*, quia Forma, ſeu verba, quæ profert Epiſcopus in porrectione materiæ ſignificant poteſtatem offerendi Sacrificii juxta ſolitum modum, quo offertur in Eccleſia. At modus iſte eſt, ut offeratur, & offerri debeat ſub utraque ſpecie panis, & vini. Ergo utraque ſpecies debet intervenire in Ordinatione. *Quintò*, poteſtas, quæ datur in ordinatione Presbytero eſt ad conſecrandum integrum Euchariſtiæ Sacramentum. Sed hæc integritas Sacramenti conficiendi non ſalvatur in unâ tantùm ſpecie, ſed utraque eſſentialiter requiritur. Ergo etiam utraque materia eſt neceſſaria ad prædictam poteſtatem conferendam. *Sextò*, hæc poteſtas ad utramque ſpeciem conſecrandam una, & indiviſibilis eſt, ſicut unus, & indiviſibilis eſt character pro utroque munere, & pro utraque conſecratione. Igitur dari non poteſt diviſa, ſeu pro parte, ideſt pro conſecranda ſpecie, quæ porrigitur tantùm. Igitur nulla poteſtas conceditur, ſi non ambæ ſpecies, ſed una tantùm pro materia Ordinationis porrigatur. Ita argumentantur, & tenent Tannerus, Villalobos, Ledeſma, Averſa, Bauny, & alii, quos citat Diana, & quibus adhæret, abjurata prima opinione *in part. 4. tract. 4. reſol. 119.* nec non *in part. 6. tract. 8. reſol. 22.* quæ tranſferunt in Coordinatum *tom. 3. tract. 5. reſol. 14. & 15.* Hanc eamdem amplexi ſunt Salmanticenſes *de Sacram. Ord. tract. 8. cap 3. num. 47.* & ibi Granadus, Philibertus, Gabriel, & alii; quibus ego addo Emin. Card. de Lugo in Reſponſis Moralibus *lib. 1. dub. 30. num. 6.* prout etiam Gobatum *in Theol. Experim. tract. 8. à num. 98. & ſeqq.* & hi duo ultimi eximii Auctores teſtantur non ſemel hanc Quæſtionem eveniſſe in praxi, ob inadvertentiam Magiſtrorum Cæremoniarum, qui in actu ordinationum 7
exhibuerunt Epiſcopo Patenam cum hoſtia; ſed Calicem vacuum, ſine vino porrigendum, prout porrexit tangendum initiandis; cumque completa ordinatione, & cognita deficientia vini in Calice, magna orta eſſet diſputatio, an forent Presbyteri validè ordinati?

Emin. Card. de Lugo, atque Gobatus ſcripſerunt pro negativa ex rationibus, & Theologis ſupra pro ea allegatis; addentes Presbyteros ita inauguratos eſſe iterum ordinandos, ſub conditione; ne remaneant expoſiti multis Sacrilegiis, quæ committerent, ſi nulla exiſtente eorum prima Ordinatione, ob deficientiam vini in Calice iiſdem ad tangendum porrecto, celebrarent, & abſolverent invalidè à peccatis. Imò ſubdit ibidem Gobatus *ſub num. 98. & 99.* quod ſi de facto celebraſſent non reordinati, & ab aliquo ſtipendium accepiſſent pro Miſſa, ultrà peccatum mortale, eſſent obligati ad reſtitutionem; ſe tamen in eorum favorem putare, quod in nullam incurriſſent ſuſpenſionem, aut irregularitatem, tùm ob bonam fidem,
7 & opinionem validæ ſuæ ordinationis, pro qua ſtant tot Theologi ſupra commemorati, etſi magis probabilis, ac ſecurior opinio ſit iſta, de nullitate prioris ordinationis, & de ea repetenda; tùm quia nullus eſt canon, ſeu textus Canonicus, qui in ſic ordinatos cenſuram, aut ſic celebrantes irregularitatem infligat. Qua doctrina, & opinione retenta:

Non obſtant fundamenta contraria. Non primum, quod in poteſtate tradita conſecrandi ſpeciem exhibitam ordinando ad tangendum; per concomitantiam cenſeatur data etiam poteſtas con-
8 ſecrandi ſpeciem, quæ non fuit exhibita; ad imitationem utriuſque ſpeciei Sacramentalis Euchariſticæ, in alterutra quarum per concomitantiam reperitur & Corpus,& Sanguis Chriſti. Nam reſpondetur; in conſecratione utriuſque ſpeciei Euchariſticæ haberi ſuas proprias diſtinctas formas, ſcilicet verba, quibus tàm panis, quàm vinum diviſim conſecratur, & tranſubſtantiatur, ideò cum ſint duæ conſecrationes, promanantes à duabus formis, una ſubſiſtit ſine altera; & in ſubſiſtente reperitur per concomitantiam illa altera, quæ non fuit de per ſe conſecrata. At in ordinatione Presbyterorum unica; & ſingularis eſt poteſtas, quæ iiſdem confertur ad conſecrandum, & offerendum, & hæc datur eis ſub unica forma verborum, ut dictum eſt ſupra, non ſub duabus formis; & ex hoc ſequitur, quod ſi utraque ſpecies panis, & vini non detur tangenda Ordinando in Calice, ac Patena ſimul, & eodem tempore, ſed una tantùm, nullam recipiat poteſtatem; cum hæc ſit indiviſibilis, & incommunicabilis pro diviſa, & pro parte; ut latiùs reſpondent Salmanticenſes *d. tract.8. de Sacram. Ord. cap.3. num. 48.* & propter hanc rationem etiam Barboſa, qui *de Pot. Epiſc. alleg. 18 n. 8.* in prima editione illius operis amplexus fuerat in hac quæſtione opinionem affirmativam, in ſecunda Editione ab ea receſſit, & huic negativæ adhæſit tanquam probabiliori, & ſecuriori, ſiquidem datur principaliter poteſtas Sacerdoti ad Sacrificandum; de Sacrificii verò eſſentia eſt conſecratio utriuſque ſpeciei diviſa, ac ſeparata, ut aliàs oſtendimus in noſtris Deciſionibus *De Sacrificio Miſſæ Deciſ. XXXII.* ubi *num. 16.* advertimus, commentitiam, ac fabuloſam eſſe aſſertam, diſpenſationem Pontificiam cum 9
Norvegis de celebranda Miſſa abſque ſpecie vini, & cum ſola ſpecie panis, ut notat etiam Suarez *in 3. p. D. Thomæ. diſp. 43. ſect. 4.* quia cum alterius ſpeciei deficientia deſtruat naturam, & eſſentiam Sacrificii Euchariſtici, quod à Chriſto Domino oblatum fuit in ultima Cœna ſub utraque ſpecie ad figurandam realem ſeparationem ſui pretioſi Sanguinis faciendam à corpore in ara Crucis in Sacrificio cruento ſequentis diei, aſſerta diſpenſatio nec facta fuit à Papa, nec fieri potuit. Suppoſita verò deficientia vini in Norvegia ob exceſſiva frigora non ſubſiſtit, quia quod natura ibi non reddit, navigatio continua ex aliis regionibus ſupplet, & quod Sol non generat, ventus abundanter producit, & ſic ceſſat etiam ſecundum contrarium fundamentum affirmativæ opinionis.

Quarta Quæſtio, quam Scholaſtici proponunt circa materiam ordinis Presbyteratus eſt, An inaugurandus Sacerdos 10
teneatur tangere tàm Calicem, quàm

Pate-

Patenam? vel ſufficiat, ſi vel tantummodò Calicem, vel tantummodò Patenam tangat? Biſſus *in Hierurgia d. Verb. Materia Sacramentorum num.* 107. §. 101. ita reſpondet: *Reſpondeo eſſe certò probabile, quod tactus Calicis tantùm, ſuper quem ſit Patena, ſufficiat ad validam ordinationem, eò quia in illo caſu ſaltem mediatè, tangitur etiam Patena*. Et citat Caſtropalaum ita pariter opinantem *part.* 4. *tract.* 27. *punct.* 4. *num.* 21. His ego adjungo Dianam in Veteri *part.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 50. repoſita in Coordinato opere *tom.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 12. §. 4. ita loquentem: *An Ordinandus ſaltem de neceſſitate Sacramenti debeat tangere immediatè Calicem, ſimulque Patenam? Reſpondeo negativè, quia ad valorem Sacerdotii ſufficit tangere Calicem, ſuper quem impoſita eſt Patena: nam qui tangit Calicem, cenſetur tangere Patenam illi ſuperpoſitam. Sic* Soto, Valentia, Vaſquez, Hurtado, Granados, & alii, *quos citat, & ſequitur* Leandrus *de Sacram. tom.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 3. *q.* 25. Confirmari poteſt hæc reſponſio Dianæ, & aliorum DD. ex *cap.* 1. *De Conſecr. Eccl. vel Altar. in* 6. ubi Bonifacius VIII. ait,
11 ſi Cæmeterium ſit contiguum Eccleſiæ, & hæc polluatur, cenſeri pollutum etiam Cæmeterium; quia hoc cenſetur idem cum Eccleſia. Ac per *l. Vulgaris* 21. *ff. de furtis* in illis verbis: *Nam & qui aurem alicujus tetigit, inquit Trebatius, totum eum videri tetigiſſe*. Et qui vult accipere poſſeſſionem fundi, non tenetur totum fundum deambulare, ſed ſatis eſt, ſi intret in angulo. *l. Poſſideri. ff. de Acquiren. Poſſeſſ.* Gloſſa *in l. Reſtituta* 32. *Verb. earum. in fin. ff. ad Trebellian.* Idcircò cum Patena ſit Calici ſuperpoſita, & licèt ſint duo Inſtrumenta, in illa actione reputentur quaſi quid unum; qui tangit Calicem, cenſetur tangere etiam Patenam; ſicque abſque ullo ſcrupulo ordinandus habetur pro verè ordinato. Hic autem laudanda eſt ſolertia Magiſtrorum Cæremoniarum noſtrorum temporum; qui in-
12 ſervientes Pontificibus in collatione Sacri Presbyteratus Ordinis, dum ab ipſis traditur Patena cum Calice tangendo ab initiandis, qui tunc poſt unctionem manuum, eas habent ligatas ſimul cum Sudariolo palmam ad palmam; intrare faciunt Patenam ſuper Calice, ſtantem inter eorum initiandorum digitos medium, ac anularem uſque ad eaſdem palmas manuum; & ita fit, ut inferioribus digitis anulari, & auriculari tangant Calicem, ſuperioribus verò indice, ac medio Patenam eodem tempore contingant; proferente interim Epiſcopo verba formæ, *Accipe poteſtatem offerendi Sacrificium &c.* prout in Pontificali; & juxta hanc praxim abſque ulla difficultate fit contactus Calicis, nec non Patenæ ſuper eo impoſitæ utraque manu ordinandi;

Quinta ſubſequens Quæſtio eſt, an Calicis, ac Patenæ tactus, per inaugurandos Presbyteros faciendus, debeat eſſe Phyſicus, vel ſufficiat moralis? Hanc quæſtionem examinavimus ſupra 13
*Deciſ. VIII.* ubi pro utraque opinione fundamenta retulimus; ſed elegimus illam, quæ docet, tactum phyſicum requiri de neceſſitate Sacramenti, neque ſufficere tactum moralem; ad eamdem itaque Deciſionem VIII. recurrat Lector, ubi Doctrinam reperiet excellentium Auctorum noſtri temporis P. Thyrſi Gonzalez Præpoſiti Generalis Societatis Jeſu; & Joannis Cardenas Theologi ejuſdem Societatis, quorum dicta ſumma decet veneratione recipere.

Sexta Quæſtio eſt, Utrùm qui ordinatur Presbyter, dum tangit Calicem, ac Patenam ſuper eo ſtantem, modo prædicto, teneatur etiam tangere Hoſtiam in eadem Patena collocatam? 14
Reſpondet Diana Coordinatus *in d. tom.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 12. §. 3. deſumpta ex *part.* 10. *tract.* 13. *reſol.* 50. *Doctores, quos citat, & me etiam citato ſequitur Leandrus de Sacrament. tom.* 2. *tract.* 6. *diſp.* 3. *q.* 26. *dicunt non eſſe credibile, mortale commitere illum, qui immediatè Hoſtiam non tangeret: quia ut benè notat Vaſquez, cum Ordinandus habeat*

tunc

*tunc manus linteo colligatas, difficile eſt tangere cum Calice, & Patena etiam ipſam Hoſtiam, præſertim habenti digitos breviores. Rectè itaque dixit Lublinus Verb. Ordo num. 6. in ſuſceptione Ordinis Sacerdotalis, non eſt tangenda Hoſtia: nam ſicut tradendo Calicem cum vino, non eſt opus tangi vinum, ſed Vas cum vino; ita tradendo Patenam cum Hoſtia, non eſt neceſſarium tangi Hoſtiam, ſed Patenam, in qua eſt Hoſtia.* Hanc opinionem non ſolùm laudat Gobatus *d. tract.* 8. *num.* 105. ſed eam docentes allegat Sotum, Valentiam, Palaum, Coninch. Georgium de Rhodes, & alios, quibus adnectere licet Biſſum *in Hierurgia d. Verb. Materia Sacrament. num.* 107. §. 101. ſic ſcribentem. *Indubitatum eſt, tactum immediatum Hoſtiæ non eſſe neceſſarium; quia cæterùm non minùs eſſet neceſſarium tangere vinum in Calice.*

Septima Quæſtio eſt, An traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane ſit facienda ordinando per Epiſco-
15 pum propriis manibus? Aut ſufficiat, ſi ejuſdem Epiſcopi nutu tradantur ab Aſſiſtentibus, vel de menſa accipiantur ab eodem ordinando? Non deſunt, qui opinentur, non eſſe neceſſarium ad validitatem ordinationis, ut de manibus propriis Epiſcopi ordinantis procedat prædicta Calicis, ac Patenæ traditio, tùm quia ipſa non eſt à Chriſto Domino ordinata; tùm etiam quia regula eſt in Jure; quod *Qui per alium facit, per indè eſt, ac ſi faciat per ſe ip-*
16 *ſum. cap. Qui per alium*, & ibi Dynus de Reg. Jur. in 6. præter aliam Regulam dicentem: *Poteſt quis per alium, quod poteſt per ſeipſum. cap. Poteſt. eod. tit. in 6.* Et ideò ſic cenſuit Averſa *de Sacram. Ord. q. 2. ſect.* 2. quamvis videatur ſtatim ſe retractare dicendo, quod talis ordinatio eſſet ſatis dubia. Quapropter contrarium eſt omninò tenendum; & abſolutè dicendum, quod ad validitatem ordinationis Presbyteri, oportet ut Epiſcopus propriis manibus ei tangendum porrigat Calicem cum vino, & Patenam cum pane. Ratio præcipua eſt, quia in Sacramentis in uſu conſiſtentibus applicatio materiæ eſt facienda à Miniſtro conficiente ipſum Sa-
cramentum, ut patet in Baptiſmo, in 17
quo Aqua eſt infundenda ab illo, qui baptizat; in Confirmatione, in qua Unctio cum Chriſmate eſt facienda ab Epiſcopo, qui confirmat, & in Extrema Unctione, in qua Unctiones cum Oleo Sancto provenire debent à manu Sacerdotis illud Sacramentum miniſtrantis. Ergo idem eſt ſentiendum in Sacramento Ordinis, quod eſt Sacramentum conſiſtens in uſu. Ulteriùs materia Sacramenti Ordinis eſt porrigenda ab illo, qui eſt proprius hujus Sacramenti Miniſter. Sed talis eſt Epiſcopus, præcipuè in Ordine Presbyteratus, qui à nemine inferiore conferri poteſt, ut probatum eſt ſuprà *Deciſ. XXXII. num.* 52. Ergo à ſolo Epiſcopo, & per ejus manus Calix, & Patena ſunt Ordinando ad tangendum porrigendi. Ita docet Diana Coordinatus *d. tom.* 3. *tract.* 5. *reſol.* 7. deſumpta ex *part.* 10. *tract.* 15. *reſol.* 20. ubi §. 2. numerat innumeros Theologos ita tenentes, inter quos Iſambertum *De Sacram. Ord: art.* 8. *num.* 4. quibus, præter S. Thomam *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 1. addere licet ex Canoniſtis Navarrum *conſil.* 3. *de Sacram. non iteran.* Piaſecium *in Praxi Epiſc. part.* 1. *cap.* 1. *n.* 51. *Verſ. Traditio.* Et Pacem Jordanum *tom.* 1. *libr.* 3. *tit.* 6. *n.* 468 ubi in puncto allegat textum *in cap. Subdiaconus diſt.* 23. qui licèt loquatur de traditione Calicis vacui cum Patena in Subdiaconorum ordinatione, facit argumentum indiſſolubile etiam in caſu noſtro; ait enim: *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impoſitionem non accipit, Patenam de Manu Epiſcopi accipiat vacuam, & Calicem vacuum.* Si igitur *de Manu Epiſcopi*, non de Manu aſſiſtentium, neque à ſeipſo de menſa. Hinc Diana *in ſupracit. reſol.* 7 §. 6. narrat Summum Pontificem Clementem VIII. decreviſſe, eſſe reordinandos ſub conditione nonnullos Clericos, quibus in eorum ordinatione Inſtrumenta non fuerant tradita ab Epiſcopo Sa-

gien-

Digitized by Google

18 gienſi per ſeipſum. Sagienſis Civitas, quæ & Sagium dicitur, vulgò autem *Seez*, eſt Urbs Epiſcopalis Galliæ Celticæ in Normannia ſub Archiepiſcopo Rhotomagenſi, ut notat Ferrarius *in Lexic. Geografic. Verb. Sagium*.

Octava Quæſtio verſatur in decidendo, an valida ſit ordinatio Presbyteri, qui non tetigit Calicem, & Patenam
19 ſibi ab Epiſcopo porrectam, eo tempore, quo Epiſcopus verba formæ proferebat, ſed paulò ante, vel paulò poſt? Et videtur reſpondendum vel invalidam, vel valdè dubiam eſſe prædictam ordinationem, attenta doctrina Caietani *in Opuſcul. tract. 26.* Sylveſtri *in Verb. Unctio §. 7.* & ibi etiam Paludan. nec non Navarri *in Manuali cap. 22. num. 17.* dicentium in Sacramento Ordinis Phyſicam conjunctionem formæ cum traditione Inſtrumentorum eſſe eſſentialem, & neceſſariam pro validitate Sacramenti; & pro hac opinione facere videtur auctoritas Libri Pontificalis, qui in Presbyterorum ordinatione ita loquitur: *Cuppam Calicis, & Patenam ſimul tangant* (Presbyterandi) *Pontifice ſingulis dicente, Accipe poteſtatem &c.* Si Pontifice dicente; ergo non antequam dicat, vel poſtquam dixerit.

Nihilominùs in caſu hujus Quæſtionis ordinationem fuiſſe validam tenent communiter Theologi Sà, Henriquez, Bonacina, Layman, quos citat, & ſequitur Gobatus *d. tract. 8. de Sacram. Ord. num. 114.* & in puncto ſcripſerunt Brognolus *in Speculo Cleric. tract. 16. cap. 10. num. 6.* Caſtropalaus *tract. 27. punct. 4. num. 20.* Et Eminen. Card. de Lugo in Reſponſis Moralibus *lib. 1. dub. 33.* per totum, in quo examinat hanc quæſtionem, & pluribus argumentis, ac eruditionibus eam exornat; narrans inter cæteras, Patrem Aloyſium de Alcazar doctiſſimum in Apocalypſim Interpretem ſe ita de facto fuiſſe ordinatum Sacerdotem, nec potuiſſe Epiſcopum adduci, ut iterum ſub conditione formam repeteret, & materiam porrigeret, conſtanter aſſeverans, id ſine ullo prorſus fundamento exigi. Ratio hujus opinionis eſt, quia ſicut in aliis Sacramentis, ita in Sacramento Ordinis non exigitur de eſſentia ſimultas mathematica materiæ, & formæ; ſed ſufficit moralis; quæ talis eſſe 20
cenſetur, quando parùm ante prolationem verborum, vel parùm poſt inaugurandus Sacerdos tangit Calicem, ac Patenam ſibi ab Epiſcopo porrectam. Concedit tamen Card. de Lugo *d. dub. 33. num. 5.* quod poſſit Epiſcopus abſque peccatò repetere ordinationem prædictam ſub conditione ad majorem quietem, & ſecuritatem ordinati; quod etiam ſcribit Gobatus *d. tract. 8. num. 209.* à ſtudioſis legendus. Biſſus tamen *d. Verb. Materia Sacram. num. 107. §. 102.* ita concludit: *Probabiliſſimum puto, eſſe validam, imò etiam licitam ordinationem, licèt forma preferatur ante, vel poſt contactum, dummodò tamen inter contactum, & formæ prolationem, mora temporis non intercedat, ut moraliter Materia, & Forma videantur conjunctæ.* Baſſeus *Verb. Ordo num. 9.*

Circa verò Formam duæ notandæ ſunt difficultates in hac ordinatione Presbyteri. Una eſt, an ſit reputanda 21
valida, ſi Epiſcopus ita dicat. *Accipe poteſtatem offerri Sacrificium in Eccleſia Dei &c.* Hanc promovet Nicolius *in floſcul. Verb. Ordo num. 1.* & circa eam plura differit; ſed reſolvit, ordinationem eſſe validam ex plurium Theologorum conſenſu, quia error in latinitate non mutat ſenſum, & non vitiat formam. *cap. Retulerunt. 86. de Conſecr. diſt. 4.* Altera difficultas eſt, quid dicendum; ſi Epiſcopus Manum impoſuiſſet ſuper caput inaugurandi Presbyteri; ſed cum difficulter ob oculorum imperfectionem legere poſſet verba formæ, Sacerdos unus Aſſiſtens eam alta 22
voce protuliſſet, dicendo *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiſeris peccata &c.* Reſpondet, nullam fuiſſe hanc ordinationem Diana Coordinatus *tom. 1. tract. 1. reſol. 66. §. 3.* deſumpta ex veteri *part. 5. tract. 3. reſol. 26.* ſed nullum citat Auctorem: Porrò ita legitur deciſum *in cap. Ex Epiſtola, & in cap.*

*Quo-*

*Quorumdam*. 23. *diſt.* Ea ratione, quia ſicut Materia eſt porrigenda per ipſum Epiſcopum, ut probatum eſt ſupra *num.* 17. ita Verba formæ ſunt ab eodem Epiſcopo proferenda.

Corollarii loco referendus eſt caſus, quem contigiſſe in ſua patria narrat Gobatus *d. tract.* 8. *num.* 119. videlicèt de quodam Diacono ad Presbyteratus Ordinem aſcendente: qui in actu Sacræ Ordinationis cum aliis pluribus, poſt contactum Calicis cum vino, & Patenæ cum Hoſtia ab Epiſcopo ſibi porrectorum, gravibus corporis doloribus correptus, finem ſacræ actionis non valens expectare, ab Eccleſia diſceſſit, antequàm ultimam impoſitionem Ma-
23 nuum cum forma *Accipe Spiritum Sanctum &c.* ab ordinatore reciperet. Ex hoc caſu non ficto, ſed facto, colligit Gobatus ubi *ſupr. ac num.* 120. *& ſeqq.* notabilia infraſcripta. 1. Quod ſi ſic Semiordinatus Miſſam deindè celebraſſet, validè Euchariſtiam confeciſſet, & obtuliſſet. 2. Sic celebrando non peccaſſet de Jure Divino, quia poteſtas conſecrandi, & offerendi non pendet à poteſtate dimittendi peccata, quam non habebat; ſed peccaſſet de Jure Eccleſiaſtico, quia priùs ſupplendum erat id, quod omiſerat in ordinatione juxta textum in *cap. Paſtoralis. De Sacram. non reiteran.* 3. Moraliſſimè peccaſſet, ſi aliquem abſolviſſet à peccatis, quia probabilior opinio eſt, quod tunc conferatur poteſtas à peccatis, quando Epiſcopus Manus imponendo dicit: *Accipe Spiritum Sanctum, cui remiſeris peccata &c.* ut oſtendimus ſupra in antecedenti *Deciſ. XXXII. numer.* 39. *&* 40. 4. Idcircò obligatum fuiſſe antedictum Semipresbyterum petere ſupplementum ſuæ ordinationis; quod illi potuiſſet impertiri vel eodem die Sabbati quatuor temporum, vel Dominica ſequenti; nam ordinatio illa Sabbatina de jure, ſi juſta cauſa ſubſit, protrahi poteſt ad ſequentem diem Dominicum, etiam non ſervato jejunio, quia illa Manuum impoſitio cum forma *Accipe Spiritum Sanctum &c.* regulariter fit in Miſſa ab Epiſcopo poſt ſumptam Calicis ablutionem, & ſic fracto naturali jejunio. 5. Quod ſi ordinandus ille paſſus eſſet deliquium tempore ordinationis poſt traditionem Calicis cum Patena, & perduraſſet in illo uſque dum Epiſcopus faceret aliis ordinandis impoſitionem Manuum, & eis daret poteſtatem abſolvendi, potuiſſet ipſemet Epiſcopus imponere Manus, & eamdem poteſtatem impertiri huic Ordinando in deliquio, & extra mentem exiſtenti; ſiquidèm perdurabat in eo voluntas ſuſcipiendi integrum Presbyteratus Ordinem; & propoſitum obtinendi hanc poteſtatem abſolvendi fideles à peccatis per impoſitionem Manuum Epiſcopi Ordinantis cum antedicta forma *Accipe Spiritum Sanctum, cui remiſeris peccata remittuntur eis, &c.* Hæc omnia etſi diffusè ponit Gobatus ibidem; quæ hìc volui ſummatim referre circa prædictum Caſum, qui ſicut olim accidit, ita poteſt in poſterum evenire.

## DECISIO XXXIV.

### *ARGUMENTUM.*

Sex Presbyterorum Officia recenſentur, quæ ſunt Euchariſtiam conſecrare, & Deo offerre, ac fidelibus miniſtrare. Pœnitentes ſubditos à peccatis abſolvere. Baptiſmi, ac Extremæ Unctionis Sacramenta præbere. Populum erudire in Lege Dei, ac benedicere. Ad quodcunque horum Miniſteriorum plures obſervationes utiliſſimæ notantur; & eruditiones ſcitu dignæ, ac curioſæ traduntur.

### SUMMARIUM.

1 *Officia Presbyterorum propria ſunt ſex. Et quæ?*

2 *Euchariſtiam conſecrare, & Deo offer-*

*offerre ſpectat ad Sacerdotes.*

3 *Miſſa olim à pluribus Sacerdotibus ſimul celebrabatur.*

4 *Presbyteri, ac Epiſcopi in eorum conſecratione concelebrant eum Pontifice eos ordinante.*

5 *Græci Præsbyteri multi ſimul eamdem Miſſam celebrant.*

6 *Calix, & Patena olim delati à Presbyteris itinerantibus.*

7 *Olea Sancta, & Euchariſtiam portabant ſecum Sacerdotes in itinere. Et cur?*

8 *Hoſtia conſecrata olim noviter ordinatis dabatur ad manducandum infra* 40. *dies.*

9 *Myſterium prædictæ delationis, & manducationis Hoſtiæ.*

10 *Sacerdotes rarò celebrantes an peccent mortaliter?*

11 *Celebranda eſt Miſſa frequenter ob rationes undecim.*

12 *Sacerdoti an liceat Laici Regularis ſtatum aſſumere?*

13 *S. Maurilii Epiſcopi Hiſtoria, qui hortulanum ſe fecit.*

14 *Sacerdotes tribus in caſibus tenentur celebrare ſub pœna peccati mortalis. Et qui ſint?*

15 *Sacerdos in die feſto, ſi nullus ſit alius, qui Miſſam dicat, tenetur ipſe celebrare.*

16 *Sacerdos celebrans in die feſto ſatisfacit Præcepto de audienda Miſſa.*

17 *Sacerdos in Paſchate ſi deficiat Euchariſtia pro communione populi tenetur celebrare.*

18 *Sacerdos deficiente Sacro Viatico tenetur celebrare pro moribundo communicando.*

19 *Abſolvere à peccatis eſt Sacerdotis officium.*

20 *Juriſdictio eſt neceſſaria Sacerdoti, ut abſolvat à peccatis.*

21 *Mortis in articulo quilibet Sacerdos abſolvit à peccatis, etiam reſervatis.*

22 *Excommunicati Sacerdotes non abſolvunt pœnitentes, quamvis in articulo mortis conſtitutos.*

23 *Baptizare eſt proprium Sacerdotis officium.*

24 *Baptizare non licet abſque licentia Parochi extra neceſſitatem. Et cur?*

25 *Baptizans alienum Parochianum peccat, ſed nullam incurrit cenſuram.*

26 *Diaconus verò incurrit irregularitatem.*

27 *Miſſionarii officium inter infideles nemo aſſumere poteſt ſine licentia Papæ.*

28 *Baptizans ſi ſit in mortali, an peccet mortaliter?*

29 *Baptiſmus an ſit dandus cum periculo vitæ Sacerdotis? Vel cum periculo peccandi mortaliter?*

30 *Baptizandus an ſit infans moribundus, vel adultus abſolvendus?*

31 *Extremam Unctionem miniſtrare ſpectat ad Sacerdotem.*

32 *Sacerdotum genera quinque circa Extremæ Unctionis miniſterium.*

33 *Parochiales functiones quatuor, quæ à ſolis Parochis fiunt.*

34 *Regulares quibus infirmis poſſint dare Extremam Unctionem?*

35 *Prædicare, & docere eſt officium Presbyterorum.*

36 *Sed præcipuè Epiſcoporum ex Jure Divino.*

37 *Presbyteri ſunt ſucceſſores* 72. *diſcipulorum.*

38 *Parochis ineſt in actu jus prædicandi; aliis Sacerdotibus tantùm in potentia.*

39 *Clericis inferioribus poteſt Epiſcopus demandare Jus prædicandi.*

40 *Laicis an dari poſſit facultas prædicandi?*

41 *Benedicere populum, ac res quaſcunque eſt officium Presbyterorum.*

42 *Benedictionum varia genera.* Remiſſivè.

43 *Formæ Sacramentorum Baptiſmi, Pœnitentiæ, ac Extremæ Unctionis ab omni Sacerdote ſciendæ.*

44 *Georgius Cornelius, & Gregorius Card. Barbadicus Epiſcopi Patavini laudati.*

AD perfectam Ordinis Presbyteratus explicationem reſtat, ut quæ ſint officia propria Sacerdotum declaremus.

1 Hæc autem ſunt ſex præcipua, de Jure Divino eis competentia: Videlicèt.

1 Euchariſtiam conſecrare, illamque Deo in Sacrificium offerre, ac fidelibus elargiri.

2 Abſolvere pœnitentes ſibi ſubditos à peccatis.

3 Baptiſmi Sacramentum miniſtrare.

4 Sacramentum pariter Extremæ Unctionis exhibere.

5 Populum docere, ac Verbum Dei prædicare.

6 Benedictionem tùm perſonis, tùm rebus impendere.

Primum itaque Presbyterorum officium eſt Euchariſtiam conſecrare; eaque ſub utraque ſpecie conſecratam Deo in Sacrificium offerre, ac ſub ſpecie Panis fidelibus elargiri. Hoc probatur. I. *Ex cap.* 1. §. *Una verò. De Summa Trinit. & fide Cathol.* in quo Innocentius III. cum Concilio Lateranenſi definivit, in Eccleſia Catholica eſſe Sacramentum, & Sacrificium Euchariſticum, ſubdens: *Et hoc utique Sacra-*
2 *mentum nemo poteſt conficere niſi Sacerdos, qui ritè fuerit ordinatus ſecundum claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus JESUS CHRISTUS*. II. Ex Concilio Florentino, in quo Eugenius IV circa Concordiam Armenorum in §. 12. cum dixiſſet: *Tertium eſſe Euchariſtiæ Sacramentum, cujus Materia eſt panis triticeus, & vinum de vite, cui ante conſecrationem aqua modiciſſima admiſceri debet:* poſt relatas auctoritates ejuſdem mixtionis Aquæ ſubdit: *Forma hujus Sacramenti ſunt verba Salvatoris, quibus hoc conficitur Sacramentum; Sacerdos enim in perſona Chriſti loquens hoc conficit Sacramentum*. III. ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 22. *cap.* 1. ubi cum declaraſſet, Chriſtum Dominum in ultima Cœna inſtituiſſe Euchariſtiæ Sacramentum tanquàm Sacerdotem ſecundum Ordinem Melchiſedech conſtitutum, adjunxit, quod ipſe *Corpus, & Sanguinem ſuum ſub ſpeciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac ſub earumdem rerum ſymbolis, Apoſtolis, quos tunc novi Teſtamenti Sacerdotes conſtituebat, ut ſumerent, tradidit, & eiſdem, eorumque in Sacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent, præcepit per hæc verba: Hoc facite in meam commemorationem*. Et ſubindè in eadem *ſeſſ.* 22. *can.* 2. ita Concilium pronunciavit: *Si quis dixerit illis verbis: Hoc facite in meam commemorationem, Chriſtum non inſtituiſſe Apoſtolos Sacerdotes, aut non ordinaſſe, ut ipſi, aliique Sacerdotes offerrent Corpus, & Sanguinem ſuum. Anathema ſit*. Ergo ex divina inſtitutione competit Sacerdoti per ſe offerre, ac conſecrare Corpus, & Sanguinem Chriſti. IV. Hinc *in cap. Perlectis.* 25. *diſt.* dicitur: *Ad Presbyterum pertinet Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini in Altario Dei conficere*. Nam ut ait S. Auguſt. *in cap. Extra Catholicam* 1. *q.* 1. *Extra Catholicam Eccleſiam non eſt locus veri Sacrificii*. V. Probatur, hoc officiũ conſecrandi, & ſacrificandi Corpus, & Sanguinem Domini Presbyteris competere de Jure Divino, quia ab iiſdem non poteſt penitùs auferri; licèt enim ob delicta poſſint degradari, ac omni Clericali Privilegio exui, poteſtate tamen verè conſecrandi, & offerendi non valent privari. *cap. Degradatio. de Pœnis in* 6. Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp.* 6. *num.* 187. Barboſa *de Offic. & Pot. Epiſc. alleg.* 110. *num.* 5. & hoc idem habent mea Erotemata *cap.* 153. *num.* 3. VI. Tandem probatur, hoc officium eſſe à Deo, quia ille dat poteſtatem, qui poteſt efficere poteſtatis effectus. Sed ſolus Deus efficere poteſt, ut ad prolationem Verborum conſecrationis panis, ac vini ex ore Sacerdotis prodeuntium tranſubſtantietur utraque ſpecies in Carnem, & Sanguinem Domini. Ergo officium hoc Sacerdotale eſt à Deo. Idem Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 6. *num.* 188. Quod autem diſpenſare Euchariſtiam fidelibus, & eos communicare ſit officium Sacerdotis

ſatis

Digitized by Google

ſatis probatur ex praxi Eccleſiæ, & ex Hymno in feſto Corporis Chriſti:

*Sic Sacrificium iſtud inſtituit:*
*Cujus officium committi voluit*
*Solis Presbyteris, quibus ſic congruit,*
*Ut ſumant, & dent cæteris.*

Porrò circa hoc primum Presbyterorum officium ſequentes obſervationes ſunt notandæ. Prima eſt, quod antiquitùs multi Presbyteri ſimul unam, &
3 eamdem Miſſam celebrabant; & præcipuè plures Canonici unà cum Epiſcopo; & plures Cardinales ſimul cum Pontifice Romano; ut ex antiquis monumentis, ac Ritualibus demonſtrat Morinus *de Sacr. Ordinat. part. 3. Exercit. 8. cap. 1.* per totum; & præcipuè ex Innocentio III. *libr. 4. de Sacrificio Miſſæ cap. 25.* Ex Apoſtolorum *can. 9.* ex S. Clementis Apoſtolicarum Conſtitutionum *lib. 8. cap. 11. 12. & 13.* & ex aliis Conciliis multis, ex qua pluritate concelebrantium ſimul duo dicit: Unum ſcilicèt, quod adſtabant in Altari ad latera Epiſcopi, qui medius erat inter illos, & cum ipſis recitabat quidquid in Miſſali dicendum eſt in celebratione Miſſæ tàm alta, quàm ſecreta voce; adeòut omnes ſimul proferebant conſecrationis verba ſuper Hoſtiam, & Calicem, numquam genuflectebant, neque ad Communionem; illam enim inclinati tantummodò aliquantulum de manu principalis celebrantis accipiebant. Alterum eſt, quod poſt ſumptam Communionem Hoſtiæ, accedebant ad Calicem in Altari ſtantem, & ex eo Sanguinem cum fiſtula hauriebant. Verùm quia ex hac forma ſimul eamdem Miſſam celebrandi plures oriebantur difficultates, & ſcrupuli circa conſecrationem, de quibus diſputant Scholaſtici S. Thomas *in 4. diſt. 13. q. 1. art. 2. ad quæſtiuncul. 2.* & in Summa *3. p. q. 82. art. 2.* Richardus, Paludanus, & Capreolus *in 4. d. diſt. 13.* Gabriel Biel *ſect. 6. in Can. Miſſæ.* Victoria *in Summa num. 88.* Henriquez *libr. 8. de Euchar. cap. 18.* & alii citati ab eodem Morino *d. p. 3. Exercit. 8. cap. 1. num. 6.* idcircò hunc modum, & hunc ritum concelebrandi Eccleſia abrogavit; illumque retinuit, ac ſervavit tantummodò in ordinatione Presbyterorum, & in conſe- 4
cratione Epiſcoporum; cum hoc tamen diſcrimine, quod Presbyteri, dum ordinantur, adſtant Sacrificio genuflexi, & diſſiti ab Altare, ſicque diſpoſiti omnia legunt in Miſſali ſuo ſicut Epiſcopus eos ordinans, pronuntiando omnes ſimul totum Canonem, & verba ſolemnia conſecrationis; tempore autem Communionis, eam genuflexi ſub una ſpecie, Laico more, de manu ejuſdem ordinantis recipiunt. Epiſcopi verò cum conſecrantur, eorum conſecratione peracta, ſtant ad Altare penès conſecrantem, & unà cum ipſo omnia in Altari peragunt; cumque ventum eſt ad Communionem Sanctiſſimi Corporis, ac Sanguinis Domini; illud recipiunt reverenter inclinati, non genuflexi de manu Epiſcopi conſecrantis, qui illos communicat cum parte unicæ Hoſtiæ in ea Miſſa conſecratæ; & ſumpta per eum parte Sanguinis Domini, porrigit Calicem iiſdem Epiſcopis noviter conſecratis, ut ex eodem reliquum Sanguinis ſumant. His peractis omnes ſimul orationes juxta Miſſale dicendas recitant, & Miſſam complent, ut latiùs præſcribitur in Pontificali Romano ſub Rubrica *De Conſecratione Epiſcoporum.* Exceptis duobus his caſibus Eccleſia Latina non permittit, ut plures Sacerdotes ſimul eamdem Miſſam concelebrent. In Eccleſia autem Græca prædictus mos adhuc integer ſervatur, teſte eodem Morino *d. cap. 1. num. 7.* ubi hæc
ſcribit: *Cum apud Græcos in aliqua Ec-* 5
*cleſia multi ſunt Presbyteri, omnes ſimul ordinarii Miſſam celebrant; & eorum aliquis deputatur, cui primariò celebratio incumbit. Huic veluti principali celebranti nonnulla de conſuetudine dicenda competunt, ut apud nos in Capitulis, ac Monaſteriis Hebdomadario. Aliis quoque Presbyteris nonnulla alia; quæ cum apud eos ſtata ſint, & ordinaria, unuſquiſque dato primo mandato, quæ ſibi ſunt agenda ſtatim recognoſcit. Si adſit Epiſcopus, vel Protopapas, & celebrare voluerint,*

*principales ſunt celebrantes*. Hæc Morinus de Ritu Græcorum.

Secunda obſervatio concernens Presbyterorum officium circa conſecrationem, & oblationem Euchariſtiæ eſt, quod antiquitùs Presbyteri iter agentes deferebant ſecum Calicem, & Pate-
6 nam; ut ubicunque ſiſterent, ſuum poſſent miniſterium adimplere, Euchariſtiam conſecrando, & Sacrificium offerendo, ut obſervat Joannes Mabillon Monachus Ordinis S. Benedicti, Congregationis S. Mauri in *Liturgia Gallicana libr.* 1. *cap.* 7. *num.* 8. ubi narrat id, quod ſcriptum reliquit S. Gregorius Turonenſis (qui florebat tempore S. Gregorii Papæ Anno 600) *in Libr. de Gloria Confeſſor. cap.* 22. de Maximo Abbate his verbis: *Occulere, quod erat, cupiens apud Inſulam barbaram Monaſterii Lugdunenſis peregrinari expetiit: manifeſtatus autem & ibi, ad Patriam (ideſt ad Pagum Turonicum) redire diſpoſuit. Denique dum Ararium fluvium tranſire cuperet, nave impleta demergitur, ac ipſe Sacerdos pelago operitur, habens ad collum cum Evangeliorum libro Miniſterium Quotidianum, ideſt Patenulam parvulam cum Calice*. Deindè ſubdit ibidem Mabillon, tempore Sancti Bonifacii Archiepiſcopi Moguntini Anno Domini circiter 750 ſtatutum fuiſſe: *Ut Pres-*
7 *byteri ſine Sacro Chriſmate, & Oleo benedicto, & Sacra Euchariſtia alicubi non proficiſcantur, nempè ut ad officium ſuum ſtatim inveniantur parati*. Hoc autem potuit eſſe hujus Decreti motivum; ut eo tempore, quo fides Chriſtiana prædicabatur per inferiores partes Germaniæ, & ipſe S. Bonifacius ſummo zelo, ac labore eam invehebat in gentes Septentrionales, parati forent Presbyteri regiones illas circumluſtrantes miniſtrare Sacramentum Baptiſmi credentibus populis, in cujus miniſtratione adhibebatur Oleum Catechumenorum, & Sacrum Chriſma, ſicut & nunc fit; ac etiam iiſdem baptizatis ſtatim Sacram Euchariſtiam præberent, ut antiquitùs erat in uſu; de quo teſtimonia ſtudioſus Lector videat in meis Deciſionibus de Baptiſmo *Deciſ.* 45. *num.* 8.

Tertia obſervatio edocet nos alium Ritum, quem obſervabat antiquitùs Eccleſia tàm Latina, quàm Græca in conſecratione Epiſcoporum, ac in Presbyterorum ordinatione, quem refert 8
Morinus *d. part.* 3. *de Sacr. Ord. Exercit.* 8. *cap.* 2. *per tot.* Ritus iſte erat traditio unius integræ Hoſtiæ, quam Pontifex conſecrator, ſeu Ordinator poſt Communionem faciebat, & Epiſcopis conſecratis, & Presbyteris ordinatis, ad hoc ut illam ſpatio quadragintadierum reverenter conſumerent; quotidiè parùm quid ex ea deguſtantes, ſtatim poſt ſuſceptam Communionem in Miſſis, quas jugiter iiſdem diebus quadraginta erant celebraturi! Teſtes hujuſcemodi Ritus allegat Morinus Ordinem Romanum Editum; diverſos Rituales antiquos per eum impreſſos *part.* 2. *ad pag.* 209 *uſque* 281. Albinum Alcuinum, qui vivebat Anno 780 *in libr. de Divinis offic. cap. Qualiter Epiſcopus ordinetur de Eccleſia Romana*, ac S. Fulbertum Epiſcopum Carnotenſem, ſcribentem Anno 1018. *in Epiſt.* 2. *ad Finardum*. qui de hoc Ritu differens, narrat, ſuo tempore Neomyſtam quemdã poſt nonnullos dies intra numerum quadragenarium ex incuria reſiduum Sacræ Hoſtiæ perdidiſſe, his verbis: *Porrò noſtro tempore quidam inter cæteros ad Sacerdotalem gradum admiſſus, Hoſtiam quoque ſicut & alii de manu Epiſcopi ſuſcepit, quam in pergameno in hos uſus parato involutam, quotidiana celebratione ſolvebat, & portiunculam parvam, juxta inſtantium dierum numerum computatam, ſumebat. Accidit verò ut quadam die, expletis Myſteriis, dum veſtimenta cum ſyndone Altaris incautiùs colligeret, immemor Hoſtiæ Sacræ, diligentiam nequaquam adhibens, Theſaurum cæleſtem infelix amitteret. Veniens ad diverſorium, quæque neceſſaria curat; tranſigitur dies in craſtinum. Repetita celebratione Frater ille inſtante hora communicandi, Hoſtiam ſanctam non inveniens, turbatus nimium, & conſternatus, ſurſum*

*ſum deorſum curſitans nec etiam ſignum aliquod invenire potuit. Audiens Epiſcopus ex negligentia Fratris ortum periculum, omnibus in commune Fratribus unius reatum pœnitendum inſtituit. Ipſum verò Fratrem arctioris pœnitentiæ diſciplina corrigendum propoſuit.* Hucuſque S. Fulbertus. Utinam noſtris temporibus non reperirentur Presbyteri diligentiam debitam erga ſacratas ſpecies, dum littant, non adhibentes. Scio, aliquando poſt Miſſam aliquoquorum, qui ſic ſolliciti, ac perfunctoriè celebrant, ut ſolam fugam ab Altari videantur exquirere; repertam eſſe in Calice particulam Sacratæ Hoſtiæ ob incuriam ibi derelictam, & non parum vini, ablutionis digitorum, ne dicam Sanguinis Domini. Forſan ob hanc cauſam, & irreverentiam multorum erga illam Hoſtiam Sacram, Eccleſia Latina prædictum Ritum abrogavit quadringentis ab hinc circiter Annis. Non erat ſine myſtica ſignificatione Ri-
9 tus ille, ut demonſtrat Morinus *d. part. 3. Exercit. 8. cap. 2. num. 3.* ait enim ibi, quod & Manna per quadraginta annos cœlitùs Iſraelitico populo conceſſum figurabat; &, quod magis veritati, & fidei noſtræ myſteriis arridet, quotidianam converſationem, quam per dies quadraginta habuerunt Apoſtoli, ac diſcipuli Redemptoris Noſtri JESU CHRISTI poſt ejus Reſurrectionem uſque ad Aſcenſionem repræſentabat. In Eccleſia Græca ritum eumdem adhuc vigere opinatur Morinus *d. cap. 2. num. 5.* ex Ritualibus, & Euchologiis, de ipſo mentionem facientibus in ordinatione Presbyterorum; notat tamen non eſſe ſummæ antiquitatis, quia neque S. Clemens Papa, neque S. Dionyſius Areopagita de ipſo meminerunt.

Quarta obſervatio concernens primum Sacerdotis officium conſecrandi, & offerendi Euchariſtiam verſatur circa frequentiam in celebrando, quam omnis Sacerdos exercere debet. Plura ſunt argumenta, quæ demonſtrant Sacerdotali charactere inſignitos non deſides eſſe debere in celebranda Miſſa; ac proindè mortaliter etiam peccare eos, qui nimium abſtinent ab Altari, & ab hoc 10
celebrandi, ac ſacrificandi miniſterio. I. Quia *Sacerdos* ita dicitur *à Sacrificando*, ut ait S. Iſidorus *lib. 7. Origin. cap. 12.* undè non meretur nomen Sacerdotis, qui deſinit ſacrificare. II. Quia abſtinens à ſacrificio defraudat Cœlum, Terram, ac animas Purgatorii multis illis bonis, quæ memorat Ven. Beda in aureis illis Verbis relatis à S. Bonaventura *de Preparat. ad Miſſ. cap. 5.* à Gabriele Biel *in Can. Miſſæ lect. 87.* & poſitis ſub Sacerdotum oculis in Tabella Sacriſtiæ *Preparat. Sacerdot. ad Miſſam*: nempè: *Sacerdos non legitimè impeditus* 11
*Miſſæ celebrationem omittens, quantum in ipſo eſt, privat Sanctiſſimam TRINITATEM laude, & gloria; Angelos lætitia, peccatores venia, juſtos auxilio, & gratia; exiſtentes in Purgatorio ſubſidio, & refrigerio, Eccleſiam ipſam ingenti CHRISTI beneficio; & ſeipſum medicina, & remedio.* III. Quia qui Miſſam quotidiè celebrare negligunt, ſe ſubiiciunt punitioni à Deo Iſraelitis Phaſe non celebrantibus comminatæ *Num. 9. 13.* in illis verbis, quæ S. Bonaventura, *ubi ſupra*, applicat Sacerdotibus non celebrantibus: *Si quis autem & mundus eſt, & in itinere non fuerit* (idest non legitimè impeditus) *& non fecerit Phaſe* (intelligamus Miſſam) *exterminabitur anima illa de populis ſuis, quia Sacrificium Domino non obtulit tempore ſuo.* IV. Quia juxta S. Hieronymum *lib. 3. adverſ. Pelag.* Miſſa ſemper vocata fuit *quotidianum Corporis Chriſti Sacrificium*; quia quotidiè Sacerdotes debent eam facere, & Chriſti Corpus Sacroſanctum immolare. V. Quia Sacerdotes non celebrantes ſimiles ſunt ſervo, qui talentum à Domino ſuo acceptum tenet abſconditum, ac infructuoſum; gratiam ſibi à Deo in ordinatione conceſſam inutilem, ac vacuam fructu faciens, undè dicebat Apoſtolus *2. Cor. 6. 1. Exhortamur vos* (Sacerdotes) *ne in vacuum gratiam Dei accipiatis*. VI. Quia ſicut indicium Prædeſti-

deſtinationis eſt frequentare Euchariſtiam, ita ſignum reprobationis eſt ab ejus conſecratione, & immolatione abſtinere; ideòque S. Hyppolitus Martyr *in Orat. de Conſum. Mundi* introducit Judicem æternum ſic ad ſacros ſuos Miniſtros loquentem: *Venite Pontifices, ac Sacerdotes, qui purè mihi Sacrificium die, noctuque obtuliſtis; ac pretioſum Corpus, & Sanguinem meum quotidiè immolaſtis*. E contra de non ſacrificantibus nota eſt lamentatio Domini in Malachia Propheta 2. 6. *O Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum*. Quibus reſpondentibus *In quo deſpeximus?* ſubdit, *In eo, quod dicitis, Menſa Dei deſpecta eſt*. VII. Quia, qui ab Altari abeſt, & rarò celebrat, ſic facit, ut majori cum libertate cupiditatibus aut carnis, aut mundi inſerviat. Ponderatione digna ſunt Verba Illuſtriſſimi Sperelli Epiſcopi Eugubini *in Paræneſi Teleturgica cap. 61. §. 1. num. 4.* quæ ſunt iſta: *Il Sacerdote, che non è frequente nel celebrare, dà grande indicio di ſtare coll'anima poco diſpoſta, e di eſſer applicato alla ſenſualità, overo à mondani affetti aſſai più, che al ſuo grado convenga, overo di volere con più libertà peccare. Imperciochè* (notetur) *il Cuor noſtro creato per amare, non può ſtare ſenza amore, ne ſenza qualche particolare diletto: onde ſe nelle coſe ſpirituali non prende guſto, e forza, che lo pigli nelle profane*. Et proſequitur id demonſtrando Parabola filii prodigi, qui cupiebat ſe nutrire ſiliquis, quas porci manducabant; quando in domo Patris ejus tot mercenarii abundabant panibus. Utinam Myſtæ ſimiles eidem filio Prodigo non reperirentur. VIII. Quia eſt excuſatio frivola abſtinere à Sacrificio Miſſæ ex eo, quod Sacerdos ſe reputet indignum; nam ait S. Auguſtinus *ſerm. 28. de Verb. Domini: Sic vive, ut quotidiè merearis accipere. Qui non meretur quotidiè accipere, non meretur poſt annum accipere*. Et idem Sanctus *ſerm. 57. de Temp.* addit: *Hoc eſt reatum congregare, & devitare remedium. Qui vulnus habent, medicinam requirunt*. In eumdem ſenſum ajebat S. Ambroſius *in Orat. ante Miſſam: Grave eſt, quod ad Menſam tuam mundo corde, & manibus innocentibus non venimus; ſed gravius eſt, ſi dum peccata metuimus, Sacrificium non reddamus*. Referenda hic ſunt etiam verba ejuſdem Illuſtriſſimi Epiſcopi Sperelli *ubi prox. cap. 63. num. 2. Lo ſteſſo Chriſto Signore Noſtro rivelò à Santa Brigida (preſſo il Bloſio in Monil. Spirit. cap. 6.) che non gradiva il zelo d'una Monacha, che con buon fine eſortava le altre ad andare più riguardevoli, à titolo di riverenza, nel cibarſi troppo ſpeſſo di queſto nettare Divino*. IX. Quia S. Jo. Chryſoſtomus Sacerdotibus quotidiè devotè celebrantibus promittebat felicem exitum ad æternam vitam, ita ſcribens *in Homil. 24. ſuper 1. Epiſt. ad Corinth. Si hinc migrabimus hoc Sacrificio muniti, maxima cum fiducia ſanctum aſcendemus Veſtibulum, tanquàm aureis quibuſdam armis undique contecti. Et quid futura commemoro? nam, dum in hac vita ſumus, ut terra nobis Cœlum ſit, facit hoc Myſterium*. X. Quia plura ſunt Concilia, & innumeri *texx.* Juris Canonici, à quibus negligentia Sacerdotum in officio hoc conſecrandi, & offerendi Euchariſtiam reprobatur; quos congerit Gonzalez *in Commentar. ad cap. Dolentes 9. De Celebrat. Miſſar.* in quo Summus Pontifex Innocentius III. ita loquitur: *Dolentes referimus, quod &c. ſunt, & alii, qui Miſſarum ſolemnia vix celebrant in anno:* idcircò Concilium Tridentinum *ſeſſ. 23. cap. 14. de Ref.* ita decrevit: *Curet Epiſcopus, ut ii* (ideſt ſimplices Presbyteri) *ſaltem diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnibus; ſi autem curam habeant animarum, tàm frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Miſſas celebrent*. Ut latè probando diſſerit idem Illuſtriſſimus Sperellus *in dd. cap. 61. 62. & 63.* in cujus fine concludit, hanc obligationem frequenter conſecrandi, & littandi Euchariſtiam eò magis afficere Epiſcopos, ac Prælatos, & allegat verba Arnobii *in Pſal. 100.* ita dicentis: *Epiſcopus quotidiè ſeipſum ita Corpori Chriſti aſſociare debet, ut*

*corpus*

Digitized by Google

*corpus ejus Corpori Chriſti admixtum, unum corpus ſecundum Apoſtolum fiat.* XI. tandem, quia ex communi, & probatiſſima Theologorum, ac Canoniſtarum ſententia, Sacerdotes ignavi, ac ſocordes in Miſſæ celebratione, & ab ea nimium abſtinentes, peccant mortaliter, ut tenent S. Thomas *in 4. diſt. 13. q.1. art.2.* Valentia *in 3. part. de Euchariſtia quæſt.* 10. Teophilus *tom.16. in Heterocl. ſect.1. in princ.* Vaſquez *in d. 3. part. diſput.* 232. *cap.1.* Sauſay *in Panoplia Sacerdot. part.2.lib.1. cap. 1.2. & 3.* Barboſa, ac Fagnanus *in cit. cap. Dolentes; à numer.* 12. *& ſeqq. de Celebr. Miſſar.* quos ego allegavi in meis Deciſionibus *de Sacrificio Miſſæ Deciſ.* 33. *num.*14. & 15. ubi de hoc Presbyterorum debito, & officio egi, petens, ut tàm ab ipſis, quàm à Pontificibus legatur perpulchra exhortatio, & nervoſa Concio Jo. Pauli Olivæ Soc. JESU Præpoſiti Generalis, inter ſuas habitas in Palatio Apoſtolico *part.* 2. *Conc.* 13. quarum volumen Politiſſimum Speculum Prælatorum appellatur à Gobato *in Theol. Exper. tract. 3. num.*482. adhærente pariter ſupradictæ Theologorum ſententiæ,

Sed hic interrogabit aliquis. Eſt ne licitum alicui Sacerdoti meditanti reli-
12 quum vitæ ſuæ in vera humilitate conſumere, depoſita veſte Clericali, ſimulare ſe Laicum, & inſtare apud aliquam Religionem, ſe recipi in illam, ut inter Laicos fratres eidem deſervire, ac pœnitentiam facere poſſit? Difficilis interpellatio non admittens facile reſponſum. Si dixerimus, *licere*; concedimus, hunc Sacerdotem, toto vitæ ſuo curſu à recitatione Divini officii; & à celebratione Miſſarum poſſe abſtinere in perpetuum, contra omnia argumenta ſupra adducta de intrinſeca Presbyterorum obligatione frequenter ſacrificandi. Si dixerimus, *non licere*; obſtabit huic negativæ exemplum tùm S. Paulini Epiſcopi Nolani; tùm S. Maurilii Epiſcopi Andegavenſis; uterque enim dimiſſo Epiſcopali officio, incognitus apud Barbaros officium hortulanorum per longum tempus exercuit, ut de primo narrat Breviarium Romanum *die 22. Junii*; & de ſecundo Fortunatus Monachus Scriptor antiquus, à quo hiſtoriam acceptam Surius tranſcripſit *tom.5. die 13. Septembris*; referens, quod 13
idem Sanctus Maurilius ob talem qualem ejus negligentiam in Confirmando puero moribundo, qui obiit ſine Confirmationis Sacramento, poſt multas lacrymas reputans ſe indignum Epiſcopali honore, occultè diſceſſit è Patria, claves Epiſcopii projecit in mare, dicens: *Niſi has iterum claves videre meruero; Patriam, Urbemque nunquam repetam, quam fugio:* ſeptemque annos egit hortulanum Viri Principis; quibus exactis fuit repertus à ſuis, & paulò poſt inventæ in exenterato piſce ſunt claves; & ſic Andegavum rediit. En duo Sacerdotes, ac Epiſcopi, quorum unus motivo charitatis, alter pœnitentiæ ſimularunt characterem Sacrum, quem habebant, & à Sacrificando ceſſarunt.

Interpellatus, ac conſultus de hoc caſu in actu practico Gobatus, etſi Theologus eximius ingenuè fatetur, *tract. 3. num.* 484. neſciviſſe quam opinionem eligere, utraque enim affirmativa, & negativa ſuos ſcopulos habet. Illa ſupradictorum, ac aliorum Sanctorum exempla; hæc inconvenientia multa; nam laudabile non eſt decipere Superiores Religionis, deſerere habitum, & coronam Clericalem, privare ſeipſum poteſtate Sacrificandi, & Horas Canonicas perſolvendi; ideò concludit, antedictum Presbyterum eſſe diſſuadendum à tali propoſito; & à meditato Laicali ſtatu retrahendum; niſi urgentiſſima motiva haberet, ſapientum, ac prudentum Virorum judicio approbanda pro ſupra expoſito ingreſſu in Religionem exequendo; ut diffusè ſcribit Gobatus *ubi ſupra uſque ad num. 486.* quem ſatis eſt inſinuaſſe; ut ad eum ſtudioſi poſſint recurrere, ſi quis fortè Sacerdos vel bono, vel malo ſpiritu ductus de hac reſolutione peteret conſilium.

Quinta, & poſtrema obſervatio circa of-

ca officium, ac debitum Presbyterorum conſecrandi, ac offerendi Euchariſtiam eſt, eoſdem tribus in caſibus obligatos eſſe ſacrificium offerre, ac litare ſub
14 pœna peccati mortalis. Primus eſt, ſi in die feſto nullus alius Sacerdos ſit, qui celebret Miſſam; adeòut, qui eſt hoc charactere inſignitus, ſed rarò, aut nunquam celebrat, niſi ſacrificet, non habeat undè Miſſam audiat, nec aliter poſſit præcepto de audiendo Sacro in die
15 feſto ſatisfacere. Ita Baſſæus *in Florib. Theol. Mor. tom.* 2. *Verb. Miſſa* 3. *num.* 3. Navarrus *in Manual. cap.* 13. *num.* 5. *in fin.* Nugnus *in* 3. *part. q.* 83. *art.* 6. *concl.* 6. Leander *de Sacramentis part.* 1. *in ord.* 6. *tract.* 8. *diſp.* 3. *q.* 43. & Gobatus *in cit. tract.* 3. *num.* 487. nec non *tract.* 5. *à num.* 40. *& ſeqq.* ubi promovet varia dubia; præcipuè quid agendum, ſi talis Sacerdos eſſet in peccato mortali, & non adeſſet Confeſſarius? quo caſu, etſi ſatis eſſe videatur actum contritionis, elicere, & celebrare, ait, *num.* 44. *Omittat Sacrum: debet quippè Præceptum humanum, quale eſt de ſacro audiendo, cedere divino, quale eſt de non celebrando, niſi præmiſſa omologeſi noxæ mortalis, contractæ poſt ultimam confeſſionem.* Allegat hujus opinionis aſſertores Suarezium *tom.* 3. *in* 3. *part. diſp.* 66. *ſect.* 4. *Verſ. Major. difficultas.* Baſſæum, Nugnum, Sotum, & alios, qui ulteriùs
16 demonſtrant, celebrantem in die feſto æqualiter, imò meliùs ſatisfacere præcepto de audiendo ſacro per ſuam celebrationem, quia ſeipſum devotiùs audit, quàm alienum ſacrificantem. Secundus caſus eſt, ſi tempore Paſchali deſit Parochus, & Euchariſtiæ Sacramentum non habeatur pro Communione Paſchali facienda; tunc enim tenetur ſub mortali Sacerdos, etſi ſolitus
17 non litare, Miſſam dicere, ac ſe communicare. Gobatus *d. tract.* 3. *num.* 487. Tertius quoque caſus eſt, ſi fortè fidelis aliquis moribundus eſſet, & Parochus deficeret, qui illi Sacramenta miniſtraret; ſiquidem Sacerdos ſimplex ibi præſens non ſolùm obligatus eſſet ſub mortali excipere confeſſionem illius moribundi, & eum abſolvere; ſed etiam Sacrum Viaticum ipſi præbere; ad quem effectum deficientibus ſpeciebus Euchariſtiæ, & extante Eccleſia 18
cum Altari, deberet celebrare Miſſam ad effectum conſecrandi Euchariſtiam, & illam pro Viatico eidem moribundo dare, quod ſi facere renueret, peccaret mortaliter contra charitatem ex his, quæ probavimus in Deciſionibus *de Ven. Euchariſtiæ Sacramento* de obligatione Parochi celebrandi etſi non jejuni, pro moribundo communicando *Deciſ.* 3. *num.* 7. ubi DD. relati à Diana Coordinato *tom.* 2 *tract.* 1. *reſol.* 130. 131. & 132. & ex his, quæ docuimus *in Deciſ.* 72. *de Extrem. Unct. num.* 5. de debito cujuſcunque Presbyteri miniſtrandi Extremam Unctionem moribundo, qui alia Sacramenta non poteſt recipere; eadem enim ratio viget, imò magis urget pro dando Sacro Viatico, ſi Parochus deſit, & moribundus alia Sacramenta percipere non valeat. Nemo eſt, qui excuſaret Sacerdotem, hunc à peccato mortali, ſi ob ſolam ignaviam recuſaret ſacrificare, & permittere mori infirmum abſque Sacro Viatico. Hæc de primo officio, ac miniſterio proprio Sacerdotum.

Secundum Sacerdotis officium eſt abſolvere à peccatis pœnitentem ſubditum confitentem; & hoc eidem competit 19
jure divino juxta illa Verba Chriſti Domini ad Apoſtolos *Joan.* 20. 23. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis &c.* quæ profert ejuſdem Chriſti nomine Epiſcopus in ordinatione Presbyterorum, ut probatum eſt ſupra *Deciſ.* 32. *num.* 51. quando iiſdem hanc poteſtatem confert; & ideò Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. ait: *Chriſtum aſcenſurum in cœlum reliquiſſe Sacerdotes ſui ipſius Vicarios, Præſides ac Judices, ad quos omnia mortalia crimina deferrentur, in quæ Chriſti fideles ceciderint, qui pro poteſtate clavium remiſſionis, aut retentionis ſententiam pronuncient.* Idem ſemper cenſuit, & docuit Eccleſia, ut videre eſt *in cap. Presbyter.* 26. *q.* 6. *in cap. Tempo-*

*Tempora*. 26. *q*. 7. *in cap. Menſuram*. *de Pœnit. diſt*. 1. & pleniùs in *cap. Qui vult*. *cap. Sacerdos*. *& cap. Placuit de Pœnit. diſt*. 6.

Dictum eſt autem *Pœnitentem ſubditum*, tùm quia ex vi Ordinis Sacerdos non habet Juriſdictionem, quæ requiritur ad abſolvendum; ſiquidem abſo-
20 lutio à peccatis eſt actus judicialis, qui in ſolos ſubditos exercetur, ut oſtendimus in noſtris Deciſionibus *De Pœnitentia Deciſ*. 137. *num*. 7. & docent Salmanticenſes *eod. tract*. 6. *cap*. 11. *num*. 5. ac Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. diſp*. 18. *art*. 7. tùm etiam quia Sacerdotes habentes Juriſdictionem vel ordinariam, vel delegatam in pœnitentes, non poſſunt eos abſolvere à caſibus reſervatis Papæ, ſeu Epiſcopo, niſi habeant delegationem à reſervante. Concil. Trid. *d. ſeſſ*. 14. *cap*. 8. Idem Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ordinis diſp*. 6. *art*. 5. *num*. 192. ubi in confirmationem hujus poteſtatis ex Jure divino competentis Presbyteris ſubdit: *Abſolutio eſt pars Sacramenti*. *Ergo poteſtas abſolvendi non eſt ab homine; ſed à Deo, qui facit effectum Sacramenti, ſcilicèt gratiam, & remiſſionem peccatorum ex opere operato; & ideò omnis Sacerdos ſivè bonus, ſivè malus effectum hunc producit*. *cap. Intra Catholicam*. *& cap. Dominus*. 1. *q*. 1. *cap. Sciſcitantibus*. 15. *q*. 8.

Unica autem obſervatio eſt facienda circa hoc ſecundum Presbyterorum officium, ſed neceſſaria, ſcitu digna, ac memoriæ commendanda; videlicèt, quod quamvis Concilium Tridentinum *ſeſſ*. 14. *de Sacram. Pœnit. cap*. 7. dicat,
21 *in Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum fuiſſe, ut nulla ſit reſervatio* (caſuum) *in articulo mortis: atque adeò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſe*: nihilominùs hæc facultas ſemper conceſſa omnibus Sacerdotibus pro articulo mortis reſtricta eſt ad Sacerdotes non excommunicatos, ac publicè denunciatos; quandoquidem Sacerdotes ab Eccleſia præciſi per publicam excommunicationem non poſſunt quemvis Pœnitentem abſolvere etſi in periculo mortis conſtitutum; ut plenè demonſtravimus 22
in iiſdem noſtris Deciſionibus *de Pœnitentia Deciſ*. 45. *num*. 2. ubi rejecta opinione Comitoli, Laymani, ac aliorum contrarium docentium, oſtendimus, opinionem hanc eſſe omninò tenendam cum S. Thoma *in 3. p. q. 82. art. 7.* cum Abbate *in cap. Cum Clericis*. *De Ordinatis ab Epiſc. qui renunc.* & cum Fagnano *in cap. Non eſt vobis*. *De Sponſal.* ubi teſtatur, verba ſupradicta Tridentini Concilii eſſe intelligenda de Sacerdotibus viventibus in unitate Eccleſiæ; prout reſpondit Sacra Congregatio Cardinalium ejuſdem Trid. Concil. Interpretum Epiſcopo Valentino; prout ſequitur: *Epiſcopus Valentinus petiit declarari, Utrùm Pœnitentem in articulo mortis conſtitutum poſſit in caſibus reſervatis abſolvere quilibet Sacerdos etiam excommunicatus, & denunciatus?* S. Congregatio *cenſuit* Non poſſe; *quia communis opinio videtur illa, quod tales excommunicati non poſſint etiam in hoc caſu neceſſitatis*. Magiſt. Sent. *in* 4 *diſt*. 19. *D*. S. Thomas, Durand. Capreol. Turnien. Antonin. Ricchard. Alex. & alii; *licèt contra teneant* Paludan. Sylveſt. Medina, & alii. *Nec obſtat cap*. 7. *ſeſſ*. 14. *Concil. Trid. de Caſibus reſerv. quia debet intelligi de omnibus Sacerdotibus in unitate Eccleſiæ viventibus*. Ita In Regiſtr. ejuſdem Sacr. Congr. Concilii; & eam refert Nicolius in *Lucubr. Canon. libr*. 5. *tit*. 19. *num*. 43. *Verſ. Pro cujus*.

Tertium Sacerdotis officium de Jure divino ſibi competens eſt baptizare. Hoc probatur, quia Chriſtus Dominus Apoſtolis jam conſecratis Sacerdotibus
dixit: *Docete omnes gentes baptizantes eos &c. Matth. ult*. 20. Hinc in *libr*. 3. 23
*Conſtit. Apoſtolicar. S. Clementis cap. ult.* dicitur: *Presbyter quidem doceat, offerat, baptizet*. Et in Jure Canonico hoc idem ſæpè enunciatur, prout *in cap. Conſtat* 19. *de Conſecrat. diſt*. 4. ubi ſic: *Conſtat Baptiſma à ſolis Sacerdotibus eſſe tractandum*, & in *cap. Presbyteris*

119. *de Conſecr. ead. diſt.* 4. *Presbyteris* (*ſeu extra Epiſcopum*, *ſeu præſente Epiſcopo*) *baptizant*, *chriſmate baptizatos ungere licet*. qua de cauſa, ut dictum eſt ſupra *num.* 7. ipſi portabant ſecum in itinere Olea Sacra, & Euchariſtiam. Nec obſtat, quod etiam Diaconi, & alii Clerici poſſint baptizare, imò in caſu neceſſitatis etiam Laici. *cap. In neceſſitate*, *& cap. Sancitum. de Conſecr. d. diſt.* 4. Quia hoc tantummodò probat, quod quando Chriſtus dedit hanc poteſtatem Apoſtolis Sacerdotibus, illam eis non dedit privativè quo ad alios; ſiquidem congruenter voluit, quod Sacerdotes baptizarent ex officio, reliqui verò fideles in ſolo caſu neceſſitatis, Sacerdotibus deficientibus, cum baptiſmus ſit ſimpliciter neceſſarius, nec poſſit in pueris ſuppleri per votum, ut benè advertit Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 6. *de Sacram. Ord. num.* 195. & Gobatus *in ſua Theolog. Experim. tract.* 2. *num.* 128. Porrò circa exercitium hujus officii nonnullæ obſervationes ſunt notandæ.

Prima obſervatio ſit, quod licèt actus baptizandi non ſit actus Juriſdictionis, nihilominùs exerceri non poteſt (excepto caſu neceſſitatis) niſi de licentia aut Papæ, aut Epiſcopi, aut Parochi;
24 ea ratione quia per baptiſmum baptizatus recipitur in collegium Eccleſiæ militantis; recipere autem aliquem in collegium non ſpectat ad omnes; ſed ad Præſides, & Gubernatores ſivè ſupremos, ſivè inferiores ad ejuſdem Collegii gubernium deputatos, ut diſſerit Scotus *in* 4. *diſt.* 6. *q.* 2. & ex eo Gobatus *d. tract.* 2. *num.* 130. *& ſeqq.* ubi *num.* 132. advertit, quod Sacerdos baptizans aliquem puerum ſine licentia Parochi illius peccaret mortaliter; idemque docet Layman *libr.* 5. *tract.* 2. *cap.* 7. *num.* 2. quod repetit Gobatus *ubi prox. num.* 134. docens, quod nullam ſic baptizans in-
25 curreret cenſuram, aut irregularitatem, quia in toto Jure Canonico non reperitur aliquod decretum contra Presbyterum baptizantem pueros alienæ Parochiæ; ſed ſolùm contra Diaconum, qui abſque Parochi commiſſione ſolemniter baptizaret; hic enim incurrit irregularitatem. *cap.* 1. *De Clerico non Ord. mi-* 26
*niſtr.* ut notant Suarez *de Baptiſm. diſp.* 31. *ſect.* 4. Vaſquez *eod. tract. diſp.* 147. *cap.* 4. & Gobatus *d. tract.* 2. *num.* 140. ſubdens, *niſi eum excuſet ignorantia.*

Secunda obſervatio eſt, quod ſi quis Sacerdos exiſtat in Turcia, India, aliiſvè locis, in quibus nulli Epiſcopi, nullivè curatores animarum præpoſiti exi- 27
ſtant; nemo licitè aſſumet jus, officiumque baptizandi, niſi habeat mediatè, vel immediatè poteſtatem à Supremo univerſi orbis Paſtore Chriſti Vicario, ut ex doctrina Suarezii *d. diſp.* 31. *ſect.* 4. firmat Gobatus *eod. tract.* 2. *num.* 131. allegans verba Apoſtoli Pauli *ad Rom.* 10. *Quomodò prædicabunt*, *ſi non mittantur?* Quæ huic obſervationi ipſe ea applicat dicens: *Applico*, *& dico; Quomodò baptizabunt* (*ex officio*) *ſi non mittantur?*

Tertia obſervatio eſt, quod Sacerdos ſolemniter baptizans, ſi ſit in ſtatu peccati mortalis, delinquit mortaliter; eò quod fiat gravis injuria Redemptori, ſi 28
ejus Miniſter in tàm pravo ſtatu conficiat ex officio, ad quod ordinatus eſt, hoc Sacramentum; quamvis alii, qui Sacerdotes non ſunt, baptizantes in caſu neceſſitatis, non contrahant novum peccatum, etſi reperiantur ipſi in mortali, ut ex doctrina S. Thomæ 3. *p. q.* 64. *art.* 6. *ad* 3. notat Gobatus *d. tract.* 2. *num.* 149. adjungens *num.* 150. ſatis eſſe prædicto Sacerdoti conſcio culpæ mortalis, ſi eliciat actum contritionis, antequam proferat formam Baptiſmi. At de hac quæſtione videndæ ſunt noſtræ Deciſiones de *Baptiſmo Deciſ.* 34. *num.* 4. ubi plenè.

Quarta obſervatio eſt, quod quemadmodum omnis Chriſtianus tenetur in caſu neceſſitatis baptizare puerum moribundum etiam cum periculo propriæ 29
vitæ. Sylveſter *Verb. Bellum.* 2. *q.* 4. Navarrus *in Man. cap.* 24. *num.* 9. Bonacina *de Legib. diſp.* 3. *q.* 4. *punct.* 4. ita multò magis hæc obligatio afficit Sacerdocem, ex his, quæ profusè allegavimus in noſtris Deciſionibus *de Extrema*

*Unct.*

*Unct. Deciſ.* 72. *num.* 5. *& ſeqq. & num.* 13. ubi DD. ita ſentientes cumulantur. Quod ſi quis petat, an Sacerdos teneatur baptizare infantulum periclitantem, ſi prævideat, ſibi imminere periculum peccandi mortaliter? Puta, ſi infantulus ille ſit in domo laſcivientium mulierum, quarum aliqua provocatura ſit eumdem baptizantem ad illicita ſecum committenda? Reſpondent Jo. Sancius in *Selectis diſp.* 10. *num.* 9. & Gobatus *d. tract.* 2. *num.* 137. teneri baptizare; quia prædictum periculum, ſi vult, poteſt evitare, aufugiendo ab illa domo ſtatim collato baptiſmo, ut aufugit S. Philippus Nerius, dum in viridi ætate vocatus ad audiendam confeſſionem mulieris fingentis ſe morti proximæ, cognovit, eamdem turpia flagitare ab ipſo; Baccius *in ejus vita libr.* 2. *cap.* 13. *num.* 6. Vel eamdem inhoneſtam mulierem à ſe fugando, prout Angelicus Doctor adhuc juvenis fugavit Titione mulieres ſuam virginitatem labefactare conantes, ut in Breviario Romano legitur in ejus feſto.

Quinta tandem obſervatio circa hoc officium baptizandi incumbens Presbyteris concernit perpulchram illam difficultatem, quam proponit Gobatus *eod. tract.* 2. *num.* 235. his verbis: *Quid aget*
30 *Sacerdos, ſi eodem planè tempore vocetur ad baptizandum infantem, & ad abſolvendum hominem è tecto lapſum, quorum alteruter certò morietur ſine Sacramento, ſi poſtponatur alteri?* Reſpondet Gobatus ita: *Curet infantem baptizari per Laicum, & advolet ad lapſum. Quod ſi nemo ſit, qui videatur rectè baptizaturus, præferat infantem viro, quia ubi difficultas occurrit, ſemper accipiendum eſt illud, quod habet minus de periculo, ut ait Angelicus Doctor 3. p. q. 83. art. 6. ad* 2. Et minus periculum videtur eſſe ſalutis animæ in homine adulto, qui per actum contritionis poteſt ſalvari, quàm in Infante, qui ſine baptiſmo prorſùs periclitatur. Hæc de tertio Presbyterorum officio.

Quartum Sacerdotis miniſterium de Jure Divino ei competens, eſt Sacramentum Extremæ Unctionis infirmis præbere. Probatur tùm ex eo, quod cum ſit Sacramentum à Chriſto Domino inſtitutum, non poteſt miniſtrari ab eo, qui Charactere Sacerdota- 31
li non eſt inſignitus; idcircò ait Jacobus Apoſtolus *cap.* 5. *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini.* Quapropter praxis Eccleſiæ demonſtrat, ſolos Presbyteros eſſe hujus Sacramenti Miniſtros, & hoc idem ſemper fuit ab eadem Eccleſia ſtatutum, ut videre eſt in *cap. Illud ſuperfluum. diſt.* 95. *in cap. Quæſivit. De Verb. ſignific.* & in Concilio Tridentino *ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *de Sacram. Extrem. Unct.* nec non ibidem *in can.* 4. *de eod. Sacram.* ubi ſic ſtatuitur: *Si quis dixerit Presbyteros Eccleſiæ, quos beatus Jacobus adducendos eſſe ad infirmum inungendum hortatur, non eſſe Sacerdotes ab Epiſcopo ordinatos, ſed ætate ſeniores in quavis Communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis miniſtrum non eſſe ſolum Sacerdotem: Anathema ſit.*

Unica, ſed præcipua circa hoc officium notanda eſt obſervatio: videlicet, etſi omnibus Presbyteris competat facultas miniſtrandi Extremæ Unctionis Sacramentum; non omnibus indiſcriminatim eſſe licitum illud miniſtrare; ſed illis tantùm, quibus cura animarum commiſſa eſt; vel à Paſtoribus animarum delegata eſt facultas, neceſſitatis caſu ſemper excepto. Igitur 32
quinque ſunt genera Sacerdotum habentium facultatem miniſtrandi Extremam Unctionem. I. Epiſcopi in eorum tota Diœceſi, quia eminenter in eis reſidet cura animarum *cap. Quicunque*. 10. *q.* 1. *d. cap. Superfluum. diſt.* 95. Pax Jordanus *tom.* 1. *libr.* 3. *tit.* 5. *num.* 1. *&* 2. II. Prima Dignitas Capituli Eccleſiæ Cathedralis reſpectu Epiſcopi graviter ægrotantis, ad illam enim ſpectat ipſum Oleo Sacro infirmorum ungere, ac Viaticum præbere, ut præcipitur *in Cæremon. Epiſcopor. lib.* 2. *cap.* 38. & notant Bauldry *part.* 5. *ad d. lib.* 2.

*cap.* 38. atque Caſtaldus *in Praxi Cærem. libr.* 1. *ſect.* 10. *cap.* 12. *num.* 3. III. Parochi reſpectu gravi morbo laborantium in ſua Parochia; ſiquidem quatuor ſunt officia Parochialia, quæ uſque in præſentem diem ſervantur Parochis il-
33 læſa, miniſtratio Viatici Sacri, Extremæ Unctionis, aſſiſtentia cum ſua Cruce ad ſepulturam, & ad celebrationem Matrimoniorum degentium in eorum Parochia. Hæc deſcripta habentur in Rituali Romano, & quotidiè videntur in praxi; adeò ut ſi in his quatuor miniſteriis ſint deſides, poſſint graviter ab Epiſcopo puniri, ut latè oſtendi in meis Deciſionibus *de Extrema Unct. Deciſ.* 71. *à num.* 14. *& ſeqq.* ubi etiam diſputavi, an Parochi tempore Peſtis obligati ſint cum periculo propriæ vitæ Extremam Unctionem peſte infectis miniſtrare. IV. Regulares erga ægrotantes in eorum Monaſte-
34 riis; ſiquidem vel Prælati eorumdem, vel Deputati ad curam animarum in iiſdem Monaſteriis degentium, ſivè ſint profeſſi, ſivè Novitii, ſivè famuli, ſivè Hoſpites, caſu quo graviter ægrotent, obligati ſunt præter alia Sacramenta, etiam Extremam Unctionem dare. Tamburin. *de Jure Abbat. tom.* 2. *diſp.* 7. *Quæſ.* 7. Lezana *tom.* 3. *Verb. Extrema Unctio num.* 4. & Pellizzarius in *Man. Regul. tom.* 1. *tract.* 3. *cap.* 6. *nu.* 2. V. Regulares reſpectu Laicorum degentium in alienis Parochiis; nam hi in caſu neceſſitatis, ideſt Parocho abſente, vel injuſtè renuente, poſſunt Sacramentum Extremæ Unctionis infirmis præbere; ſed extra hunc caſum nequaquam; quod ſi præſumant eoſdem alienos Parochianos inungere, incurrunt Excommunicationem Summo Pontifici reſervatam per *Clem.* 1. *de Privileg.* ut oſtendi in prædicta *Deciſ.* 71. *à num.* 23. *uſque in fin.* ubi docui, qualiter, & quando Regulares poſſint dare Extremam Unctionem alumnis ſæcularibus in eorum Collegiis ſtudiorum cauſa degentibus.

Quintum Presbyterorum officium eſt populum docere, ac Verbum Dei prædicare; juxta id quod legitur in *Concilio Toletano IV. cap.* 24. relato *in cap.* 1. *diſt.* 38. *Ignorantia mater cunctorum errorum maximè in Sacerdotibus Dei vitanda eſt, qui docendi officium in populis* 35
*ſuſceperunt*. Et paulò infra: *Sciant igitur Sacerdotes Scripturas ſanctas, & canones, ut omne opus eorum in prædicatione, & doctrina conſiſtat*. Et conſonat id, quod ſcriptum eſt in *Malach.* 2. 7. *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus*. Porrò ſtatim obiiciet Lector, officium prædicandi, atque docendi nonnè proprium, ac propriiſſimum Epiſcopi eſt? Nonnè dixit Dominus Apoſtolis, quorum Suc- 36
ceſſores ſunt Epiſcopi, *Matth.* 28. 19. *Euntes docete omnes gentes*. Et *Marc.* 16. 15. *Prædicate Evangelium omni creaturæ?* Nonnè Apoſtolus Paulus monens Timotheum ſuum Epiſcopum ait eidem: *Prædica Verbum, inſta, opportunè, importunè &c.* 2. *Thimot.* 4. 2. Nonnè S. Clemens Divi Petri diſcipulus *libr.* 2. *Conſtit. Apoſt. cap.* 30. notavit: *Epiſcopus Verbi miniſter eſt, ſcientiæ cuſtos, & Magiſter?* Et pluribus aliis auctoritatibus omiſſis, nonnè Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 5. *de Ref. cap.* 2. ita loquitur: *Quia verò Chriſtianæ Reipublicæ non minùs neceſſaria eſt prædicatio Evangelii, quàm lectio; & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus, ſtatuit, & decrevit eadem Sancta Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum JESU CHRISTI Evangelium*. Hinc in conſecratione Epiſcoporum liber Evangelii imponitur ſuper eorum caput; de qua impoſitione plura diſſerit Morinus *de Sacr. Ord. part.* 3. *Exerc.* 2. *cap.* 1. & nos infra *Deciſ.* 36.

Reſpondetur huic objectioni, quatuor genera perſonarum conſiderari in Jure Canonico quo ad munus Prædicandi, ac docendi fideles Evangelium, ac Legem Dei; nempè Epiſcopi, Presbyteri, Clerici his inferiores, atque Laicis. Primis duobus generibus, Epiſcopis

pis ſcilicèt, ac Presbyteris competit ex officio, ac ex Jure Divino prædicare, & docere; ſiquidem id à Chriſto Domino injunctum eſt Apoſtolis, in quorum locum ſuccedunt Epiſcopi; nec non ſeptuaginta duobus diſcipulis, quos idem Dominus elegit coadjutores Apoſtolorum; & quibus hoc officium tribuit, juxta id, quod ſcriptum eſt in *Luc. cap.*10. *num.*1. *Poſt hæc autem deſignavit Dominus, & alios ſeptuaginta duos, & miſit illos binos ante faciem ſuam in omnem civitatem, & locum, quò erat ipſe venturus: & dicebat illis: Meſſis quidem multa, operarii autem pauci; rogate ergo Dominum meſſis, ut mittat operarios in meſſem ſuam.* Horum
37 itaque diſcipulorum Succeſſores ſunt Presbyteri, ut habetur *in cap. In novo.* 21.*diſt.* in fine, ibi: *electi ſunt LXXII. diſcipuli, quorum typum gerunt Presbyteri, atque in eorum locum ſunt conſtituti in Eccleſia.* Sicut igitur Epiſcopis competit ex officio, & de Jure Divino prædicare, ac docere, ut demonſtrat Barboſa *de Offic. & Poſt. Epiſc. tit.* 2. *gloſſ.* 10. & Frances *de Eccleſ. Cathedral. cap.* 18. per totum; ita ex eodem Jure Divino, ac ex officio ſpectat ad Presbyteros munus prædicandi, ac docendi, ut probat Gonzalez *in Comment. ad cap. Cum ex injuncto. de Hæretic. num.*10. ita tamen ut hoc munus inſit iiſdem in potentia, ſed in actu practi-
38 co reſtrictum ſit ad Parochos, & alios Sacerdotes curam animarum gerentes, ut ex pluribus decretis Concilii Tridentini docet Barboſa *de Parocho cap.* 14. *ubi num.*5. advertit, quod quando ipſe Parochus vult per ſeipſum etiam in Quadrageſima prædicare, non poteſt obligari ad recipiendos Prædicatores Regulares, quos Epiſcopus tunc mittere ſolet, ut declaraſſe teſtatur S. Congregationem Concilii.

Quo verò ad tertium genus, nempè quo ad Clericos Presbyteris inferiores; his poſſunt Epiſcopi delegare facultatem prædicandi, ac docendi populum Le-
39 gem Dei, ſi pii, ac docti ſint, præcipuè ſi ſint Levitæ, & in Diaconatus Ordine conſtituti. *cap. Perlectis* 25. *diſt. cap. In ſanctas.* 92. *diſt.* prout fecerunt SS. Apoſtoli, qui hujuſmodi licentiam conceſſerunt Beato Levitæ Stephano. *Act.* 7. & Philippo Diacono *Act.* 8. *Verſ.* 5. & de S. Gregorio Magno ſcribit Joannes Diaconus *in ejus Vita lib.*1. *cap.* 41. quod dum eſſet in Diaconatus Ordine ſermonem ad plebem habuit; idque latiùs demonſtrant Emin. Cardin. Turriſcremata *in cap. Adiicimus.* 16. *q.*1. Vaſquez 3. *p. in diſp.* 236. *cap.*8. *nu.* 89. Et Gonzalez *in Comment. in cap. Inter cætera num.* 5. *De offic. Ordin.* Quod ſi ſint Clerici conſtituti in minoribus, quamvis Cajetanus *in D. Thom.* 3.*p.q.*64. *art.*6. *Verſ. Hanc doctrinam.* afferat, his non poſſe Epiſcopum dare facultatem prædicandi; contraria tamen opinio verior eſt, & communior, quam tuetur Barboſa *de Jure Eccl. Univ. libr.*1. *cap.* 13. *num.*19. & Narbona *de Ætate Anno* 30. *q.*8. & ideò etiam his Clericis virtute, ac Litteris pollentibus poteſt Epiſcopus demandare prædicationem.

Circa quartum verò genus, nempè Laicos, regula generalis eſt, quòd iſtis non licet prædicare in Eccleſiis, neque
diſputare potiſſimùm de rebus fidei. 40
*cap. Cum ex injuncto.* 12. *De Hæretic.* & ibi Gonzalez *num.*6. allegans *text.* concordantes *in cap. Mulier* 23. *diſt. in cap. Excommunicamus.* §. *Quia verò, & in cap. Sicut in uno. de Hæretic. & in cap.*2. §. *Inhibemus. eod. tit. in* 6. quamvis oſtendat, aliquando in primitiva Eccleſia ob penuriam Presbyterorum demandatam fuiſſe prædicationem etiam Laicis viris; ita tamen ut ea uterentur ad erudiendos Catechumenos, non autem ut publicè ex pulpito in Eccleſia prædicarent; prout etiam demonſtrat Hallier. *de Hierarch. Juriſd. lib.*1.*cap.*7. nec diſſentit Praxis noſtrorum temporum, quæ admittit, imò rogat, & advocat Viros Laicos ad docendos pueros diebus feſtis doctrinam Chriſtianam; ac etiam devotas, ac pias mulieres ad erudiendas puellas in illa.

Sextum denique officium Presbyterorum eſt benedictionem tùm perſonis, tùm

tùm rebus impendere. *cap. Didicimus.* 6. *de Conſecr. diſt.* 2. & in hujus miniſterii teſtificationem, dum Presbyteri ordi-
41 nantur, eorum manus unguntur Oleo Sacro ab Epiſcopo dicente; *Conſecrentur manus iſtæ &c. ut quæcunque benedixerint, benedicta ſint, & quæcunque ſanctificaverint, ſanctificentur*. Cæterùm cum varia ſint genera benedictionum, quarum aliquæ ad ſolum Papam ſpectant, aliæ ad ſolos Epiſcopos, aliæ ad Abbates, & aliæ ad Presbyteros, ut plenè oſtendi in meis Deciſionibus *De*
42 *Sacrificio Miſſæ Deciſ.* 42. loquendo nunc de illis, quæ propriæ ſunt Presbyterorum, ſatis ſit notare, quod præter benedictionem, quam Sacerdos dat populo in fine Miſſæ ex proprio officio ut *ex cap. Miſſas.* 64. *& cap. Cum ad celebrandas.* 65. *de Conſecr. diſt.* 1. reliquæ omnes benedictiones bifariam dividuntur, aliæ enim dari poſſunt tantummodò à Parochis, & ſunt illæ, quæ leguntur repoſitæ in Rituali Romano; aliæ verò ſunt, quæ à quocunque Sacerdote, etiam Regulari poſſunt elargiri, quales ſunt omnes benedictiones candelarum, Palmarum, ovorum, aliorumvè comeſtibilium, quæ ſunt collocatæ in Miſſali Romano, ut diſſerui *in d. tract. de Sacrificio Miſſæ Deciſ.* 42. *à num.* 75. *& ſeqq.* ubi pro cognitione benedictionum, & controverſiarum inter Parochos, ac Regulares emergentium Lectorem adire non pigeat.

Corollarii loco hæc generalis obſervatio notanda eſt, quæ reſpicit omnes initiatos Ordine Presbyteratus; eos ſcilicèt obligatos eſſe inter cætera ſcire perfectè omnium Sacramentorum formas;
43 ut in caſibus occurrentibus, in quibus Parochi non reperiantur, poſſint ipſi eadem Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, ac Extremæ Unctionis miniſtrare. Ita tenent graviſſimi Theologi apud Gobatum *tract.* 8. *num.* 381. *&* 382. Hæc aſſertio fundatur in Concilio Tridentino, à quo *ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 14. præcipitur, quod illi tantùm promoveantur ad Ordinem Presbyteratus, *Qui ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac ad miniſtranda Sacramenta, diligenti examine præcedente, idonei comprobentur*. Utinam nullus Sacerdos hoc Conciliare Decretum ignoraret; ſed ter, & quater Utinam, nullus Antiſtes ipſum negligeret. Celebrantium inſcitiam deplorat Biſſus *in Verb. Presbyteratus ordo num.* 201. §. 8. *pag.* 309. ſed magis dolendum de Epiſcopis, qui ignaros promovent ad hunc ſublimem Presbyteratus gradum; vel ſuæ obligationis obliti, vel ab Examinatoribus, quos adhibent, decepti. Immortalis gloriæ, & laudis digni ſunt Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus q. Georgius Cornelius, atque Eminentiſ- 44
ſimus Gregorius Cardinalis Barbadicus, unus poſt alium Patavini Antiſtites, quibus mihi contigit per annos quadraginta in examine Ordinandorum adſiſtere; nullum enim ad Ordines Sacros, ac præcipuè ad Sacerdotium admittebant, qui præter morum probatiſſimam probitatem, perfectam Sacramentorum ſcientiam, cenſurarum cognitionem, ac Decalogi intelligentiam non haberent.

## DECISIO XXXV.

### ARGUMENTUM.

Relatis decem cognominibus ad Epiſcopos ſpectantibus, eorumque myſticis ſignificationibus adductis, oſtenditur, Dignitatem, ac Juriſdictionem Epiſcopalem ſuper Presbyteros eſſe de Jure Divino. Referuntur verba S. Hieronymi in *cap. Olim. diſt.* 95. contrarium affirmantia: ſed ea non eſſe S. Hieronymi, ſed Hæreticorum demonſtratur: ac eſto fuerint ejuſdem Sancti, eruditis interpretationibus ita declarantur, ut non negent, Epiſcoporum majoritatem à Chriſto emanare.

Tan-

Digitized by Google

Tandem circa Quæſitum, *Ubi, & quando Apoſtoli ſint à Chriſto ordinati Epiſcopi?* variæ SS. Patrum opiniones enarrantur.

SUMMARIUM.

1 *Epiſcoporum nomina, ſeu cognomina undecim.*
2 *Annonæ Præfecti dicebantur Epiſcopi, & cur?*
3 *Epiſcopi omnes quare olim appellarentur Apoſtoli?*
4 *Sanctiſſimus nunc ſolus Papa vocatur.*
5 *Papæ nomen quid ſignificet?*
6 *Pontificis nomen cur competat Epiſcopis? ac etiam Antiſtitis? & Præſulis? ac Paſtoris?*
7 *Ordinarii nomen quas perſonas ſignificet?*
8 *Diœceſani, & Diœceſis vocabula quid denotent?*
9 *Epiſcopalis Dignitas eſt inſtituta de Jure Divino. De hoc probationes, & argumenta decem.*
10 *Apoſtoli conſecrati ſunt Epiſcopi à Chriſto.*
11 *Epiſcopi plurimi fuerunt conſecrati ab Apoſtolis.*
12 *Aerii hæreſis, quod Epiſcopatus non ſit de Jure Divino; ac Wicleſi, & Calvini.*
13 *S. Hieronymi Verba, quod Epiſcopatus non ſit de Jure Divino, quomodo intelligenda?*
14 *S. Hieronymi aſſerta verba non ſunt ejus, ſed hæreticorum.*
15 *S. Hieronymi plura loca, quod Epiſcopi ſunt de Jure Divino.*
16 *Apoſtolatus, & Epiſcopatus idem ſunt.*
17 *Bellarmini Cardinalis obſervationes ſuper opera S. Hieronymi ab hæreticis corrupta.*
18 *Hæreticorum proprium eſt adulterare ſcripturas.*
19 *Doctoribus antiquis valdè deferendum.*
20 *S. Hieronymus in diſputationibus utebatur hyperbolis, ac amplificationibus Rhetoricis.*
21 *Nomina Epiſcoporum, & Presbyterorum erant inter ipſos communia in initio Eccleſiæ.*
22 *Epiſcopalis Juriſdictio olim communicata Presbyteris.*
23 *Epiſcopi in initio Eccleſiæ humiles, deinde faſtoſi.*
24 *Epiſcopalis Juriſdictionis actus, ideſt exercitium ſuper Presbyteros dici poteſt ex conſuetudine. Et cur?*
25 *Chriſti facta non omnia notata ab Evangeliſtis.*
26 *Apoſtoli an à Chriſto ordinati Epiſcopi in ultima Cœna?*
27 *Vel poſt Reſurrectionem ejus?*
28 *Vel in die Pentecoſtes?*
29 *Petrus an ſolus ſit ordinatus à Chriſto Epiſcopus?*

Completa Presbyreratus Ordinis explicatione, congruit, ut nonnulla de Epiſcopatu, ac de Epiſcopali dignitate differamus; & quamvis tàm Theologi, quàm Canoniſtæ multa tractent, ac diſputent de Epiſcopis, & non pauci de iiſdem integros codices faciant; nos ad noſtrorum ſtudentium compendioſam inſtructionem videbimus.

1. Quot, & Quibus nominibus vocentur Epiſcopi?
2. Quo jure ſit inſtituta Dignitas Epiſcopalis?
3. Quomodo ſit intelligendus S. Hieronymus circa hoc quæſitum?
4. Ubi, & quando Apoſtoli ſint conſecrati Epiſcopi?

Quo ad Primum: Quia Epiſcopi officium latiſſimè patet, ac illius dignitas ſumma eſt in Eccleſia Dei, hinc factum eſt, ut hujuſmodi officium, ac dignitatem obtinens pluribus titulis, ac nominibus decoraretur. Et quidem I. vocantur 1
*Epiſcopi*; quod vocabulum græcum eſt ſignificans ſuperintendens, & ideò apud Gentiles illi vocabantur Epiſcopi, qui deputabantur ſuperintendentes annonæ, ac proviſioni panis, aliorumque victualium, ut legitur in *l. 2. §. Tecenarchæ. ff. de Mu-*

*de Muner. & Honor.* juxta quem ſen-
ſum Cicero ait de ſe *ad Attic. Epiſt.* 10.
2 *libr.7. Vult enim me Pompejus eſſe, quem
tota hæc Campania, & maritima ora
habeat Epiſcopum*: ideòque Epiſcopi
ſunt ſic nominati, quia curare debent,
ne cibus Verbi Dei, ac Sacramentorum
deſit populo fideli. Concordat Latina
interpretatio, quæ ait idem eſſe Epiſco-
pum, ac Speculatorem. *cap. Cleros*. §.
*Epiſcopus diſt.* 21. ac etiam Superinten-
dentem. *cap. Qui Epiſcopatum*. 8. *q.*1.
ea ratione, quia præcipuum Epiſcopi
munus eſt, gregis ſibi crediti vitam,
moreſque explorare, atque ſaluti ani-
marum invigilare, ac ſuperintendere,
ut obſervat Jordanus *tom.* 1. *Prælud.* 1.
*num.*4. & 5. & Cornelius à Lapide *Com-
ment. in* 1. *Epiſt. ad Timoth. cap.*3. *Verſ.*
1. ſic ſcribens: *Nomen Epiſcopi eſt ope-
ris, non honoris; Epiſcopus enim eſt ſu-
perintendens, qui curam aliorum gerit,
ſubitque onus, & laborem docendi, &
regendi populum*. II. Epiſcopi in primi-
tiva Eccleſia vocabantur *Apoſtoli*, tùm
3 quia Apoſtolorum ſucceſſores ſunt, tùm
etiam quia eorumdem officium exer-
cent in prædicando Evangelium. Hinc
Divus Paulus *in Epiſt. ad Philippenſes
cap.*2. *Verſ.* 25. ſic nominat eorumdem
Epiſcopum Epaphroditum: *Neceſſa-
rium*, inquit, *exiſtimavi, Epaphrodi-
tum fratrem, & cooperatorem, & com-
militonem meum, veſtrum autem Apo-
ſtolum, & miniſtrum neceſſitatis meæ
mittere ad vos*. Prout etiam *in Epiſt. ad
Rom. cap.* 16. *Verſ.* 7. ait: *Salutate An-
dronicum, & Juliam cognatos, & con-
captivos meos, qui ſunt nobiles in Apo-
ſtolis*. Nec non *in* 2. *ad Corinth.* 8. 23.
*Sivè pro Tito, qui eſt ſocius meus, &
in vos adjutor: ſivè fratres noſtri Apo-
ſtoli Eccleſiarum*: his enim omnibus in
locis per verbum *Apoſtoli* intelligebat
Divus Paulus Epiſcopos, quales erant
illi, quos nominabat, ut probat Emin.
Card. Baronius *ad Ann.* 58. *num.* 8. &
Jordanus *d. Prælud.*1. *num.*10. III. Epi-
ſcopi nuncupabantur Summi Sacerdo-
tes; ut legitur *in cap. ult.*39. *diſt. in cap.
Vendentes*. 12. *qu.* 1. *in cap. Manus. de
Conſecr. diſt.*1. *in cap.*1. §. *Per frontis. De
Sacr. Unct.* & alibi frequenter, ut no-
tant Azorius *part.* 2. *libr.* 3. *cap.* 27. *q.*1.
& Barboſa *de Epiſc. cap.* 2. *num.*3. talis
autem nomenclatura fundatur in eo,
quod Epiſcopatus eſt major omnium
Ordinum in Eccleſia Dei. *cap.*1. *de Pri-
vil. cap. penult. de Præben.* Gloſſa in
Prœmio Sexti *Verb. Epiſcopus. cap.
Quia periculoſum. de Sent. Excom. in* 6.
quod proſequitur demonſtrare Chaſſa-
neus *in Cathal. glor. Mundi part.*4. *con-
ſid.*25. IV. Epiſcopi olim vocabantur.
*Sanctiſſimi*, ut in *Authent. de Sanctis.
Epiſc.* in rubro, & in nigro. *Clem.*1. §.
*Nec ſuper. De Pœnis*. Et hoc, quia lo-
cum, & officium tenent alios ſanctifi-
candi, & ad inſinuandam Sanctitatem,
qua illos præditos eſſe oportet. Jorda-
nus *d. Prælud.*1. *num.* 14. ubi ſubdit ex
Card. Baronio *ad Annum* 260. *num.*22.
quod etiam Imperatores Gentiles voca-
bantur Sanctiſſimi ob obligationem ju-
ſtè vivendi, quæ illis incumbebat. Ho- 4
diè tamen ſolus Papa vocatur Sanctiſ-
ſimus in ſignum ſpecialis prærogativæ,
& præeminentiæ tanquam Epiſcopus
Epiſcoporum, & ſupremum Eccleſiæ
caput. Gloſſa *in Extravag. Unam San-
ctam. Verb. itaque. De Major. & Obed.*
V. Solebat antiquitùs omnis Epiſcopus
vocari *Papa*; nam hæc vox Papa ſi-
gnificat Patrem, & Epiſcopi reputan-
tur Patres omnium de ſua Diœceſi, ut 5
notat Emin. Card. Baron. *ad Martyrol.
Rom. die* 10. *Januarii*: Gavantus *in
Rubr. Miſſal. part.*2. *tit.*8. *num.*2. & Jor-
danus *d. Prælud.*1. *num.*17. ubi advertit,
quod tractu temporis cum ex hac deno-
minatione non pauca ſcandala oriren-
tur, Gregorius Papa VII. ad ea remo-
venda *Anno* 1073. in Concilio Roma-
no ſancivit, *Unicum eſſe debere in tota
Chriſtiana Republica Papæ nomen, ne-
que licere cuiquam ſeipſum, aut alios,
præter ipſum Romanum Pontificem, ta-
li nomine decorare*. VI. Epiſcopus etiam
nunc appellatur *Pontifex*; & ſic officia
Sanctorum Epiſcoporum dicuntur de
communi Confeſſorum Pontificum. Sic 6
autem appellatur, quaſi Pontem, &
viam

viam faciens ovibus ſuis ad æternam ſalutem. *cap. Pontifices*: *7. q. 1. cap. Meſſana. De elect. & cap. Quia periculoſum. De ſent. excommunic.* VII. Dicitur etiam *Antiſtes*. *cap. Cleros. Verb. Antiſtes 21. diſt.* eo quod ante alios ſtet loco, moribus, ſcientia, & reliquis virtutibus, quibus ornatus eſſe debet ad ritè præſidendum. Vel quia debet ſtare ante, ideſt contra hæreticos, & cæteros Chriſtiani nominis hoſtes, ac diabolum ipſum. Gloſſa *in Clem. 2. Verb. Antiſtes. de Sepultur.* Barboſa *de Epiſc. part. 1. cap. 2. num. 6.* ubi alii DD. VIII. ſolet Epiſcopus appellari Præſul à præſidendo, cum ei debeatur primus locus in Choro, in Capitulo, in Proceſſionibus, ac aliis ſeſſionibus publicis, ut ſtatutum legitur in *Concil. Trid. ſeſſ. 25. de Ref. cap. 6.* IX. Dicitur *Paſtor* ab officio paſcendi oves ſuas, ideſt animas ſibi concreditas, quas agnoſcere debet, Verbique divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, & omnium bonorum operum exemplo nutrire, ac etiam pauperes eleemoſynis ſuſtentare. *cap. Sciſcitaris*: *2. q. 1.* Concil. Trid. *de Ref. ſeſſ. 6. cap. 1. ac ſeſſ. 23. cap. 1.* Sotus *de Juſt. & Jure libr 10. q. 3. art. 1.* & hac de cauſa in Epiſcopi conſecratione traditur ei baculus. *cap. Unico in fin. de Sacr. Unct.* Jordanus *d. Prælud. 1. num. 21.* X. Epiſcopus nuncupatur *Ordinarius*. *cap. 1. de Offic. Ord. in 6.* quamvis hæc nuncupatio comprehendat etiam
7 Prælatos inferiores habentes Juriſdictionem quaſi Epiſcopalem cum populo, ac Territorio ſeparato. Gloſſ. *in d. cap. 1. Verb. locorum.* & *in cap. Quamquam. Verb. loci ordinario. & ibi* Abbas *de Uſuris in 6.* imò etiam Vicarium Epiſcopi venire ſub nomine ordinarii docet Gratian. *diſcept. for. cap. 38. num. 12.* XI. Vocatur etiam Epiſcopus *Diœce-*
8 *ſanus*, ut *in cap. 1. De Jurepatr. in 6. in Clem. 1. de Vit. & honeſt. Cleric.* & alibi ſæpè; propter Diœceſim, quæ unicuique Epiſcopo aſſignata eſt ad gubernandum. Diœceſis enim eſt Parochia Epiſcopi. Gloſſa *in cap. Statutum. §. cum verò. Verb. de ſua. De Reſcript. in 6.* Gonzalez *Comment. in cap. Sicut nobis. 9. num. 1. de Teſtib. tom. 2. pag. 306.* ubi ita: *Nota, Diœceſanos Epiſcopo ſubjectos appellari Parochianos, imò & Diœceſim ipſum dici Parochiam, per plura enim ſæcula Eccleſiæ Epiſcopatus, ſeu Diœceſes dicebantur Parochiæ, & Epiſcopi Parochi. can. 34. & 35. Apoſtol.* Jordanus ubi ſupra *Prælud. 1. num. 28. & ſeqq.* ubi proſequitur in referendis pluribus aliis nominibus, & titulis, quibus in Jure, & in Hiſtoriis ſacris appellantur Epiſcopi in obſequium, & venerationem eorumdem, ob eximiam Sanctitatem vitæ, quam antiquitùs profitebantur; quos quidem titulos ibidem ſtudioſi videre poterunt.

Quo ad ſecundum. Dignitas Epiſcopalis inſtituta eſt in Eccleſia Jure Divino, non autem jure humano; ut demonſtrat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 7. num. 8.* & probatur ſequentibus fundamentis. I. Ex Scriptura Sacra *Act. 20. 20.* ubi Divus Pau- 9
lus exhortationem faciens Epiſcopis coram ſe convocatis, ait: *Attendite Vobis, & univerſo Gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit vos Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*. II. Ex *libr. 8. Conſt. Apoſtol. S. Clem. cap. ult.* in quo Apoſtoli ſic loquuti ſunt: *Etenim ſi non eſſet aliqua lex poſita, & aliquod diſcrimen Ordinum, ſatis erat uno nomine affectos omnia iſta miniſteria perficere. Verùm cum à Deo conſequentiam rerum didicerimus, Epiſcopis quidem aſſignavimus, & attribuimus, quæ ad Principatum Sacerdotii pertinent: Presbyteris verò quæ ad Sacerdotium; deindè Diaconis quæ ad miniſtrandum utriuſque, ut purè, & caſtè fiant, quæ ad Religionem pertinent.* Ergo Epiſcopalis Dignitas à Chriſto Domino inſtituta fuit, & de ea edocti Apoſtoli ab eodem Chriſto atque ornati, alios Epiſcopos conſecrare cœperunt pro dilatatione Eccleſiæ, prout etiam alios Sacerdotes, ac inferiores miniſtros. Ideò paulò poſt ſubdunt ibidem: *Nos verò poſt Aſſumptionem ejus offerentes, ut idem conſtituit, Sacrificium mundum, & incruentum, elegimus Epiſco-*

*pos*, *Presbyteros*, *&* *Diaconos ſeptem &c.* III. Ex Epiſtolis S. Ignatii Martyris diſcipuli Apoſtolorum, per eum ſcriptis ad Trallianos, ad Magneſianos, ad Philadelphienſes, ad Smyrnenſes, & ad Tarſenſes; in quibus omnibus ſanctus ille obteſtatur, Epiſcopos eſſe reverendos, ac obediendum eis tanquam à Deo conſtitutis ad regimen Eccleſiarum; & earumdem Epiſtolarum verba refert Morinus *de Sacris Ordin. part.3. Exerc. 3. cap. 3. à num. 7. & ſeqq.* IV. Facit teſtimonium S. Sixti Papæ Primi, qui fuit ad Apoſtolicam Sedem provectus *Anno* 132. ipſe enim in *Epiſt.* 2. quæ legitur *in tom. 1. Concilior. pag. mihi* 323. ita dicit: *Epiſcopi ordinante Domino primitùs ſunt Conſtituti*. V. Concordat illud S. Anacleti, qui præceſſit S. Sixtum in Papatu *Annos* 30. Sic enim ait *in Epiſt. 3. Decretali*, exiſtente *in eod. tom. 1. pag.* 308. *Sacerdotum ordo bipartitus eſt*, *&* *ſicut Dominus illum conſtituit*, *à nullo debet perturbari*. *Scitis autem à Domino Apoſtolos eſſe electos*, *& conſtitutos*, *& poſtea per diverſas Provincias ad prædicandum diſperſos*. *Cum verò Meſſis cœpiſſet creſcere*, *videns paucos eſſe Operarios*, *ad eorum adjumentum ſeptuaginta duos eligi præcepit diſcipulos*. *Epiſcopi verò Domini Apoſtolorum*: *Presbyteri quoque ſeptuaginta duorum diſcipulorum locum tenent*. Et paulò infra: *Ampliùs quàm iſti duo ordines nec nobis à Deo collati ſunt*, *nec Apoſtoli docuerunt*. Ergo ſicut Chriſtus Dominus inſtituit Ordinem Sacerdotalem; ſic etiam ipſe inſtituit Ordinem Epiſcopalem. VI. Idem innuit Euſebius Papa, qui ſedebat *Anno* 309, *in Epiſt.*2. in eodem *tom.1. Concilior. pag.* 461. in illis verbis: *Dei ergò ordinationem accuſat*, *qui Epiſcopos accuſat*. Scilicèt quia Epiſcoporum ordinatio eſt à Deo. VII. Quia ſicut omnia Sacramenta ſunt de Jure Divino, & à Chriſto Domino inſtituta; ita Miniſtri ad eadem Sacramenta conferenda ſunt eodem Jure, & ab eodem Chriſto deputati. Suarez *in 3. p. D. Thom. tom.4. de Sacram. Pœnit. diſp. 25. ſect.1. numer.4.* Sed Sacramentorum Confirmationis, & Ordinis Miniſtri ordinarii ſunt Epiſcopi. Ergo ſunt Jure divino, & à Chriſto Domino inſtituti. VIII. Quia Chriſtus Dominus conſtituit in Eccleſia ſua regimen Monarchicum, ad cujus perfectionem requiritur non ſolùm ut exiſtat unum caput, & unus Monarcha, ſed etiam, ut alii ſint Principes ſub illo, veluti fundamenta, & nervi ejus pro bono gubernio animarum. Idem Suarez *d. ſect. 1. num.* 8. Sed Epiſcopi ſunt Principes in Eccleſia, & coadjutores in ejus ſpirituali regimine dati Supremo Monarchæ, qui eſt Romanus Pontifex, Divi Petri Succeſſor. Ergo ſicut hic fuit à Chriſto deputatus ejus Vicarius; ita Epiſcopi ab eodem Chriſto Domino in adjutorium ejuſdem Romani Pontificis ſortiti ſunt deputationem. IX. Hinc Concilium Tridentinum hanc veritatem firmavit *ſeſſ.23. de Sacram. Ord. can. 6.* his verbis: *Si quis dixerit in Eccleſia Catholica non eſſe Hierarchiam Divina ordinatione inſtitutam*, *quæ conſtat ex Epiſcopis*, *Presbyteris*, *&* *Miniſtris*. *Anathema ſit*. Ergo eſt de fide, quod Dignitas Epiſcopalis eſt de Jure Divino, & ordinata, ac inſtituta à Chriſto, ut latè demonſtrat Fagnanus *in cap. Cum contingat. num.76. De Ætate*, *&* *Qual.* X. Confirmatur ex eo, quod omnes Apoſtoli eadem dignitate Epiſcopali fuerunt initiati à Chriſto, & ab ipſo conſecrati Epiſcopi, ut iidem
10 teſtantur *in libr 8. Conſtit. Apoſtol. cap. ult. col. ult.* in illis verbis: *A Moyſe namque*, *qui fuit Deo chariſſimus*, *conſtituti ſunt Pontifices*, *Sacerdotes*, *& Levitæ*: *à Chriſto autem Salvatore noſtro nos tredecim Apoſtoli*. Et hoc idem ſenſit S. Auguſtinus *in QQ. Novi*, *& Vet. Teſtam. q. 97.* dicens *Ipſe enim* (Chriſtus) *priuſquàm in Cœlos aſcenderet*, *imponens nomen Apoſtolis Ordinavit in Epiſcopos*. Idcircò Dignitas hæc Epiſcopalis provenit à Jure Divino per Chriſtum in Apoſtolos, & ab Apoſtolis in Epiſcopos, qui in eorumdem Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ac ſuccedunt, prout loquitur Concilium

Triden-

Digitized by Google

Tridentinum *d. ſeſſ.* 23. *de Sacr. Ord. cap.* 4. ita definiens: *Proindè Sacroſancta Synodus declarat, præter cæteros Eccleſiaſticos gradus, Epiſcopos, qui in Apoſtolorum locum ſucceſſerunt, ad hunc Hierarchicum Ordinem præcipuè pertinere; & poſitos, ſicut idem Apoſtolus ait, à Spiritu Sancto, regere Eccleſiam Dei*. Eſt autem hæc communis doctrina Theologorum, ac Canoniſtarum, tàm veterum, quàm modernorum, ut videre eſt apud S. Bonaventuram, Albertum Magnum, Richardum, Durandum, & alios *in* 4. *diſt.* 19. & Cajetan. *tom* 1. *tract.* 1. *de Pot. Papæ cap.* 19. Card. de Turrecrem. *in Summa libr.* 5. *cap.* 54. Abb. *in cap. Tua nobis. num.* 11. *&* 12. *de Confirm. utili, vel inutili*. Covaruv. *in Reg. Poſſeſſor part.* 2. §. 9. *nu.* 6. Emin. Card. Bellarmin. *libr* 4. *de Romano Pontif. cap.* 25. Baron. *ad Annum Chriſti* 58. *ac* De Lauræa *de Sacram. Ord. d. diſp.* 7. *à numer.* 64. *& ſeqq.* & plures, quos citat, & ſequitur tum Barboſa *de Pot. Epiſc. tit.* 1. *num.* 8. tùm Pax Jordanus *tom.* 1. *Prælud.* 3. *num.* 4. præter alios Sanctos Patres, ac Doctores, quos cumulat Morinus *de Sacris Ordin. d. part.* 3. *Exercit.* 3. *cap.* 3. ubi inter cætera argumenta ponit conſecrationem
11 Epiſcoporum plurimorum ab Apoſtolis factam, ſubdens *num.* 6. *in fine* hæc verba: *Denique longum Catalogum Epiſcoporum ab Apoſtolis ordinatorum texit S. Clemens Apoſtolorum diſcipulus lib.* 7. *Conſtit. cap.* 48. *in quo alii plurimi cum jam enumeratis inſeruntur. Quis hæc Apoſtolos féciſſe Chriſto non jubente ſuſpicabitur?*

Ex his exploſa remanet hæreſis illa, quam excogitavit Sæculo quarto Aerius Presbyter in Aſia minori, diſcipulus Euſtatii Hæreſiarchæ, de quo ita ſcriptum reliquit Emin. Card. Baronius *ad*
12 *Annum Chriſti LVIII. num.* 4. *Aerius hæreſiarca, (ut de eo tradit Epiphanius Hæreſi* 75.) *homo procax, eò quod non eſſet creatus Epiſcopus, ſed Presbyter ſemel ordinatus ſemper in ea functione permanſerit, dicere non eſt veritus, nihil prorsùs inter Epiſcopum, ac Presbyterum intereſſe*. Et de eodem Aerio eamdem hæreticalem aſſertionem refert Salelles *De S. Inquiſit. lib.* 3. *cap.* 8. *Regul.* 236. *num.* 129. ejuſdem meminerunt etiam Alfonſus à Caſtro *Verb. Epiſcopus Hæreſ.* 1. Sander. *Hæreſ.* 69. & Prateolus *Verb. Aeriani*. Hanc Aerii hæreticalem doctrinam amplexi fuerunt ſubſequentibus ſæculis Wicleff, & Calvinus, ut notat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp.* 7. *num.* 15. prædicti enim Novatores conati ſunt Epiſcopalem dignitatem deſtruere, & Hierarchicum Ordinem à Chriſto Domino in Eccleſia ordinatum, & ab Apoſtolis in ea relictum evertere.

Quo ad Tertium. Contra hucuſque dicta, & deducta circa Dignitatem Epiſcopalem, quod nempè ſit de Jure Divino, & quod Epiſcopus ex divina inſtitutione ſit major Presbyteris, & horum ſit Superior, graviter obſtant verba Sancti Hieronymi *in cap.* 1. *Epiſt.* 13
*ad Titum*, relata per Gratianum *in cap. Olim. diſt.* 95. quæ ſunt hujuſmodi: *Olim idem erat Presbyter, ac Epiſcopus, & antequam diaboli inſtinctu ſchiſmata in Religione fierent, & diceretur in populis, Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò unuſquiſque eos, quos baptizaverat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris, ad quem omnis Eccleſiæ cura pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur*. Et paulò poſt: *Sicut ergo Presbyteri ſciunt, ſe ex Eccleſiæ conſuetudine ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſubjectos; ita Epiſcopi noverint, ſe magis conſuetudine quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſe majores, & in commune debere Eccleſiam regere*. Si igitur in primitiva Eccleſia *idem erat Presbyter, ac Epiſcopus*; & poſtquam oriri cæperunt Schiſmata, *in toto Orbe decretum eſt, ut unus de Presbyteris electus ſuperponeretur cæteris*, Epiſcopi non ſunt majores, ac Superiores Presbyterorum de Jure Divino, ſed ex conſtitutione

humana. Prout etiam, ſi Presbyteri
ſcire debent, *ſe ex Eccleſiæ conſuetudi-
ne ei, qui ſibi præpoſitus fuerit, eſſe ſu-
bjectos*, ac Epiſcopi noſſe, *ſe magis
conſuetudine, quàm diſpoſitionis Domi-
nicæ veritate Presbyteris eſſe majores*;
Dignitas Epiſcopalis non eſt à Chriſto
Domino inſtituta; & Juriſdictio, quam
Epiſcopi habent ſuper Presbyteros, non
eſt ex inſtitutione divina, ſed ex Eccle-
ſiaſtica conſtitutione.

Pro reſolutione hujus difficultatis,
quam Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.
7. num.* 14. moleſtam appellat; reperio
apud DD. reſponſiones quinque.

Prima eſt, quod ſupradicta verba re-
lata *in d. cap. Olim. diſt.* 95. & deſum-
pta ex Commentario S. Hieronymi *in*
14 *cap.* 1. *Epiſtolæ ad Titum*, non ſunt ver-
ba S. Hieronymi, ſed hæreticorum in
eodem Commentario inſerta, ad ever-
tendam Epiſcopalem Dignitatem, ac
Superioritatem in ſimplices Presbyte-
ros. Probatur hæc reſponſio ſequenti-
bus conjecturis, ac argumentis. *Primò*,
quia pluribus in locis Sanctus Hierony-
mus profeſſus eſt, Epiſcopos eſſe ſuc-
ceſſores Apoſtolorum, & per conſe-
quens à Deo inſtitutos, ac ex Divina
ordinatione Superioritatem ſuper Pres-
byteros obtinere. Ita ipſe ſcribit *in*
15 *Epiſt.* 85. *ad Evagrium*, prout etiam *in
Epiſt.* 54. *ad Marcellam* ibi: *Apud nos
Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent*: nec
non *Epiſt.* 1. *ad Heliodorum* ibi: *Abſit,
ut de his* (Epiſcopis) *quidquam ſiniſtrum
loquar, qui Apoſtolico gradui ſuccedentes,
Chriſti Corpus ſacro ore conficiunt*.
Si igitur Epiſcopi ſunt Apoſtolorum
Succeſſores, ſunt inſtituti à Chriſto Do-
mino, nam omnes Apoſtoli ab eo fue-
runt ordinati Epiſcopi, & idem eſt
Apoſtolatus, ac Epiſcopatus, ut innuit
16 Princeps Apoſtolorum Petrus; dum
inter fratres centum viginti loquens de
eligendo altero Apoſtolo in locum Ju-
dæ, allegavit verba *Pſalmi* 108. *Et
Epiſcopatum ejus accipiat alter*. De
præeminentia autem, eorumdem Epi-
ſcoporum ſuper Presbyteros teſtatur
idem S. Hieronymus etiam in exordio
Eccleſiæ, dum *in eadem Epiſt.* 85. *ad
Evagrium* ait: *Nam & Alexandriæ à
Marco Evangeliſta uſque ad Heraclam,
& Dionyſium Epiſcopos, Presbyteri ſem-
per unum ex ſe electum in exceſſiori gra-
du collocatum Epiſcopum nominant;
quomodo ſi exercitus Imperatorem fa-
ciat*. Ulteriùs ipſemet S. Hieronymus
*in Comment. adverſ. Luciferianos* de-
monſtrat, manuum impoſitionem, ideſt
Sacramenti confirmationem conceſſam
eſſe Epiſcopis de Jure Divino; interdi-
ctam autem Presbyteris, & hoc in
primo Eccleſiæ principio, qua de cauſa
ad Samaritanos à Philippo baptizatos,
miſerunt Apoſtoli Petrum, atque Joan-
nem, ut eis manus imponerent, ideſt
Sacro Chriſmate confirmarent, & ſic
reciperent Spiritum Sanctum, ut legi-
tur *Act.* 8. ab iiſdem Petro, atque Joan-
ne tanquam Epiſcopis. Tandem ipſe-
met S. Hieronymus *in ead. Epiſt.* 58. *ad
Evagr. in fine*, & *in Epiſt.* 2. *ad Nepotia-
num* ſcribit, quod ſicut ab Aaron cete-
ri Sacerdotes differebant, ita in Eccle-
ſia Presbyteri differunt eodem gradu
ab Epiſcopis. Propterea cum tot in lo-
cis S. Hieronymus aſſeveret Epiſcopos
Apoſtolorum eſſe Succeſſores, & ſic à
Chriſto inſtitutos, ac eoſdem Epiſcopos
obtinuiſſe præeminentiam, ſuperiorita-
tem, ac Juriſdictionem ſuper Presbyte-
ros in ipſiſſimis Eccleſiæ incunabulis,
quomodo eſſe poteſt, quod *in Comment.
cap.* 1. *Epiſt. ad Titum* ſcripſerit, quod in
primitiva Eccleſia *idem erat Presbyter,
ac Epiſcopus?* nec non quod Epiſcopi
*magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis
Dominicæ veritate Presbyteris ſint ma-
jores?* Credendum eſt itaque hæc verba
ibi inſerta eſſe ab Hæreticis, ut nomi-
ne, ac auctoritate S. Hieronymi, eo-
rum doctrinam impugnantem Epiſco-
porum dignitatem, ac Juriſdictionem,
tutarent, atque fulcirent. *Secundò* hæc
reſponſio probatur ex obſervationibus,
quas facit Emin. Card. Bellarminus *in
tract. de Scriptorib. Eccleſ.* ſuper opera
S. Hieronymi. Siquidem ibi *in obſer-
vat. ad tom.* 8. ipſe Cardinalis Bellarmi- 17
nus ita ſcribit: *Commentaria* (S. Hie-
nymi)

Digitized by Google

nymi) *in omnes Epiſtolas* (Pauli) *non ſolùm non ſunt Hieronymi, ſed quod magis mirum eſt, Pelagii Hæreſiarchæ ſunt. Nam S. Auguſtinus libr. 3. de Peccator. meritis, & remiſſ. cap. 1. dicit, ſe legiſſe Commentaria Pelagii brevia in omnes Epiſtolas Pauli, & infra cap. 12. allegat quædam ex Commentario in cap. 7. 1. ad Corinthios, quæ in his Commentariis inveniuntur.* Vide *Auctorem horum Commentariorum in cap. 5. 6. 7. 8. & 11. ad Romanos: item 1. Corinth. 4. Philippenſ. 1. & 3. & in cap. 6. 1. ad Timoth. & invenies ſententias manifeſtè Pelagianas.* Quare ſi in Commentariis, quæ attribuuntur S. Hieronymo, reperiuntur commentaria Pelagii, relata per S. Auguſtinum, atque malè olent commentaria prædicta, & convincuntur promanare ab hæreticis Pelagianis ſub nomine ejuſdem S. Hieronymi; non eſt incongruum aſſerere etiam Commentarium *in Epiſt. 1. ad Titum*, non eſſe S. Hieronymi, ſed hæreticorum Aerianorum, qui odio habebant Epiſcopalem gradum, & impugnabant Epiſcoporum ſuperioritatem, ac Juriſdictionem in Presbyteros. *Tertiò* corroboratur hæc reſponſio ex eo, quod proprium eſt hæreticorum adulterare Scripturam Sacram, & Scriptura Sanctorum Pa-
18 trum, ut obſervat Cornelius à Lapide *in Commentar. in Apocalypſ. S. Joan. cap. 22. Verſ.* 19. ubi allegat Tertullianum *libr. de Carne Chriſti cap.* 4. quo loci ipſe appellavit Marcionem hæreſiarcam, *Comeſtorem, ſivè Murem Ponticum* ex eo, quia erat oriundus ex Ponto, & Scripturas adulterabat. *Quartò* firmatur ex opinione Scoti, qui reputavit, verba antedicta S. Hieronymi *in Comment. Epiſt. ad Titum* non eſſe S. Hieronymi, ut advertit Emin. Cardin. de Laurea *d. diſp. 7. de Sacram. Ord. num. 14. & num.* 55. certum eſt autem in Jure,
19 quod opinio Doctoris legentis in Cathedra facit auctoritatem. Caball. *reſol.* 287. *num.* 85. Franchus *deciſ.* 260. *num.* 5. & 6. ac Rota Romana *deciſ.* 438. *num.* 12. *part.* 9. *recent.* potiſſimùm ſi Doctor ſit antiquus, qualis eſt ſubtiliſſimus Scotus, qui floruit Anno 1300; undè ejus dictis valdè eſt deferendum ex traditis per Fagnanum *in cap. Cum certum. num. 7. de Major. & Obed.* Sed eſto, quod verba antedicta prolata fuerint à S. Hieronymo, ſit

Secunda reſponſio, quam pro defenſione S. Hieronymi ponit Morinus *de Sacr. Ordin. part. 3. Exercit. 3. cap. 3. num.* 21. videlicèt, ea verba prolata eſſe à Sancto Doctore in fervore diſputationis quaſi per hyperbolim, & Rhetoricam amplificationem, non autem ut verè, 20
ac propriè vellet affirmare, quod olim *idem eſſet Presbyter, & Epiſcopus;* & quod Epiſcopi *magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Presbyteris eſſent majores*, cum jam pluries ipſe S. Hieronymus (ut ſupra demonſtratum eſt) faſſus eſſet majoritatem Epiſcoporum tùm quo ad Ordinem, tùm quo ad Juriſdictionem ſuper Presbyteros. Cauſam autem excitati fervoris, ac amplificationis Rhetoricæ in S. Hieronymo refert Morinus ibidem his verbis: *Scopus, ac propoſitum illi erat Diaconorum, præſertim Romanorum, ſuperbiam retundere, qui non modò ſe Presbyteris æquabant, ſed etiam præferebant. Hoc ut præſtet, Presbyteros quibus poteſt argumentis Epiſcopis exæquat, ut intelligerent Diaconi, illi cum ſe pares Presbyteris faciunt, aut etiam Superiores, ſe quoque Epiſcopis exæquare, aut etiam præferre. Notiſſimum autem eſt omnibus in S. Hieronymi lectione verſatis, eum in diſputationis fervore Rhetoricis amplificationibus, & hyperbolis plurimùm indulgere. Quare cum tantùm ex dictis colligere debuiſſet S. Hieronymus conſuetudine Eccleſiaſtica, non ſolùm diſpoſitione divina Presbyteros eſſe Epiſcopis inferiores, ex animi contendentis calore illud* MAGIS *inſuper addidit.* Idcircò non fuit intentio S Doctoris negare majoritatem Epiſcopis competentem de Jure Divino ſupra Presbyteros; ſed eamdem à conſuetudine invectam, & roboratam ipſi conſuetudini etiam tribuere.

Tertia reſponſio eſt, quam pro defenſione, ac declaratione S. Hieronymi

mi tradit Emin. Card. Baronius *ad Annum Chriſti 58. à n. 4. & ſeqq.* ubi oſtendit Sanctum Doctorem ita eſſe locutum ob analogiam propter nomina Epiſcoporum, ac Presbyterorum, quæ com-
21 munia erant in exordio Eccleſiæ, ac reciproca tùm Epiſcopis, tùm Presbyteris; ſiquidem frequenter Epiſcopi vocabantur Presbyteri, ac Seniores; & vice verſa Presbyteri, non ſolùm dicebantur Seniores, ſed etiam vocabantur Epiſcopi, ſcilicèt ſuperintendentes, ob curam animarum, quibus ſuperintendebant; qua de cauſa in eodem exordio Eccleſiæ Presbyteri non ſolùm participabant de nomine Epiſcoporum, ſed etiam de eorum auctoritate, ac majoritate in regimine Eccleſiarum; ſed tractu temporis intumeſcentibus Presbyteris, & quod ſibi permittebatur de Juriſdictione Epiſcopali, & de ſuperioritate ex ſola indulgentia Epiſcoporum, tanquam jure proprio prætendentibus, ac uſurpantibus, ſpoliati fuerunt, tùm nomine, tùm exercitio Auctoritatis Epiſcopalis; & ſic factum eſt conſuetudine (ut loquitur S. Hieronymus) quod Presbyteri eſſent inferiores Epiſcopis; Epiſcopi verò evaderent Presbyteris Superiores; etſi ex diſpoſitione divina Epiſcopi ſemper tales fuerint ab initio. Communicationem nominum inter Epiſcopos, & Presbyteros probat Emin. Cardinalis Baronius ex initio Epiſtolæ Divi Pauli ad Philippenſes, ubi ait: *Paulus, & Timotheus ſervi Jeſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto Jeſu, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & Diaconis*: ubi verbo illo *Epiſcopis* intellexit etiam Presbyteros, nam in eadem Civitate eſſe non poterat, niſi Epiſcopus unus; tunc autem ſimul Presbyteri vocabantur Epiſcopi. Similiter hoc idem probat *ex Act. 20.* ubi idem Apoſtolus Paulus alloquens, & exhortans Presbyteros Epheſinæ Eccleſiæ ait ad illos: *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos paſcere Eccleſiam Dei.* Concordat cum his Epiſtola 1. *ad Timotheum* 3. in qua monitiones Apoſtoli Pauli diriguntur ad Epiſcopos, ac Diaconos; & nullum verbum fit de Presbyteris; quia hi comprehendebantur ſub nomine Epiſcoporum. Vice verſa Epiſcopi in eodem Eccleſiæ exordio gloriabantur nomine Seniorum, ideſt Presbyterorum, & ſeipſos planè Presbyteros vocabant. Sic Divus Petrus Epiſcoporum caput, ac omnium primus 1. *Epiſt.* 5. ait: *Seniores ergo qui in vobis ſunt obſecro conſenior*, ideſt ſimul cum vobis, & unà cum vobis ego Presbyter. Sic S. Joannes Apoſtolus, & Evangeliſta *in Epiſt. 2. & 3. in princ.* vocat ſe *Seniorem*, ideſt Presbyterum, ob eamdem nominum reciprocam communicationem, quamvis & ipſe eſſet Epiſcopus.

Porrò quod conſueverint primitivi Epiſcopi, imò ipſi quoq; Apoſtoli indulgere Presbyteris, ut ſecum in Juriſdictione Epiſcopali communicarent, & ſimul cum ipſis illam exercerent, deprehenditur ma-
niſeſtè *ex Act. 15. 6.* ubi exorta diffi- 22
cultate, An gentiles ad fidem converſi eſſent circumcidendi? *Convenerunt Apoſtoli, & Seniores videre de verbo hoc.* ſcilicèt Epiſcopi; quales erant Apoſtoli, & Seniores, ideſt Presbyteri, qui Presbyteri de eorum Apoſtolorum indulgentia, ac permiſſione, votum in Concilio dederunt; & capta reſolutione, quod non; ſcripſerunt Epiſtolam ad Eccleſias, quæ *d. Act. 15. 23.* ita concepta fuit: *Apoſtoli, & Seniores fratres his, qui ſunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus ex gentibus ſalutem.* Rurſuſque *Act. 16. 4.* dicitur, quod Paulus, & Sila pertranſibant civitates, & *tradebant eis cuſtodire dogmata, quæ erant decreta ab Apoſtolis, & Senioribus, qui erant Jeroſolimis*, ideſt ab Epiſcopis, & Presbyteris; hi enim (ut pluries dictum eſt) unà cum Epiſcopis de Juriſdictione Epiſcopali participabant, & in Conciliis conſidentes votum deciſivum habebant. Hæc nominum, atque Juriſdictionis participatio perduravit, uſque dum Presbyteri humiles, ſancti, ac modeſti fuerunt: At ubi cœperunt ſuperbire, cum Epiſcopis diſputare, & contendere, & ſchiſmata in

Digitized by Google

ta in plebibus cauſare, Epiſcopi ad ſeipſos traxerunt nomen, totamque Juriſdictionem ſuam, & coegerunt Presbyteros remanere in eorum ſubjectione; & in eoſdem Superioritatem ex proprio charactere Epiſcopali ſibi competentem exercere decreverunt; & ad hanc mutatam regiminis formam reſpiciens S. Hieronymus protulit illa verba, quod *magis conſuetudine, quàm diſpoſitionis Dominicæ veritate Epiſcopi eſſent Presbyteris majores*. Ita Emin. Baronius longo tamen ſermone *d. Anno 58. à n. 9. & ſeqq.* & ibidem Spondanus, ac Raynaldus ipſius Summatores.

Quarta reſponſio deſumitur ex ſcriptis per Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 7. de Sacram. Ordin. num. 55.* ubi cum plura cumulaſſet ex DD. placitis ad declarationem verborum S. Hieronymi, ipſe illa referenda ſentit ad conſuetudi-
23 nem, ſeu abuſum Epiſcoporum, qui cum faſtu, ac ſuperbia viventes, Presbyteros ſibi ſubditos peſſundant, obliti Apoſtolici præcepti, de quo 1. *Petr.* 5. 2. & 3. *Paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei: non ut dominantes in cleris, ſed forma facti gregis ex animo*. Adeò ut S. Hieronymi mens, ſeu intentio non fuerit aſſerere, quod dignitas, ac Juriſdictio Epiſcopalis ſuper Presbyteros ſit ex conſuetudine, & non ex divina diſpoſitione; ſed quod conſuetudo introduxerit in Epiſcopis faſtum, ac elationem in gubernio Eccleſiarum, & in dominandis Presbyteris ſibi ſubditis, quos in primitiva Eccleſia Epiſcopi ſumma charitate, ac benignitate tractabant. Ecce verba Emin. Card. de Lauræa. *Clarè patet, quod S. Hieronymus invehitur contra Epiſcopos faſtu dominationis elatos, Presbyteros flocci pendentes, ideò eis obiicit priſcorum humilitatem Epiſcoporum, qui omnia cum Presbyterorum conſilio faciebant, deindè ſibi ſolis relictum eſt, ut regant*.

Quinta tandem reſponſio eſt illa, quam ponit Cornelius à Lapide *Comment. in Epiſt. ad Titum cap. 1. Verſ. 5.* ubi diſtinguit actum Juriſdictionis Epi-
24 ſcopalis à potentia, & oſtendit potentiam, dignitatem, ac Juriſdictionem Epiſcoporum ſupra Presbyteros eſſe ex divina diſpoſitione; ſed actum, ideſt exercitium ejuſdem Epiſcopalis potentiæ, ac ſuperioritatis eſſe à conſuetudine, quia in initio Eccleſiæ (ut oſtenſum eſt ſupra in tertia reſponſione) conniventibus Epiſcopis Presbyteri ſimul cum ipſis, ſpiritu, & zelo magis, quàm hierarchico ordine regebant Eccleſias; at cum orirentur ſchiſmata ob ſuperbiam Presbyterorum, Epiſcopi ſuum Primatum reſumentes, illum actualiter per ſeipſos exercere voluerunt. Ecce prædicti à Lapide verba: *Certum enim eſt non tantùm conſuetudine; ſed & jure Divino Epiſcopos Presbyteris eſſe majores, tùm poteſtate Ordinis, tùm poteſtate Juriſdictionis; quod ipſum docet S. Hieronymus Epiſt. ad Heliodor. & ad Marcellam*. Apud nos, *inquit*, Apoſtolorum locum Epiſcopi tenent, *atqui Apoſtoli majores erant, ex Chriſti vocatione, & inſtitutione 72. diſcipulis; Ergo pariter & Epiſcopi Presbyteris ex Chriſti inſtitutione majores ſunt. Quod Ergo hic dicit Hieronymus*: Magis conſuetudine, quàm divina inſtitutione Epiſcopos Presbyteris eſſe majores; *intellige non de ipſa Epiſcoporum poteſtate, & auctoritate; ſed de uſu, & exercitio poteſtatis. Chriſtus enim non inſtituit de facto diſtinctionem Hierarchici Ordinis, & juriſdictionis, ita ut illam in actum, & exercitium deduceret; ſed permiſit, ut quamdiù duraret primus ille Zelus, communi omnium labore, & ſpiritu regerentur Eccleſiæ: illo autem refrigeſcente, voluit, ut Apoſtoli diſtinctionem hanc, & Juriſdictionem à ſe Epiſcopis datam in praxim, & uſum redigerent*. Hucuſque Cornelius à Lapide, qui ulterius allegat confirmationem S. Hieronymi dicentis, Presbyteros eſſe datos in adjutorium Epiſcopi, ſicut ſeptuaginta ſeniores electos à Moyſe in levamen ſui ipſius; atque certum eſt Moyſem fuiſſe majorem iiſdem 70. viris; & ſic etiam Epiſcopum de Jure Divino eſſe majorem Presbyteris. Eligat ſtudioſus Lector ex his quinque reſponſionibus

nibus illam, quæ ſibi magis placet; prima mihi pluris arridet.

Quo ad Quartum. Cum pluries dictum ſit, Apoſtolos omnes fuiſſe Epiſcopali dignitate à Chriſto decoratos, & ab eodem ordinatos Epiſcopos; petet, & requiret aliquis ubi, & quando fuerint Apoſtoli ordinati Epiſcopi à Chriſto Domino? Huic inſtantiæ eſt reſpondendum à Sacris Evangeliſtis non eſſe notata omnia, quæ à Chriſto Do-
25 mino facta ſunt, ut legitur *Joan. 21. 25.* idcircò quatuor ſunt diverſæ Theologorum, ac SS. Patrum de hac re opiniones. Prima eſt, quod Apoſtoli ſint ordinati Epiſcopi à Chriſto Domino, in ultima Cœna, ſtatim ac fecerat eos Sacerdotes. Hanc opinionem tenet ex Canoniſtis Emanuel. Gonzalez *in Com-
26 ment. in cap. Tranſmiſſam. 15. De electione, & electi poteſt. num. 1. tom. 1.* & ex Theologis Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 7. num. 72.* qui ibi ita loquitur, ac rationem reddit, dicens: *At mihi videtur veriſimile, quod in eadem cœna* (Chriſtus) *ordinavit eos* (Apoſtolos) *Epiſcopos; & conſequenter tunc talem ordinationem inſtituit. Ratio eſt, quia ut diximus* de Confirmatione *diſp. 1. num. 97. cum S. Fabiano Papa* Epiſt. 2. ad Epiſcopos Orientales, *in cœna Chriſtus docuit Apoſtolos conficere Chriſma; hoc autem eſt munus proprium Epiſcoporum. Sicut ergò tunc dicimus eos factos Sacerdotes, quia & conſecrare, & ſacrificare eos docuit, materiamque, & formam inſinuavit; ita quia tunc docuit facere Chriſma, tunc eos fecit Epiſcopos, & formam, ac materiam, quibus alii erant ordinandi inſtituit.*

Secunda opinio eſt S. Jo: Chriyſoſtomi, Cyrilli, Theophylacti, ac Ruperti, quos citat Cornelius à Lapide *Comment. in Joan. cap. 20. Verſ. 21.* nec non in *Act. Apoſtol. cap. 2. Verſ. 3.* quod ſcilicèt Chriſtus Dominus ordinavit
27 Apoſtolos Epiſcopos poſt Reſurrectionem ſuam, quando dixit eis iterum, *Pax vobis: Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos.* Quarè Cornelius à Lapide *d. cap. 2. Verſ. 3. propè finem* ſubdit: *Verius eſt, eos creatos eſſe Epiſcopos ab ipſo Chriſto poſt Reſurrectionem, cum eis dixit* Jo. 20. 21. Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos: *Hiſce enim verbis eos creavit ſuos Vicarios, orbiſque Doctores, ac conſequenter ſuum officium, & auctoritatem, puta omnem poteſtatem Eccleſiaſticam eis communicavit, ac proindè eos creavit Epiſcopos, ut ibidem aſſerunt S. Cyrillus, Chryſoſtomus, Theophylatus, Rupertus, & alii.* Hoc idem docet Barradas in *Concord. Evangel. tom. 4. libr. 3. cap. 6. col. 3.*

Tertia opinio eſt Franciſci Turriani, qui in Explanatione *Conſtitutut. Apoſtol. S. Clementis libr. 6. cap.* 12. ex Ammonio, Theophane, Damiano, & aliis, tenet Apoſtolos fuiſſe ordinatos 28
Epiſcopos in die Pentecoſtes, quando Spiritus Sanctus ſedit in forma linguarum ſuper capita eorum; & ideò ait Ammonius Alexandrinus, *quia tunc Apoſtoli ordinabantur Magiſtri orbis, ordinatio hujuſmodi fit in capite & meritò ſuper caput receperunt linguas, & ante alia chariſmata acceperunt chariſma linguarum.* Poſt quæ verba ſubdit Turrianus *d. cap. 12. col. 3. Ammonius videtur planè interpretari linguas illas, quæ ſuper capita apparuerunt, fuiſſe inſtar libri aperti, qui ſecundum Apoſtolicam traditionem imponitur ſuper caput ejus, qui ordinatur Epiſcopus,.* Confirmat hanc opinionem Turrianus auctoritate etiam S. Hieronymi *in Dialogo contra Luciferianos*, qui idcircò ait Apoſtolos eſſe creatos Epiſcopos in die Pentecoſtes per receptionem Spiritus Sancti, quia tunc receperunt poteſtatem dandi cæteris fidelibus Spiritum Sanctum per manuum impoſitionem, ſcilicet miniſtrando Sacramenta Confirmationis, & Ordinis, quorum Miniſtri ordinarii ſunt Epiſcopi. Porrò Cornelius à Lapide ſecundæ opinionis ſectator ad hanc rationem ita reſpondet: *Verùm ad hoc dici poteſt, Apoſtolos poteſtatem hanc tunc accepiſſe in actu ſecundo, cum eam priùs accepiſſent in actu primo: nam non congruebat eos hac poteſtate uti in actu ſecundo, ante-*

*quam*

Digitized by Google

*quam ipſi Spiritus Sancti plenitudinem in Pentecoſte recepiſſent: tunc enim ipſi in gratia confirmati cœperunt confirmare, & ordinare alios.*

Quarta demum opinio eſt illa, quam ex Card. Turrecremata amplexus eſt Emin. Card. Bellarminus *lib. 1. de Ro-*
29 *mano Pontif. cap.* 24. videlicet ſolum Petrum ordinatum fuiſſe Epiſcopum à Chriſto; cæteros verò Apoſtolos ordinatos eſſe Epiſcopos à S. Petro. Sed hæc opinio minimè placet Suarezio, qui *in tract. de Fide diſp.* 10. *ſect.* 1. *num.* 8. probabiliùs opinatur, omnes Apoſtolos ab ipſo Chriſto ordinatos fuiſſe Epiſcopos, etſi de loco, & tempore hujus ordinationis mentio non habeatur apud Evangeliſtas, & allegat ad ſui favorem S. Auguſtinum in QQ. novi, & veteris Teſtamenti *q.* 97. dicentem: *Chriſtus enim priuſquàm in cœlos aſcenderet imponens nomen Apoſtolis ordinavit in Epiſcopos, quod* etiam notatum fuit *ſupra num.* 10.

## DECISIO XXXVI.

### *ARGUMENTUM.*

Prænotatis præcipuis Ritibus, qui adhibentur in conſecrando Epiſcopo, Quæritur, Quænam ſit Materia, & Forma Epiſcopalis Ordinationis? Referuntur octo diverſæ opiniones Doctorum cum earum fundamentis, rationibus, objectionibus, ac reſolutionibus. Quæſtio relinquitur indeciſa, & ponuntur novem Indumentorum Epiſcopalium myſticæ ſignificationes.

### SUMMARIUM.

1 *Epiſcopatus Ordo an ſit Sacramentum, & diſtinctus à Sacerdotio?*

2 *Ritus, & Functiones principales in conſecrando Epiſcopo referuntur.*

3 *Materia, & Forma ordinationis Epiſcopalis quæ non ſint? Opiniones octo.*

4 *Manuum impoſitio ſuper caput conſecrandi, quod ſit ſola materia: Forma* Accipe Spiritum Sanctum: *Opinio prima. Rationes* 4. *pro ea.*

5 *Rationes contra illam. Reſponſio ad ipſas.*

6 *Unctionem Manuum eſſe Materiam conſecrationis Epiſcopi.*

7 Cap. Cum veniſſet. De Sacr. Unct. *declaratio.*

8 *Bracarenſis Eccleſia ubi ſit?*

9 *Ordinatio eſt omninò nulla ſi vera Materia omittatur.*

10 *Unctio non adhibetur à Græcis in conſecrando Epiſcopo.*

11 *Materiæ, ac Formæ duæ partiales referuntur juxta Tertiam opinionem.*

12 *Impoſitio Libri Evangeliorum ſuper caput conſecrandi eſt Materia partialis. Pro ea Rationes ſex.*

13 *Secunda Materia partialis Impoſitio manuum.*

14 *Alcuini, & Amalarii contradictio impoſitioni Libri Evangeliorum ſupradictæ.*

15 *Hugonis Menardi comprobatio ſupradictæ duplicis Materiæ.*

16 *Unctio cum chriſmate eſt Materia Conſecrationis Epiſcopi.*

17 *Libri Evangeliorum traditio ad tangendum Materia ejuſdem Conſecrationis cenſetur. Rationes quatuor.*

18 *Prædicatio eſt præcipuum munus Epiſcopi.*

19 *Objecta duo contra Materiam traditionis dicti Libri.*

20 *Eorum reſolutio.*

21 *Martinus Fornarius tres materias ponit in ordinando Epiſcopo. Et quæ?*

22 *Iſamberti, & aliorum aliàs tres materias requirentium.*

23 *Gaſparis Ivenim noviſſima opinio de iiſdem Materiis.*

24 *Græci non tradunt Baculum, neque Annulum in ordinatione Epiſcopi.*

25 *Functiones omnes in ordinando Epi-*

 *ſcopo*

*ſcopo habent Materiæ, ac Formæ energiam.*

26 *Epiſcopalium indumentorum myſticæ ſignificationes.*

QUamvis magna ſit altercatio inter Canoniſtas, ac Scotiſtas ex una; & inter Thomiſtas ex altera parte, Utrùm Epiſcopatus ſit Sacramentum, & Ordo diſtinctus à Sacerdotio? id negantibus Thomiſtis, ſed nervosè affirmantibus Scotiſtis, ac Canoniſtis, quo-
1 rum rationes, argumenta, & fundamenta nos retulimus ſupra *Deciſ. III. à num.* 21. *& ſeqq.* Nihilominùs cum utriuſque ſententiæ conciliatores dicant Sacerdotium in genere ſumptum continere ſub ſe duas ſpecies, ſimplicem ſcilicèt Presbyteratum, & Epiſcopatum; ac utrumque eſſe Sacramentum, atque ordinem, ut notavimus *d. Deciſ. III. num.* 31. præcipuè ex doctrina Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord diſp.* 4. *num.* 57. quod latè proſequitur Diana *part.* 12. *tract.* 1. *à reſol.* 8. *& ſeqq.* quæ in ejus opere Coordinato coexiſtunt *tom.* 4. *tract.* 8. *d. reſol.* 8. *& ſeqq.* nec non Emanuel Gonzalez *Comment. in cap. Nec Epiſcopus. 6. De Tempor. Ordin. num.* 4. ſequitur ex his Epiſcopatum quocunque modo ſumptum verè, & propriè eſſe Sacramentum Ordinis, & ſic in eius collatione opus eſſe Materiâ, & Formâ; quare in præſenti inquirendum venit, quænam ſit Materia, ac Forma in conſecratione Epiſcoporum? circa quam Diana Coordinatus ubi *ſupra reſol.* 12. ait, *Fateor in nullo Sacramento tantas tricas, & confractus inveniri, ac diverſitates opinionum, ut in conſecratione Epiſcopali.*

Pro clariori intelligentia dicendorum notandæ ſunt functiones, ac Ritus principales, quibus utitur Eccleſia Ro-
2 mana in conſecratione Epiſcoporum, & quos ſummatim referunt Gobatus *in Theol. Exper. tract.* 8. *num.* 139. & Diana Coordinatus *d. tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 12. quæ in Veteri ejus opere ſtat *in part.* 12. *tract.* 1. *reſol. pariter* 12. & ſunt ſequentes. Quando Epiſcopus conſecratur, adſunt tres Epiſcopi, quorum Unus vocatur *Conſecrator*, duo alii dicuntur *Aſſiſtentes*, & hoc modo incipiunt conſecrationem. I. Conſecrator, accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Epiſcopis Aſſiſtentibus, nihil dicens imponit ſuper cervicem, & ſcapulas electi conſecrandi. II. Conſecrator, & Aſſiſtentes Epiſcopi ambabus manibus caput conſecrandi tangunt dicentes: *Accipe Spiritum Sanctum.* III. Conſecrator pollicem ſuum dexterum intingit in Sanctum Chriſma, & caput Electi inungit, formans primò Signum Crucis per totam Coronam, deinde reliquum Coronæ liniendo, dicens: *Ungetur, & conſecretur caput tuum cœleſti benedictione in ordine Pontificali:* & mox producens manu dextera tertiò Signum Crucis ſuper caput electi, dicit: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* IV. Conſecrator Chriſmate inungit ambas manus ſimul junctas Electi dicens: *Ungantur manus iſtæ de Oleo Sanctificato, & Chriſmate Sanctificationis, ſicut unxit Samuel David Regem, & Prophetam, ita ungantur, & conſecrentur. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* V. Conſecrator benedicit Baculum Paſtoralem, & benedictum tradit Electo in manus dicens: *Accipe Baculum Paſtoralis Officii, ut ſis in corrigendis vitiis piè ſæviens, judicium ſine ira tenens; in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens, in tranquillitate ſeveritatis cenſuram non deſerens.* VI. Idem Conſecrator benedicit Annulum, aſperſumque aqua luſtrali immittit in digitum Annularem manus dexteræ ejuſdem Conſecrati dicens: *Accipe Annulum fidei, ſcilicèt ſignaculum quatenùs Sponſam Dei, Sanctam videlicèt Eccleſiam, intemerata Fide ornatus illibatè cuſtodias. Amen.* VII. Conſecrator accipit Librum Evangeliorum de ſcapulis conſecrati, & adjuvantibus Epiſcopis Aſſiſtentibus tradit eum clauſum Conſecrato tangenti illum ſine aperitione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica*

*populo*

Digitized by Google

*populo commiſſo ; potens eſt enim Deus , ut augeat gratiam tuam ; qui vivit , & regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia ſæcula ſæculorum . Amen .* VIII. Idem Conſecrator recipit Conſecratum ad oſculum pacis ; ſimiliter & Aſſiſtentes Epiſcopi , dicentes ipſi Conſecrato : *Pax tibi* . Et ipſe reſpondet ſingulis : *Et cum Spiritu tuo* . IX. Conſecrator benedicit Mitram , & aqua luſtrali aſpergit , deindè adjuvantibus Epiſcopis Aſſiſtentibus illam imponit capiti Conſecrati , dicens : *Imponimus , Domine , capiti hujus Antiſtitis , & Agoniſtæ tui galeam monitionis , & ſalutis , quatenùs decorata facie , & armato capite cornibus utriuſque Teſtamenti terribilis appareat adverſariis veritatis* . X. Tandem Conſecrator Chirothecas eadem ratione imponit manibus Conſecrati dicens : *Circumda , Domine , manus hujus Miniſtri tui munditia novi hominis , qui de Cœlo deſcendit* . Hæ ſunt præcipuæ functiones , quæ adhibentur in conſecratione Epiſcoporum ; circa quas diſputant Theologi , ac Canoniſtæ , Utrùm omnes , ſeu earum aliquæ tantùm ſint de eſſentia Conſecrationis ; & quænam verè , & propriè dici debeant Materia , ac For-
3 ma ejuſdem Epiſcopalis Conſecrationis ?
Idcircò in hac diſputatione reperio opiniones numero Octo ; Et ſunt ſequentes.

Prima opinio tenet , unicam eſſe Materiam in conſecrando Epiſcopo , ſcilicèt impoſitionem Manuum , quam facit Conſecrator ſuper caput conſe-
4 crandi , & poſt eum quam faciunt alii
duo Epiſcopi Aſſiſtentes ; Formam verò verba illa , quam in dicta impoſitione Manuum ſinguli proferunt , nempè *Accipe Spiritum Sanctum* , ut notatum eſt ſupra in functione ſecunda . Ita docent Emin. Card. Bellarminus *libr.* 1. *de Sacram. Ord. cap.* 9. Vaſquez *diſp.* 140. *cap.* 5. *num.* 58. Layman *de Sacram. Ord. cap.* 5. Gerunda *de Epiſcopo tom.* 2. *libr.* 8. *diſp.* 9. *cap.* 2. *num.* 8. Sanchez *in Opuſc. tom.* 2. *libr.* 7. *cap.* 1. *dub.* 15. *num.* 6. & alii plures , quos citat , & ſequitur Diana *d. part.* 12. *tract.* 1. *reſol.* 16. & *reſol.* 18. quæ itidem in Coordinato habentur *tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 16. & 18. Probant hi Doctores hanc eorum opinionem : Primò ex verbis Divi Pauli 1. *ad Timoth.* 4. 14. ideſt : *Noli negligere gratiam , quæ in te eſt , quæ data eſt tibi per Prophetiam , cum impoſitione manuum Presbyterii* ; ideſt Epiſcoporum Aſſiſtentium Epiſcopo Conſecratori , imponentium manus unà cum illo ſuper caput conſecrandi in Epiſcopum , ut declarat *ibidem* Cornelius à Lapide , qui hanc eamdem ſequitur opinionem ; & hoc idem repetit Apoſtolus 2. *Timoth.* 1. 6. *Admoneo te , ut reſuſcites gratiam Dei , quæ eſt in te per impoſitionem manuum mearum* ; fuerat enim ab ipſo Apoſtolo Paulo conſecratus Epiſcopus Timotheus . Secundò id probant , quia per manuum impoſitionem ſuper caput Epiſcopi conſecrandi , cum illorum verborum prolatione *Accipe Spiritum Sanctum* ſignificatur plenitudo Divinæ gratiæ , ac poteſtatis , quæ tunc infunditur à Deo in ipſum . Tertiò , quia Concilium Antiochenum ſub Julio Papa primo , qui ſedere cœpit *Anno* 337. loquens de conſecratione Epiſcoporum eam refert ad manuum impoſitionem dicens *can.* 10. *Qui in Villis , & Vicis conſtituti ſunt Chorepiſcopi ; tametſi manus impoſitionem ab Epiſcopis ſuſceperunt , & ut Epiſcopi ſunt conſecrati &c.* prout etiam *can.* 17. *Si quis Epiſcopus per manus impoſitionem Epiſcopatum acceperit , & præeſſe populo conſtitutus , miniſterium ſubire neglexerit &c.* Quartò , quia eamdem manuum impoſitionem eſſe conſecrationem Epiſcopalem dicunt S. Ambroſius *libr. de Sacerdotali Dignitate cap.* 5. & S. Hieronymus *in cap.* 51. *Iſaiæ* & alii , ut notat Diana Coordinatus *d. tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 16. §. 1. Et ideò huic opinioni adhæret etiam Barboſa *de Jure Eccl. Univ. libr.* 1. *cap.* 9. *num.* 56. ita ſcribens : *Et nota , quod impoſitio illa manuum trium Epiſcoporum eſt materia , qua Epiſcopus conſecratur ; illa autem verba* , Accipe Spiritum Sanctum , *forma ſunt hujus Sacramenti* .

Verùm huic opinioni contradicit Fagnanus in *cap. Requiſivit. De Ordinat. ab Epiſc. num.* 57. ubi in fine ait: *Manuum impoſitionem in Sacra Ordinatio-*
5 *ne non eſſe materiam eſſentialem, ſed traditionem Inſtrumenti videtur non obſcurè definitum à Concilio Florentino in Decreto Eugenii IV. in §. Sextum Sacramentum, ut dixi latiſſimè in cap. fin. de Sacram. non iteran.* eâ ſcilicèt ratione, quia ibi Concilium Florentinum docet, materiam Sacramentorum *eſſe illud, per cujus traditionem confertur Ordo*. At per manuum impoſitionem nihil traditur tangendum conſecrando in Epiſcopum. Nihilominùs Morinus quoque *part.* 3. *Exercit* 2. *cap.* 1. *num.* 2. hanc eamdem primam opinionem amplectitur, ſubdens: *In materia Epiſcopatus omnes video convenire Latinos, & Græcos. Latini Scholaſtici disertè; Græci verò, qui his verbis uti non ſolent, conſequenter; omnes enim manus Epiſcoporum impoſitionem adhibent, ut planè neceſſariam; quam ſolam agnoſcunt Patres omnes, Ritualeſque omnes antiqui, tàm Græci, quàm Latini.* Sed gratis aſſerit, omnes Scholaſticos convenire circa materiam Epiſcopatus, cum ſint omninò diſcordes, ac in tot partes diviſi, ut ex ſequentibus opinionibus. Igitur

Secunda opinio eſt Franciſci Sylvii Profeſſoris Regii in Academia Duacena, quem refert Diana Coordinatus *d. tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 113. §. 1. ipſe enim *in* 3. *part. D. Thom. q.* 40. *art.* 5. *concl.* 2. aſſerit, Unicam eſſe Materiam in conſecratione Epiſcopi, nempè Unctionem manuum ejus, quam Sacro
6 Chriſmate facit Conſecrator; Formam verò eſſe Verba, quæ tunc idem Conſecrator profert, nempè *Ungantur manus iſtæ &c.* ut notavimus ſupra in quarta functione. Duæ ſunt rationes fundamentales hujus opinionis. *Una*, quod in omnibus functionibus, quæ fiunt in actu conſecrationis Epiſcopalis uſque ad manuum ſupradictam Chriſmaticam Unctionem, ille, qui conſecratur, in Pontificali Romano ſemper nominatur, & dicitur *Electus:* ſed poſtquam facta eſt hæc Unctio manuum, & prolata illa verba *Ungantur manus iſtæ &c.* appellatur *Conſecratus*. *Altera* ratio eſt, quod ex principiis omnium Scholaſticorum, & Canoniſtarum, illa dicitur, & eſt materia, ac forma Sacramenti, per quas denotatur virtus, atque poteſtas, quam confert Sacramentum; nec non officium principale ab eodem Sacramento proveniens in ſuſcipiente. Porrò præcipua Epiſcopi conſecrati poteſtas, ac officium in his, quæ pendent ab Ordine, conſiſtit in ejus manibus, quatenus per eas ipſe ordinat Clericos in minoribus, & majoribus ordinibus; miniſtrat Confirmationis Sacramentum; conſecrat Eccleſias, & Calices, nec non Altaria tàm fixa, quàm portatilia; quæ omnia fieri non poſſunt ab eo, qui non eſt Epiſcopali Ordine inſignitus. Ergo conſecrationis Epiſcopalis materia, & forma ſunt Unctio manuum Electi Epiſcopi conſecrandi, & Verba, quæ tunc à Conſecratore proferuntur, *Ungantur manus iſtæ &c.* Tertiam rationem innuunt alii deſumptam *ex cap. Cum veniſſet. De Sacra Unct.* in quo cum Græcus Epiſcopus Bracarenſis narraſſet Innocentio III. Summo Pontifici, ſe in 7
ſua conſecrationa non recepiſſe Unctionem Sacram capitis, ac manuum, Papa ita reſcripſit: *Nos, quod illi defuerat, mandavimus ſuppleri, facientes caput ejus, & manus per Epiſcopum Albanenſem, Aſſiſtentibus eidem duobus Epiſcopis ſecundum morem Eccleſiaſticum, Sacro Chriſmate deliniri.* Ergo, inquiunt hujus opinionis profeſſores, unctio Sacra eſt materia propria Conſecrationis Epiſcopalis.

Cæterùm contrarium reſpondent tùm Emanuel Gonzalez, tùm Fagnanus *in ſuis Comment. ad d. cap. Cum veniſſet.* In primis advertit Gonzalez ibidem mendosè legi in dicto textu, quod ille Græcus Epiſcopus fuerit Bracarenſis; nam Bracarenſis Eccleſia non eſt in 8
Græcia, ſed in Luſitania; & ideò legendum

gendum eſſe, ait, *Epiſcopus Brandicuberenſis*, qui ut Legatus Regis Bulgarorum Romam venerat pro unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina, ut narrat Emin. Card. Baronius, & ex eo Spondanus *ad Annum Chriſti* 1204. *num.* 12. ſic enim legitur in geſtis Innocentii III. Ulteriùs dicit Emanuel Gonzalez, atque etiam Fagnanus, quod ex illo *cap. Cum veniſſet.* deſumitur, Unctionem manuum non eſſe materiam conſecrationis Epiſcopalis; quia ſi talis eſſet, Papa decreviſſet, ut ille Epiſcopus Brandicuberenſis de novo integrè conſecraretur in Epiſcopum, non autem *quod illi defuerat, mandaſſet ſuppleri*; ſiquidem quæ in ordinatione de ſub-
9 ſtantia ordinis ſunt, ſi fuerunt omiſſa, non ſunt ſupplenda, ſed totum eſt ex integro iterandum, ac ſi nihil actum fuiſſet. *cap. Nihil 7. q. 1. cap. Re vera. de Conſecr. diſt. 2. cap. Chorepiſcopi. cap. Quamvis. & cap. Presbyteri. 68. diſt.* adeòut ſupplere dicantur tantummodò ea, quæ ſunt de ſolemnitate Ordinis. *cap. fin. de Sacram. non iteran.* Undè Fagnanus *in d. cap. Cum veniſſet. De Sacra Unctione num.* 50. ita firmat: *Certum eſt enim in materia, & forma Sacramentorum per omiſſionem partis totum infici Sacramentum, nec ſatis eſſe ſupplere omiſſum; ſed ex integro eſſe iterandum, ac ſi nihil actum eſſet ſecundum Divum Thomam in 4. diſt. 13. q. 1. art. 3. & tradit hîc Hoſtienſis num. 5. cum quo traſeunt Jo. Andr. Butr. & alii communiter.* Sed etiam Morinus *de Sacr. Ord. d. part. 3. Exercit. 6. cap. 1.* aſtruit, Unctionem prædictam non poſſe dici de ſubſtantia Epiſcopalis conſecrationis ex
10 eo, quia Græci eam nec adhibent, nec unquam adhibuerunt in conſecrandis Epiſcopis, ut ibi nervosè probat; quapropter ſi illa eſſet ſubſtantialis, dicendum foret, Orientalem Eccleſiam nunquam habuiſſe veros Epiſcopos, cum nunquam uſa fuerit Unctione prædicta in Epiſcopis Græcis conſecrandis. Quamvis hæc conſequentia, quam facit Morinus, facilè evacuetur ex doctrina ejuſdem Gonzalez in *cit. cap. Cum veniſſet. De Sacra Unct. num.* 3. ubi repetit communem illam Theologorum, ac Canoniſtarum aſſertionem, quam nos quoque retulimus *ſupra Deciſ. VII. num.* 27. videlicèt, Chriſtum Dominum non inſtituiſſe in individuo Materias, & Formas Sacramenti Ordinis, ſed in genere tantùm; imponens Apoſtolis, ut tales eſſent, à quibus deprehendi poſſent virtus, & effectus Ordinum, relinquens iiſdem Apoſtolis, atque Eccleſiæ libertatem, ut pro varietate locorum, ac temporum eaſdem Materias, & Formas præfinirent. Idcircò ex hac libertate eveniſſe potuerit, ut Eccleſia Latina pro Materia, ac Forma Epiſcopalis conſecrationis determinaverit Unctionem Manuum electi Epiſcopi, cum illis verbis *Ungantur manus iſtæ &c.* At in Eccleſia Græca diverſa materia, & forma ſit ſtatuta; ex quibus omnibus ſubſiſtere videtur hæc ſecunda opinio, quod in Conſecratione Epiſcoporùm eſſentialis materia ſit antedicta Chriſmatica manuum Unctio; forma verò prænarrata verba.

Tertia Opinio eſt illa, quam ex Fumo, S. Antonino, & aliis adducit, & ſequitur Pater Dicaſtillus *De Sacram. tom. 1. tract. 1. diſp. 2. dub. 9. num.* 126. relatus à Diana *d. part.* 12. *tract.* 1. *reſol.* 15. repoſita in Coordinato *d. tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 15. videlicèt, duas eſſe 11
partiales materias, ac formas eſſentiales Conſecrationis Epiſcopalis: Unam nempè Impoſitionem Libri Evangeliorum ſuper caput, & ſcapulas conſecrandi, & alteram impoſitionem manuum ſuper ejus caput, quam deindè faciunt Conſecrator Epiſcopus, & duo Epiſcopi Aſſiſtentes, proferentes ea verba *Accipe Spiritum Sanctum;* ut innuimus in principio hujus Deciſionis in functione prima, ac ſecunda. Hanc eamdem opinionem tenet Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 6. art. 6. num.* 74. ubi ſic loquitur: *Dico primò: Materia adæquata, & totalis Ordinationis Epiſcopi eſt impoſitio Libri Evangeliorum ſuper caput Ordinati, & manuum*

*impo-*

Digitized by Google

*impoſitio ſuper caput ejuſdem*. Ac ſubinde *num.82. Dico ſecundò: Forma Ordinationis Epiſcopalis conſiſtit in verbis, quæ dicit ordinans, cum imponit manus, ſcilicèt:* Accipe Spiritum Sanctum; *& aliis, quæ dicit, dum tradit Evangeliorum librum*, Accipe Evangelium, vade, & prædica populo tibi commiſſo.

Probatur autem hæc opinio quo ad Materiam primam partialem, ideſt impoſitionem Libri Evangeliorum ſuper caput conſecrandi: I. *ex libr. 8. Conſtit.*
12 *Apoſtolic. S. Clementis cap.4.* ubi ex perſona S. Petri de hac Epiſcopali Ordinatione ita præcipitur: *Unus ex primis Epiſcopis cum duobus aliis propè Altare, (reliquis Epiſcopis, & Presbyteris tacitè precationem facientibus) & Diaconis aperta Evangelia ſuper caput ejus, qui ordinatur tenentibus, in hunc modum precetur; Here Domine Deus &c.* II. Ex Concilio Carthaginenſi 4. *cap.2.* dicente: *Epiſcopus cum ordinatur, duo Epiſcopi ponant, & teneant Evangeliorum codicem ſuper caput, & cervicem ejus; & uno ſuper eum fundente benedictionem, reliqui omnes Epiſcopi, qui adſunt, manibus ſuis caput ejus tangant*. III. Ex S. Anacleti Papæ, qui vixit uſque ad annum 110. *Epiſt.3.* ſic loquentis de Epiſcopis ordinandis, ac ordinantibus: *Qui ſimul convenientes ſcrutinium diligenter agant, jejuniumque cum omnibus celebrent precibus, & manus cum ſanctis Evangeliis, quæ prædicaturi ſunt imponentes, Dominica die, hora tertia orantes, & hoc ritu celebrent Ordinationem*. IV. Ex verbis S. Jo: Chryſoſtomi, qui in Oratione, qua probat, Unum eſſe novi, & veteris Teſtamenti Legislatorem, & quem refert Morinus *d. part.3. Exercit.2. cap.1. num.3.* ita diſſerit: *Propterea & in Eccleſia, in Ordinationibus Epiſcoporum, Evangelium Chriſti capiti eorum imponitur, ut diſcat qui per impoſitionem manuum ordinatur, ſe veram Evangelii Tiaram accipere*. V. Quia per hanc materiam, & ejus, nempè Libri Evangeliorum traditionem, innuitur præcipuum Epiſcopi munus, quod eſt prædicare populo; prout per impoſitionem manuum ſuper caput ejus, quam faciunt Epiſcopi, dicentes *Accipe Spiritum Sanctum*, demonſtratur gratia ſanctificans, quæ in hac conſecratione ipſi conſecrato confertur. VI. Tandem, quia utraque Eccleſia Latina, & Græca ſemper adhibuit hanc impoſitionem Libri Evangeliorum ſuper caput Epiſcopi conſecrandi; & ſic ſervat Romana Eccleſia, ut conſtat tùm ex Pontificali Romano hodierno, tùm ex Ritualibus antiquis Græcis, & Latinis, quos poſuit idem Morinus in citato ſuo opere *de Sacris Ordinat. part. 2. à pag. 15. & ſeqq.* & præcipuè *pag.* 101. ubi in ordinatione Epiſcoporum, in Euchologio Græco antiquo ita legitur: *Deindè aſſumitur ordinandus ab Epiſcopis, & introducitur cum iis in ſanctum Altare ante ſanctam Menſam, & ſtatim flectit genu coram Epiſcopis. Eorum verò unus accepto Evangelio, eoque aperto confeſtim ponit illud ſuper caput ejus faciei obverſum; alii autem Epiſcopi illud tenent hinc, & illinc. Poſtea dicit illi Epiſcopus: Suffragio, & approbatione Dei amantiſſimorum Presbyterorum, & Clericorum Civitatis N. Divina gratia, quæ infirma ſemper curat, & deficientia ſupplet, promovet Deo amantiſſimum Sacerdotem, & Electum N. in Epiſcopum, & Præſidem à Deo conſervatæ Urbis N. Oremus igitur pro eo, ut veniat ſuper ipſum gratia Sanctiſſimi Spiritus. Dicuntque Sacerdotes ter Kyrie eleiſon. Tenentibus autem Epiſcopis Evangelium, Epiſcopus ordinans tria Crucis ſigna facit ſuper caput Ordinandi, benedicens ei in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum. Impoſitaque manu ſuper caput ejus ſic precatur. ORATIO Here Domine &c.* Apparet ex hac formula conſecrandi Epiſcopi inter Græcos adhiberi utramque Materiam, impoſitionem ſcilicèt Libri Evangeliorum, ac Manus Epiſcopi Conſecratoris ſuper caput Epiſcopi conſecrandi: Formam verò conſiſtere in illis deprecativis verbis, quibus utuntur

tur Græci, *Divina gratia &c.* & *Oremus pro eo, ut veniat ſuper ipſum gratia Sanctiſſimi Spiritus &c.* ut ſcribit Petrus Arcudius Corcyreus, quem citat Morinus *d. part. 3. Exercit. 2. cap. 3.* etſi ibi eum impugnet.

Altera materia partialis, quam (præter Libri Evangeliorum ſupradictorum impoſitionem ſuper caput conſecrandi in Epiſcopum) requirit hæc tertia opi-
13 nio, eſt impoſitio Manuum ſuper caput ejuſdem conſecrandi, quæ fit ab Epiſcopis Conſecratore, & Aſſiſtentibus, proferentibus verba formalia: *Accipe Spiritum Sanctum*; & de eſſentia ejuſdem Manuum impoſitionis, & de ejus neceſſitate, ac praxi antiquiſſima Eccleſiæ adduximus fundamenta, atque teſtimonia ſupra in prima opinione; quæ hic cenſentur repetita pro probatione hujus ſecundæ partialis materiæ.

Porrò Morinus proſcribit hanc opinionem tertiam, & impugnat dictam materiam impoſitionis Codicis Evangelii ſuper caput, & ſcapulas Epiſcopi ordinandi *in cit. part. 3. de Sacram. Ord.*
14 *Exercit. 2. cap. 1. num. 5.* ubi adducit Alcuinum Anglum Bedæ diſcipulum, qui ſcribebat *Anno* 780. & Amalarium, qui vivebat *Anno* 830. eamdem impoſitionem Evangeliorum Libri impugnantes. Alcuinus *in libr. de Divin. offic.* in titulo, *Qualiter Epiſcopus ordinetur* ſic ſcribit: *Illud verò, quod duo Epiſcopi tenent codicem Evangeliorum ſuper caput, & uno fundente ſuper eum benedictionem, reliqui, qui adſunt Epiſcopi, manibus ſuis ſuper caput ejus tangunt, non reperitur in auctoritate veteri, neque nova, ſed neque in Romana traditione.* Amalarius verò *in libr. 2. de offic. Eccleſ. cap. 14.* ita habet: *Dicit libellus* (idest Liber Pontificalis, ſeu Ritualis) *ſecundum cujus ordinem celebratur Ordinatio apud quoſdam, ut duo Epiſcopi teneant Evangelium ſuper caput ejus; quod neque vetus auctoritas intimet, neque canonica auctoritas.* Hi tamen Scriptores nihil probant contra dictam primam partialem materiam, cum de ea conſtet ex Concilio Carthaginenſi 4. ex S. Anacleto Papa, ex S. Jo. Chryſoſtomo, & ex multiplicibus Ritualibus Latinis, quos ponit ipſe Morinus *part. 2. à pag. 217. & ſequentibus;* qui ſcripti erant per ducentos, ac tercentos Annos ante Alcuinum ac Amalarium; in quibus omnibus fit expreſſa mentio de imponendo Evangeliorum Codice ſuper caput ejuſdem conſecrandi per Epiſcopos Conſecrantes, & de tangendo ejus capite, per eorum manuum impoſitionem ſuper illud, ut videre eſt in ipſo Morino *de Sacr. Ordin. part. 2. pag. 218. 222. 225. 234 250. 265. 275. & 280.* quare dicendum eſt de Alcuino, & Amalario illud adagium vulgare: *Quandoque bonus dormitat Homerus*: ut cecinit Horatius.

Sed audiamus Hugonem Menardum *in Libr. Sacramentor. S. Gregorii Papæ part. 2. pag. 304.* ſic de hac utraque partiali materia loquentem: *Ritus imponendi Libri Evangeliorum ſuper caput Epi-* 15
*ſcopi, cum ordinatur, eſt antiquiſſimus, de quo agit S. Dionyſius cap. 5. Eccleſ. Hierar. Pontifex, qui ad initiationem Pontificiam accedit, utroque genu flexo ante Altare ſupra caput habet eloquia divina, manumque Pontificiam.* Notet Lector, & videat utramque partialem materiam. Sequitur Menardus: *Per eloquia divina ibi facilè intelligitur Evangelium, ut clarum eſt ex multis locis Georgii Pachymeræ in Paraphraſi hujus capitis.* Et deindè relatis verbis S. Jo. Chryſoſtomi per nos etiam ſupra tranſcriptis, ſubdit: *Petrus Damianus ſerm. 1. de Dedicatione ait: Ponitur & Evangelica pagina ſuper caput illius recumbentis, ut verbo vitæ ſentiat excedere rationem, & oculi ejus deficiant in eloquium Domini.* Tandem ſubdit Menardus ibidem: *Idem videre licet in Concilio citato Carthaginenſi IV. & in Sacramentariis, & ordinibus ſupracitatis, atque etiam in Euchologio Græcorum; ibi: Aperit Evangelium Pontifex, & imponit capiti, & cervici illius, qui ordinatur; aliis Pontificibus ſimul unà tangentibus.* Remanet itaque evacuata contradictio Alcuini, & Amalarii, & revo-

revo-

Digitized by Google

revocata, ac inciſa proſcriptio hujus Tertiæ Opinionis, minùs legitimè ſacta per Morinum.

Quarta opinio eſt Guillielmi Merceri Profeſſoris Regii in Academia Lovanienſi, quem refert Diana Coordinatus *d. tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 13. §. 2. ipſe enim Mercerus *in tract. de Sacram. q.* 4. *art.* 3. opinatur duas eſſe materias, videlicèt impoſitionem Manuum, quam faciunt Epiſcopi conſecrantes ſuper caput conſecrandi cum illis verbis vim
16 Formæ habentibus : *Accipe Spiritum Sanctum* : & Chriſmaticam Unctionem tùm capitis, tùm manuum ejuſdem conſecrandi, cum formalibus verbis *Ungantur manus iſtæ*. Rationes, ac fundamenta hujuſcemodi duplicis materiæ, & Formæ ſunt eædem, quas enarravimus ſupra in prima, & ſecunda opinione; ſiquidem hæc opinio quarta in hoc ſolùm diſtat ab illis, quod hæc duabus materiis, & formis ſimul junctis indigere facit Epiſcopalem Conſecrationem; prima autem, ac ſecunda opinio unam tantùm earum aſſerit ſufficere.

Quinta opinio eſt Franciſci Hallieri pariter Profeſſoris Regii in Academia Sorbonica, qui *in tract. de Sacris Electionib. part.* 2. *ſect.* 7. *cap.* 2. §. 13. *num.* 29. docet, has duas Materias, & Formas eſſe de eſſentia conſecrationis Epiſcopalis, nempè impoſitionem Manuum cum verbis: *Accipe Spiritum Sanctum*, de qua ſupra; & traditionem Libri clauſi
17 Evangeliorum, quam Epiſcopus Conſecrator facit electo, quem conſecrat, poſt unctionem manuum ejuſdem, cum illis verbis, *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commiſſo &c.* ut notavimus ab initio huius Deciſionis in functione VII. *ſub num.* 2. Primæ materiæ impoſitionis Manuum fundamenta, ſatis explicata ſunt ſupra in prima opinione. Secundæ verò materiæ, quæ noviter hic recenſetur, traditionis ſcilicèt libri clauſi Evangeliorum tangendi ab eo, qui conſecratur, ſecundum eumdem Hallierium ſunt ſequentia. Primò, quia Concilium Florentinum definivit, Materiam Sacramenti Ordinis eſſe rem illam, quæ tangenda traditur ordinato. At hìc Liber clauſus Evangeliorum traditur tangendus Electo, qui conſecratur. Secundò, quia Pontificale Romanum ante traditionem Libri Evangeliorum clauſi vocat ſemper eum, qui conſecratur, *Electum*; at poſt hujuſmodi Libri traditionem ſtatim nominat ipſum *Conſecratum*. Tertiò, quia illa eſt Materia, & Forma Sacramenti Ordinis, per quas demonſtratur præcipuum munus ordinati. Sed dum traditur Epiſcopo Liber Evangeliorum tangendus, & ei dicitur, *Vade, & prædica populo &c.* innuitur principale ejuſdem Epiſcopi munus,
quod eſt prædicare Evangelium, de 18
quo munere, & obligatione ſtrictiſſima diſſerit Jordanus *tom.* 1. *libr.* 6. *tit.* 1. *per tot.* & nos loquemur infra *Deciſ. XXXVIII.* Quartò, quia non eſt major ratio, cur porrectio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane ſit materia Presbyteratus; & in aliis ordinibus tactus ſuorum inſtrumentorum; quàm porrectio Libri Evangeliorum tangendi in ordine Epiſcopatus. Et ex his concludit Hallier, hanc ſuam opinionem eſſe probabiliſſimam.

Contra illam tamen ipſemèt obiicit duo. *Unum*, quod dicta traditio Libri Evangeliorum non videtur eſſe poſſe materia, quia non fit ab omnibus tribus Epiſcopis conſecrantibus, ſed ab 19
uno ſolo, à quo etiam ſolo proferuntur illa verba *Vade, & prædica populo &c.* quæ vim formæ dicuntur habere. *Alterum*, quod per impoſitionem Manuum, quam faciunt omnes tres Epiſcopi Conſecrantes ſuper caput conſecrandi, dicentes, *Accipe Spiritum Sanctum*, gratia confertur, & imprimitur character ex Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Sacram. Ord. can.* 4. Sed Sacramentum non producit gratiam, neque imprimit characterem, niſi ſit perfectum. Ergo Ordinatio Epiſcopi perficitur in illa impoſitione manuum; & per conſequens traditio Libri Evangeliorum, quæ fit poſteriùs, non poteſt eſſe Materia

teria

Digitized by Google

teria Epiſcopalis ordinationis. Quod ſi dicatur, etiam hanc Libri traditionem producere gratiam, & imprimere characterē; eſt dicere abſurdum, cū gratia ſemel producatur, & ſemel character imprimatur.

Nihilominùs reſpondet ipſe Hallier ad primum objectum, quod traditio Libri Evangeliorum fit à principali Epiſcopo Conſecratore nomine etiam alio-
20 rum duorum Aſſiſtentium; quod ſatis eſt; ſiquidem ipſe ſolus habet in ſe jus totius ordinationis, ac conſecrationis Epiſcopalis validè perficiendæ. Reſpondet ad ſecundum, dici poſſe, quod gratia non producatur, niſi in traditione Libri Evangeliorum tanquam materia partiali, etſi ob brevitatem temporis inter applicationem utriuſque materiæ, effectus Sacramenti tribuatur primæ materiæ partiali; prout in Baptiſmo, qui fit per trinam immerſionem, non ultimæ tantùm immerſioni, verùm etiam primæ tribuitur gratia Baptiſmalis, quamvis non niſi poſt ultimam producta ſit. Vel etiam dici poſſe, quod in impoſitione manuum conferatur gratia; in traditione autem Libri imprimatur character Epiſcopalis (ſivè novus ſit, ſivè extenſio Presbyteralis) ſicut in communione ſub utraque ſpecie partiales gratiæ effectus conceduntur; & in pluribus Unctionibus, quæ in Extrema Unctione adhibentur, peculiaria auxilia adverſus peculiaria vitia, quæ ſenſibus inſident, gratioſè donantur. Et hæc de quinta opinione.

Sexta opinio eſt Martini Fornarii in additione ad Summam Toleti *De Sacram. Ordinis cap.2. ſub num. 1.* ubi requirit tres materias, ac formas partiales in ordinando, & conſecrando Epiſcopo, videlicèt, Impoſitionem ma-
21 nuum ſuper ejus caput; Unctionem cum chriſmate ejuſdem capitis, & Traditionem Libri Evangeliorum; verbaque ſolita proferri in hac triplici materia eſſe formam; addens quod in prima materia imprimitur character Epiſcopalis, & in reliquis duabus extenditur, & perficitur. Eumdem Fornarium ita opinantem refert Diana *part.12. tract.1. reſol.13.* quæ collocata eſt in Coordinati operis *tom.4. tract.8. reſol.13.*

Septima opinio eſt illa, quam ponunt Nicolaus Iſambertus *in 3.part. D. Thom. tom.3. de Sacram. Ord. diſp. 3. art.4.* Ludovicus Abelly in Medulla Theologica *tom. 2. cap. 7. de Sacram. Ord. ſect.2.* & Jo. Pontius in Curſu Theologico *diſp.* 22
*48. q.2. concluſ. 8. num. 15.* ubi concorditer docent in hac Epiſcopali Ordinatione tres eſſe materias partiales, Impoſitionem manuum ſuper caput Epiſcopi ordinandi, quam faciunt tres Epiſcopi ordinatores; Unctionem capitis, & manuum electi Epiſcopi, qui ordinatur; & Traditionem Baculi Paſtoralis, Annuli, ac Libri Evangeliorum. His correſpondent tres formæ partiales, quæ conſiſtunt in Verbis, quæ proferuntur ab Epiſcopo Conſecratore, & ab Aſſiſtentibus, dum prædictæ materiæ exhibentur. Rationem non reddunt ſupracitati Auctores pro his materiis, & formis; ſed ex jam dictis facile eſt eas depromere; & ſunt, myſticæ ſignificationes officii, auctoritatis, ac poteſtatis Epiſcopalis, quam conſecratus conſequitur in illa ordinatione.

Octava demum opinio, quam noviſſimè reperio, eſt Gaſparis Ivenim Presbyteri Oratorii Gallicani, qui in ſuo Commentario Hiſtorico, ac Dogmatico de Sacramentis *tom. 2. Diſſert. 9 q. 1. cap.3.* ita concludit: *Materia Epiſcopa-* 23
*tus non eſt poſita in traditione Annuli, aut Baculi Paſtoralis, neque in impoſitione Libri Evangeliorum ſuper caput Ordinandi, neque in Unctione, ſed in ſola Impoſitione manuum.* His verbis Auctor iſte intendit deſtruere omnes ſupra allegatas alias opiniones, primâ exceptâ, quam amplectitur, adhærens Joanni Morino ejuſdem primæ opinionis ſectatori, cujus ipſe Ivenim eſt commenſalis, ac diſcipulus, degens in eadem domo Oratorii Gallicani. Negativas ſuæ opinionis Ivenim conatur probare ex non uſu Eccleſiæ Græcæ, quæ
non tradit Baculum, neque Annulum in 24
ordinatione Epiſcoporum, neque adhibet Unctiones; & de iiſdem cæremo-

niis plures Rituales Latini antiquiſſimi mentionem non faciunt, & de ſola manuum impoſitione Pontificales Libri, ac Conciliorum Canones in Epiſcoporum conſecratione ſunt loquuti. Cæterùm cum hæc omnia objecta deſumpta ſint à Morino; & jam ſupra oſtenſum ſit, ea non ſubſiſtere, cum ferè de omnibus materiis, quas ille Auctor negat, habeantur SS. Patrum, qui Apoſtolorum fuerunt diſcipuli, documenta, ſuperfluum eſt de iiſdem ampliùs diſputare; & ſatis eſſe debet, hanc ultimam, & noviſſinam opinionem retuliſſe.

His ita congeſtis expectabit forſan Studioſus Lector, ex octo opinionibus quænam ſit, quam magis probabilem dicamus, & cui adhærere velimus? At humilitati noſtræ minimè convenit, rem inter tot, ac tales eximios Doctores, ac Magiſtros incertam decidere; & ideò ſatis eſt nobis fundamenta uniuſcujuſque opinionis allegaſſe; atque objecta, quæ in unaquaque fieri poſſunt, retuliſſe, ac reſolviſſe. Unum

25 non omittam dicere; nempè omnes functiones, quæ adhibentur in Epiſcopali conſecratione, habere myſticas, ac profundas ſignificationes Officii, Dignitatis, ac Poteſtatis Epiſcopalis, adeòut earum ſingulæ non ſolùm Sacrarum Cæremoniarum, ſed etiam materiæ Sacramentalis energiam poſſint habere, quibus verba concomitantia vim formæ ſubminiſtrant. Quod ſi quis cupiat, prædictos ſenſus myſticos ſcire, legat Dianam, illos ex approbatis Auctoribus colligentem, ac referentem *d. part.* 12. *tract.* 1. *à reſol.* 113. uſque *ad reſol.* 124. quæ nunc leguntur in Coordinati operis *d. tom.* 4. *tract.* 8. *à d. reſol.* 113. *& ſeqq.* Et ne harum Deciſionum Cleri Patavini ſtudioſi omni prorsùs careant notitia eorumdem myſticorum ſenſuum, compendium ipſorum in eodem Diana Coordinato *d. tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 124. §. 6. exiſtens, placuit mihi hìc tranſcribere; & eſt hujuſmodi.

*Scias, amice Lector, divinum ingenium Sancti Præceptoris Divi Thomæ*

26 *paucis verbis omnia à nobis ſuperiùs dicta complecti in Addit. ad* 3. *p. q.* 40. *art.* 7. *in corpore, ubi docet, Epiſcopum habere ſupra Sacerdotem novem veſtimenta; quæ ſunt Caligæ, Sandalia, Succinctorium, Tunica, Dalmatica, Mitra, Chirothecæ, Annulus, & Baculus; quia novem ſunt, quæ ipſe ſuper Sacerdotes poteſt; ſcilicèt Clericos ordinare, Virgines benedicere, Baſilicas dedicare, Veſtes, & Vaſa conſecrare, Clericos deponere, Synodos celebrare, Chriſma conficere, Sacramentum Confirmationis miniſtrare, ac Verbum Dei prædicare, populumque in lege Dei inſtruere. Vel per Caligas ſignificatur rectitudo greſſuum: per Sandalia, quæ pedes tegunt, contemptus terrenorum: per Succinctorium, quo Stola ligatur cum Alba, amor honeſtatis: per Tunicam perſeverantia, quia Joſephum Tunicam talarem habuiſſe legitur, quaſi deſcendentem uſque ad talos, per quos ſignificatur extremitas vitæ: per Dalmaticas largitas in operibus miſericordiæ: per Chirothecas cautela in opere: per Mitram ſcientia utriuſque Teſtamenti, undè & duo cornua habet: per Baculum cura Paſtoralis, qua debet colligere vagos, quod ſignificat curvitas in capite Baculi; ſuſtentare infirmos, quod ipſe ſtipes Baculi ſignat; & pungere lentos, quod ſignificat ſtimulus in pede Baculi: per Annulum Sacramenta fideì, qua Eccleſia deſponſatur Chriſto; Epiſcopi enim ſunt in Eccleſia loco Chriſti.*

Subdit poſtea Diana *ibid.* §. 7. quod antiquitas horum Pontificalium ornamentorum clarè conſtat ex S. Bernardo *Epiſt.* 42. *circa fin.* ubi inter ornamenta Epiſcopalia numerat Mitram, Annulum, & Sandalia. Idem faciunt Innocentius III. *libr.* 2. *Myſter. Miſſæ cap.* 41. ac *libr.* 1. *de Divin. Offic. cap.* 24. & alii de Rebus Eccleſiaſticis Scriptores. Deindè concludit per hæc verba à Prælatis, & Epiſcopis notanda: *Hæc omnia minutatim, & latè explicare volui circa myſticam interpretationem Rituum, qui in conſecratione Epiſcopali miniſtrantur; nam dubito, aliquos Epiſcopos illos tantùm materialiter adhibere, non autem forma-*

Digitized by Google

*formaliter, intelligendo videlicèt quid ex illis Ritibus adhibendis myſticè ſignificetur.*

## DECISIO XXXVII.

### *ARGUMENTUM.*

Narrantur cauſæ, ob quas antiquitùs plurimi Epiſcopi intereſſebant Conſecrationi novi electi in Epiſcopum. Et quoniam nunc tres Epiſcopi interveniunt, examinatur illa difficilis Quæſtio, An hic numerus Ternarius ſit de Jure Divino, ac de neceſſitate Sacramenti? Referuntur tres opiniones, & earum fundamenta. Concluditur, eſse de ſolemnitate, ac de Præcepto Eccleſiæ, circa quod Papa diſpenſare poteſt, prout pluries diſpenſavit. Tandem oſtenditur, Conſecrationem Epiſcopi non poſse ſimplici Presbytero demandari.

### SUMMARIUM.

1 *Numerus plurium Epiſcoporum cur requiratur in conſecratione Epiſcopali?*

2 *Metropolitanus olim conſecrandus erat ab omnibus Epiſcopis ſuæ Provinciæ.*

3 *Petrus Bogdanus Archiepiſcopus Scupiæ hoſpitatus in Epiſcopio Patavino Anno 1683. Ejus laudes.*

4 *Epiſcopi olim conſecrabantur ab omnibus comprovincialibus ſuis.*

5 *Octo, ac duodecim Epiſcopi olim alium conſecrabant.*

6 *S. Cornelius Papa à ſexdecim Epiſcopis conſecratus. Alii à majori numero.*

7 *Tres ſaltem Epiſcopi debent alium Epiſcopum ordinare. S. Anacleti, S. Aniceti, ac Conciliorum Canones de hoc numero, ac DD.*

8 *Pontificale Romanum habet legis Auctoritatem.*

9 *Epiſcopus an ordinandus à tribus Epiſcopis de Jure Divino? Pro affirmativa* texx.

10 *S. Jacobus ordinatus Epiſcopus Jeroſolymitanus à tribus Apoſtolis.*

11 *DD. tenentes Epiſcopum eſſe ordinandum à tribus de Jure Divino.*

12 *Quod tantùm de Præcepto Eccleſiæ;* texx. & Rationes.

13 *Evagrius, & Siderius conſecrati Epiſcopi ab uno tantùm.*

14 *Pelagius Papa I. conſecratus à duobus.*

15 *S. Jacobus fuit deputatus Epiſcopus, non conſecratus à tribus Apoſtolis. Ratio fortiſſima.*

16 *Chorepiſcopi, qui erant ſimplices Sacerdotes, invalidè munia Epiſcoporum exercebant.*

17 *Armentarii Epiſcopi irrita ordinatio facta à duobus tantùm Epiſcopis, quo ad executionem.*

18 *Chorepiſcopi alii erant Epiſcopi, alii ſimplices Presbyteri.*

19 *Chriſtus reliquit facultatem Eccleſiæ circa numerum Miniſtrorum in ordinandis Epiſcopis diſpenſandi.*

20 *Diſpenſationes Papales circa numerum Epiſcoporum in conſecrandis Epiſcopis.*

21 *S. Gregorius Papa an diſpenſaverit cum S. Auguſtino Epiſcopo Cantuariæ, ut ſolus conſecraret Epiſcopos?*

22 *Canoniſtarum opinio circa numerum Epiſcoporum conſecrantium alium Epiſcopum.*

23 *Clauſula diſpenſationis pro conſecratione Epiſcoporum in Indiis.*

24 *Gregorii XIII. diſpenſatio pro conſecratione Patriarchæ Æthiopiæ.*

25 *Alia pro Epiſcopo Uſſelen. in Sardinia.*

26 *Alia pro Epiſcopo Provinciæ Paraquarienſis 1657.*

27 *Alia Anno 1663. pro Regno Malabarico in Indiis.*

28 *Papa an poſſit committere ſimplici Presbytero, ut conſecret Epiſcopum?*

29 *Papa ſi dicat alicui eſto Epiſcopus, an ſit ordinatus?*

QUoniam inter eſſentialia cujuſcùnque Sacramenti, præter Materiam,& Formam,recenſetur Miniſter; & ordinatio Epiſcopi Sacramentum ordinis eſt ex deductis ſupra in antecedenti *Deciſ. XXXVI. num.* 1. idcircò, poſt relatam Materiam, & Formam Epiſcopalis Ordinationis, agendum eſt de numero Miniſtrorum neceſſario in ea conferenda; cum enim omnes Ordines Sacri à ſolo Epiſcopo conferantur, Epiſcopatus Ordo, qui omnium ordinum ſupremus eſt, non ab uno ſolo, ſed à pluribus Epiſcopis ſimul convenientibus, in obſequium excelſæ hujus Dignitatis, eſt conferendus; quare in præſenti tria ſunt examinanda, & videnda.

1. A quot Epiſcopis ſit Epiſcopus conſecrandus?
2. An trium Epiſcoporum numerus in Epiſcopali ordinatione ſit de Jure Divino, & de neceſſitate Sacramenti?
3. An ex commiſſione Papæ poſſint ſimplices Presbyteri ordinare Epiſcopum?

Quo ad Primum. Præmittere oportet, varios reperiri Canones diverſis temporibus ab Eccleſia confectos, ut plures Epiſcopi ſimul intereſſent in pe-
1 ragenda Epiſcopali conſecratione; & hoc tùm in reverentiam ſublimis hujus Dignitatis, requirentis magnam venerationem, quæ reſultat ex pluralitate Miniſtrorum illam conferentium; tùm ad majorem cautelam probitatis, morumque ſanctitatis promovendi ad Epiſcopatum, ac præcipuè ejus orthodoxæ fidei; difficilius ſiquidem eſt ordinari aliquem hæreticum in Epiſcopum, ubi major numerus ordinantium intervenire debeat; quàm ſi ab uno ſolo ordinatio ejus ſit peragenda, ut benè diſſerit Emanuel Gonzalez *in Comment. ad cap. Nec Epiſcopus. ſub num. 6. De Tempor. Ordin. tom. 1. pag.* 339. ubi auctoritates, ac dicta Summorum Pontificum, Conciliorumque de his motivis cumulat, nec non Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ordinis diſp. 8. num.* 79. ſic dicens: *Ex Eccleſiæ præcepto plures tribus Epiſcopis olim fuerunt requiſiti, ut conſuleretur indemnitati, & utilitati populorum, ac reverentiæ Catholicæ Fidei; facile enim fuit priſcis temporibus, ut ſi ab uno, duobus, vel tribus tantùm facienda eſſet Ordinatio, ordinandus hæreticus tres hæreticos Ordinatores inveniret. At difficilius erat invenire octo, decem, aut duodecim, qui malè ſentientes concurrerent ad ordinandum perverſum.*

Igitur antiquitùs ſtatutum erat, ut Metropolitanus eſſet ordinandus, ac conſecrandus ab omnibus Epiſcopis comprovincialibus, ut legitur *in cap. Quia* 2
*per ambitiones 64. diſt.* in quo Gelaſius Papa *Anno* 492. ita præcipit Epiſcopis per Dardaniam conſtitutis: ( Dardania erat pars Mœſiæ Superioris, nunc Hungariæ, cujus principalis Civitas erat Scupia ultra Taurunum, jacens ſub tyrannide Turcarum à qua aufugiens Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Petrus Bogdanus Archiepiſcopus
Scupenſis *Anno* 1683. venit Patavium, 3
& per menſes octo hoſpitatus eſt in hoc Epiſcopio Patavino, in quo tunc ego Auditoris Generalis munus exercebam, & ejuſdem Archiepiſcopi pietatem, virtutes, ac labores in regimine Chriſtianorum viventium in illa antiquæ Dardaniæ Provincia didici, admiratus, ac veneratus fui. Ipſe, liberatâ Viennâ ab obſidione Turcicâ, reverſus eſt in Patriam.). Gelaſius itaque *in cit. cap. Quia per ambitiones.* ita præcipit: *Decernentes, ſicut vetus conſuetudo depoſcit, unanimiter ſtatuatis Antiſtites, & viciſſim, ſi Metropolitanus humanæ conditionis ſorte deceſſerit, à comprovincialibus Epiſcopis, ſicut forma tranſmiſit, ſacrari modis omnibus cenſeatis.* Hoc idem injunctum fuit circa ordinationem uniuſcujuſque Epiſcopi, ut ſcilicèt ea
eſſet facienda ab omnibus comprovin- 4
cialibus

cialibus Epiſcopis, ut habetur *in cap.* 1. *ead. diſt.* 64. ſumpto ex Concilio Niceno I. *cap.* 4. *Anno* 325. ibi: *Epiſcopi ab omnibus, qui ſunt in Provincia, debent ordinari*: prout etiam ex *cap.* 2. *d. diſt.* 64. quod eſt S. Anacleti Papæ *ad Epiſcopos Italiæ Epiſt.* 2. *Anno* 103. *Ordinationes Epiſcoporum Auctoritate Apoſtolica ab omnibus, qui in eadem fuerint Provincia, Epiſcopis ſunt celebrandæ*. Et quoniam vel ob diſſenſionem, vel ob alias cauſas non de facili congregari poterant omnes Epiſcopi de eadem Provincia ad novum Epiſcopum initiandum, & conſecrandum, decretum fuit in Concilio Arelatenſi I. *can.* 21. (quod citat Cabaſutius *in Notitia Concil. Sæcul.* 4. *ad Concil. Nicen. IV. nu.* 2.) *Ut qui Epiſcopum conſecrat, ſeptem*
5 *alios ſecum aſſumat Epiſcopos*; adeòut octo forent, qui conſecrationem peragerent. Et in Concilio Africano *cap.* 16. quod allegat Emin. Cardin. de Lauræa *d. diſp.* 8. *num.* 67. præceptum fuit quod *à duodecim ſaltem Epiſcopis ordinetur Epiſcopus*. Imò, quod magis eſt, teſte Hallierio *de Sacr. Electionib. part.* 2. *cap.* 2. *art.* 1. §. 1. *num.* 9. (quem adducit Diana Coordinatus *tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 34.) S. Cornelius Papa à ſexdecim Epiſcopis, qui tunc Romæ reperiebantur, fuit ordinatus: & Nectarius Conſtantinopo-
6 litanus Epiſcopus à centum quinquaginta Epiſcopis, qui tunc Conſtantinopoli aderant, conſecratus, & initiatus fuit; cumque eo defuncto, electus fuiſſet in ejus locum S. Joannes Chryſoſtomus, quò ejus ordinatio celebrior eſſet, convocata Epiſcoporum Synodo, cui etiam Theophilus Alexandrinus interfuit, ab eadem peracta fuit, & cunctis Epiſcopis Aſſiſtentibus fuit ordinatus. Ex his manifeſtè intelligitur apud antiquos Patres celebratam fuiſſe ordinationem Epiſcoporum cum intereſſentia plurium, videlicèt vel octo, vel duodecim, vel ſexdecim, vel majoris numeri Conſecrantium ob motiva ſuperiùs relata.

Porrò prædictus multiplex numerus requirebatur ad melius eſſe, non autem ex neceſſitate; ſiquidem ex praxi univerſalis Eccleſiæ, ab ejus initio ſervata, & ex Sacrorum Canonum tenore firmatum, & cuſtoditum fuit pro regula, quod ſaltem tres Epiſcopi intereſſent ordinationi, & conſecrationi novi 7
Epiſcopi electi, ut patet ex juribus ſequentibus. I. Ex *cap. Porrò. diſt.* 66. & ſunt verba S. Anacleti Papæ, qui Sedem Apoſtolicam aſcendit *Anno* 103. *in Epiſt.* 2. *ad Epiſc. Italiæ*, & ita ſcripſit: *Porrò & Hieroſolymorum primus Archiepiſcopus Beatus Jacobus, qui juſtus dicebatur, & ſecundum carnem Domini nuncupatus eſt frater, à Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis eſt ordinatus: ſucceſſoribus videlicèt ſuis dantibus formam, ut non minùs, quàm à tribus Epiſcopis, reliquiſque omnibus aſſenſum præbentibus ullatenùs Epiſcopus ordinetur; & communi voto Ordinatio celebretur*. II. Ex *cap. Comprovinciales. diſt.* 64. deſumptum *ex Epiſtola ad Epiſcopos Galliæ* S. Aniceti Papæ creati *Anno* 167. ſic præcipientis: *Comprovinciales Epiſcopi, ſi neceſſe fuerit, cæteris conſentientibus, à tribus juſſu Archiepiſcopi conſecrari poſſunt Epiſcopi*. III. Ex Concilio Arelatenſi celebrato *Anno* 314. in quo *cap.* 21. ita fuit ſtatutum: *De his, qui uſurpant ſibi, quod ſoli debeant Epiſcopum ordinare, placuit, ut nullus hoc ſibi præſumat, niſi aſſumptis ſecum aliis ſeptem Epiſcopis. Si tamen non potuerint Septem, ſine TRIBUS FRATRIBUS non audeant ordinare*. IV. Ex Concilio Niceno I. habito *Anno* 325. in quo *cap.* 4. ſic legitur, & habetur *in cap.* 1. *diſt.* 64. *Epiſcopi ab omnibus, qui ſunt in Provincia ſua debent ordinari. Si verò hoc difficile fuerit, vel aliqua urgente neceſſitate, vel itineris longitudine, certè TRES EPISCOPI debent in unum congregari, itaut etiam cæterorum, qui abſentes ſunt, conſenſum in Litteris teneant, & ita faciant Ordinationem*. V. Ex Concilio Carthaginenſi 2. congregato *Anno* 390. in quo *cap.* 12. quod refertur à Gratiano *in cap. Placet. diſt.* 65. ſic jubetur: *Si autem neceſſitas fuerit,*

*TRES*

*TRES EPISCOPI*, *in quocunque loco ſint*, *cum Primatis præcepto ordinare debeant Epiſcopum*. VI. Ex S. Damaſo Papa electo *Anno* 367. in cujus *Epiſtola* 4. *ad Epiſcopos Africæ*, relata *in cap. Chorepiſcopi*: *diſt*. 68. hæc habentur: *Quod autem Epiſcopi non ſint, qui minùs, quàm à TRIBUS ſunt ordinati EPISCOPIS, omnibus patet: quoniam ut benè noſtis, prohibitum à Sanctis eſt Patribus, ut qui ab uno, vel à duobus ſunt ordinati Epiſcopis, nec nominentur Epiſcopi*. VII. Ex Concilio Romano celebrato ſub S. Martino Papa Anno 650, de quo *in cap. Epiſcopum diſt*. 68. ubi ita: *Epiſcopum oportet maximè quidem ab omni Concilio conſtitui. Sed ſi hoc pro neceſſitate, aut pro longinquitate itineris difficile fuerit, ex omnibus TRES eligantur, & omnium præſentium, & abſentium ſubſcriptiones teneantur, & ſic poſtea Ordinatio fiat*. Plures alios Conciliares Canones, Decreta Pontificum, ac dicta SS. Patrum cumulant ex Theologis Emin. Card. de Lauræa *d. diſp*. 8. *de Sacram. Ordinis num*. 66. & ex Canoniſtis Gonzalez *in cit. Comment. ad cap. Nec Epiſcopus*. 6. *de Temp. Ordin. num*. 2. ubi innumeros alios DD. congregat, hanc Regulam (ut Epiſcopus ordinari, ac conſecrari debeat ſaltem à tribus Epiſcopis) firmantes; quibus ego addo Fagnanum *in cap. Requiſivit. num*. 86. *De Ordinat. ab Epiſcopo &c.* nec non *in cit. cap. Nec Epiſcopi à num*. 1. *& ſeqq. de Tempor. Ordinat.* ubi plenè de hoc numero ternario. Item Pacem Jordanum *tom*. 1. *libr*. 5. *tit*. 2. *à num*. 15. *& ſeqq.* ac doctiſſimos Salmanticenſes *De Sacram. Ordinis tract*. 8. *cap*. 4. *dub*. 1. qui omnes demonſtrant, neceſſariam eſſe intereſſentiam trium Epiſcoporum ad ordinandum, & conſecrandum novum Epiſcopum; & patet ex Pontificali Romano *in tit. de Conſecrat. Electi in Epiſcopum*; qui quidem Liber Pontificalis ha-
8 bet legis auctoritatem, ut probat idem Fagnanus *in cap. Presbyter. num*. 41. *De Sacram. non iteran. tom*. 2.

Quo ad ſecundum. Satis ardua, & difficilis eſt Quæſtio. Utrùm numerus trium Epiſcoporum in novo Epiſcopo conſecrando ſit de Jure Divino, vel de Jure Eccleſiaſtico? Quod eſt quærere; An ipſe ternarius numerus ſit de neceſſitate Sacramenti? vel tantùm de neceſſitate Præcepti? Circa hanc quæſtionem reperio tres opiniones. Prima 9
tenet, quod prædictus ternarius Epiſcoporum numerus ſit de Jure Divino, ac de neceſſitate Sacramenti, adeò ut ſi unus tantùm, vel duo Epiſcopi interſint conſecrationi, ea ſit nulla, irrita, & invalida ex ſequentibus fundamentis. I. Ex Epiſtola Decretali S. Aniceti Papæ electi Anno 167. qui ſcribens ad Galliæ Epiſcopos, ut habetur in *Primo tom. Concilior. pag. mihi* 331. ita loquitur: *De Ordinationibus verò Epiſcoporum, ſuper quibus nos conſulere voluiſtis, olim in Sancti Prædeceſſoris noſtri Anacleti ordinationibus quædam jam decreta reperimus. Scimus enim beatiſſimum Jacobum, qui dicebatur Juſtus, qui etiam ſecundum carnem frater Domini nuncupatus eſt, à Petro, Jacobo, & Joanne Apoſtolis, Hieroſo-* 10
*lymorum Epiſcopum eſſe ordinatum. Si autem non minùs, quàm à tribus Apoſtolis, tantus vir fuit ordinatus Epiſcopus: patet profectò, eos formam, INSTITUENTE DOMINO, tradidiſſe, non minùs, quàm à tribus Epiſcopis, Epiſcopum ordinari debere*. Si igitur, inſtituente Domino, S. Jacobus fuit ordinatus à tribus Apoſtolis, qui hanc formam, & hunc numerum ternarium ſervandum eſſe à Chriſto Domino receperunt; ſequitur eamdem formam, & eumdem numerum eſſe de Jure Divino, ac de neceſſitate Sacramenti; itaut eodem ternario numero Epiſcoporum deficiente, conſecratio novi Epiſcopi ſit nulla, irrita, & invalida. II. Ex verbis S. Damaſ. Papæ relatis ſupra ſub *num*. 7. quæ leguntur *in cap. Chorepiſcopi. diſt*. 68. videlicet: *Quod autem Epiſcopi non fiat, qui minùs, quàm à tribus ſunt ordinati Epiſcopis, omnibus patet*. III. Ex Concilio Regienſe habito tempore Sixti Tertii Anno 439. quod

quod eſt in *Concilior. tom.* 2 *pag.* 13. in quo ita ſtatutum: *Itaque ordinationem, quam Canones irritam definiunt, nos quoque vacuandam eſſe cenſuimus, in qua prætermiſſa trium* (Epiſcoporum) *præſentia, nec expetitis comprovincialium Litteris, Metropolitani quoque voluntate neglecta, prorsùs nihil, quod Epiſcopum faceret, oſtenſum eſt*. IV. Ex Epiſtola Decretali Joannis Papæ Tertii, ad Sedem Apoſtolicam promoti *Anno* 560. quæ habetur in *Concilior. tom* 2. *pag.* 814. in ea enim ita loquitur: *Omnia quoque maxima Concilia affirmant, eum non eſſe Epiſcopum, qui minùs, quàm à tribus Epiſcopis, auctoritate etiam Metropolitani, fuerit factus Epiſcopus: ideòque illos, quos Chorepiſcopos vocatis, quia ab uno, ut audivimus, fiunt Epiſcopo, Epiſcopos non eſſe, nec aliquid de Pontificali Privilegio agere debere, perſpicuum eſt*. En igitur expreſsè, quod numerus trium Epiſcoporum in ordinatione, & Conſecratione novi Epiſcopi eſt de Jure Divino, & de neceſſitate Sacramenti, quia, ut ait hic Papa, qui ordinati ſunt ab uno, vel minùs, quàm à tribus Epiſcopis, non ſunt Epiſcopi: ſcilicèt quia eorum ordinatio eſt invalida, irrita, & nulla.

Præterea plura aliorum Conciliorum decreta pro hac opinione allegantur à Vaſquez *diſp.* 243. *cap.* 6. quem tanquam hujus opinionis defenſorem citat Diana Coordinatus *d. tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 28. deſumpta ex veteri *part.* 12. *tract.* 1. ubi aſſerit ejuſdem opinionis eſſe ex Theo-
11 logis Emin. Cardin. Bellarminum *de Notis Eccl. cap.* 8. Coninch. *diſp.* 20. *dub.* 9. Marchinum *de Ordine part.* 2. *cap.* 12. *num.* 4. Iſambertum *in* 3. *part. de Sacram. Ord. diſp.* 6. *art.* 1. *propoſ. ult.* & alios multos: & ex Canoniſtis Gloſſa *in cap. Nec Epiſcopi. de Temp. Ord.* & cum ea Hugo, Archidiaconus, & Abbas Panormitanus *ibidem* hoc idem ſentientes. Quibus adſtipulari videtur Morinus *de Sacris Ordinat. part.* 3. *Exercit.* 4. *cap.* 2. *à num.* 5. *& ſeqq.* in quibus refert varia Summorum Pontificum reſcripta, quod Chorepiſcopi, qui à tribus Epiſcopis ordinati non fuerunt, ſed ab uno ſolo, non eſſent Epiſcopi; & præcipuè Leonis Papæ Tertii, qui *Anno* 800. ad Epiſcopos Galliæ, ac Germaniæ reſpondit, *Nullum fore Presbyterum, vel Diaconum, aut Subdiaconum ab eis* (Chorepiſcopis) *ordinatum, nec Eccleſiam ab eis dedicatam, nec Virginem conſecratam, nec quemquam Confirmatum; neque quicquam quod de Epiſcopali miniſterio præſumpſere eſſe peractum: ſed quidquid ex his ab eis illicitè erat præſumptum, omnia à Canonicè ordinatis Epiſcopis debere ritè peragi, & in meliorem ſtatum reformari*. Ob eam ſcilicèt rationem, quia prædicti Chorepiſcopi conſecrationem obtinuerant ab uno tantùm Epiſcopo, & non à tribus; & ita eorum conſecratio remanſerat nulla, & invalida; & omnes actus Epiſcopales per eos geſti, ſpectantes ad ordinem, & Characterem Epiſcopalem, pariter fuerunt irriti, invalidi, & nulli.

Secunda opinio tenet ternarium Epiſcoporum numerum, in novo Epiſcopo initiando, eſſe tantum de neceſſitate Præcepti, & ab Eccleſia ſtatutum ex ſequentibus fundamentis. I. Ex primo Canone Apoſtolorum ita jubente: *Epi-* 12
*ſcopus à duobus, vel tribus Epiſcopis ordinetur*. Ergo ſi etiam à duobus, non eſt de Jure Divino, quod ordinetur à tribus. II. Ex *libr.* 3. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 20. ubi ſic: *Jubemus autem, ut à tribus Epiſcopis ordinetur, & ut minimum à duobus*. III. Ex earumdem Conſtitutionum Apoſtolicarum *libr.* 8. *cap.* 27. ubi ita: *Ego Simon Cananeus conſtituo, à quot Epiſcopis debeat ordinari Epiſcopus; ſcilicèt à duobus, vel tribus Epiſcopis. Sin verò aliquis ab uno Epiſcopo ordinatus fuerit, tùm is, qui ordinatus eſt, tùm is, qui eum ordinavit, deponatur. Quod ſi neceſſitas coegerit ab uno ordinari, quod propter perſecutionem, aut aliam cauſam plures adeſſe non poſſint, afferatur decretum commiſſionis plurium Epiſcoporum*. Ergo Præceptum Eccleſiaſticum eſt,

quod

quod Epiſcopus ordinetur, & conſecretur à tribus, cum etiam à duobus tantùm, imò ab uno ſolo permittatur ordinari. IV. Ex S. Dionyſio *in Hierar. Eccleſ.* quem citat Cabaſſutius in *Notitia Concil. Sæculo* 4. *ad Conc. Nicen. can.* 4. *num.* 5. his verbis: *Dionyſius item in Hierarchia Eccleſiaſtica deſcribens Epiſcopi augurandi ritum, meminit unius dumtaxat conſecrantis Epiſcopi*. V. Ex evidenti ratione, ab Apoſtolis per univerſum orbem diviſis, neceſſitatem habentibus de per ſe Epiſcopos ordinare, ut conſiderat Cabaſſutius *d. num.* 5. ita dicens: *Idque ampliùs indè confirmatur, quod vix, ac nec vix quidem fieri plerumque poterat, ut Apoſtoli terrarum orbem ad evangelizandum peragrantes; novaſque in Provinciis, ad quas accedebant, fundantes Eccleſias, copiam ſemper haberent Epiſcoporum, quos vel paſſim novis Eccleſiis præficerent, aut quorum operâ novos ordinarent*. Hanc eamdem rationem tanquam fortiſſimam notant etiam Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 4. Et equidem, quod S. Paulus ordinaverit ſolus S. Timotheum Epiſcopum Epheſinum, legimus in Breviario Romano *die* 24. *Januari* ibi: *Cum igitur ambo Epheſum veniſſent, ibi ordinatus eſt Epiſcopus ab Apoſtolo*. Et de S. Polycarpo ait S. Hieronymus *de Scriptor. Eccleſ.* ita: *Polycarpus, Joannis Apoſtoli diſcipulus, & ab eo Smyrnæ Epiſcopus ordinatus*, ut in eodem Breviario *die* 26. *Januarii*. VI. Exemplo Evagrii Epiſcopi Antiocheni ab uno tantùm Epiſcopo conſecrati, cujus tamen Ordinationem Innocentius Papa I. electus *Anno* 402. validam pronunciavit, ut narrat idem Cabaſſutius ubi ſupra *d. num.* 4.
13 his verbis: *Innocentius Papa Epiſt.* 22. *ad Bonifacium diſſentionem compoſuit Eccleſiæ Antiochenæ, quam duo primùm regebant Epiſcopi, mandavitque illos, qui fuerant ab Evagrio ordinati, cum ſuis recipi in ordinum gradibus, & honoribus. Et tamen certò conſtabat, Evagrium contra Eccleſiæ normam fuiſſe à ſolo Paulino Epiſcopo conſecratum Epiſcopum, ut fidem facit Theodoritus libr.* 5. *Hiſt. Eccleſ. cap.* 23. Hanc eamdem narrationem licet conſpicere in Annalibus Emin. Card. Baronii *Ad Annum* 408. *à num.* 33. *& ſeqq.* VII. Ex facto Siderii Epiſcopi Palebiſcæ; qui ut narrat Synæſius *Epiſt.* 67. *ad Theophilum Alexandrinum*. & ut refert Cabaſſutius *ad d. Conc. Nicen. can.* 4. *nu.* 2. & 4. conſecratus fuerat Epiſcopus à ſolo Epiſcopo Cyrenenſi Philone; id tamen non obſtitit, quominùs magnus Athanaſius abſque nova conſecratione cum eo diſpenſaverit, & ad regimen admoverit Eccleſiæ. VIII. Ex conſecratione Pelagii Papæ Primi, qui, ut ſcribit Anaſtaſius Bibliothecarius in ejus vita, cum eſſet electus Summus Pontifex *Anno* 555. & nondum 14
charactere Epiſcopali inſignitus foret, deficientibus Epiſcopis, ordinatus, & conſecratus fuit Epiſcopus à Joanne Epiſcopo Peruſino, & Bonoſo Epiſcopo Ferentino, ac Presbytero quodam Andræa de Oſtiis, ut ex Cardin. Baronio *Anno* 556. tranſcribit Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 8. *de Sacram. Ord. num.* 71. nec non Jordanus *d. lib.* 5. *tit.* 1. *num.* 18. Quare ex his fundamentis, ac exemplis hanc opinionem amplexi ſunt Valentia *tom.* 4. *diſp.* 9. *quæſt.* 3. *punct.* 2. Layman *libr.* 8. *tract.* 9. *cap.* 5. *num.* 1. Ugolinus *de Pot. Epiſc. cap.* 2. *num.* 5. & alii, quos citat Diana Cordinatus *d. tom.* 4. *tract.* 8. *reſol.* 27. *& reſol.* 29. ubi & ipſe huic adhæret Sententiæ, & eam aliis rationibus confirmat: quam pariter tuentur Salmanticenſes *de Sacram. Ord. tract.* 8. *cap.* 4. *num.* 8. ubi plurimos alios DD. ita ſentientes cumulant, & inter alias rationes, has etiam conſiderant, quod in Pontificali Romano unus ex tribus Epiſcopis conſecrantibus vocatur *Conſecrator*, reliqui duo *Aſſiſtentes*, ad denotandum, quod iſte ſufficit ad validitatem conſecrationis; alii duo exiguntur ex ſolemnitate; aliàs omnes dicerentur *Conſecratores*. Item quia in aliis Sacramentis unus tantùm Miniſter requiritur. Ergo unus ſufficit etiam in ordinando, ac conſecrando Epi-

do Epiſcopo. Nec ſubſiſtere dicunt argumenta, ſeu fundamenta Primæ contrariæ opinionis: Reſpondent enim

Ad Primum quod iila ordinatio S. Jacobi Minoris in Epiſcopum Hieroſolymitanum facta à SS. Apoſtolis Petro, Jacobo Majore, ac Joanne, fuit ſim-
15 plex deputatio, ſeu intronizatio, ut ait Gloſſa *in cap. Porrò. diſt. 66.* non autem ordinatio, ſeu conſecratio in Epiſcopum; ſiquidem omnes Apoſtoli conſecrati fuerant Epiſcopi à Chriſto Domino, ut probavimus ſupra *Deciſ. 35. num. 10. & à num. 26. & ſeqq.* cumque Sanctus Jacobus Minor, ſeu Alphei eſſet Apoſtolus, erat quoque Epiſcopus conſecratus, & ſic iterùm non poterat conſecrari; ut benè advertit Tirinus *in Proœmio ad Epiſt. Canonicam ejuſdem S. Jacobi;* ac Vaira in ſuo erudito Libro *De Oecumenica Papæ Poteſtate cap. 10. §. 1. in fine.* Ideò SS. Anacletus, & Anicetus ſunt intelligendi de ordinatione, ideſt de deputatione, & aſſignatione Cathedræ Urbis Jeroſolymæ, quæ facta fuit eidem S. Jacobo, qui priùs erat Epiſcopus titularis, ſine particulari Eccleſia, vel Cathedra. Igitur tres Apoſtoli Petrus, Jacobus, ac Joannes eum intronizaverunt, ut Juriſdictionem reciperet, ac illam Eccleſiam regeret; & ſic dederunt formam ex præcepto Chriſti eligendi, conſecrandi, ac deputandi Epiſcopum ſaltem per tres alios Epiſcopos quo ad ſolemnitatem, non quo ad neceſſitatem Sacramenti, ſeu conſecrationis Epiſcopalis, quæ validè fieri poteſt etiam ab uno tantùm Epiſcopo, ut ex Canone Apoſtolorum, & ex Apoſtolicis Conſtitutionibus ſupra relatis; quod communiter docent DD. & noviſſimè Salmanticenſes *tract. 8. cap. 4. num. 9.* Cabaſutius *d. Sæcul. IV. ad Concil. Nicæni can. 4. n. 2. & 3.* Gonzalez *ad Comm. d. cap. Nec Epiſcopi. num. 5. de Tempor. Ord.* Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 8. de Sacram. Ord. à num. 82. & ſeqq.* ac etiam Morinus *d. part. 3. Exercit. 4. cap. 2. num. 14.* Ex his remanet exploſa doctrina Fagnani *in cap. Requiſivit num. 86. de Ordinat. ab Epiſc. & in cap. 1. de offic. Ordin.* docentis, ſolum Petrum fuiſſe ordinatum Epiſcopum à Chriſto, cæteros verò Apoſtolos ab ipſo Petro fuiſſe conſecratos, & ad ordinem Epiſcopalem promotos; quia veritas eſt, quod omnes Apoſtoli fuerunt à Chriſto Domino conſecrati Epiſcopi.

Ad Secundum fundamentum verborum S. Damaſi reſpondent, quod S. Pontifex invehit contra Chorepiſcopos, qui erant ſimplices Sacerdotes, & intendit demonſtrare illos non potuiſſe exercere munia Epiſcopalia ob tria mo- 16
tiva, ut benè diſſerit Morinus *d. cap. 2. num. 6.* videlicèt, quia non erant ſucceſſores Apoſtolorum, ſed diſcipulorum 70; quia inſtituti erant in pagis, ac villis, non autem in Civitatibus; & quia erant ordinati ab uno ſolo Epiſcopo, ac per conſequens erant ſimplices Presbyteri, non autem Epiſcopi, nam Epiſcopi ex praxi antiqua, ac univerſali Eccleſiæ ordinantur à tribus Epiſcopis. Igitur S. Damaſus noluit dicere, eſſe invalidam ordinationem Epiſcopi, ſi fieret ab uno tantùm Epiſcopo; quia de hac quæſtione non ſcribebat, ut notant DD. ſupra citati, & alii, quos colligit Diana Coordinatus *d. tom. 4. tract. 8. reſol. 27.* ſed innuere volebat Sanctus Pontifex, quod Chorepiſcopi, præter alias cauſas reputari non poterant Epiſcopi, nam non erant à tribus Epiſcopis conſecrati.

Ad Tertium reſpondent, quod Concilium Regienſe dicens irritam ordinationem Epiſcopi factam ab uno, vel duobus Epiſcopis tantùm, intelligit eam irritam quo ad executionem, non autem quo ad validitatem Sacramenti. Id manifeſtè deprehenditur ex cauſa, ob quam factum fuit prædictum Decretum in eo Concilio: ſiquidem agitatata fuit 17
cauſa Armentarii Epiſcopi Ebroduni (Ebrodunum eſt Urbs Delphinatus juxta Druentiam fluvium, vulgò *Ambrun*) qui quidem Armentarius ſuſceperat Epiſcopalem conſecrationem à duobus tantùm Epiſcopis, & abſque conſenſu Metropolitani; & ideò declarata

rata fuit ejus ordinatio irrita, ſed quo ad exercitium Epiſcopalis ordinis, cum ſuſpenſione à functionibus Epiſcopalibus; non autem quo ad characterem, & eſſentiam ordinationis: nam, ut notat Cabaſutius *d. Sæcul.4. ad Concil. Nicen. can. 4. num. 4. in fin. Synodus Regienſis cum præfato Armentario diſpenſavit, ut baptizatos, ſeu Neophytos confirmaret; & Clericis ab eo ordinatis permiſit, dummodò alioquin idonei, & inculpatæ vitæ judicentur, in ordinum ſuorum miniſterio retineri*. Hoc idem obſervat, ac ſcribit Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.8. de Sacr. Ord. num. 70.*

Ad Quartum tandem argumentum, & ad Epiſtolas Joannis Tertii, ac Leonis Tertii Summorum Pontificum, in quibus declarant invalidas quaſcunque functiones Epiſcopales factas à Chorepiſcopis, & dicunt eos non fuiſſe Epiſcopos tanquam ab uno ſolo ordinatos,
18 reſpondetur, has declarationes eſſe intelligendas de Chorepiſcopis, qui erant ſimplices Presbyteri, ut ſupra dictum eſt, & ſibi arrogabant munia quæque Epiſcopalia, etiam collationem ordinum majorum; ſecùs autem de Chorepiſcopis, qui validè fuerant ad Ordinem Epiſcopalem promoti, ac conſecrati. Legatur *Deciſio noſtra XIV. à num. 25. uſque in fin.* in hoc tractatu *de Sacramento Ordinis*, ubi oſtendimus, duas ſpecies fuiſſe Chorepiſcoporum; & alios extitiſſe veros Epiſcopos, alios autem ſimplices Presbyteros; & quia hi uſurpabant ſibi functiones Epiſcopales ex arrogantia, idcircò eaſdem irritas, nullas, & invalidas dixerunt tùm Summi Pontifices, tùm Concilia plurima; ſed numquàm affirmare voluerunt, invalidas, & nullas eſſe conſecrationes Epiſcoporum, qui ab uno, vel à duobus Epiſcopis tantùm erant conſecrati, niſi habita relatione ad executionem; illi enim erant ſuſpenſi à functionibus Epiſcopalibus ipſo jure tanquam conſecrati contra tenorem Sacrorum Canonum, ut benè advertit Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.8. num. 81. & num. 87.* nec non Emanuel Gonzalez *in cit. cap. Nec Epiſcopus.6. de Tempor. Ordinat.n.7.* Hæc de ſecunda opinione, quæ cõmunior, verior, ac magis recepta eſt apud Doctores.

Tertia tamen non deeſt opinio, quæ concordat cum ſecunda, ſed addit, conſecrationem Epiſcopi factam ab uno tantùm, vel à duobus tantùm Conſecratoribus eſſe validam, ſi interveniat diſpenſatio Summi Pontificis, ea ratione quia cum hac circumſtantia, & permiſſione Chriſtus Dominus inſtituit Miniſtrum conſecrationis Epiſcopalis ternarium numerum Epiſcoporum; relinquens poteſtatem Vicario ſuo diſpenſandi circa hunc numerum pro tem- 19
porum, ac locorum conditione; adinſtar Sacramenti Confirmationis, in quo Miniſter ordinarius eſt Epiſcopus, ſed relicta eſt facultas Summo Pontifici in caſu neceſſitatis deputandi etiam ſimplicem Presbyterum in miniſtrum ejuſdem Sacramenti, ut latè probavimus in noſtris Deciſionibus *De Sacram. Confirmationis Deciſ. 57. num. 4.* Hinc Diana Coordinatus *d. tom.4. tract. 8. reſol.30. §.2.* ita ſcribit: *Dicendum eſt igitur, quod Chriſtus Dominus ita inſtituit hoc Sacramentum* (Ordinationis Epiſcopalis) *ut voluerit eſſe de ſubſtantia, & neceſſitate illius fieri à tribus Epiſcopis, quando ita fieri poſſit: quando autem non, ut fieret à duobus, vel ab uno ſolo Epiſcopo ex commiſſione, aut determinatione Eccleſiæ, vel Summi Pontificis*. Hoc idem aſtruit Cabaſutius *d. Sæculo IV. ad Concil. Nicen. can.4. num.3.* his verbis: *Illuſtris eſt Quæſtio, ſitne de neceſſitate Sacramenti, an verò de ſola Præcepti neceſſitate, ut tres hìc interveniant Epiſcopi? Tres ventilantur in hac re Theologorum Sententiæ. Opinantur alii eſſe id quidem de Sacramenti neceſſitate, non quidem abſolutè, ſed hac reſtrictione, ſi non fuerit ab Eccleſiæ ſuprema poteſtate diſpenſatum, ut ſecus fiat. Quo etiam modo plerique docent, eſſe de Sacramenti Confirmationis neceſſitate, ut ab Epiſcopo adminiſtretur: ſi tamen acceſſerit vel Romani Papæ, vel Concilii Generalis diſpenſatio, poſſe ſimplicem Sacerdotem illius eſſe miniſtrum*. Concordant in hac opinione referenda

Sal-

Salmanticenſes in *cit. tract. 8. cap. 4. n. 4.* nec non Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 8. de Sacram. Ord. num. 72. & num. 85.* & ad hanc opinionem probandam allegantur infraſcriptæ Pontificiæ diſpenſationes.

Prima eſt illa Innocentii Papæ I. qui diſpenſavit cum Evagrio Epiſcopo Antiocheno, promoto ad illam ſedem,
20 ideſt conſecrato ab uno tantùm Epiſcopo, ut notatum eſt ſupra *num. 13.*

Secunda eſt illa S. Gregorii Papæ, qui diſpenſativè conceſſit S. Auguſtino Anglorum Apoſtolo, ut poſſet ſolus conſecrare Epiſcopos in Anglia, donec in ipſa plures eſſent Epiſcopi conſtituti, quos non eſſet difficile vocare ad intereſſendum conſecrationi aliorum. Ab initio enim illius nobiliſſimæ Anglicanæ Nationis non erat facile vocare ex Gallia Epiſcopos, qui mare tranſmeantes intervenirent tres, vel ampliùs ad Epiſcopos ordinandos. Ita teſtantur DD. quos citat, & ſequitur Diana Coordinatus *d. tom. 4. tract. 8. reſol. 29. & reſol. 30.* in qua tamen §. 1. refert, Palaum *tom. 4. tract. 27. punct. 14. num. 13.* ac etiam Coninchum *diſp. 20. dub. 9.*
21 *num. 92.* negantes dictam S. Gregorii diſpenſationem, imò aſſerentes, contrarium fuiſſe reſponſum à Sancto Pontifice, dum eum de hac re S. Auguſtinus prædictus interrogaret; & equidem verba S. Gregorii Magni *in Regiſtr. Epiſt. libr. 12.* ad undecim Interrogationes Auguſtini Cantuarienſis Archiepiſcopi *cap. 8.* hæc in meo Codice ſunt: *Et equidem etiam in Anglorum Eccleſia, in qua adhuc ſolus tu Epiſcopus inveniris, ordinare Epiſcopum non aliter niſi cum Epiſcopis potes.* At Codex Emin. Card. de Lauræa, ut ipſe refert *d. diſp. 8. num. 87.* habet hæc verba: *Ordinare Epiſcopum non aliter, niſi ſine Epiſcopis potes.* Et ideò hic Eminentiſſimus Auctor tenet S. Gregorium tunc diſpenſaſſe, quia ex ſubſequentibus verbis innuit ipſe Summus Pontifex, quod ſi ex Gallia Epiſcopi advenerint, vel ſi in Anglia non multùm diſtantes fuerint conſtituti; eo tempore, ac deinceps tres erant Epiſcopi adhibendi in alio Epiſcopo conſecrando. Ipſi quoque Salmanticenſes ſtant pro ſupradicta Gregoriana diſpenſatione; ajunt enim *d. tract. 8. cap. 4. num. 4. Et hoc factum eſſe à Gregorio cum Auguſtino Epiſcopo Cantuarienſi teſtantur communiter Doctores, quem miſit in Angliam prædicare, & ei commiſit poteſtatem Epiſcopos ordinandi, vel à ſe ſolùm, ſi non adeſſet alius; vel à ſe, & ab alio, ſi fortè interfuiſſet propter penuriam illorum in illo Regno.*

Tertia diſpenſatio eſt B. Pii Quinti, de qua mentionem facit Illuſtriſſimus Fagnanus *in cap. Nec Epiſcopi De Tempor. Ordinat. num. 9.* ubi hæc habet: *In libris publicis Sacræ Congregationis Concilii hæc reperi adnotata manu bon. mem. Cardinalis Alciati illius Præfecti ad ſeſſ. 7. cap. 9. Conſecratio Epiſcopi neceſſariò facienda eſt à tribus Epiſcopis.* 22
*cap. Porrò. 66. diſt. & eſt de ſubſtantia, adeò ut à paucioribus facta conſecratio non teneat. DD. in cap. Nec Epiſcopi. De Temp. Ord. Poſſet tamen Papa immutare hanc formam tanquàm traditam ab Apoſtolis. Archid. d. cap. Porrò. & Gemin. quia non eſt forma Juris Divini. Præpoſit. & Cardin. d. cap. Porrò. Expreſſiùs in cap. Archiepiſcopus 66. diſt. Item Papa ſolus ordinando videtur diſpenſare ſub tali forma. Card. & Præpoſit. d. cap. Porrò. Sed ſi in Provincia non adſunt tot Epiſcopi, accerſendi ſunt ex vicina Provincia. cap. Si fortè 65. diſt. Quod arguit in caſu neceſſitatis non eſſe adhibendos Abbates, ſed tantùm Epiſcopos ex vicinia. Idque ſentit Abbas in cap. Nec Epiſcopi. De Temp. Ord. Conſuevit tamen in Curia diſpenſari, & major pars Theologorum, qui conſulti fuerunt, ſic reſponderunt faciendum. Et ita Pius Quintus diſpenſavit.* Hæc ibi. Deindè ſubdit ibidem & hæc verba: *Hodie in Litteris prò conſecratione* 23
*Epiſcoporum in Indiis apponitur clauſula infraſcripta; videlicèt: Tibi Presbytero N. ut à quocunque malueris Catholico Antiſtite, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicæ habente, accitis, & in hoc illi aſſiſtentibus duabus, vel tri-*

*bus Dignitatibus, munus conſecrationis recipere valeas &c.* Omnia verba hæc volui tranſcribere, quia compendioſè continent doctrinam antiquorum Canoniſtarum circa numerum Epiſcoporum in conſecratione novi Epiſcopi.

Quarta diſpenſatio eſt Gregorii Papæ XIII. de qua ſic teſtatur Diana Coordinatus *d. tom. 4. tract. 8. reſol. 31. §.1. Item Gregorius XIII. eamdem facultatem conceſſit Patriarchæ Æthiopiæ,*
24 *qui erat è Societate JESU, teſte Henriquez libr. 19. de Ordine cap. 24. ubi teſtatur, idem factum fuiſſe ſæpè in India, & Japonia.* Hoc idem referunt Machadus, Leander, Martinon, & alii apud eumdem Dianam, quibus ego addo Cabaſutium ad *d. Concil. Nicen. can.4. num.5.* & Emin. Card. de Lauræa *in cit. diſp.8. de Sacr. Ord. num.74.*

Quinta eſt illa, quæ conceſſa fuit Anno 1601. Epiſcopo Uſſelen. in Sardinia, de qua ita refert Barboſa in *Summa Apoſtol. Deciſ. Verbo Conſecratio num.2. Conſecratio Epiſcopi ut poſſit fie-*
25 *ri à duobus Epiſcopis, & ab alio in dignitate Eccleſiaſtica conſtituto conceſſum fuit Electo Uſſelen. in Sardinia propter paucitatem Prælatorum in dicta Inſula. Sacra Congr. Rit. in Uſſelen. 2. Octobr.* 1601.

Sexta eſt, quæ emanavit Anno 1657. ſub Alexandro Papa VII. & legitur apud Emin. Card. de Lauræa *d. diſp. 8. num. 77.* expreſſa his verbis: *Cum Epi-*
26 *ſcopus Civitatis, quæ dicitur* Aſſumpta *Provinciæ Paraquarienſis, deputatus, ſeu electus Epiſcopus petiiſſet à Sede Apoſtolica diſpenſationem, ut ab uno Epiſcopo cum duobus Aſſiſtentibus de Capitulo Canonicis (ſicut aliâs à S. Sede concedi ſolitum fuit pro iis partibus) conſecrari, ſeu ordinari poſſet; & poſt longum temporis ſpatium, in quo quidem Papa id conceſſerat, & Litteræ fuerant expeditæ, ſed ad præfati Epiſcopi notitiam certam non devenerat, id fuiſſe conceſſum; tamen ipſe præſumens de conceſſione, abſque Litteris Apoſtolicis de eadem facultate, ſe ab Epiſcopo Tucmanenſi ordinari curavit, Aſſiſtentibus duobus Capituli Canonicis. Quo peracto poſſeſſionem etiam Epiſcopatus cœpit. Poſtea verò timens de invaliditate poſſeſſionis, & conſecrationis, recurrens ad S. Congregationem Concilii, imò veriùs ad Sanctam Sedem, dubium expoſuit, & quatenùs opus eſſet, validitatem petiit.*

*Ideò Sacra Congregatio die prima Septembris 1657. reſpondit, Poſſeſſionem non fuiſſe legitimam. Die verò 15. Decembris 1657. ad ſecundum de Conſecratione dubium ſic reſpondit: Supradictam Conſecrationem Epiſcopi Paraquarienſis quantum ſpectat ad Sacramentum, & impreſſionem characteris fuiſſe validam. Quantum verò ſpectat ad licitam executionem ordinis fuiſſe irritam, & inanem; & Epiſcopum ita conſecratum, & reſpectivè conſecrantem indigere abſolutione, & diſpenſatione, quas illis eſſe concedendas eadem Sacra Congregatio cenſuit, ſi Sanctiſſimo Domino Noſtro placuerit. Qui die 6. Februarii 1658. audita relatione cum rationibus, paterna benignitate juſſit, abſolutionem, & diſpenſationem prædictis Epiſcopis concedi per Litteras Apoſtolicas in forma Brevis.* Subdit deindè Emin. Card. de Lauræa, quod non valet dicere, quod illius Epiſcopi Paraquarienſis Conſecratio fuerit valida, eo quod jam erat facta diſpenſatio, licèt ad ejus certam notitiam non perveniſſet. Nam reſpondetur, ſi diſpenſatio non nota feciſſet validam ordinationem, & Conſecrationem, feciſſet etiam licitam executionem, quæ etiam in diſpenſatione fundabatur. Ergo cùm hæc non fuerit licita ex defectu diſpenſationis ignotæ, hæc non potuit influere invaliditatem.

Septima diſpenſatio illa eſt, quam ſuggerunt Salmanticenſes ſequutam Anno 1663 in Regno Malabarico Indiarum Orientalium, & eam narrant
*in d tract.8. de Sacram. Ord. cap.4. nu.4.* 27
his verbis: *Noviſſimè diſpenſatum fuit ſub Alexandro VII. 1663. 31. Januarii. Siquidem Illuſtriſſimus D. Joſephus à S. Maria ex Ordine noſtro Carmelitarum Diſcalceatorum Epiſcopus quondam Hierapolitanus, & modò Calabriæ delegatus in Re-*

*in Regna Malabarica Indiarum Orientalium, ut maximam Cleri, & Chriſtianitatis Serranæ partem ad Eccleſiæ Catholicæ unionem reduceret; tandem laboribus emenſis innumeris, Auctoritate Apoſtolica, depoſito, & excommunicato intruſo Schiſmatico Apoſcopo, ſe ſolo, Aſſiſtentibus dumtaxat duobus Presbyteris Luſitanis, ſed tàm Chriſtianorum, quàm Schiſmaticorum, & Gentilium multitudine infinita, in civitate Caturræ, conſecravit in Epiſcopum de Megara Parochium quemdam D Alexandrum de Campo*. Ita Salmanticenſes. Et ex his omnibus liquidò apparet, frequentari diſpenſationes à Sede Apoſtolica pro locis, in quibus rariſſimi ſunt Epiſcopi, ut horum unus tantùm, cum aſſiſtentia duorum Presbyterorum in dignitate conſtitutorum, procedere poſſit ad validam, & licitam conſecrationem Epiſcopalem, undè remanet comprobata eo magis ſecunda opinio, quod numerus trium Epiſcoporum non ſit de Jure Divino, neque de neceſſitate Sacramenti, ſed de neceſſitate Præcepti, ac de ſolemnitate; & per conſequens requiri Apoſtolicam diſpenſationem ad reddendam licitam conſecrationem Epiſcopi, quæ facienda ſit ab uno ſolo; etſi aliàs quo ad characterem, & Sacramentum valida ſit, ac ſubſiſtat.

Quo ad Tertium: diſputant DD. an Papa poſſit committere ſimplici Sacerdoti, ut ordinet, & conſecret Epiſcopum? Et quamvis Paludanus *in 4. diſt.*
28 *7. q. 4. artic. 3.* affirmet, contrarium tamen tenet Durandus, Capreolus, & alii relati à Diana Coordinato *d. tom. 4. tract. 8. reſol. 25.* ubi ſic concludit: *Dicendum itaque eſt, non poſſe Romanum Pontificem delegare Presbyteris, ut Epiſcopum conſecrent, quia divino jure Epiſcopus Presbytero ſuperior eſt, & Ordinis poteſtatem habet, qua caret Presbyter. Ergo eam poteſtatem Ordinis Presbyter dare non poteſt, quippè qui eam non habet; ſicut nec Diaconus poteſt etiam Summi Pontificis mandato, vel auctoritate Presbyterum conſecrare.* Hanc eamdem reſponſionem dant Azorius *part. 2. libr. 3. cap. 30. q. 4.* Palaus *tom. 4. tract. 27. punct. 14. num. 12.* Vaſquez *diſp. 243. cap. 4. num. 42.* & *cap. 6. in princ.* Et Bernal *de Sacram. diſp. 49. ſect. 3. num. 2.*

Similiter petunt, *An ſi Pontifex diceret alicui*, Eſto, *Verbi gratia*, Epiſcopus Ferrarienſis, *talis eſſet verè Epiſcopus?* Et quamvis aſſerere videantur nonnulli Canoniſtæ, quos allegat Diana Coordinatus *d. tract. 8. reſol. 26.* ipſe 29
tamen negat, quia Ordines Sacri conferri non poſſunt niſi per materias, & formas à Chriſto inſtitutas; & quo ad Canoniſtarum dicta, reſpondet, eſſe intelligenda de electione, ac deputatione circa actus Juriſdictionis, quam ſolo verbo Papa poteſt concedere; ſecùs quo ad characterem, & Ordinem Epiſcopalem.

## DECISIO XXXVIII.

### *ARGUMENTUM.*

Referuntur principaliora officia Epiſcoporum, ſub tribus capitibus collecta; quatenus alia ſunt Spiritualia, alia Paſtoralia, & alia Juriſdictionalia. Ad eadem adimplenda Epiſcopos eſſe ſtrictiſſimè obligatos ex juſtitia oſtenditur; & ex his valdè periculoſum eſſe ſtatum Epiſcopalem concluditur.

### SUMMARIUM.

1 *Officia Epiſcopalia ſunt vel Spiritualia, vel Paſtoralia, vel Juriſdictionalia.*

2. *Sacramenta omnia poteſt Epiſcopus miniſtrare.*

3. *Sanctimonialium conſecratio à quo? & quomodo facienda?*

4. *Baſilicas, Altaria, ac Vaſa Sacra conſecrare ſpectat ad Epiſcopum.*

5 *Abbates Caſinenſes benedicunt Paramenta, Calices, & Campanas, ſed pro ſuis Eccleſiis tantùm.*

*6 Bene-*

Digitized by Google

6 *Benedicere populum eſt munus Epiſcopi.*
7 *Irregularis fit Epiſcopus, ſi cenſura irretitus populum per viam benedicat.*
8 *Indulgentias concedit Epiſcopus. Quomodo, & Quando?*
9 *Epiſcopalis ſtatus eſt perfectionis acquiſitæ.*
10 *Virtutes morales neceſſariæ in Epiſcopo.*
11 *Prædicare eſt proprium officium Epiſcopi.*
12 *Reſidere debent Epiſcopi in ſua Diœceſi.*
13 *Viſitare Diœceſim quando teneantur Epiſcopi?*
14 *Tria ab Epiſcopis cavenda in Viſitatione. Et quæ?*
15 *Gregorii Card. Barbadici Epiſcopi Patavini frugalitas menſæ, & tenuitas Procurationis in Viſitationibus.*
16 *Eleemoſinas facere eſt præcipua Epiſcoporum obligatio.*
17 *Synodi Diœceſanæ annua celebratio eſt de Præcepto.*
18 *Monialium clauſura ab Epiſcopis cuſtodienda.*
19 *Voluntas Puellarum Deo dicandarum ab Epiſcopis exploranda.*
20 *Moniales in exemptas quam Juriſdictionem habeant Epiſcopi?*
21 *Eccleſiarum cultus ab Epiſcopis cuſtodiendus.*
22 *Beneficia per Epiſcopos magis dignis conferenda.*
23 *Doctrinam Chriſtianam ut pueri doceantur, Epiſcopi ſatagant.*
24 *Clericorum mores ab Epiſcopis indagandi.*
25 *Peccata populorum, ac inconfeſſos tenetur Epiſcopus corrigere.*
26 *Juriſdictio Epiſcoporum pro foro interno.*
27 *Pœnitentiæ Sacramentum olim Epiſcopi miniſtrabant.*
28 *Abſolvere à peccatis nullus poteſt ſine approbatione Epiſcopi.*
29 *Regulares Confeſſarii ab Epiſcopis approbandi.*
30 *Regulares ſubiiciuntur Epiſcopis in caſibus 47.*
31 *Juriſdictio Epiſcopalis pro foro externo ab hæreticis impugnata, competit Epiſcopis de Jure Divino.*
32 *Miniſtros idoneos ſi Epiſcopi non deputent in eorum Curiis, peccant mortaliter, & tenentur ad reſtitutionem.*
33 *Cenſuræ ſobriè fulminandæ ab Epiſcopis.*
34 *Officia Epiſcoporum Juriſdictionalia plura* remiſſivè.
35 *Epiſcoporum ſtatus valdè periculoſus.*

QUoniam ad cognoſcendam Dignitatis Epiſcopalis celſitudinem, & ad ejuſdem characteris faſtigium demonſtrandum, Epiſcopalia munera ſunt inſpicienda; ac officia, à quorum excellentia Dignitas hæc radios fulgoris recipit: ideò in præſenti Deciſione colligenda, ac referenda veniunt eá omnia, quæ ſunt propria Epiſcoporum, compendiosè tamen, cum ſint multiplicia. Idcircò omnia munera, & officia ad Epiſcopos ſpectantia ad tria capita reducuntur, quatenùs alia ſunt 1
Spiritualia, alia Paſtoralia, & alia Juriſdictionalia.

Spiritualia officia, quæ ab Epiſcopis ſunt exequenda, ſunt ſequentia. I. Omnia Sacramenta miniſtrare, quæ à ſimplicibus Presbyteris miniſtrantur; ipſe enim Epiſcopus eſt etiam Presbyter, & ideò ea, quæ Presbyter facit, mul- 2
tò magis ab Epiſcopo fieri poſſunt. *cap. Electionem. diſt.* 80. & ſic poteſt baptizare, Euchariſtiam, & Extremam Unctionem dare, ac à peccatis abſolvere. *cap. Illud ſuperfluum. diſt.* 95. Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp.* 7. *à num.* 95. *& ſeqq.* II. Conficere Sacrum Chriſma in die Jovis majoris Hebdomadæ. *cap. Perlectis. diſt.* 25. & habetur in *Libr.* 7. *Conſtit. Apoſtol. cap.* 42. *in Concilio primo Romano* ſub S. Sylveſtro *cap.* 5. & *in Concil. Carthaginen.* 2. *cap.* 3. & *Carthaginen.* 3. *cap.* 36. III. Confirmationis Sacramentum ſuo populo

Digitized by Google

pulo miniſtrare. *cap. Omnes. cap. Ma-*
*nus. cum ſeqq. de Conſecr. diſt.* 5. No-
viſſimè Concilium Tridentinum *ſeſſ.*23.
*cap.*4. *& can.* 7. IV. Ordines omnes
conferre, ordinando ſcilicèt Clericos
tùm in minoribus, tùm in majoribus;
ac etiam alios Epiſcopos. *cap. Ordina-*
*tiones. diſt.* 64. *cap. Reliqui. & cap. Epi-*
*ſcopus. diſt.*67. *cap. Illud. cap. De alie-*
*na, & cap. Si quis. diſt.*71. Concil. Tri-
dentinum *in cit. ſeſſ.*23. *cap.*4. V. Con-
ſecrare Virgines. *cap. Perlectis diſt.* 25.
3 *cap. Devotis. cap. Placuit. cap. Virgines.*
20. *q.*1. *cap. Presbyter.* 26. *q.*6. Jordanus
*tom.*1. *libr.*5. *tit.*5. ubi ponit requiſita per
ſacros Canones pro ſacris Virginibus
conſecrandis, advertens *ſub num.* 28.
quod juxta Pontificale Romanum hu-
juſmodi conſecratio in Eccleſia exterio-
ri eſſet facienda; at ex decretis Sacræ
Congregationis, non ampliùs permit-
titur Monialibus conſecrandis exire ad
hunc effectum de Clauſura, ſed ad fe-
neſtellam recipere conſecrationem de-
bent. Subdit tamen Barboſa *de Jur.*
*Eccl. Univ. libr.*1. *cap.*44. *num.* 21. quod
non eſt ampliùs in uſu hæc Virginum
conſecratio; ſed non reddit cauſam;
quam praxis noſtrorum temporum il-
lam fore demonſtrat, evitationem ſci-
licèt expenſarum, de quibus parentes
Monialium dolebant; & ideò nunc eo-
dem tempore, quo ipſæ profitentur, do-
nantur, ac decorantur Velo nigro, &
deſervit loco Conſecrationis ſolemnis,
de qua ſupra. VI. Epiſcoporum offi-
4 cium eſt conſecrare Baſilicas, Altaria,
& Vaſa Sacra, in quibus conſecratio-
nibus Sacrum Chriſma adhibetur. *cap.*
*Tabernaculum. cap. Omnes Baſilicæ. cap.*
*Nemo Eccleſiam, & cap. Nullus Pres-*
*byter. De Conſecrat. diſt.* 1. *cap. Aqua.*
*De Conſecrat. Eccleſ. cap. Ad hæc eod.*
*tit. Et cap. Unic. de Sacr. Unct. in fin.*
His proxima eſt benedictio Corpora-
lium, Sacerdotalium Paramentorum,
atque Mapparum pro Altaribus; hæc
enim omnia benedicuntur ab Epiſcopis,
ſed non cenſentur eſſe adeò ab Epiſco-
pali charactere dependentia; ſiquidem
ex Privilegio Apoſtolico etiam Abba-
tes has benedictiones impertiunt; ut le-
gitur in pluribus Conſtitutionibus Sum-
morum Pontificum collectis in Bullario 5
Caſinenſi *tom.* 1. *Verb. Paramenta Ec-*
*cleſiaſtica*; & dixi in meis Deciſionibus
de Sacrificio Miſſæ *Deciſ.* 42. *num.*78.
ubi notavi, eoſdem Abbates etiam Ca-
lices, Patenas, & Campanas poſſe be-
nedicere, ſeu conſecrare, etſi cum un-
ctione Sacri Chriſmatis, vigore ſuo-
rum Privilegiorum, ſed tantummodò
pro uſu ſuarum Eccleſiarum, ex De-
cretis, & Declarationibus Sacræ Con-
gregationis cumulatis per Lezanam *tom.*
3. *Verb. Benedictio num.*7. per Gavantum
*in Rubric. Miſſali part.* 4. *tit.* 19. *num.* 22.
& in Manuali Epiſcoporum *Verb. Ab-*
*bas num.*29. & 30. per Nicolium *in Flo-*
*ſculis eod. Verb. num.* 5. & per Lantuſ-
cam *in Teatr. Regular. Verb. Benedictio*
*num.* 2. ubi ait, cautè eſſe legendos Au-
ctores, qui extendunt hanc facultatem
Abbatum ad Paramenta, Vaſa, &
Campanas aliarum Eccleſiarum, qua-
les ſunt Aſcan. Tamburin. *de Jure Ab-*
*bat. diſp.* 23. *quæſ.* 13. *tom.*1. & Quartus
*de Benedictionib. tit.*1. *ſect.*4. *dub.* 6. VII.
Officium, ac munus Epiſcoporum eſt
benedicere populum in tota ſua Diœce-
ſi, tàm per benedictionem ſolemnem
per illa verba: *Sit nomen Domini bene-* 6
*dictum*; quàm per benedictionem ordi-
nariam, ſignum Crucis facientes dexte-
ra elevata, ac extenſa ſuper ſibi occur-
rentes, ac genuflectentes per viam.
Gloſſa *in Clem. Archiepiſcopo. De Pri-*
*vileg.* & ibi Vitalin. ac DD. Barboſa *de*
*Pot. Epiſc. part.*3. *alleg.* 105. *num.* 66. &
Paulus Squillant. *de Obl. & Privil. Epiſc.*
*part.*3. *cap.*40. *num.* 15. & 16. ubi adver-
tit, non poſſe Epiſcopum benedicere
populum per viam tempore Interdicti,
vel ſi nondum eſſet conſecratus, aut ſi
fortè eſſet aliqua cenſura irretitus; nam
ſic benedicens incurreret in Irregulari- 7
tatem ea ratione, quia prædicta bene-
dictio eſt actus Ordinis Epiſcopalis.
Suarez *de Cenſuris diſp.* 12. *ſect.* 2. *num.*
21. Gavantus *in Man. Verb. Benedictio*
*num.*20. VIII. Officium proprium Epi-
ſcopi eſt concedere Indulgentias populo
ſuo,

ſuo, limitatas tamen à Jure Canonico; videlicèt unius anni in dedicatione Ec-
8 cleſiæ, in anniverſario autem dedicationis quadraginta dierum; prout etiam dierum quadraginta Indulgentiam concedit quoties celebrat ſolemniter, vel prædicat, vel viſitat aliquam Parochiam, niſi eſſet Epiſcopus Cardinalis; tunc enim concedere poteſt Indulgentiam centum dierum. *cap. Cum ex eo. De Pœnit. & Remiſs.* Ugolinus *de Pot. Epiſc. cap.* 41. §. 1. Squillant *d. part.* 3. *cap.* 5. *num.* 1. & 2. notans, quod hæc poteſtas cenſetur potiùs Juriſdictionis Epiſcopalis, quàm Ordinis, nam poſſet Epiſcopus, etſi nondum Sacerdos, aut non conſecratus Indulgentiam concedere, dummodò ſit electus, & confirmatus juxta Gloſſam communiter receptam *in cap. Transmiſſa. de Elect.* & Azorium *part.* 2. *libr.* 3. *cap.* 54. *q.* 1. Volui tamen ego eam hic annectere tanquam functionem merè ſpiritualem, ac ſacram; cum per eam peccata venialia deleantur, ut ſcripſi in meis Deciſionibus *De Sacramentis in genere &c. Deciſ.* 20. *num.* 1.

Paſtoralia officia ſunt ſequentia. I. Sanctitas vitæ, quam omni ſtudio debet Epiſcopus in ſeipſo cuſtodire, ac ſervare; cum ſtatus Epiſcopalis non ſit ſtatus perfectionis Chriſtianæ acquirendæ, ſed jam acquiſitæ, ut docet S. Tho-
9 mas 2. 2. *q.* 184. *art.* 7. & ideò tanquam Paſtor debet in omnibus actionibus ſuis bonum exemplum dare iis, quibus Epiſcopus præeſt, juxta illud Apoſtoli Pauli *ad Titum*. i. *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum.* Ut autem ſit perfectus, cavere debet Epiſcopus à ſuperbia, ab iracundia, à crapula, & à vinolentia, à litigioſitate, à cupiditate; & ſe exhibere ſemper, ubique, & cum omnibus humilem, beni-
10 gnum, ſobrium, modeſtum, ac pudicum, juxta id, quod ſcriptum reliquit S. Gregorius Papa, & legitur *in cap. Nos, qui præſumus. diſt.* 40. videlicèt: *Nos, qui præſumus, non ex locorum, vel generis dignitate, ſed morum nobilitate innoteſcere debemus;* & de prædictis omnibus virtutibus, quibus fulgere debet Epiſcopus latè differunt Barboſa *de Offic. Pot. Epiſc. part.* 1. *à tit.* 1. *& ſeqq.* nec non Jordanus *tom.* 1. *lib.* 1. per titulos plurimos, quos utinam legerent, qui hac detinentur obligatione; ſed ut ajunt Emin. Card. Bellarminus, Genuenſis, ac Miranda apud Squillantem ubi *ſupr. part.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. *Non omnes capiunt verbum iſtud.* II. Officium Epiſcopi, & quidem præcipuum eſt prædicare populo ſuo verbum Dei;
ſunt enim Epiſcopi ſucceſſores Apoſto- 11
lorum, quibus Dominus dixit *Matth. ult. Euntes docete omnes gentes;* & in eorum conſecratione Liber Evangeliorum ponitur ſuper eorum caput, ac ſcapulas, ut ſciant inter Paſtoralia officia Epiſcoporum præcipuum eſſe Prædicationem. Pax Jordanus *d. tom.* 1. *lib.* 6. *tit.* 1. *num.* 3. ubi inquit: *Quid enim aliud deſignat liber, tangendo cervicem, niſi ſtudium; & ſcapulas, niſi onus portandi ipſum Evangelium? Quæ per verba Vade &c. manifeſtè declarantur.* Hoc idem proſequitur Squillantes *de Obligat. Epiſcopor. d. part.* 1. *cap.* 7. cumulans plurimos Canones hanc obligationem Epiſcopis inculcantes, ac noviſſimè Concilium Tridentinum *ſeſſ.* 5. *de Ref. cap.* 2. ſic præcipiens: *Quia verò Chriſtianæ Reipublicæ non minùs neceſſaria eſt Prædicatio Evangelii, quàm lectio; & hoc eſt præcipuum Epiſcoporum munus, ſtatuit, & decrevit eadem Sancta Synodus, omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos teneri per ſeipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum Sanctum JESU CHRISTI Evangelium.* Quare non immeritò quærunt Doctores, an ſatis ſit, ſi Epiſcopi huic obligationi per alios ſatisfaciant? Et reſpondet Squillantes *ubi ſupra;* quod Concilium dicit: *per ſe ipſos*, ergo non per alios. Item quod Chriſtus Dominus dixit Petro: *Paſce oves meas:* non autem: *Cura, ut alii paſcant oves meas;* & ideò deflet hanc omiſſionem Prædicationis in Epiſcopis Divus Bernardus, quem refert Alvarius Pelagius *de Plan-*

Digitized by Google

*de Planctu Eccleſiæ libr. 1. cap. 69.* III.
Epiſcoporum officium eſt reſidere per-
ſonaliter in propria Diœceſi, ut ſtrictè
12 eis præcipit Concilium Tridentinum
*ſeſſ. 6. de Ref. cap. 1.* pro cujus executio-
ne Pius IV publicavit Conſtitutionem
*Incipien. In ſuprema &c. Anno* 1564.
quæ legitur impreſſa in calce ejuſdem
Concilii; & quoniam non pauci Epi-
ſcopi tempore Urbani VIII in hoc mu-
nere adimplendo contumaces erant,
ſeveram aliam edidit Bullam *Anno*
1634. per quam irreſidentes gravibus
plectuntur pœnis, & declarantur obno-
xii ad fructuum reſtitutionem, ut ple-
nè ſcribit Garzias *de Benefic. part. 3 cap.*
2. *num.* 16. & de eadem Bulla diſſerit
Illuſtriſſimus Baptalginus *in Annalib.
Sacerdotii, & Imperii ad d. Annum*
1634. *num.* 6. IV. Eorumdem Epiſco-
porum officium Paſtorale eſt Diœceſim
13 ſuam viſitare ſingulis annis, niſi Diœ-
ceſis ſit adeò ampla, ut unius anni ſpa-
tio tota viſitari non poſſit; quia tunc
ſaltem biennio viſitatio illius compleri
debet, aliàs graviter peccarent juxta
textum *in cap. Decernimus. & in cap.
Epiſcopum.* 10. *q.* 3. nec non Tridenti-
num Concilium *ſeſſ.* 24. *cap.* 3. *de Re-
form.* & Genuenſ. *in Manual. cap.* 34.
Porrò tria ſunt cavenda ab Epiſcopis in
exercitio hujus officii. Unum, ne ali-
quid accipiant à Viſitatis præter pro-
14 curationem. *cap.* 1. *& cap. Exigit. de
Cenſib. in* 6. Trid. Concilium *d. ſeſſ.* 24.
*cap.* 3. Alterum, quod Procuratio ſit
moderata, itaut non permittant, ci-
baria delicata, & magnis expenſis per-
quiſita ſibi præparari; eſt enim non
parvum piaculum coram Deo, ut pau-
peres viſitati, qui pane hordeaceo, ac
fabis ſunt contenti, conquirere debeant
ſuis expenſis magnos, ac delicatos pi-
ſces, eoſque multiplices, ab Epiſcopo,
ejuſque curialibus devorandos. Ter-
tium, ne ſecum ducant Epiſcopi perſo-
nas inutiles; ſed illas tantùm, quæ
neceſſariæ ſunt in ipſa Viſitatione benè
exequenda. Sanè in his tribus cautio-
nibus attentiſſimus ſemper fuit Emin.
Cardinalis Gregorius Barbadicus S. M.
Epiſcopus Patavinus, qui volebat men-
ſam ita parcam, ut computatis omni- 15
bus expenſis pro ſe, miniſtris, ac Miſ-
ſionariis cibandis, ſæpè ſæpiùs illæ non
excederent ſcutum unum cum dimidio;
ut ego frequenter vidi; & colligi
poteſt ex Epiſtola Encyclica per me de
mandato Eminentiæ Suæ conſcripta ad
omnes Parochos pro frugalitate menſæ,
ac victus in Viſitatione *die* 20. *Septem-
bris* 1664. quæ legitur impreſſa in Li-
bro Litterarum Paſtoralium ejuſdem
q. Emin. Cardinalis Epiſcopi; qui ul-
teriùs nolebat ſecum ducere in Viſita-
tione familiares ſuos Laicos, ſed Ec-
cleſiaſticos tantùm, Capellanorum, ac
Notariorum vicem ſupplentes. V. Prin-
cipale Epiſcoporum officium eſt elee-
moſynas de redditibus Epiſcopatuum
ſuorum facere, & iiſdem egenos, ac 16
pauperes alere, & nutrire. Scio, mo-
leſtum eſſe pluribus Prælatis hoc offi-
cium; ſed, ne ſe ipſos decipiant, legant
*cap. Quatuor.* 12. *q.* 2. *cap. Gloria Epiſco-
pi. ead. cauſa, & quæſt.* & audiant S. Ber-
nardum *libr.* 3. *de Conſider. & in Epiſt.* 2.
*ad Fulconem* ita ſcribentem: *Quidquid
præter neceſſarium victum, & veſtitum
de Altari retines, tuum non eſt, Rapina
eſt, Sacrilegium eſt; & quod uni dico,
omnibus dico.* Et Divum Gregorium
Magnum *libr.* 2. *Epiſt.* 2. ſic exclaman-
tem: *O Paſtor non largiris tua, ſed alie-
na. Quid ergo mirum, ſi tota die lu-
ſtrent domum Epiſcopi pauperes, cum
ſit ea domus diſpenſationis rerum ipſo-
rum? Poſſunt enim vociferari ad valvas,
imò ad ſecretum cubiculum dicentes, da
nobis noſtra: alioquin contra te vocife-
rabimur ad Dominum rerum tuæ diſpen-
ſationi commiſſarum, dicentes, Domine,
non vult nobis dare, quæ illi, ut nobis
dentur, dediſti.* Plura aliorum SS. Pa-
trum dicta, & SS. Canonum præcepta
circa hanc Epiſcoporum obligationem
cumulant Genuenſis *in Manuali cap.* 48.
Franc. Leo *part.* 1. *cap.* 15. *num.* 10. &
Squillant. *ubi ſupr. part.* 1. *cap.* 7. qui
*num.* 7. notat, Navarrum *de Reddit.
Eccleſ. q.* 1. *Monit.* 21. & alios DD. apud
Leſſium *de Juſt. & Jur. libr.* 2. *cap.* 4.

*dub.6. num.4.* ſentire, quod Epiſcopus, qui de ſuperfluis redditibus non facit eleemoſynam, peccat mortaliter, & tenetur ad reſtitutionem; ea ratione, quia eſt ſimplex diſpenſator eorumdem reddituum, & ad diſpenſandum pauperibus quidquid eſt ultra honeſtam ſui ipſius, ac familiæ ſuſtentationem, tenetur ex juſtitia. Satis erit legere, & attentè conſiderare Tridentinum Concilium *ſeſſ. 25. de Ref. cap. 1.* VI. Officium Epiſcopale eſt, ſingulis annis Synodum Diœceſanam celebrare. *cap. Abbates. 18. q.11.* Concilium Tridentinum *ſeſſ. 24. cap. 4. de Reform.* & hanc
17 celebrationem eſſe de præcepto ex declaratione S. Congregationis Concilii teſtatur Gavantus *in Praxi Diœceſ. Synod. cap.1. §. 1. num. 6.* Maſſobrius in *eod. tract. cap. 2. dub. 3.* & Franc. Leo *part.1. cap.9. num.11.* VII. Eſt cuſtodire inviolatam clauſuram Monialium in omnibus Monaſteriis ſubjectis Epiſcopo ordinaria ejus auctoritate; in exemptis
18 autem tanquàm ſibi à Sede Apoſtolica delegata. *cap. Periculoſo. & cap. Quoniam. De ſtatu Regular.* Concil. Trid. *ſeſſ.25. de Regular. cap.5.* Bulla B. Pii V *de Anno 1566. Incipien. Paſtoralis officii &c.* & alia Gregori XIII quæ incipit: *Deo Sacris &c. de Anno* 1572. quas refert Quaranta *in Summa Bullar. Verb. Monaſteria Monialium.* VIII. Officium antecedenti connexum Epiſcoporum eſt, explorandi Virginum Deo dicandarum voluntatem, An ſit libera, vel coacta? non ſolùm antequam habitum
19 Monaſticum ſuſcipiant, ſed etiam priuſquam profeſſionem faciant, ut præcipit Concil. Trid. *d. ſeſſ. 25. de Regular. cap.* 17. etiam ſi Monaſteria ſint ſubjecta Regularibus; cum quorum Superioribus debet etiam Epiſcopus per ſe, vel per Vicarium ſuum intereſſe, ac præſidere electionibus Abbatiſſarum juxta Conſtitutionem Gregorii XV. *de Exempt. Privil.* & declarationem *S. Congreg. Concil.* quam ponit Tamburin. *de Jure Abbatis. diſp. 15. quæſ. 7. ſub num. 51.*
20 Prout etiam approbandi Confeſſarios tàm ordinarios, quàm extraordinarios, quos Superiores Regulares eligunt pro audiendis confeſſionibus earumdem Monialium ſibi ipſis ſubjectarum; ut eſt ſtatutum in eadem Gregoriana Conſtitutione, & declarationibus ipſiuſmet Sacræ Congregationis Concilii, de quibus eaſdem referentes teſtantur Ceſpedes *cap. 23. dub. 345.* Pellizzarius *de Monialib. cap. 10. ſect. 5. numer. 259.* & Squillant. *part. 3. cap. 40. à num. 30. & ſeqq.* noviſſimè ex Conſtitutione Clementis Papæ X. *diei 20. Maii* 1670. quam ego retuli in meis Deciſionibus *de Sacram. Pœnit. Deciſ.38. num.32.* IX. Officium Epiſcopis incumbens eſt vigilare circa venerationem, & reverentiam Eccleſiarum, & pertinentia ad cultum Divinum, & officium perſolvendum in Eccleſiis; aliàs ipſi peccant. 21
*Clem. 1. de Celebr. Miſſar.* Bulla B. Pii V *de Officio Divino in princ. Brev. ac Miſſalis.* Et ideò ſolliciti eſſe debent, ne in Eccleſiis fiant Muſicæ laſcivæ, colloquia, deambulationes; prout etiam ne debitis horis omittatur recitatio Horarum Canonicarum juxta Ritum ab Apoſtolica Sede approbatum. *cap. Non oportet. cap. nulli. diſt.42. & de Conſecr. diſt. 1.* Concil. Trid. *ſeſſ. 22. in Decreto De obſerv. vel vitan. in celebrat. Miſſar.* & de his agunt Novarius *part. 2. in tit. de Eccleſ. Venerat.* Quaranta in *Verb. Reverentia Eccleſ.* & Squillantes *part.1. cap.14. per totum.* X. Paſtorale officium Epiſcoporum eſt conferre Clericis be- 22
nemeritis beneficia Eccleſiaſtica. Hoc officium in oculis hominum eſt ſpecioſum, ac delectabile; quia per ipſum Prælati genio ſuo, inſtantiiſque parentum, ac amicorum indulgent, conferentes pro libito eadem beneficia. Sed coram Deo eſt ſummoperè tremendum, atque periculoſum; quia Epiſcopi obligati ſunt ſub pœna peccati mortalis dare beneficia, non ad eorum arbitrium cuicunque perſonæ, ſed tantùm Clericis dignis, ut probat Sotus *de Juſt. & Jur. lib. 3. q.6. art.2. concl.7.* ea ratione, quia Epiſcopi non ſunt domini beneficiorum, ſed ſimplices diſpenſatores; & ideò ea diſtribuere debent majora merita ha-

ta ha-

ta habentibus. S. Thomas 2. 2. *q. 63. art.* 2. & magis dignis, aliàs peccant mortaliter contra Juſtitiam diſtributivam; & ſecundum tutiorem opinionem tenentur ad reſtitutionem; ut pluribus DD. allegatis demonſtrat Diana Coordinatus *tom. 3. tract. 3. reſol.* 101. & *tom. 8. tract. 7. reſol.* 54. quibus adhæret Emin. Card. de Lauræa *tom. 2. in 3. Libr. Sent. diſp. 24. num.* 285. ubi ſolidiſſimis rationibus hanc obligationem Prælatorum dandi Clericis magis dignis beneficia, probat; & reſtituendi dignioribus, ſi eos omittant, ut ſcripſi in meis Deciſionibus Miſcellaneis *Deciſ.* 85. *num.* 13. & 14. Digniores autem ſunt, qui magis Litterati habentur, vel qui magis laborant, aut laborarunt in ſervitio Eccleſiæ, vel qui ſunt magis pauperes; vel qui ſunt de Diœceſi reſpectu exterorum. Ugolinus *de Offic. Epiſc. cap.* 58. §. 8. Genuenſ. *in Praxi cap.* 66. & *in Manuali Paſtor. cap.* 37. & 38. latè Squillantes *d. part. 1. de Oblig. Epiſc. cap.* 15. ubi Syrtes notat hujus Oceani, in quas, ut plurimùm, Prælati impingunt, & naufragant. XI. Epiſcoporum officium eſt invigilare, ut pueri doceantur doctrinam Chriſtianam tùm à Parochis,
23 tùm ab aliis piis hominibus. Concil. Trid. *ſeſſ. 24. de Ref. cap.* 4. Bulla B. Pii V. *Incipien. Ex debito Paſtoralis officii. diei 6. Octobris* 1572. quam refert Joardanus *tom. 1. libr. 6. tit.* 2. ubi de hac Paſtorali obligatione plenè diſſerit; & *num.* 14. ita ſcribit: *Epiſcopus debet frequenter inviſere ſcholas ipſas (Doctrinæ Chriſtianæ) & tàm docentes, quàm diſcentes ad egregiam hujuſmodi provinciam omnibus ſtudiis inflammare. Grandiores merito apud Deum, & homines; ac indulgentiis, de quibus ſupra, ſuis etiam dierum 40. per ſingulas vices ſtudeat allicere. Puerulos verò munuſculis, & donariis ad conveniendum, & adiſcendum trahat. Doceat ipſe per ſe, affabiliter, humaniterque cum omnibus, præſertim pueris, & pauperibus ſe gerat. Præſentia enim Paſtoris operarios, & pueros mirificè excitat ad concurſum, & ad opus; ac reliquos fideles magnoperè ædificat.* XII. Officium concernit Epiſcoporum vigilantiam circa vitam, & ho- 24
neſtatem Clericorum. *Clem. 1. De Vita, & Honeſt. Cleric.* Concil. Trid. *ſeſſ. 22. de Ref. cap.* 1. & ideò Antiſtites in hac vigilantia deſides peccare mortaliter ait Genuenſis *in Manuali cap.* 90. & præcipuè curare debent, ut Clerici magiſtros habeant, à quibus in lingua Latina, & in Sacris Litteris erudiantur. *cap. fin. de Magiſtris.* Barboſa *de Jure Eccl. Univ. libr. 1. cap. 13. num.* 48. XIII. Et quidem neceſſarium Epiſcopi officium eſt corrigere peccata ſubditorum, & omni diligentia procurare ſalutem ani- 25
marum; ſcandala, ac peccata tollere; præſertim inconfeſſos, & contumaces circa præceptum Confeſſionis, & Communionis Paſchalis ad emendationem reducere. Sylveſter *Verb. Correctio q.* 4. ubi ex doctrina S. Thomæ probat, Prælatos ad hanc correctionem faciendam, & emendationem procurandam teneri ex juſtitia; undè qui in hoc officio deficiunt, peccant mortaliter, & ut ait S. Auguſtinus relatus in *cap. Nemo. diſt.* 83. non merentur nomen Epiſcopi, ſed canis; & hanc Prælatorum incuriam deplorat Alvarus Pelagius *de Planctu Eccleſiæ libr. 1. cap.* 69. Plurima ſunt alia officia Epiſcoporum, & quidem notatu digna, quæ refert Squillantes *d. part. 1. per capita XLVII.* ſed pro præſenti inſtituto ſupra relata ſufficiant, tanquàm principaliora.

Juriſdictionalia tandem eorum officia præcipua ſunt ſequentia. I. Quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi habet Juriſdictionem pro foro interno ſuper om- 26
nes ſuos ſubditos, itaut ſi ipſe ſit Sacerdos poſſit immediatè miniſtrare iiſdem Sacramentum Pœnitentiæ, & eoſdem à peccatis abſolvere. S. Thomas *in 4. diſt. 19. q. 1. art.* 3. nec non *diſt. 20. q. 1. art.* 4. Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 7. num.* 120. Jordanus *d. tom. 1. libr. 3. tit. 4. num.* 3. ubi notat, quantam navarent operam, & eſſent ſolliciti Epiſcopi priſcis temporibus in audiendis ſuorum po- 27
pulorum confeſſionibus; de Jure enim proprium officium Epiſcoporum eſt con-

ſeſſiones audire. II. Eorumdem officium eſt alios Sacerdotes deputare, qui præter Parochos eaſdem populorum Confeſſiones Sacramentales excipiant, Juriſdictionem, ac facultatem abſol-
28 vendi illos delegando; nullus enim Sacerdos Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrare poteſt (excepto mortis articulo) niſi aut Parochiale beneficium obtineat, aut ſit ab Epiſcopo approbatus juxta notabile decretum Concilii Tridentini *in ſeſſ. 23. de Ref. cap. 15.* de quo nos latè ſcripſimus in iiſdem noſtris Deciſionibus *de Sacram. Pœnit. Deciſ. 37. per totam*, ubi oſtendimus qualiter, & quando præmittendum ſit examen pro dicta approbatione concedenda, & Juriſdictione ad abſolvendum delegandа. III. Officium verſatur circa approbationem Regularium, ut ipſi poſſint
29 Laicorum Confeſſiones Sacramentales audire, & eos abſolvere; circa quos Regulares Confeſſarios, etſi plures agitentur quæſtiones à Theologis, concernentes Juriſdictionem, qua ipſi abſolvunt prædictos Laicos, quas ego recenſui, & elucidavi in eodem tractatu *de Sacram. Pœnit. deciſ. 38;* nihilominùs hodie omnia Privilegia Regularium revocata ſunt quo ad prædictas Laicorum Confeſſiones Sacramentales audiendas; & omnes egent approbatione Epiſcopi, ſine qua nemo poteſt illas audire juxta Bullam Urbani Octavi *diei* 12. *Septembris* 1628. Incipien. *Cum ſicut accepimus*. & tenentur ſubire examen, ſi eos Epiſcopus velit quo ad ſcientiam examinare. Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. diſp.* 20. *num.* 153. Fagnanus *in cap. Quia propter §. Illud autem. num.*7. *de Elect.* Noviſſimè Pignatellus. *tom.* 7. *conſult.* 8. *num.*29. & *tom.* 10. *conſult.* 95. *num.*10. IV. Epiſcoporum officium Juriſdictionale ſe extendit ſuper eoſdem
30 Regulares exemptos in caſibus 47. quos cumulat Jordanus *tom.*2. *libr.* 7. *tit.*14. *à num.*1. *uſque in finem*; ibi à ſtudioſo Lectore videndis. V. Officium eorumdem Epiſcoporum conſiſtit in exercitio Juriſdictionis in foro externo tàm in
31 cauſis civilibus, quàm in criminalibus circa perſonas ſuo foro ſubjectas; & in caſibus ad eorum Tribunal ſpectantibus. Emin Card. de Lauræa *d. diſp.*7. *de Sacram. Ord. à num.* 126. *& ſeqq.* ubi advertit officium hoc, & hanc Juriſdictionem Epiſcopalem antiquitùs impugnatam fuiſſe ab hæreticis *Aetianis*, *Antidiaphoriſtis*; à *Petro de Cugneriis* Conſiliario Regio Pariſienſi; *à Marſilio de Padua;* ac ultimò à *Lutheranis*, & *Calviniſtis*, qui omnes conati ſunt ſpoliare Epiſcopos juriſdictione fori externi, & eos ſimiles ſimplicibus Sacerdotibus conſtituere, ut legitur apud Salellem *libr.* 3. *cap.* 14. *Reg.* 267. *num.* 17. & *cap.* 16. *Reg.* 283. *num.* 181. itaut nullatenùs poſſent Epiſcopi ſuorum populorum publica flagitia, aut ſcandala in foro externo corrigere, punire, ac emendare. Hanc Juriſdictionem competere Epiſcopis tàm de Jure Divino, quàm de Jure Eccleſiaſtico optimè probat Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.*7. *à num.* 127. *& ſeqq.* tùm ex Scriptura Sacra, tùm ex Conciliis, ac Summorum Pontificum decretis, tùm etiam ex praxi *Annorum* 1700. in quibus omnes Epiſcopi in facinora manifeſta ſuorum Diœceſanorum ſemper advertunt mulctis, ac cenſuris, prout melius ſunt arbitrati expedire ad redigendos errantes in viam æternæ ſalutis; quod docet etiam Squillantes *d. tract. de Obligat. & Privil. Epiſcop. part.* 1. *cap.*26. *& part.*3. *cap.*27. *&* 28. *ubi* Canones, & Doctores.

Porrò duo notabilia dicunt Theologi, ac Canoniſtæ circa hoc officium, atque Juriſdictionem Epiſcopalem pro foro externo. Unum eſt, quod Epiſcopus obligatus eſt deputare miniſtros ſcientia, ac probitate conſpicuos pro cauſis au- 32
diendis, & negotiis expediendis in foro ſuo externo; ſiquidem ſi deputet ignorantes, aut pravos, ipſe reus erit peccati mortalis. Cajetan. *in Summa Verb. Epiſcoporum peccata*. Toletus *libr.* 5. *cap.*4. ac Genuenſis *in Manuali cap.* 41. qui addit etiam, quod ipſe Epiſcopus tenebitur ad reſtitutionem damnorum, quæ Diœceſani ſentirent, vel ob inſcitiam, vel ob malitiam Miniſtrorum

Curiæ

Digitized by Google

Curiæ Epiſcopalis, quod etiam notant Innocent. *in cap. Ad hæc. de Offic. Archidiac.* & Piaſecius *part.2. cap.4. art.1.*
33 *num.* 15. Alterum notabile eſt, quod in fulminandis cenſuris Epiſcopi debent procedere ſobriè, & magna cum circumſpectione; itaut ad eas non deveniant, niſi in ſubſidium, & præmiſſis ſemper opportunis, ac reiteratis monitionibus. *cap. Sacro. cap. Statuimus. cap. Romana. & cap. Conſtitutionem.* & ibi Gloſſa. *De Sent. Excom. in 6.* & hoc idem demonſtrat Theſaurus *de Pœnis Eccleſiaſticis part. 2. Verb. Cenſuræ cap.* 1. *&* 2. à ſtudioſis legendus.

Sunt alia, & quidem non pauca Epiſcoporum Juriſdictionalia officia, tùm circa Eccleſiarum ædificationem, tùm
34 circa beneficiorum vel Unionem, vel Diſmembrationem, prout etiam circa decernendas Proceſſiones publicas, aut obſervantiam dierum feſtorum, de quibus amplè tractant Squillantes *d. libr. de Oblig. & Privileg. Epiſcop. part.* 1. *& part.* 3. atque Jordanus *tom.* 1. *de Re Sacra*; Sed hucuſque narrata ſatis videntur ad oſtendendum Epiſcopis, eſſe quidem ſublimem eorum dignitatem,
35 at eorum ſtatum valdè periculoſum; & idcircò Divus Gregorius Nazianzenus *Libr.* 3. *de Sacerdotio* ajebat: *Quod nemo ſapiens, læto animo, creatur Epiſcopus*: & Franciſcus Petrarcha *Libr.* 1. *de Remed. utriuſque fortunæ Dial.* 170. exclamat: *O vertigo morum peſſima? Ad quod olim conſueverant, ut deberent cogi homines; nunc indè retrahi non poſſunt.*

## DECISIO XXXIX.

### *ARGUMENTUM.*

Septem recenſentur Libri, quibus Eminentiſſimus S. M. Gregorius Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Patavinus pro benè adimplendis antedictis officiis, ac pro recto Regimine Animarum ſuæ Diœceſis attentè ſtudebat. Fructus quoque uberrimi ex eorum ſtudio provenientes enunciantur.

### SUMMARIUM.

1 *Libri ſeptem S. M. Card. Gregorii Barbadici Epiſcopi Patavini pro bono regimine ſui Epiſcopatus.*
2 *Liber ſtatus Animarum quid contineret?*
3 *Parochi Diœceſis Patavinæ quot ſint?*
4 *Adulti plurimi nondum communicant ex incuria Parochorum.*
5 *Libellus pro inſtruendis pueris noviter communicandis.*
6 *Signum à Parochis in Communione Paſchali dandum, & recolligendum.*
7. *Pueri ab anno quarto, uſque ad decimum ſextum diſcere debent Doctrinam Chriſtianam à Parochis.*
8 *Formula deſcriptionis ſtatus Animarum Diœceſis Patavinæ.*
9. *Inconfeſſi in Paſchate quomodo monendi?*
10 *Parochi gratioſa comminatio ſuis Parochianis ne omitterent Communionem Paſchalem.*
11 *Liberalitas Parochi in pauperes facit eum laudabilem.*
12 *Doctrinæ Chriſtianæ Liber. Zelus ergam illam Eminentiſſimi Barbadici Epiſcopi.*
13 *Relatio menſtrua Scholarum Doctrinæ Chriſtianæ.*
14 *Relatio totius Cleri Paduani.*
15 *Confeſſariorum ſtatus, ſcientia, capacitas.*
16 *Martyrii ſpecies onus examinandi Confeſſarios.*
17 *Confeſſarii non ultra Annum approbantur Patavii.*
18 *Confeſſarii nec docti, nec indocti omninò quomodò approbati?*
19 *Caſuum Conſcientiæ, ac Prudentiæ annualis propoſitio.*
20 *Reſponſa Confeſſariorum obſervata, ac notata.*

21 Con-

21 *Coadiutores Auctoris in ſcribendis libris boni regiminis, ac diſciplinæ, & ſtudii Cleri Paduani.*
22 *Fori Epiſcopalis contentioſi Congregatio.*
23 *Rerum Oeconomicarum Epiſcopalium Liber, ac Congregatio.*
24 *Franciſcus Forzadura Nobilis Pat. laudatus.*
25 *Bonifacius Comes Borromeus Nob. Pat. laudatus.*
26 *Nicolaus Comes de Fraſcatis Nob. Pat. laudatus.*
27 *Utilitates ex regiſtro ſtatus Animarum.*
28 *Correctio fraterna an ſit actus Juſtitiæ, vel Charitatis?*
29 *Epiſcopus peccat, ſi Parochos negligentes non excitet.*
30 *Ordines, ac Beneficia Litteratis Clericis danda.*
31 *Ignorantia Confeſſariorum cauſat duo mala. Et quæ?*
32 *Miniſtrorum Epiſcopalium inſcitia, vel negligentia aggravat animam Epiſcopi.*
33 *Eleemoſynas ſi Epiſcopus non facit, non eſt Epiſcopus.*

IN exequendis omnibus officiis, ac obligationibus Epiſcopalibus, in præterita Deciſione enarratis, ſumma ſemper fuit ſollicitudo Eminentiſſimi, ac Reverendiſſimi, ſanctæ memoriæ, Gregorii Cardinalis Barbadici huius Urbis Antenoreæ ab Anno 1664. uſque ad Annum 1697 Antiſtitis exemplatiſſimi, ac Heri mei Humaniſſimi: quapropter non inutile erit tùm Prælatorum Miniſtris, tùm Prælatis ipſis, eamdem ſollicitudinem profitentibus, ac præſentes Deciſiunculas benignè legere dignantibus, referre in præſenti Libros
1 ſeptem, quos pro bono regimine ſui Epiſcopatus prædictus Eminentiſſimus Præſul frequenter propriis oculis luſtrare ſolebat, ut ſtatum totius Diœceſis, nec non, ut ipſe piè effabatur, propriæ conſcientiæ, unico ihtuitu, cognoſceret. Septem igitur Libros Eminentia ſua habebat, in quibus ea omnia, quæ ad Paſtorale munus principaliter pertinent, notabantur. Hi erant

1. Liber ſtatus Animarum ſibi ſubditarum.
2. Liber ſtatus Doctrinæ Chriſtianæ.
3. Liber ſtatus totius Cleri Paduani.
4. Liber examinum Confeſſariorum.
5. Liber ſtudii Caſuum conſcientiæ, ac Prudentiæ.
6. Liber cauſarum Civilium, ac Criminalium in ſuo Tribunali vertentium.
7. Liber Rerum Œconomicarum, ac Redituum Epiſcopatus.

Primus itaque Liber continebat ſtatum Animarum tùm Civitatis, tùm Diæceſis Patavinæ, antedicto Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Præſuli 2
ſubditarum. Siquidem cum in Civitate Paduæ reperiantur Parochi ſex & triginta; in tota autem Diæceſi extra Civitatem tercenti, & quatuordecim; ſicque omnes Parochi, atque Curati animarum in hoc Epiſcopatu ſint tercenti, & quinquaginta; conſuevit Eminentiſſimus Cardinalis Barbadicus eo- 3
rum Epiſcopus in principio Quadrageſimæ, ſingulis annis, ad ipſos omnes per litteras Encyclicas ſcribere, & iiſdem injungere, ut diligentem deſcriptionem omnium habitantium in ſuis Parochiis facerent, ætatem ſingulorum notantes; itaut intueri in ea poſſet Eminentia ſua, quinam apti ſint ad Sanctiſſimam Communionem Euchariſticam in Paſchate recipiendam, & qui nondum ad annos diſcretionis advenerint; ipſamque deſcriptionem ſtatim poſt Octavam Paſchatis ad Auditorem ſuum (qualis ego eram) fideliter tranſmitterent, prouti ex tenore earumdem Litterarum Encyclicarum conſtat, quæ leguntur impreſſæ in Libro *Epiſtolarum Paſtoralium, ac Edictorum* ejuſdem Præſulis Eminentiſſimi. Et quoniam in Viſitationibus per eumdem Emin. Cardinalem Epiſcopum, primis ſui Regiminis annis, factis, repertum fuerit, ex incuria diverſorum Parochorum, plures utriuſque ſexus adultos 4
perveniſſe ad decimum ſextum annum

ætatis

Digitized by Google

ætatis eorum, ac ultra, & nondum admiſſos fuiſſe ad Sacram Synaxim, in prædictis Litteris ſpecificè injungebatur omnibus Parochis, ut ſeligerent pueros, ac puellas annos diſcretionis attingentes, illoſque per plures dies inſtruerent, quid credendum circa Euchariſtiæ Sacramentum, & quid faciendum pro devota ejus ſumptione, juxta libellum ad hunc effectum compoſitum exiſtentem in prædicto Libro *Epiſtolarum Paſtoralium pag.* 38. & eos, quos capa-
5 ces diſcernerent, in Paſchate communicarent, ac eorum numerum diſtinctè referrent. Et quoniam ad ea devenimus tempora, in quibus refrigeſcit charitas Chriſtianorum; & multi ſunt, qui non verentur, non adimplere Eccleſiæ præceptum Confeſſionis, & Communionis annuæ, de quo in *cap. Omnis utriuſque ſexus. De Pœnit. & Remiſs.* in iiſdem Epiſtolis Encycliticis mandabatur expreſsè omnibus Parochis, ut diligenter adverterent, ne aliquis ex eorum Parochianis prædictum præceptum viola-
6 rent; & ad hunc effectum ſignum inalterabile communicantibus darent, & infra octavam ab iiſdem repeterent; & ſi quos contumaces, ac inconfeſſos reperiſſent, Eminentiæ ſuæ notificarent, ut opportunis monitionibus, ac remediis eorumdem ſpirituali ſaluti poſſet conſulere. Tandem & illud in iiſdem Litteris præcipiebatur Parochis, ut notam particularem facerent puerorum, ac puellarum, quibus Doctrina Chriſtiana venit exponenda, habentibus ſcilicèt ſufficientem capacitatem, quæ præſumitur ab anno quarto, in quo ſaltem
7 Orationem Dominicalem, Salutationem Angelicam, & Apoſtolorum Symbolum memoriter diſcere ſolent, uſque ad annum decimum ſextum; & eorumdem numerum pariter referrent, ad cognoſcendum, An diebus Dominicis omnes frequentent Scholam ejuſdem Doctrinæ Chriſtianæ.

Igitur juxta hæc omnia commiſſionum capita Parochi omnes poſt octavam Paſchatis reſcribebant vel Eminentiſſimo Præſuli, vel mihi Auditori ſuo; & ego formabam primum ſtatus Animarum Librum, in quo omnes Parochiæ notatæ erant per Alphabetum tùm Civitatis, tùm Diæceſis; & ad unamquamque earũ hæc erat deſcriptio.

In Padova. *Nella Parrochia del R. D. Franceſco Lazari Dottore Manſionario* 8
*Curato della Cathedrale. Anime da Communione* *num.* 439
*Inferiori non ancora atte à Communicare.* *num.* 128

*In tutte* *num.* 567
*Inſtruite, e Communicate da nuovo numer.* 8
*Atte alla Dottrina Chriſtiana num.* 110
*Inconfeſſi* *num.* 5

Nella Dioceſe. *Nella Parrochia, e Villa di Abano, Arciprete il Signor D. Carlo Aleſſi Vicario Foraneo. Anime da Communione* *num.* 1137
*Inferiori non atte à communicare n.* 675

*In tutte* *num.* 1812
*Inſtruite, e communicate da nuovo numer.* 33
*Atte alla Dottrina Chriſtiana num.* 368
*Inconfeſſi* *num.* 3

Ubi verò reperiebantur inconfeſſi, qui in Diæceſi erant pauci, in Civitate autem plurimi; vocabantur Parochi Urbani ad præſentiam Eminentiſſimi Præſulis, & facta circa qualitatem inconfeſſorum, & cauſas, ob quas erant à Sacramentis alieni, conſultatione;
firmabatur modus eos monendi, adju- 9
vandi, & ad pœnitentiam redigendi, magno ſemper cum fructu Animarum. At circa inconfeſſos in Diæceſi expediebantur Litteræ Paſtorales, quarum exempla plurima habentur impreſſa *in eod. libro*, tùm ad proprios eorum Parochos, tùm ad eorumdem Vicarios Foraneos, qui omnes vocabant ad ſe prædictos contumaces, & Dei gratia præveniente, ac cooperante non abſque multo labore, illos ad bonam frugem redigebant; & de eorumdem converſione ſtatim Eminentiæ ſuæ notitiam dabant, quam in ipſo Status Animarum Libro ego inſerebam. Hic itaque

erat

erat primus Liber, quem frequenter Eminentiſſimus Antiſtes legebat, revolvebat, ac obſervabat; ex eo enim certior fiebat, an plures, an pauci, an nullus eſſet in Parochiis, à quibus omiſſa fuiſſet Confeſſio, ac Communio Paſchalis.

Nec tacenda venit gratioſa reſponſio, quam nonnullis ab hinc annis dedit mihi unus ex Parochis extra Civitatem, dum ex commiſſione Eminentiſ-
10 ſimi Præſulis illum interrogaſſem, An in ejus Parochia eſſet aliquis inconfeſſus? Factum tale fuit. Denunciatum fuerat Eminentiæ ſuæ in tali Parochia, extra Urbem, ruſticum quemdam eſſe inconfeſſum. Volvit Eminentiſſimus Epiſcopus videre relationem illius Parochi à me regiſtratam in Libro prædicto Status Animarum, in qua notatum erat, nullum eſſe inconfeſſum. Eminentia ſua dixit, relatio non eſt vera, ſcio enim à pia perſona, unum ibi eſſe Inconfeſſum. Vocetur Parochus ille, & de negligentia, ſeu mendacio redarguatur. Vocavi illum per litteras. Statim venit ad me; erat enim Vir igneus, ſollicitus, & ardens in ſuis actionibus. Petiit, ad quid ſe eſſe vocatum? Dixi; dolet Eminentiſſimus, quod in relatione ſtatus Animarum tuæ Parochiæ dixeris, nullum eſſe inconfeſſum; & nunc delatum eſt Eminentiæ ſuæ, unum reperiri. Reſpondit: ita, ut delatum eſt, eſſe non poteſt; quia ſi quis eſſet inconfeſſus in mea Parochia, ego ſciviſſem, & ſcripſiſſem. At neſcio aliquem eſſe talem, & eſſe non poteſt; *Siquidem* (hæc ſunt ejus verba) *in Quadrageſima, dum intra Miſſarum ſolemnia hortor ruſticos Parochianos meos ad confitendum, & communicandum in Paſchate, proteſtor iiſdem jurejurando, quod ſi quis Præceptum Eccleſiæ non adimpleverit, & mandatis Eminentiſſimi Cardinalis Epiſcopi non obediverit; baculo eum ego ipſe ſeverè verberabo; quia malè viventes ſub mea Cura non ſum permiſſurus*. Ideò (ſubjunxit) *manifeſtetur mihi nomen, & cognomen aſſerti hujus Inconfeſſi*. Dixi, eſt N. N. Reſpondit, *non eſt de meâ Parochia homo iſte; ſed de Parochia meæ convicina. Stupebam*, replicavit, *quod in mea eſſet aliquis inconfeſſus. Sciunt ruſtici Parochiani mei, verbera, quæ illis comminor, caſu quo non recipiant Sacramenta in Paſchate, certò me illis daturum*. Retuli hæc omnia Eminentiſſimo Præſuli, qui à riſu ſe continere non potuit. Reperit, illum dixiſſe veritatem, & vocato alio proprio Parocho prædicti inconfeſſi, actum fuit de ejus emendatione. In viſitatione ſubſequuta Parochialis Villæ antedicti Sacerdotis minantis verbera, credebat Eminentiſſimus Epiſcopus audire querelas multas Parochianorum contra illum. Sed in Inquiſitione generali, ac examine plurium ruſticorum illius Villæ per me facto, comperi, omnes ipſum laudantes, ac benedicentes. Cauſa erat, quia licèt in exigenda obedientia eſſet ferox, ac minax;
attamen erga pauperes erat liberaliſſi- 11
mus, & versùs infirmos tenerrimus; adeòut quiſquis ad illum accederet, petens aut panem, aut vinum, aut obſonium pro aliquo infirmo, vel paupere, promptè dabat, quidquid habebat. Hæc cum audiſſet Eminentia ſua in illa viſitatione, dixit: Ecce quàm verum, quod *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Hæc de primo Libro ſtatus Animarum.

Secundus Liber continebat ſtatum Doctrinæ Chriſtianæ. Eſt incredibile dictu, quantum ſemper ſategerit, & ſollicitus fuerit prælaudatus Eminentiſſimus Cardinalis Barbadicus Epiſcopus Patavinus in promovendis, adjuvandis, & confovendis Scholis Doctrinæ
Chriſtianæ; ut in eis pueri, ac puellæ 12
edocerentur Myſteria fidei, & ea, quæ ad æternam ſalutem conſequendam ſunt neceſſariò facienda. Siquidem in Civitate auxit numerum Scholarum aggregavit plurimos pios, ac doctos Viros Laicos confraternitati ejuſdem Doctrinæ Chriſtianæ; confecit novas, eaſque utilimas Regulas pro bona directione omnium Operariorum in eadem Chriſtiana Doctrina; diſtinxit terminos viarum,

viarum, per quas Piſcatores cum Cruce canentes Litanias tranſirent piſcantes pueros vagabundos, ac eos ad Eccleſiam, in qua Doctrina Chriſtiana explicatur, conducerent, ut videre eſt in Edicto *diei 5. Januarii 1689.* impreſſo in *d. libr. Epiſt. ejus Paſtoral. pag. 169. & ſeqq.* ubi prædictæ Regulæ continentur. In eadem Civitate, Eminentia ſua abſtinens à prandio, audito ſigno Campanæ majoris Eccleſiæ Cathedralis vocantis omnes ad Doctrinam Chriſtianam, egrediebatur ſtatim ab Epiſcopatu cum ſamiliaribus ſuis, ſivè in hyeme, ſivè in æſtu, & viſitabat plures earumdem Scholarum, in quibus, & Parochorum, & Clericorum, aliorumque piorum hominum ſollicitudinem mirabatur, & puerorum numerum attendebat, diſputationeſque eorumdem auſcultabat; ac frequentes Congregationes ſuper felici progreſſu ejuſdem operis Doctrinæ Chriſtianæ tenebat; ſicque omnes ad illud piè proſequendum inflammabat. In Diœceſi autem, dum illam viſitabat, ſcopus principalis Eminentiæ ſuæ erat, indagare an Parochi in docendo pueros, ac puellas Doctrinam Chriſtianam eſſent diligentes? An coadiutores Laicos haberent? An diſtinctio ſervaretur præordinata Claſſium? Et convocatis omnibus pueris, ac Magiſtris in eas; ſedebat inter illos, audiens, interrogans, explicans, docens, ac demonſtrans ſumma cum benignitate modum faciliorē erudiendi eoſdem pueros, ac puellas in ipſa Chriſtiana Doctrina; & ubi parvum reperiebat numerum operariorum, efficaciter hortabatur populum, ut confraternitatem Doctrinæ Chriſtianæ amplecteretur; & plurimos adſcribebat eidē pio operi Operarios.

Igitur ſingulis Menſibus omnes Vicarii Foranei per Diœceſim colligebant relationes infraſcriptas Doctrinæ Chriſtianæ ab omnibus Parochis ſub eorum Vicariatu exiſtentibus, & eas ad me tanquam Auditorem Eminentiæ ſuæ, ac ad eas recipiendas deputatum tranſmittebant, tenoris ſequentis. Videlicèt:

*Relatione della Dottrina Christiana inſegnata nella Chieſa Archipresbiterale di S. Michele della Villa di Torre.* 13

*Domenica 6. Aprile* 1680.

| Figliuoli | | Figliuole | |
|---|---|---|---|
| *Prima Claſſe num.* | 20 | *num.* | 34 |
| *Seconda Claſſe num.* | 28 | *num.* | 30 |
| *Terza Claſſe num.* | 42 | *num.* | 40 |
| *Quarta Claſſe num.* | 30 | *num.* | 26 |
| *Quinta Claſſe num.* | 33 | *num.* | 36 |
| *Seſta Claſſe num.* | 30 | *num.* | 22 |
| *In tutti num.* | 183 | *In tutte n.* | 188 |

*Figliuoli num.* 183
*Figliuole num.* 188

*In tutti num.* 371
*L'Arciprete è ſtato.*
*Sacerdoti num.* 2
*Operarii num.* 38 *Operarie num.* 40
*Chierici non ve ne ſono.*

Conſimilis relatio fiebat in quocunque alio Dominico die ejuſdem Menſis; & omnes ſimul menſtruatim ad me mittebantur ab omnibus Vicariis Foraneis, tùm eorum Eccleſiæ, tùm aliarum Eccleſiarum ſui Vicariatus. Ego autem in Libro Status Doctrinæ Chriſtianæ, in quo erant adnotatæ omnes Eccleſiæ Parochiales cum numero Animarum, quæ erant aptæ ad Doctrinam Chriſtianam ediſcendam, regiſtrabam eaſdem relationes, & numerum Animarum, quæ interſuerant eidem Chriſtianæ Doctrinæ, nec non numerum Operariorum. Quapropter Eminentiſſimus Epiſcopus quandocunque aperiebat hunc Librum, unico intuitu videbat, & cognoſcebat, an benè, vel malè, an laudabiliter, vel negligenter procederet hoc opus docendi pueros, & puellas Doctrinam Chriſtianam; & ſecundum augmentum, vel decrementum ejuſdem operis expediebantur Litteræ, ab Eminentia ſua ſubſcriptæ, commendantes diligentiam, vel reprehendentes negligentiam, ſi quæ reperta eſſet, Parochorum; & iiſdem infallibiliter ſingulis menſibus de hoc opere Eminentiſſimus Cardinalis Præſul reſcribebat. Hæc de ſecundo Libro.

Tertius Liber complectebatur ſtatum totius Cleri Paduani. Quandoquidem

 Emi-

Eminentia ſua ab initio adventus ſui ad
14 hunc Epiſcopatum requiſivit à Parochis tùm Civitatis, tùm Diœceſis relationem fidelem omnium Sacerdotum, atque Clericorum degentium ſub eorum Parochiis; ideſt nomen, cognomen, ætatem, ſtudia, exercitia, & occupationes uniuſcujuſque; & de his omnibus formatus fuit Liber, & in eo per alphabetum regiſtratæ relationes prædictæ; at veriùs conſcriptæ in anima Eminentiæ ſuæ; jugiter enim reflectebat ad quemquam illorum;& quotieſcunque Parochi ſivè ex Civitate,ſivè ex Diœceſi accedebant ad præſentiam ejuſdem Eminentiæ, inter cætera interrogabat eos de vita,& moribus Sacerdotum, & Clericorum intra confines ſuarum Parochiarum commorantium; eoſque adjurabat,ut ſollicita attentione rimarentur, ſi quis contra bonos mores aliquid committeret, & ſibi ſecretò nunciarent. Hinc adeò cognoſcebat omnes, eorumque qualitates, ut & in concurſibus Sacerdotum ad beneficia, & Clericorum ad ordines, ſciret, quanta uniuſcujuſque eſſent merita, aut demerita; & quos beneficare, aut repellere oporteret.

Quartus Liber concernebat examina Confeſſariorum. Hic in duos erat Tomos diviſus, primus pro Secularibus,
15 ſecundus pro Regularibus, qui ad confeſſiones Sacramentales audiendas approbabantur. Hoc onus examinandi, & approbandi prædictos Confeſſarios injunctum fuit puſillitati, & humilitati meæ, tùm à glorioſa memoria Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Georgii Cornelii, qui fuit Prædeceſſor Epiſcopus Eminentiſſimi Cardinalis Barbadici, & obiit anno 1663. tùm ab hac Eminentia, quæ ad hunc Epiſcopatum venit, anno 1664. illumque miniſtravit uſque ad annum 1697. Ingenuè fateor,
16 ponderoſiſſimum me ſubiiſſe onus, quod frequenter martyrium vocabam; nimium enim experiebar dolorem, reperiens in examine Sacerdotes utriuſque gradus, ſic ignaros Theologiæ Moralis, ut nequaquam potuerim illos approbare ad Confeſſiones audiendas. Non inficior, plurimos, ac ingentis numeri haberi Confeſſarios Sæculares, & Regulares, tàm Monachos, quàm Mendicantes in hac Diœceſi, doctrina, prudentia, ac experientia inſignes, quos mihi honor, & delectatio erat admittere ad confeſſiones audiendas *ad* 17
*Annum*, juxta firmatam conſuetudinem ad hoc limitatum tempus eos approbandi poſt famoſam illam litem, de hac re, quam paſſus fuit, ſed victor evaſit prælaudatus Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus Antiſtes Cornelius *Anno* 1654. & de qua mentionem feci in meis Deciſionibus de Sacramento Pœnitentiæ *Deciſ.* 38. *num.* 19. & 20. At è contra tot ſunt Capellani Curati ex alienis Diœceſibus ad hanc Patavinam confluentes, & tot Regulares, qui in eorum Eccleſiis petunt ad audiendas confeſſiones Laicorum approbari; ut nulla dies tranſiret ſine examine Confeſſariorum; & hac de cauſa formare cœpi *Erotemata* mea ſuper univerſa Theologia Morali, quæ poſtea ad inſtantiam amicorum bis data ſunt typis,& ſtudioſis facta ſunt utilia,& grata.

Horum itaque Capellanorum, nec non Regularium inferioris gradus plurimi reperiebantur, quos nec juſtitia permittebat eos ad annum approbare, nec charitas patiebatur, illos penitus à confeſſionibus audiendis excludere. Quapropter hoc utebar temperamento,
admittens ipſos ad tres, vel quatuor, 18
vel ſex menſes tantùm, ſed cum obligatione ſe meliùs inſtruendi in illis materiis, in quibus, dum examinarentur, cognoſcebantur minùs edocti; & hæc obligatio ſcribebatur in Libro ſtatus Confeſſariorum ita: 1686. 2. *Aprilis. R. D. Urbanus Guerrucius Abbatiæ S. Angeli in Regno, Capellanus in Villa Campinogariæ approbatus ad Confeſſiones ad ſex menſes. Sed ſtudeat libro 3. & 4. Toleti, ſuper quibus iterum examinabitur.* Hoc idem ſervabatur cum Regularibus; cumque hi, & alii, completo tempore mandati, revertebantur pro illius confirmatione, iterùm examinabantur juxta eis impoſitum ſtudium;

dium; in quo ſi eos profeciſſe cognoveram, novam concedebam prorogationem: ſin minùs eos licentiabam. Hunc Librum frequenter Eminentiſſimus Præſul inviſebat; & obſervabat, quot, & quales eſſent Confeſſarii Sæculares, & Regulares populi Eminentiæ ſuæ ſubjecti Sacramentales Confeſſiones audientes. Porrò

Quintus Liber ſtudii Caſuum Conſcientiæ, ac Prudentiæ valdè influebat in erudiendis Confeſſariis ad tempus limitatum approbatis, præter ſtudium, in quo exercebantur omnes Archipresbyteri, ac Parochi perpetui. In initio
19 cujuſcunque anni de mandato Eminentiſſimi Cardinalis Barbadici Præſulis tranſmittebantur tot folia impreſſa cum caſibus conſcientiæ, prudentiæ, atque omnibus Vicariis Foraneis per Diœceſim, quot erant Parochi, & Confeſſarii eorum Vicariatui ſubjecti. Qui caſus concernebant integrum aliquem tractatum Theologiæ Moralis, ac Prudentialis cum ſuis quæſitis; & diſtincti erant de Menſe in Menſem; ad hoc ut omnes tàm Parochi, quàm Capellani Confeſſarii iiſdem ſtuderent, & ſuam opinionem in ſcriptis ponerent; quam poſtea in Congregatione menſtrua, à Vicario Foraneo convocanda in Eccleſiis Parochialibus ſui Vicariatus per turnum, omnes diſputando diſcuterent, & poſt diſcuſſionem eidem Vicario, ſubſcriptam proprio uniuſcujuſquè nomine, traderent; mihi Auditori Eminentiæ ſuæ tranſmittendam. Singulis igitur menſibus recipiebam à quadragintaquatuor Vicariis Foraneis, & ab eorum ſingulis Litteras, ſecum habentes ſtudioſa reſponſa omnium Parochorum, & Capellanorum, Confeſſiones Sacramentales audientium in Diœceſi hac Patavina, ad Quæſita, & Caſus Conſcientiæ, ac prudentiæ, iiſdem, ut ſupra, diſcutiendos in principio anni datos; quæ quidem reſponſa à me le-
20 gebantur, & obſervabantur, & in Libro hujus ſtudii, in quo notati erant omnes Parochi, ac Capellani eorum notabatur ita: *Menſe Januario Parochus N. N. ſatisfecit, reſpondendo: Optimè*: vel: *mediocriter*: ſivè *debiliter*, prout erant merita reſponſi. Idem ſervabatur, ac notabatur ad nomina quorumcunque Capellanorum ſic: *N. N. Capellanus Confeſſarius in ſupradicta Parochiali ſatisfecit, & reſpondit optimè*: ſeu: *mediocriter*: vel *debiliter*: Ex qua diligenti obſervatione, & annotatione major habebatur certitudo ſtudii, ſufficientiæ, capacitatiſque Confeſſariorum; ac ex hujuſmodi Libri inſpectione ipſemet Eminentiſſimus, ac Reverendiſſimus Cardinalis Epiſcopus non leve reportabat animi ſui oblectamentum.

Sed dicet aliquis mihi hæc facienti, ac ſcribenti, quomodo hæc omnia ſolus homo adimplere poteras; & hos quinque libros exarare? Reſpondeo, coadjutores habuiſſe diverſos eruditos Clericos, Seminarii Eminentiæ ſuæ Alumnos, qui poſt completum humaniorum Litterarum, ac Theologiæ Scholaſticæ curſum, habitabant in Epiſco- 21
pio, & mihi inſerviebant in his exarandis libris, ac regiſtris faciendis, inter quos R. D. Paulus Adami Sacræ Theologiæ Doctor, nunc Canonicus in Collegiata Eccleſia Plebis Sacci. R. D. Jacobus Viottus pariter Doctor Theologus Collegiatus in hoc Sacro Theologorum Collegio Patavino, & Canonicus Concordienſis ſupernumerarius. R. D. Alexander Gritti Juris Utriuſque Doctor, nunc Rector Parochialis Eccleſiæ Villæ Ararum, nec non R. D. Adamus Pivati pariter Doctor Juris Utriuſque, in præſenti Parochus Eccleſiæ Sancti Bartholomæi hujus Civitatis, & nonnulli alii eruditi Juvenes, quibus omnibus Eminentiſſimus Præſul beneficia contulit, in remunerationem ſervitii per eos mihi in conſcribendis prædictis Libris fructuosè præſtiti. Occaſione autem reſponſorum, de quibus ſupra, factum eſt, ut Deciſiones Caſuum Conſcientiæ, ac Prudentiæ cœperim extendere, ex doctrinis, rationibus, ac Auctoritatibus per Parochos, & Capellanos Confeſſarios allegatis; quas Deciſiones Eminentia ſua



Digitized by Google

*Anno* 1681, ac ſequentibus voluit typis dari ad publicam utilitatem; & commodum ſtudentium, qui gratulabundi eas receperunt, & uſque in præſentem diem lætanter excipiunt.

Sextus Liber erat ſtatus Cauſarum Civilium, ac Criminalium in Tribunali hujus Patavini Epiſcopatus vertentium. Hujus Libri cuſtos, ac ſcriptor erat Cancellarius Epiſcopalis; ſiquidem ſemel in hebdomada habebatur
22 Congregatio Fori contentioſi coram Eminentiſſimo Epiſcopo, in qua interveniebant Vicarius Generalis, duo Auditores, Vicarius Monialium, Advocatus Fiſcalis, & Aſſeſſores duo Theologi, ac Juris Utriuſque Doctores; & in ea referebantur cauſæ in foro vertentes, expeditioni proximæ; ut earum difficultates ſolverentur, & firmaretur methodus aut in ordine procedendi, aut in meritis judicandi, ac eas decidendi. Notabat Cancellarius quidquid reſolutum erat ab ipſis Congregatis; & ex hoc Libro Eminentia ſua duas reportabat utilitates. Una, quod negotia, & cauſæ expediebantur, neque permittebantur in longum trahi. Altera, quod in ejus Tribunali colebatur Juſtitia, quæ perire non poterat, attento ſtudio, probitate, & conſultatione tot ſapientum, & multiplicium Miniſtrorum.

Septimus tandem Liber erat Rerum Œconomicarum, ac Redditwum Epiſcopatus, quem ſcribebat, ac cuſtodie-
23 bat Notarius, vocatus *Computiſta Factoriæ*. Notabantur in hoc libro reſolutiones omnes, quæ capiebantur in Congregatione Œconomica, in quacunque hebdomada ſemel convocata. In hac Congregatione interveniebant, præter Eminentiſſimum Antiſtitem, (quando majora negotia eum non diſtrahebant) ejus Vicarius Generalis, nec non ejus Auditor, tres Laici Cives Nobiles Patavini, Præfectus, aliàs Factor Generalis, reddituum Epiſcopalium, ac prædictus Notarius, ſeu Computiſta, & Scriba. Primus prædictorum Nobilium Laicorum erat Illuſtriſſimus Dominus Franciſcus Forzadura Juriſutriuſque Doctor, cujus Familiam antiqua Nobilitas, pluralitas Equitum Melitenſium, 24
multitudo Sapientum Aſſeſſorum apud Patricios Venetos in Regimine Civitatum, ac opum copia reddunt conſpicuam, ſed ejus perſonam venerabilem faciebant primaria Civitatis munera laudabiliter exercita; prudentiæ, ac intelligentiæ præclara facinora, at potiſſimùm Pietatis in Deum, ac æternæ ſalutis ſtudium, cujus cauſa per triennium ante mortem, divitiis, ac honoribus ſpontè renuncians, ſeceſſit in ſolitudinem campaneæ Baſſanenſis, ubi propriam Domum, ac Oratorium Sacrum poſſidebat; ibique ſpiritualibus Lectionibus, atque Meditationibus vacans ſanctè in Domino quievit. Secundus ex prædictis Nobilibus Viris erat
Comes Bonifacius Borromeus, Divo Carolo Mediolanenſi Pontifici & ſanguine, & devotione conjunctus. Hic adoleſcens in Aula Sereniſſimi Ferdinandi Archiducis Auſtriæ educatus, & nobiliores edoctus virtutes, domum reverſus, prudentiâ, ac probitate eximius, primis hujus Patriæ functus honoribus, ob has animi prærogativas ab Eminentiſſimo Præſule dilectus, fuit ad hanc Congregationem deputatus, & in ſuæ teſtimonium dilectionis, majori, ex tribus ejus filiis Laurea Doctoratus inſignitis, pinguem contulit in hac Eccleſia Cathedrali Canonicatum. Tertius 25
erat Comes Nicolaus de Fraſcatis, Progenitorum nobilitate, probitate, ac doctrina celebris; qui iiſdem prærogativis, aliiſque Chriſtianis virtutibus, quibus incedit ornatus, celebrior; in Collegio DD. Philoſophorum hujus celeberrimi Patavini Gymnaſii cooptatus, ac inter Decuriones Urbis non ſemel aſſumptus, pariter huic Epiſcopali Congregationi fuit per Eminentiſſimum Antiſtitem adſcriptus. Hi igitur tres nobiliſſimi Cives, unâ cum præcitatis Epiſcopalibus Miniſtris, res œconomicas Eminentiæ ſuæ dirigebant, & quidquid ad redditus annuos Epiſcopatus exigendos, ſartos, tectoſque ſervandos, 26

cogno-

cognoſcebant expedire , ordinabant, decernebant, ac terminabant; eorumque mandata , decreta , ac terminationes in hoc Libro Notarius Computiſta ſcribebat , & juxta id, quod ſcriptum erat, Factor Generalis , ac alii ſubordinati Actores Epiſcopales operabantur .

Erant autem multiplices , hique ſalutares effectus , quos Eminentiſſimus Præſul Barbadicus ex prædictis ſeptem Libris colligebat . Siquidem ex Libro
27 ſtatus Animarum cognoſcebat , quos Laicos obligatus eſſet monere , & corrigere , qui inconfeſſi erant , ac in peccatis vivebant ; correctio enim fraterna , quæ in privatis perſonis eſt actus
28 charitatis, in Epiſcopo eſt actus juſtitiæ; quam ſi negligat , vel omittat , peccat mortaliter . Sylveſter *in Verb. Correctio* . ubi S. Thom. *q*. 4. & præcipuè contra Concubinarios , aut inimicitias nutrientes , circa quos Epiſcopus ſollicitè tenetur agere , & operari , ut illi emendentur , & hi ad pacem reducantur , aliàs ipſe eſt reus culpæ gravis . Gloſſa *in cap. Unum. Verb. Neglexerint . diſt.* 25. *cap. Præcipimus . cap. Studendum . diſt.* 90. Barboſa *de Jur. Eccl. Univ. libr.* 1. *cap.*11. *num.*82. Concil. Trident. *ſeſſ.* 25. *de Ref. cap.*14. Bulla B. Pii V. Incipit : *Cum primum* . de *Anno* 1665. de qua Garzias *de Benefic. part.*11. *cap.* 10. *num.*188. Ex Libro Status Doctrinæ Chriſtianæ ſciebat , an Parochi eſſent ſolliciti in ea plebibus ſuis exponenda , ad quam expoſitionem ſedulam tenentur ſub mortali . Barboſa *allegat.* 76. *num.* 39. Emanuel Sà *Verb. Parochus num.*5. Cumque Epiſcopus ſit primus Parochus in tota Diœceſis , im-
29 munis eſſe non poteſt à peccato , ſi circa hanc obligationem aliorum Parochorum non ſit vigil . *cap. Quæcunque* . 10. *q.* 1. *cap. Præcipimus* . 12. *q.*1. Ex Libro Status totius Cleri , morum , ac ſtudiorum Clerici cujuſcunque , deprehendebat , quos ad ordines promovere oporteret , & quos repellere ; quibus beneficia elargiri , & quibus denegare ; cum ſtrictiſſimè teneatur Epiſcopus hanc utramque obſervationem facere , & obligationem , quæ ex juſtitia eſt , ad-
implere ſub gravi culpa . *cap. Præcipi-* 30
*mus . diſt.*34. *cap. Illiteratos . diſt.* 36.*cap. Licet ergo* . 8.*q.*1. *cap. Nihil . De Elect.* Sayrus . *De Cenſuris libr.*6. *cap.* 13. *nu.*8. Ex Libro examinum Confeſſariorum tuebatur ſeipſum Eminentiſſimus Antiſtes à duobus illis periculis , de quibus ſummoperè expavebat , ſcilicèt de aggravanda conſcientia ſua peccato lethali , ſi Sacerdotes ignorantes præficerentur confeſſionibus populorum au- 31
diendis , & de nullitate abſolutionis , quam ipſi iiſdem impertirent ; prout de utroque periculo teſtatur Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Pœnit. diſp.* 20. *num.* 28. & *num.* 53. cujus ponderoſa verba retuli in Deciſionibus meis Miſcellaneis *Deciſ.* 125. *num.*5. Augebatur autem hæc ſecuritas in Eminentiſſimo Præſule , dum revolveret Librum ſtudii caſuum conſcientiæ , ac prudentiæ ; in quo intuebatur tùm Parochorum , tùm Capellanorum ſolertiam in eis reſolvendis , quæ eorumdem ſtudii erat irrefragabile teſtimonium . Eamdem conſcientiæ ſecuritatem fovebat in Eminentia ſua Liber cauſarum civilium, ac criminalium in ſuo Tribunali pendentium ; quandoquidem tenentur Epiſcopi Deo rationem reddere , & ſuis ſubditis damna,& intereſſe compenſare , reſultantia tùm ex inſcitia , tùm ex negligentia Miniſtrorum , quos ad eaſdem 32
cauſas deputant judicandas , ſi tardè , vel malè eas expediant . Innocent. *in cap. Ad hæc. De Offic. Archid.* Genuenſis *in Man. cap.* 41. Piaſecius *part.* 2. *cap.* 4. *art.* 1. *num.* 15. cumque ſingulis hebdomadis ageretur in Congregatione de harum cauſarum expeditione , ordo , & meritum earumdem ſtabat in tuto. Tandem ex Libro Rerum Œconomicarum , & adſiſtentia Virorum Nobilium , ac prudentum , de quibus ſupra , certus fiebat Prælatus de defenſione , ac conſervatione redditaum Epiſcopatus , ſibi ex præcepto incumbente . *cap. Auguſtino* . 12. *q.* 2 *cap. Convenior* . 31. *q.*8. ac ulterius ( quod ſibi manebat alta mente repoſitum ) uberio-

res

Digitized by Google

res poſſe facere Eleemoſynas, quo major erat eorumdem redditiuum exactio: ſciebat enim, & ſæpè ſecum ruminabat verba S. Gregorii Papæ relata in *cap. Fratrem noſtrum. diſt.* 86. Oportere ſci-
33 licèt, quod Epiſcopus *non ſibi credat, ſolam lectionem, & orationem ſufficere, ut remotus ſtudeat ſedere, & de manu minimè fructificare. Largam manum habeat; neceſſitatem patientibus ſuccurrat, alienam inopiam ſuam credat: quia ſi hæc non habet, vacuum Epiſcopi nomen tenet*. Eminentiſſimi Barbadici S. M. Patavini Antiſtitis liberalitas erga pauperes, & inopes nota eſt toti Urbi, ac Orbi. Libri Epiſcopatus, in quibus ejus eleemoſynæ notatæ reperiuntur, teſtantur, eas excedere ſummam centum millia Ducatorum. Jure comparandus venit ſanctis illis Præſulibus, quos Genuenſis recenſet *in Manuali cap.* 18.

## DECISIO XL.

### *ARGUMENTUM.*

De Subjecto Sacramenti Ordinis diſſeritur in hac Deciſione; quæ docet, eum eſse Virum quinque qualitatibus præditum, nempè Maſculum, baptizatum, ac confirmatum, in legitima ætate conſtitutum, bonis moribus, litteris, intentione ſerviendi Deo ornatum, atque à canonicis impedimentis, immunem. Plura curioſa dubia reſolvuntur: præcipuè An Fœminæ, ac Pueri infantes validè poſſint ordinari? Tandem recenſentur impedimenta 40. è Sacris Canonibus collecta, quorum aliquo detenti non debent ordinari.

### SUMMARIUM.

1 *Qualitates quinque neceſſariæ in Ordinandis. Et quæ?*
2 *Baptizatus ſi quis non eſt, invalidè ordinatur?*
3 *Fœminæ an poſſint validè ordinari?* & num. 7.
4 *Fœminæ multæ Propheteſſæ.*
5 *Fœmina Joanna Papiſſa*. Et num. 10.
6 *Fœminæ in Mengrelia audientes Confeſſiones, & miniſtrantes Sacramenta.*
7 *Hæretici, qui docuerunt, Fœminas poſſe ordinari.*
8 *Fœminarum conditio eſt, ut ſint ſubditæ viris.*
9 *Prophetiæ dono cur fœminæ ſint capaces?*
10 *Joannes Papa VIII. cur dictus* Papiſſa?
11 *Fœminis an Prima Tonſura, & Minores ordines dari poſſint ex diſpenſatione Papæ?*
12 *Hermaphroditi quando poſſint ordinari?*
13 *Ætas in ordinandis de Jure antiquo: Item de Jure novo.*
14 *Minores ordines in qua ætate poſſint conferri?*
15 *Ætas pro majoribus ordinibus ſuſcipiendis; & pro Epiſcopatu, ac Papatu.*
16 *Ordinari an quis poſſit ante aliquas horas complementi Anni?*
17 *Biſſextus dies an computandus pro complemento Anni?*
18 *Regularium Privilegia revocata quo ad ætatem pro ordinandis.*
19 *Ordinatus ante legitimam ætatem quas pœnas incurrat?*
20 *Infans an validè poſſit ordinari etiam in Sacris?*
21 *Epiſcoporum ordinantium pueros ante legitimam ætatem, pœnæ.*
22 *Mores quales requirantur in ordinandis?*
23 *Inquiſitio facienda per Prælatos de moribus ordinandorum.*

24 *Scien-*

24 *Scientia in ordinandis quæ, & quanta eſſe debeat?*

25 *Epiſcopi peccant mortaliter ordinando ignorantes; & remanent ſuſpenſi à collatione ordinum.*

26 *Regulares egent minori ſcientia pro ordinibus. Ac etiam Cantores, & alii ut hic.*

27 *Illiteratus ordinatus an ſit Irregularis?*

28 *Intentio recta pro ordinibus ſuſcipiendis quæ ſit?*

29 *Clericus in minoribus ducens Uxorem an peccet?*

30 *Subdiaconus, ac Diaconus nolentes aſcendere ad Sacerdotium an peccent?*

31 *Impedimenta Canonica 40, quæ obſtant, ne ordines recipiantur.*

32 *Eunuchi, & Caſtrati an poſſint ordinari?*

33 *Simoniam pro ordinibus committentium pœnæ.*

34 *Ordines quibus temporibus conferendi?*

35 *Interſtitia ſervanda ab ordinandis?*

36 *Ordinati ab Epiſcopis Hæreticis, Schiſmaticis, vel Excommunicatis ſunt ipſo Jure ſuſpenſi.*

37 *Ultramontani, Galli, Hiſpani quando ſint ordinandi in Italia?*

38 *Græci non ſunt ordinandi ab Epiſcopo Latino. Neque è contra.*

39 *Effectus Ordinis duo. Gratia, & Character.*

EXplicitis omnibus, quæ ad perſonam Miniſtri Sacramenti Ordinis, qui eſt Epiſcopus, & ad ejus officium Paſtorale pertinent; opus eſt tranſire ad ſubjectum hujus Sacramenti, & declarare, quænam perſonæ poſſint ad Ordines promoveri, ac quibus qualitatibus eas conveniat eſſe ornatas,
1 ut validè, ac licitè ordinentur. Igitur quinque qualitates concurrere debent in ordinandis; quarum quatuor ſunt affirmativæ, quinta autem negativa: Videlicet

1. Ut ordinandus ſit homo Chriſtianus, Confirmatus, & habeat ſexum virilem.

2. Ut ſit conſtitutus in debita ætate.

3. Ut bonis moribus, ac Litteris ſit imbutus.

4. Ut rectâ intentione ſit præditus.

5. Ut nullum habeat Canonicum impedimentum.

Quo ad Primam Qualitatem. Debet in primis, qui petit Ordinis Sacramentum, eſſe Chriſtianus, ideſt baptizatus; nam ſine Baptiſmo nullum poteſt recipi Sacramentum, & eo minùs Ordines; &
invalida eſſet Ordinatio, ſi ad eam ad- 2
mitteretur non baptizatus. *cap. ſi Presbyter. 1. q. 1. cap. Paſtoralis. De Sacram. non iteran.* Item debet etiam eſſe Confirmatus. Concil. Trident. *ſeſſ. 23. de Ref. cap. 4.* etſi non confirmatus validè ordinaretur, ſed ſupplenda eſſet Confirmatio. *d. cap. Paſtoralis.* Diana Coordinatus *tom. 2. tract. 5. reſol. 100.* & Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp. 9. num. 57.* At fas eſt, ut ipſe ordinandus inter cœtera ſexum habeat virilem. S. Thomas *in 4. ſent. diſt. 25. q. 2. art. 1.* Scotus *ibid. §. Hic breviter*. ac S. Bonaventura *p. 3. q. 1.*

Hujus occaſione qualitatis diſputant Scholaſtici, an Fœminæ adeò ſint incapaces Sacramenti Ordinis, ut ſi de facto ordinarentur, non eſſent validè or- 3
dinatæ, neque reciperent characterem? Et prima facie videbatur dicendum, quod characterem reciperent, & quod eſſent validè ordinatæ. Primò, quia majus eſt officium prophetandi, quàm officium offerendi, & ſacrificandi. S. Thomas *in 3. p. q. 39. art. 1. ad primum*. Sed multæ Fœminæ fuerunt Propheticſæ tùm in Lege veteri, ut de Maria ſorore Moyſis *Num. 12.* tùm in Evange- 4
lio, ut de Anna Phanuelis filia *Luc. 2.* & de aliis Sanctis Virginibus, ut de S. Eliſabeth Abbatiſſa Monaſterii Sconaugienſis, de S. Hildegarde, Geltrude, Metilde, & aliis, quas commemorat Petrus Antonius Tornamira in ſua Hiſtoria Monaſtica S. Benedicti Abbatis,

Digitized by Google

tis, *Libr.3. cap.* 2. §. 8. præter plurimas Sanctas, quas ſpiritu Prophetiæ dotatas fuiſſe legimus in Romano Breviario. Ergo ſi quod majus eſt, competit fœminis, iiſdem etiam quod minus cenſetur, poteſt convenire, juxta règulam *in cap. Si Paulus.* 32. *quæſt.* 5. *cap. Quilibet. diſt.* 40. Secundò, quia olim in Eccleſia ordinabantur Diaconiſſæ, & erant Subdiaconiſſæ, Presbyteræ, ac Epiſcopæ. *cap. Mulieres.* 32. *diſt. cap. Diaconiſſam.* 27. *quæſt.* 1. Tertiò, quia multi Hiſtorici referunt, Joannam fœminam Anglicanam aſſumptam fuiſſe ad Pa-
5 patum, & ſe nominaſſe Joannem Papam VIII. ut videre eſt apud Philibertum *tract.* 1. *part.* 4. *cap.*1. *numer.* 19. Leandr. *tract.* 6. *diſp.* 5. *quæſt.* 2. & Salmanticenſes *de Sacram. Ordin. tract.* 8. *cap.* 5. *numer.* 3. Quartò, quia Mulieres in Regione Mengrelia, quæ eſt antiqua Colchis, Anno 1614. repertæ ſunt à Miſſionariis Apoſtolicis audire Sacramentales Confeſſio-
6 nes, & alia Sacramenta Eccleſiæ miniſtrare, ut noviſſimè legitur in Annalibus Sacerdotii, & Imperii, erudita calamo conſcriptis, etſi vulgari Idiomate, per Illuſtriſſimum Batalginum Epiſcopum Nucerinum *d. Anno* 1614. *numer.* 28. Quintò, quia apud Deum non datur diſtinctio perſonarum, neque conditionis, neque ſexus, ſed omnes homines maſculi, & fœminæ conditi ſunt ob æternam ſalutem, capaceſque facti ſunt Sacramentorum, teſte Apoſtolo *ad Galat.* 3. ibi: *Non eſt ſervus, neque liber, non eſt maſculus, neque fœmina.* Ergo etiam fœminæ poſſunt ſumere Sacramentum Ordinis.

His tamen non obſtantibus dicendum eſt, ſexum fœmineum non eſſe capacem Sacramenti Ordinis, & ſi de facto mulier ordinaretur, invali-
7 da eſſet ordinatio; & contrarium aſſerere hæreſis foret, quam profeſſi ſunt olim Cataphrygæ, Peputiani, & alii, inter quos Wiclefus, & ejus diſcipuli, qui omnes errorum ſordes congregarunt, & docuerunt, etiam mulieres baptizatas ad Sacerdotii ordinem poſſe aſſumi, ut ſcribit Valdenſis *Libr. de Sacram. cap.* 59. Hunc pariter errorem diſſeminarunt Hæretici Marcoſtiani, Quintiliani, ac Colliridiani, aſſerentes, etiam fœminas eſſe capaces Sacerdotii, & Prælaturæ, ut notat Emin. Card. de Lauræa *de Sacram. Ord. diſp.* 9. *numer.* 2. Idcircò eſt de fide, quod mulieres non ſunt capaces Sacramenti Ordinis, quia Chriſtus Dominus in ultima Cœna ſolos Viros, ideſt Apoſtolos ordinavit; & iiſdem Apoſtolis facultatem remittendi peccata commiſit *Joan.* 20. nec legitur, ipſum aut Sanctiſſimæ Virgini MARIÆ Matri ſuæ, aut aliis Mulieribus, ſibi ſanguine, charitatevè conjunctis, talem dignitatem conceſſiſſe. Ergo ſignum eſt, fœmineum ſexum illius eſſe incapacem ex inſtitutione Chriſti. Ratio autem rationis eſt, quia Sacramentum Ordinis eſt ſignum practicum, & ideò obtinere debet non ſolùm productionem rei, ſed etiam ſignificationem illius; quemadmodum in Extrema Unctione requiritur, quod ungendus ſit infirmus, ut ſignificetur neceſſitas curationis. At in fœmineo ſexu non poteſt ſignificari ſuperioritas gradus, quam importat character Ordinis, eo quod Mulier ſtatum ſubjectionis ex natura ſua ſortita eſt juxta illud *Geneſ.* 3. *ſub viri poteſtate eris.* ut benè docet S. Thomas 3. *p. quæſt.* 39. *art.* 1.
quapropter, ſi Mulier eſſet capax or- 8
dinum, poſſet in Eccleſia prædicare, docere, imò ad Epiſcopatum aſcendere, & ſic aliis præeſſe; quæ omnia prohibita ſunt mulieribus. *cap. Mulier. diſt.* 23. *cap. Mulier. de Conſecr. diſt.* 4. *cap. Nova quædam. De Pœniten. & Remiſſ.* juxta id, quod ait Apoſtolus 1. *Timoth.* 2. *Mulierem in Eccleſia docere non permitto; nec dominari in virum.* Hoc idem latiùs demonſtrant Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 5. *à numer.* 7. *& ſeqq.* & Eminentiſſ. Cardin. de Lauræa *d. diſp.* 9. *à num.* 3.

Digitized by Google

*à numer.* 3. addentes, quod ſi ſecùs eſſet, Eccleſia in tot ſæculis ordinaſſet, ac ad Sacerdotium promoviſset aliquas ex tot ſanctis Mulieribus, quæ in ea floruerunt; quod nunquam reperitur factum fuiſſe.

Neque obſtant argumenta contraria. Non primum, ad quod reſpondet S. Thomas *d. part.* 3. *quæſt.* 39. dicens *art.* 1. quod *Prophetia non eſt Sa-*
9 *cramentum, ſed Dei donum, undè ibi non exigitur ſignificatio, ſed ſolùm res; & quia ſecundum rem in his, quæ ſunt animæ, mulier non differt à viro, cum quandoque mulier inveniatur melior quantum ad animam multis viris, ideò donum Prophetiæ poteſt recipere, ſed non Ordinis Sacramentum*. Ad Secumdum reſpondetur, Diaconiſſas non fuiſſe promotas ad Sacramentum Ordinis, ſed ad ſimplicem benedictionem, ut exercere poſſent illos charitatis actus, quos magis fœminas, quam Clericos decebant, ut latè expoſuimus ſupra *Deciſ.* **XXXI.** ubi etiam diximus Presbyteras, Epiſcopas, & alias hujuſmodi fuiſſe uxores Presbyterorum, ſeu Epiſcoporum, qui de earum conſenſu Ordines Sacros ſuſcipiebant, & ipſæ votum emittebant continentiæ. Ad Tertium reſpondent Emin. Cardinales Bellarminus *libr.* 3. *de Pontif. Rom. cap.* 24. Baronius *ad Annum Chriſti* 853. & Philibert. *d. tract.* 1. *part.* 4. *cap.* 1 *nu.* 21. rem illam eſſe fabuloſam; & indè pro-
10 ceſſiſſe, quod ille Pontifex nimis deſtitutus erat fortitudine, conſtantiâ, ac prudentiâ in regimine Pontificatus, prout exemplis comprobat noviſſimè Palatius *in Geſtis Pontific. Romanor. tom.* 2. in Joannis Papæ VIII. vita; ob quas ejus frigiditates in operando communiter vocabatur *Papiſſa*. Idem notant Barboſa *de Jure Eccleſ. Univ. libr.* 1. *cap.* 1. *num.* 81. & 82. Nicolius *in Floſculis Verb. Papa*. & Salmanticenſes *d. cap.* 5. *num.* 12. addentes, Eſto tamen, quod illa Hiſtoria fuiſſet vera, prædicta aſſerta Joanna non fuiſſet verus Pontifex, cum præcedere debeat in eo tùm Epiſcopatus, tùm Presbyteratus, cujus omninò incapax eſt Fœmina; cui neque minores Ordines, neque prima Tonſura poteſt conferri ex 11
diſpenſatione Papæ, ut advertunt Sanchez *Conſilior. libr.* 7. *cap.* 8. *num.* 3. & Vaſquez *tom.* 3. *in* 3. *p. diſp.* 245. *cap.* 2. & alii apud eoſdem Salmanticenſes *d. cap.* 15. *num.* 13. ubi confutant nonnullos DD. ſecùs ſcribentes. Ad Quartum reſpondetur, non eſſe mirum quod in Mingrelia, quæ eſt pars Eccleſiæ Orientalis penès mare nigrum prævaluerit ille error circa mulieres, cum alii plures errores foveant, etiam circa Baptiſmum, ut legitur in iiſdem Annalibus. Ad Quintum reſpondetur, non eſſe diſtinctionem coram Deo circa ſalutem æternam, ſecùs quo ad Sacramentum Ordinis ſuſcipiendum, ſacrificandum, & à peccatis abſolvendum. Quod ſi quis petat, An Hermaphroditi poſſint validè, & licitè ordinari? Pro validitate videant meas Deciſiones *D. Sacram. Pœnitentiæ Deciſ.* 43. in qua plenè hanc materiam tractavi, & *ſub num.* 18. dixi, quod quando prævalet ſexus maſculinus validè poſſent ordinari, quod docent etiam Salmanti- 12
cenſes *d. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 14. 15. & 16. Nota *ly Validè*, quia *licitè* numquàm poſſunt ad ordines promoveri, ſi nota ſit duplicitas ſexus, ſiquidem ſunt irregulares. S. Antoninus 3. *part. tit.* 28. *cap.* 6. §. 5. Sylveſter *Verb. Hermaphroditus*, & noviſſimè Emin. Card. de Laurea *d. diſp.* 9. *num.* 13.

Quo ad Secundam qualitatem promovendorum ad ordines, hæc conſiſtit in eo, quod hi habeant legitimam ætatem; circa quam etſi antiquis temporibus diverſa emanaverint decreta Conciliorum, videlicèt quod Subdiaconi 13
non ordinarentur, niſi haberent *Annos* 18. *Clem. Unic. De ætate, Ord. & Qual. præfic.* deindè *Annos* 20. *cap. Subdiaconus. diſt.* 77. Diaconi verò non promoverentur ad hunc ordinem, niſi haberent *Annos* 25. *cap. in veteri. ead. diſt.* 77. Sacerdotes autem non fierent, niſi habentes *Annos* 30. *cap. Si quis triginta. il* 1. *cap. Nemo. cap. Presbyter.*

*& cap. fin. diſt.* 78. Epiſcopi in ætate Annorum 30. *cap. Epiſcopus. diſt.* 77. *& diſt.* 78. per omnes *texx.* & *cap. Cum in cunctis. De Elect.* Nunc verò ad cognoſcendam ætatem ordinandorum attendenda eſt diſpoſitio Concilii Tridentini, quæ habetur *ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 4. *& cap.* 12. & eſt hujuſmodi. Prima Tonſura non detur ante uſum rationis, qui præſumitur in ætate annorum ſeptem. Pro minoribus ordinibus nulla eſt ætas diffinita, ideò pro
14 arbitrio Epiſcopi poſſunt conferri ab anno ſeptimo uſque ad annum 14. & deinceps, juxta habilitatem, & capacitatem puerorum, qui poſtulant promoveri. Sotus *in* 4. *diſt.* 25. *q.* 1. *art.* 2. Trullench. *libr.* 6. *cap. unic. dub.* 10. Averſa *de Ordine q.* 3. *ſect.* 8. & alii, quos allegant, & ſequuntur ipſi Salmanticenſes *d. cap.* 5. *num.* 29. & quibus conformis eſt Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.*
15 9. *num.* 27. Ad majores ordines idem Trid. Concilium *d. ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 12. pro Subdiaconatu aſſignat *Annum* 22. incæptum; pro Diaconatu *Annum* 23. prò Sacerdotio *Annum* 25. pariter incæptos. Ad Epiſcopatum Annum 30. idem ad Cardinalatum, etſi pro utroque Papa poſſit diſpenſare. Ad Summum Pontificatum nulla eſt ætas in jure aſſignata. Ita Salmanticenſes *d. cap.* 5. *num.* 30. Et Emin. Card de Lauræa *num.* 35. ubi notat, fuiſſe diſpenſatum cum S. Ludovico Tholoſano Ordinis Fratrum Minorum, filio Regis Siciliæ, ut poſſet conſecrari Epiſcopus in ætate 23. Annorum.

Porrò circa hanc præfinitam ætatem pro ordinibus plura dubia tractant DD. *Unum* eſt, an qui in die Sabbati quatuor temporum compleret Annum 24. & inciperet Annum 25. hora Veſpertina, puta hora 22. poſſet hora 15. vel
16 16. Matutina ordinari in Presbyteratu? Et reſpondent Affirmativè, quia parùm pro nihilo reputatur, & in favorabilibus dies incæptus habetur pro completo. DD. quos citat, & ſequitur Diana Coordinatus *d. tom.* 2. *tract.* 5. *reſol.* 103. *reſol.* 104. *& reſol.* 105. nec non Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 31. Ipſe tamen Diana allegat etiam Theologos tenentes contrarium. *Alterum* dubium eſt, An ad complementum Annorum pro ordinibus ſuſcipiendis ſit computandus dies biſſextus in Anno biſſextili? Circa quod alii aſſe- 17
runt, alii negant, ut videre eſt apud Barboſam *de Epiſc. alleg.* 101. *num.* 13. Narbonam *de Ætate Ann.* 25. *q.* 55. *num.* 6. Sed tutior eſt opinio, quod ſit computandus tàm pro ordinibus ſuſcipiendis, quàm pro Profeſſione Religioſa facienda. Sanchez *de Matrim. libr.* 2. *diſp.* 24. *num.* 22. Bonacina, Leander, Philibertus, & alii, quibus citatis adhærent Salmanticenſes *d. cap.* 5. *num.* 33. *Tertium* dubium eſt, An Regulares habeant aliquod Privilegium, quo poſſint ordinari ante tempus, & Annos à Concilio Tridentino præſcriptos? Multi multa dicunt, allegantes Privilegium Innocentii VIII conceſſum Fratribus Minoribus, ut Generales, & Provinciales eorum, ex juxta cauſa poſſint diſpenſare cum ſuis ſubditis, ut poſt 22 Annum ad Sacerdotium admittantur. Sed dicendum eſt, etiam 18
Regulares eſſe debere in ætate à Tridentino Concilio requiſita, cum *in ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 12. præcipiat ita: *Regulares quoque, nec in minori ætate, nec ſine diligenti Epiſcopi examine ordinentur; privilegiis quibuſcunque quo ad hoc penitùs excluſis.* Et ita docent, pluribus pro hac opinione allegatis, iidem Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 5. *num.* 37. qui *num.* 39. advertunt, quod qui ſcienter reciperet ordinem ante legitimam ætatem, incurreret ſuſpenſionem ipſo jure, à qua non eſſet libera- 19
tus completa poſtea ipſa ætate, ſed egeret diſpenſatione Papæ; niſi hæc ſuſpenſio eſſet omninò occulta, à qua poſſet diſpenſare Epiſcopus vigore Trident. Concil. *ſeſſ.* 24. *de Ref. cap.* 6. at ſi exerceret ordinem ante diſpenſationem fieret Irregularis à ſolo Papa diſpenſandus. Quod ſi ante ætatem ordinaretur ex ignorantia inculpabili, eſſet quidem ſuſpenſus, ſed adveniente

ætatis

ætatis complemento poſſet abſque diſpenſatione ordinem exercere; quem etiamſi exercuiſſet ante completam ætatem, minimè factus eſſet Irregularis. Ita DD. Salmanticenſes *d. num.39.* & ibi etiam Diana Coordinatus, Trullench, Averſa, & alii. *Quartum* dubium eſt, An puer ante uſum rationis poſſit validè promoveri ad Ordines
20 etiam Sacros? & quod magis eſt etiam ad Epiſcopatum? Circa quam dubitationem etſi plura ſint argumenta fortiſſima pro negativa opinione, quæ referuntur à Salmanticenſibus *d. tract.* 8. *cap.5. à num.* 17. *& ſeqq.* Nihilominùs omnes Scholaſtici utriuſque Scholæ amplectuntur affirmativam, quam docuerunt, & tenuerunt S. Thomas *in* 4. *diſt.* 25. *q.*2. *art.*1. nec non *in 3. p. q.* 39. *art.*2. Scotus, S. Bonaventura *in d. diſt.* 25. Sanchez *tom.* 2. *Conſil. libr.* 7. *cap.*3. *dub.* 32. *num.* 2. alios DD. cumulans, quibus adhæret etiam Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.*9. *art.*2. Ratio eſt, quia ut docet S. Thomas *ubi ſupra*, Sacramenta, quæ imprimunt characterem, non petunt ex neceſſitate conſenſum ipſius recipientis, ut patet in Baptiſmo, & in Confirmatione, & ideò idem in Ordine. Ulteriùs hæc Sacramenta imprimentia characterem conferunt poteſtatem, ſeu potentiam ad actum: ſed potentia debet ſemper actum præcedere. Ergo, quamvis pueri pro illo ſtatu carentiæ uſus rationis non poſſint habere actum Ordinis, poſſunt potentia, ſeu charactere potiri; ſicut pro tunc habent potentiam intellectus, & voluntatis humanæ, quamvis actus voluntatis, & intellectus elicere nequeant humanos. Tùm deñique, quia in his Sacramentis non requiritur, quod agat, qui illa recipit, quia actus illius non ſunt neceſſarii ad Sacramentum, ſed quod patiatur, & recipiat; & ideò quamvis non poſſit Miniſter conferens Ordines abſque intentione debita illos conferre, quia agit, & ſe habet ut Agens; parvulus tamen abſque illa poteſt ea recipere, quia ſe habet ut patiens, & ut recipiens. Hæ, & aliæ rationes videri poſſunt à ſtudioſis apud Salmanticenſes *d. tract.*8. *cap.*5. *dub.*2. nec non apud Emin. Card. de Lauræa *d. diſp.* 9. *art.* 2. *per totum*, qui de hoc dubio diffusè diſſeiunt, etſi merè ſpeculativo, quia prohibitum eſt illud ad actum deducere à Jure Canonico, ut legitur *in cap. fin.* 21
*de Tempor. Ordin. in* 6. & Epiſcopus, qui infantem ordinaret ante ſeptennium, incurreret ſuſpenſionem à collatione ordinum per annum, quos ſi interim conferret, fieret irregularis à ſolo Papa abſolvendus, & diſpenſandus, ut oſtendit Theſaurus *de Pœnis Eccleſ. part.* 2. *Verb. Ordines. cap.* 1. *num.* 5. & ibi Theologi, ac Canoniſtæ.

Quo ad Tertiam Qualitatem promovendorum ad ordines, hæc verſatur circa mores, ac ſtudium eorumdem, adeòut ii ſint præditi bonis moribus, ac Litteris; & equidem quo ad mores non ſufficit, ut ſint abſque pecca- 22
to mortali, prout requiritur in aliis Sacramentis ſuſcipiendis, ſed quod ſint dediti virtutibus Chriſtianis, caſtitati, ſobrietati, pietati, & humilitati; ac vitia abhorreant, & ab illis ſint alieni; & circa hanc probitatem indagandam ſolliciti eſſe debent Prælati Superiores, ad quos ſpectat Clericos ordinare, vel, ut ab aliis ordinentur, ipſis dimiſſorias Litteras concedere, ut decernit Concil. Trident. *ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 3. quod ſi in hac indagatione deficiant, & promoveant indignos, praviſque moribus depravatos, peccant mortaliter, ut docet S. Thomas *in* 4. *diſt.* 24. *q.* 1. *art:* 3. *quæſtiunc.*4.

Ex his deducitur, non ſufficere, quod Prælatus Superior Ordinandorum neſciat, eos eſſe malæ vitæ, vel depravatorum morum; ſed debet inquirere, ac ſe certum reddere de pro- 23
bitate eorumdem. *cap. Nullius. diſt.* 24. in qua inquiſitione facienda ſervare tenetur ea, quæ præſcripta ſunt ab eodem Concilio Tridentino *ſeſſ.* 23. *de Ref. cap.* 5. ut notant Sanchez, Trullench, & alii apud Salmanticenſes *d. tract.* 8. *de Sacram. Ord. cap.*5. *à num.*

40. & ſeqq. & noviſſimè Theſaurus *de Pœnis Eccl. d. Verb. Ordines cap.* 4. & *ſeqq.* ubi Canones allegat decernentes pœnas, ac cenſuras tàm contra Epiſcopos, qui conferunt ordines indignis, quàm iſtis eoſdem ordines recipientibus. Ecce quam grandis eſt obligatio Epiſcoporum.

Ulteriùs requiritur ſcientia in ordinandis, & quod ſint præditi Litteris, vel magis, vel minùs juxta di-
24 verſitatem ordinum Pro prima Tonſura exigit Concil. Trident. *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 4. *de Ref.* ut ſit in rudimentis Fidei inſtructus, & ſciat legere, ac ſcribere vulgari idiomate, non Latino ex neceſſitate, ut latè probat Sanchez *tom.* 2. *Conſil. libr.* 7. *cap.* 3. *dub.* 45. *numer.* 10. Pro minoribus Ordinibus requirit, ut ordinandus ſaltem Latinam linguam intelligat, ait enim Concil. Tridentin. *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 11. *Minores Ordines iis, qui ſaltem linguam Latinam intelligant, per temporum interſtitia, niſi aliud Epiſcopo magis expedire videretur, conferantur.* Quorum occaſione verborum quærunt DD. utrùm Epiſcopus habeat arbitrium ordinandi Juvenem, qui neſciat linguam Latinam, ſi tamen ſit bonæ indolis, & pro ætate docilis, qui ſuo tempore diſcere eam poſſit? Affirmant Menochius *de Arbitr. Judic. caſu* 425. *num.* 56. & DD. apud Sanchez *d. dub.* 45. *num.* 13. ſed ipſe negat, *num* 14. opinans, quod Concilium in *d. cap.* 11. det arbitrium Epiſcopo tantummodò circa interſtitia, non autem circa non intelligentiam linguæ Latinæ. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum petit Concil. Tridentin. *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 12. ut promovendi ſciant linguam Latinam, qua id, quod legunt, intelligant, & quod ſint inſtructi in his, quæ ad illum ordinem pertinent; undè fit, quod non eſt conferendum beneficium neſcienti recitare Horas Canonicas, ut notant Sanchez *ubi ſupra num.* 6. & Salmanticenſes *num.* 44. Ad Sacerdotium, præter dicta exigit Concilium *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 14. & 15. ut ſciant, quæ ad eſſentiam Sacrificii ſpectant, & ad alia Sacramenta Baptiſmi, Extremæ Unctionis, & Pœnitentiæ, videlicèt eorum Materias, Formas, & ſuſcipientium animæ diſpoſitionem, etſi in hac ſcientia pares eſſe non debeant cum Parochis ipſis, ut volunt Averſa *quæſt.* 3. *ſect.* 8. Philibertus *tract.* 1. *part.* 5. *cap.* 1. *num.* 12. & Salmanticenſes *d. cap.* 5. *num.* 44. Ad Epiſcopatum autem requiritur ſcientia utriuſque Teſtamenti, & quod promovendus ad illum Doctor ſit in Jure Canonico, vel in Theologia; & habilis omninò ad docendum populos, ac prædicandum Evangelium. Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 22. *de Reform. cap.* 2.

Ex his omnes Doctores deducunt, quod Epiſcopus peccat mortaliter, qui
ordinat idiotas, ſeu neſcientes ea, quæ 25
à Concilio decernuntur, quia deficit in re graviſſima, qualis eſt, idoneos Eccleſiæ Miniſtros aſſignare; & ulteriùs ſi conferat primam Tonſuram illiterato incurrit ipſo facto ſuſpenſionem per annum à collatione primæ Tonſuræ. *cap. fin. de Tempor. Ordin. in* 6. At ſi ordinet Sacerdotem illiteratum, ipſe Epiſcopus remanet ſuſpenſus in perpetuum à collatione Ordinum per *text. in cap. Si qui Epiſcopi.* 1. *quæſt.* 1. Theſaurus *de Pœnis d. part.* 2. *Verb. Ordines cap.* 9. *numer.* 3. ubi DD. citat diſputantes, an dicta ſuſpenſio ſit latæ, vel ferendæ ſententiæ? ibi ab Epiſcopis legendos. Concordant Salmanticenſes *d. cap.* 5. *nu-*
*mer.* 46. addentes *numer.* 47. quod in 26
Regularibus ordinandis minor ſcientia requiritur, quàm in Clerico ſæculari; prout etiam in Sacriſtis, Cantoribus, & aliis in divinis Officiis verſatis, ut notant DD. quos ibi allegant Salmanticenſes, & Barboſa *de Epiſc. alleg.* 46. *numer.* 14. Tandem non ignorandum, quæſtionem eſſe in-
ter Scholaſticos, An illiteratus pro- 27
motus ad ordines ſit irregularis, adeò ut eos exercere non poſſit abſque Pontificia diſpenſatione? Et cum alii

DD. af-

DD. affirment, alii negent; Salmanticenſes *d. cap.* 5. *numer.* 49. media via properantes dicunt, ſi ſit penitùs illiteratus, itaut nihil ſciat de lingua Latina, erit utique irregularis, egens diſpenſatione; at ſi aliquantulum ſit inſtructus in lingua Latina, quamvis peccaverit in ſuſceptione ordinum, eos tamen abſque peccato poterit exercere.

Quo ad Quartam qualitatem ordinandorum; requiritur, ut qui ad Ordines accedunt, recta ſint intentione
28 præditi, ideſt ut intendant in iiſdem ordinibus permanere, ac Deo jugiter ſervire. Idcircò magnum eſt diſſidium inter DD. an ſit lethale peccatum recipere Tonſuram, aut Minores Ordines animo permanendi, & deſerviendi in eis tantummodò ad tempus, ad perfruendum Beneficiis, vel Privilegiis Eccleſiaſticis, & poſtea uxorem ducendi? Et quamvis multi negent, quos citant Salmanticenſes *d. tract.* 8. *cap.* 5. *numer.* 55. tamen plu-
29 rimi affirmant, & horum opinio eſt ſecurior, ut iidem Salmanticenſes aiunt, quia accedere ad ſtatum Clericalem animo eum relinquendi, eſt irridere illum; & ita ſentiunt etiam Bannez 2. 2. *quæſt.* 12. *art.* 1. *concl. ult.* Ledeſma *dub.* 5. *concluſ.* 2. Molfeſius *in Summa tract.* 2. *cap.* 17. *numer.* 1. & Philibertus *part.* 8. *cap.* 1. *numer.* 9. Et hoc idem affirmant de illis, qui primam Tonſuram acciperent, cauſa declinandi forum ſæcularem, & exemptionibus Clericorum uti ad tempus, ut latè demonſtrant iidem Salmanticenſes *d. cap.* 5. *punct.* 3. *per totum*; ubi tamen excuſant à mortali Clericum in minoribus conſtitutum, qui ex aliqua juxta cauſa uxorem duxerit, puta ad evitandam incontinentiam, vel ad ſucceſſionem familiæ propagandam; prout etiam affirmant non peccare illum, qui Ordines minores, vel Subdiaconatum, aut Diaconatum reci-
30 pit animo ibi permanendi, & non aſcendendi ad alios; ſed miniſtrandi debitè in Ordine ſuſcepto, & in eo perſeverandi, niſi ratione alicujus beneficii altioris gradus contingat ſe promoveri; ea ratione, quia omnes Ordines per ſe ſunt quidam gradus, in quibus ſiſtere licet, miniſtrando in ipſis, ac Domino ſerviendo; id quod feciſſe legitur Sanctus Franciſcus, qui ab Ordine Diaconatus ad Presbyteratum noluit aſcendere. Ita Salmanticenſes *d. cap.* 5. *numer.* 52. At faxit Deus, ut quod fecit ille Sanctus motivo profundæ humilitatis, ſit ejuſdem meriti, in multis Clericis id exequuntibus motivo excelſæ ignaviæ, vel mundanæ libertatis.

Quo ad Quintam, & ultimam Qualitatem ordinandorum, hæc eſt negativa, videlicèt, quod nullum habeant Canonicum impedimentum; & quoniam plurima ſunt impedimenta Canonica, referemus hîc principaliora, ut ea Studioſi ſummatim videant, ac Prælati unico intuitu deprehendere poſſint, quæ perſonæ ſint ad ordines admittendæ, & quæ ab 31
iiſdem repellendæ. Igitur admittendi non ſunt, ſed omninò ab ordinibus repellendi veniunt omnes ſequentes. I. Excomunicati excommunicatione majori. *cap. Cum illorum. De Sentent. Excommunic.* II. Qui aliqua ſuſpenſione ſunt affecti. Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 14. *de Reformat. cap.* 1. III. Qui Interdicto Eccleſiaſtico ſunt adſtricti. *cap. Alma Mater. De Sentent. Excommunic. in* 6. IV. Qui laborant infamiâ. *cap. Infames.* 6. *quæſt.* 1. V. Qui aliqua irregularitate detinentur. Concilium Tridentin. *d. ſeſſ.* 14. *cap.* 7. VI. Qui in examine per Epiſcopum faciendo non reperiuntur habere ſufficientem ſcientiam, ut dictum eſt ſupra *numer.* 24. *cap. Illiteratus. diſt.* 36. *cap. fin. de Temp. Ord. in* 6. Concilium Tridentin. *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 4. *& cap.* 11. VII. Qui libertate non gaudent, ſed ſunt ſervi, vel mancipia alterius. *cap. Nullus. cap. Nulli. cap. Magnus. & cap. De Servorum. diſt.* 54. *cap.* 1. *& cap. Conſuluit. de Servis non ordin.* VIII.

Qui

Digitized by Google

Qui obligati ſunt ad publica ratioci-
nia, vel ad aliquod onus perſonale.
Concil. Carthag. 1. cap. 8. cap. Si
quis obligatus eſt. diſt. 54. IX. Qui
32 ſunt ſpontè Caſtrati, vel facti Eu-
nuchi. cap. Si quis. cap. Hi, qui ſe.
diſt. 55. Dicitur ſpontè, quia ordina-
ri non prohibentur, qui caſtrati ſunt
in cunabulis. cap. Ex parte. De Corp.
vitiat. vel per inſidias hoſtium. Con-
cil. Nicen. 1. can. 1. vel à Medicis
ob infirmitatem. cap. Si quis pro
ægritudine. & cap. Eunuchus. diſt. 55.
X. Non poſſunt ordinari, qui legi-
timos non habent natales. cap. 1. &
cap. Litteras. De Filiis Presbyt. ni-
ſi fiant Religioſi. cap. 1. eod. tit. XI.
Neque Hæretici, vel qui veniunt de
Hæreſi. Concil. Nicen. 1. can. 10.
Innocentius IV. Conſt. 18. Noverit.
Paulus IV. Conſt. 19. Cum ex Apo-
ſtolatus. XII. Neque qui rebaptizati
ſunt. cap. Qui in qualibet. 1. quæſt. 7.
XIII. Neque Dæmoniaci, ſivè Ener-
gumeni, donec liberentur. cap. Com-
muniter. cap. Clerici. cap. Uſque
adeò. diſt. 33. XIV. Neque Publici
Pœnitentes, ideſt illi, qui propter
publica crimina, & ſcandaloſos ex-
ceſſus coacti ſunt agere publicam
pœnitentiam (quæ nunc utinam eſ-
ſet in uſu) cap. Maritum. diſt. 33.
cap. Ex Pœnitentibus. & cap. Pla-
cuit. diſt. 50. XV. Neque qui nul-
lius Eccleſiæ ſervitio eſt addictus, ſeu
cui debeat inſervire. Concil. Tri-
dentin. d. ſeſſ. 23. de Reform. cap. 16.
XVI. Neque qui Simoniaci ſunt, &
tentarunt per oblationem pecuniæ pro-
moveri ad Ordines, & forſan ad mi-
nores promoti per Simoniam fuerunt.
33 cap. Maritum. & cap. Communiter.
diſt. 33. cap. Præcipimus. diſt. 34. ſunt
enim Excommunicati, ſuſpenſi, &
interdicti tàm ordinans, quàm or-
dinati, & de graviſſimis pœnis ob
Simoniam in collatione Ordinum, &
quot modis ea committatur videndus
eſt Theſaurus de Pœnis Eccl. d. part. 2.
Verb. Simonia cap. 9. per tot. XVII.
Neque poſſunt ad Ordines promove-
ri, qui ſunt Bigami, ideſt qui duas
Uxores, aut unam Viduam habue-
runt. cap. Si quis Viduam. diſt. 34.
cap. Quicunque il 2. diſt. 50. cap. De
Bigamis. De Bigam. non ordin. XVIII.
Neque qui corpore ſunt vitiati, Gib-
boſi, Nani, Claudi deformiter, ni-
ſi aliud arbitretur Epiſcopus circa
parvum vitium, vel deformitatem.
cap. Priſcis. diſt. 55. XIX. Neque Li-
berti, ſi eorum Domini ſint vivi, ni-
ſi eorum accedat conſenſus. cap. Præ-
cipimus. diſt. 34. XX. Si ſint crimi-
noſi. cap. Ex tenore. De Tempor.
Ordin. XXI. Si ſint Uſurarii. cap.
De Petro. diſt. 47. XXII. Si ſint vin-
dicativi. Concil. Carthaginen. 4.
cap. 67. XXIII. Si ſint accuſati cri-
minaliter cauſa ipſa criminali pen-
dente. cap. fin. de Teſtib. XXIV. Si
quis ſolitus fuerit habere Concubi-
nam, vel Meretricem. d. cap. Ma-
ritum. diſt. 33. d. cap. Præcipimus.
diſt. 34. d. cap. Priſcis. diſt. 55. XXV.
Si quis ſit Maledicus, Blaſphema-
tor, aut lubricæ linguæ. cap. Cleri-
cus maledicus. diſt. 46. XXVI. Ne-
que ſi ſit Scurra, Jocolator, Comœ-
dus, ſeu Hiſtrio. Concil. Toletan.
17. cap. 23. XXVII. Prohibentur etiam
ordinari, qui milites fuerunt, & de
militia revertuntur. cap Si quis poſt.
diſt. 50. cap. Aliquantos. diſt. 51. XXVIII.
Item qui Seditioſi habentur. cap. Se-
ditionarios. diſt. 46. XXIX. Item
qui ad alienum Epiſcopum accedunt
ſine Litteris dimiſſorialibus ſui Ordi-
narii. cap. De aliena. diſt. 71. cap.
Si qui Clerici. 1. quæſt. 1. Concil.
Tridentin. ſeſſ. 6. de Reform. cap 5.
& d. ſeſſ. 23. de Reform. cap. 8. XXX.
Neque qui volunt ad Sacros Ordi-
nes promoveri, & non habent ſuf-
ficientem titulum, vel Beneficii, vel
Penſionis, vel Patrimonii ex Con-
cilio Tridentino ſeſſ. 21. de Reform.
cap. 2. de quo titulo triplici fusè egi-
mus ſupra Deciſ. XXVIII. XXXI.
Neque inter Latinos, qui ad Sacros
Ordines aſpirat, & non intendit ca-
ſtitatem ſervare. cap. Conjugatus. De
Con-

*Converſ. Conjugat. cap. Unico. Extravag. Joan. XXII. de Voto*. Concil. Tridentin. *ſeſſ. 22. de Reform. cap.* 13. Et noſtra *Deciſio XXVII.* hujus tractatus *de Sacramen. Ordinis* XXXII. Qui pro Sacris Ordinibus ſuſcipiendis non expectant quatuor anni tempora, aut Sabbatum ante Do-
34 minicam Paſſionis, vel ante Dominicam Reſurrectionis. *cap. fin. diſt.* 55. *& cap.* 1. *de Tempor. Ordin.* Porrò Epiſcopi ſunt ordinandi die Dominico. *cap. Ordinationes. & cap. Quod à Patribus. diſt.* 75. Ordines autem minores etiam in quolibet Feſto die conferri poſſunt. *cap. Quando. diſt.* 75. *cap. De eo autem. De Tempor. Ordin.* XXXIII. Neque poſſunt Clerici ordinari niſi poſt tranſactum annum ab ultimo Ordine ſu-
35 ſcepto; quia interſtitia ſunt ſervanda, niſi Epiſcopus ex juxta cauſa ſuper eis diſpenſet. Concil. Tridentin. *ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 11. *& cap.* 13. ita tamen, ut nequeat Epiſcopus eadem die duos Ordines Sacros conferre. *cap. Litteras veſtras. & cap. Dilectus. De Tempor. Ordin.* Concil. Tridentin. *d. ſeſſ.* 23. *cap.* 13. & debeat celebrare eorumdem ordinationes hora die tertia. *cap. Ordinationes. diſt.* 75. XXXIV. Item non poſſunt conferri Ordines ab Epiſcopo niſi in ſua Diœceſi, vel in aliena de expreſſa licentia Diœceſani. Concil. Trident. *d. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 8. XXXV. Neque ab Epiſcopo non habente Communionem cum Apoſtolica Sede, & ejus gratiam; ideò qui ſe faciunt ad Ordines promo-
36 veri ab Epiſcopis Hæreticis, vel Schiſmaticis, vel Excommunicatis, etſi validè ordinentur, ſi adhibeant veram materiam, formam, & intentionem, tamen ab exercitio Ordinum ſunt ipſo jure ſuſpenſi. *cap. Arianos. cap. Nos. cap. Excommunicati. cap. Per illicitam.* 1. *quæſt.* 1. Clemens VIII. in Conſtitutione 34. incipien. *Sanctiſſimus.* §. 4. XXXVI. Ultramontani ordinari non poſſunt ab Epiſcopo Italo ſine licentia Papæ, vel ſui Epiſcopi aſſignantis cauſam, quare non ordinavit. *cap.* 1. *De Tempor. Ordin. in 6.* Imò Galli, neque Hiſpani ab 37
Epiſcopis Italis ſunt ordinandi abſque Litteris dimiſſoriis proprii Epiſcopi recognitis à Nuncio Papæ, & examinatis Romæ à Vicario ejuſdem Papæ ſub ſuſpenſionis pœna, de qua in *Conſtit.* 33. Urbani VIII. incipien. *Secretis &c.* XXXVII. Græci non poſſunt ordinari ab Epiſcopo Lati- 38
no; neque Latini ab Epiſcopo Græco ſub pœna ſuſpenſionis ab executione ordinum. *cap. Cum ſecundum. & cap. Verò quod translationem. De Tempor. Ordinat.* XXXVIII. Pariter Ordines non ſunt ſumendi per ſaltum, ſed gradatim, ut docuimus ſupra *in Deciſ.* 4. XXXIX. Ad Ordines ſuſcipiendos accedere non poſſunt, quicunque laborant aliqua Irregularitate ex defectu non ſolùm corporis, ſed etiam animæ; & tales ſunt Neophiti in ætate adulta baptizati. *cap. Neophitus. diſt.* 6. Lunatici, Epileptici, ac perpetuò amentes. Maſtrius *in Theolog. Moral. diſp.* 13. *numer.* 168. ac Lepra, vel morbo Gallico laborantes. *cap. Tua nos. De Cleric. ægrot.* XL. Neque illi, qui dicuntur Irregulares ex defectu lenitatis, & ſunt omnes cooperantes ad homicidium juſtum, nempè Judices, Notarii, Accuſatores, ac Teſtes. *cap.* 1. *diſt.* 51. *cap.* 3. *Ne Clerici, vel Monachi. cap.* 3. *de Homicid. in 6.* nec non Chirurgi, qui abſcindunt, vel urunt membra; etſi ſecùs ſit de Medicis Phyſicis. *cap. Ad aures. De Ætate, & Qualit.* Hæc omnia ſunt principaliora impedimenta ſcitu digna, quorum reſpectu denegandi ſunt Ordines petentibus illos, ut fuſiùs diſſerunt tùm Scholaſtici Theologi, ac Summiſtæ, tùm etiam Canoniſtæ omnes in diſputationibus, & tractatibus de Sacramento Ordinis.

Corollarii loco advertendi ſunt Studioſi, quod hìc eſſent exponendi effectus

fectus hujus Sacramenti , qui ſunt
39 duo, Gratia, & Character; ſed quoniam de iiſdem egimus in noſtris Deciſionibus *de Sacramentis in genere ; Deciſ.* 17. ubi de Gratia ; & *Deciſ.* 19. in qua de Charactere , ideò illas adire iidem Studioſi non dedignentur; ex his enim hujus Tractatus fit.

# F I N I S.

INDEX

Digitized by Google

# INDEX
## VERBORUM, AC RERUM
### Notabilium in hoc Tractatu de Sacramento Ordinis.


**A**

Abbates an conferant Ordines minores? Deciſ. 6. n. 12.
Abbates Caſinenſes, quando cœperint uti Chirothecis in Miſſa ſolemni? Deciſ. 9. num. 5.
Abbates benedicti conferunt Tonſuram. Deciſ. 11. num. 20.
Abbates Presbyteri ordinant ſuos Monachos in minoribus. Deciſ. 14. num. 2, & 3.
Abbates alii Sæculares, alii Regulares. Deciſ. 15. num. 3. & 6. Ut ordines conferant, debent habere tria requiſita num. 7. Tria ſunt jura, quæ dant eis facultatem ordinandi. num. 11. Sed eſt reſtricta ad ſolos ſubditos Regulares. n. 15. & 17. Non ordinant extraneos cum dimiſſoriis Epiſcoporum. num. 19. & ſeqq. Si de facto eos ordinant, an validè ordinent? num. 32. & ſeqq. Finito regimine an poſſint ordinare ſuos Monachos num. 35.
Abbates habentes Territorium ſeparatum an poſſint ordinare ſuos ſubditos ſæculares, & dare eis Dimiſſorias? Deciſ. 15. num. 36 37. 38.
Abbas Montis Caſini, & alii Abbates Caſinenſes dant dimiſſorias ad ordines clericis ſæcularibus ſibi ſubditis. Deciſ. 15. num. 39. Item Nonantulæ, ac Vangadiciæ. num 40 41. 42.
Abbatis nomen quid ſignificet? Deciſ. 15. num. 1. Convenit omni Superiori Collegiorum. num. 2.
Abbates olim non ordinabantur ultra Diaconatum; ideò non conferebant ordines minores. Deciſ. 16. num. 7. & 8.
Abbates Caſinenſes benedicunt Paramenta, Calices, & Campanas; ſed pro ſuis Eccleſiis tantùm. Deciſ. 38. numer 5.
Abbatia Corbejenſis ditiſſima, & ubi ſit? Deciſ. 17. num. 21.
Abbatia Montis Crucium, ac Cortoroduli unita eſt Seminario Patavino. Deciſ. 28. num. 30.
Abſolvendi à peccatis poteſtas an detur in ſola traditione Calicis, ac Patenæ, dum ordinatur Sacerdos? Deciſ. 32. num. 23. & ſeqq. Dari non poteſt non valenti conſecrare Euchariſtiam. num. 49 Nec exerceri ſine approbatione Epiſcopi. Deciſ. 38. num. 28.
Abuſus non debent abolere præcepta Eccleſiæ. Deciſ. 4. num. 20 plurimi contra reverentiam Eccleſiarum. Deciſ. 17. num. 32.
Acceptio rei in civilibus fit moraliter. Deciſ. 8. num. 23.
*Accipe* Verbum requirit tactum phyſicum. Deciſ. 8. num. 29.
Acolythatus Ordo An ſemper fuerit in Eccleſia? Deciſ. 20. num 1. Quænam ſit ejus materia, & forma? n 17. & 18.
Acolythi Etymologia. Deciſ. 20. num. 1. & ſeqq Character in eo quando imprimatur? num. 19. Ejus officia quæ? num. 20 & ſeqq. An peccet ſerviens in mortali? num 23. Antiquitùs dicebatur Deputatus, ac Ceroferarius. Deciſ. 3. num. 43. An eſſent in primitiva Eccleſia? Deciſ. 6. num. 15 & 43.
Actio ſacra, quæ fit cum materia, & forma irreiterabiliter, eſt Sacramentum. Deciſ. 2. num. 17.
Adulti plurimi, qui non communicant ob incuriam Parochorum. Decil 39. n 4.
Aerei, & Wicleffi error, quod Ordo Presbyteralis idem eſſet ac Epiſcopalis. Decil 16. num. 36 & Deciſ. 35. num. 12.
Ætas pro recipiendis Ordinibus quæ, & qualis? ac quomodo attendenda? Deciſ. 40. num. 13. 14 & 15.
Albertus Magnus factus Epiſcopus Ratiſbonenſis Anno 1265. Deciſ. 22 num. 6.




Digitized by Google

Albigenſes hæretici aiebant, bonos Sacerdotes conſecrare Euchariſtiam, malos nequaquam. Deciſ. 32. num. 7.
Albini Alcuini atteſtatio de traditione Calicis, ac Patenæ in ordinando Sacerdote Anno 780. Deciſ. 32. num. 29. Ejus opinio circa materiam in ordinando Epiſcopo. Deciſ. 36. num. 14.
Alexandri Magni reverentia erga Pontificem Judæorum. Deciſ. 5. num 9.
B. Amadei Luſitani Reformatoris Ordinis S. Franciſci Laudes. Deciſ. 30. num 11.
Ambiani Civitas ubi ſit? Deciſ. 17 n. 23.
Ambonis vox quid ſignificet? Deciſ. 10. num. 20.
S. Ambroſius promotus primùm ad minores Ordines, deindè ad majores Deciſ. 1. num. 10 Ejus charitas erga obſeſſos. Deciſ. 19. num. 39.
Amodeæ Blondæ apparitio ſeptem Angelorum in forma humana. Deciſ. 19. num. 15.
S. Amphilochius ab Angelis ordinatus. Deciſ. 13. num. 24.
S. S. Anacleti, & Damaſi dictum difficile de Ordinibus. Deciſ. 6. num. 8.
Anathema eſt negare exiſtentiam Ordinum minorum, ac majorum in Eccleſia Deciſ. 1. num 19.
Angeli an poſſint eſſe Miniſtri Sacramentorum? Deciſ 13. num. 1. Ad ſeptem cuſtodienda deputantur, & quæ? n. 3. Tranſportarunt Domum Sanctam Lauretanam, ac alia Sacella. num. 4 & 5. Eorum cuſtodiæ varia Exempla. num. 6. 7. 8. 9. An poſſint ordines conferre? num. 11. & 19. Quomodo loquantur? num. 14. Eorum zelus pro ſalute hominum. num 15. An poſſint fulminare cenſuras? num. 17. Ex ſpeciali commiſſione Dei poſſunt Sacramenta miniſtrare. num. 25.
Angeli, & Animæ beatæ quomodo adinvicem loquantur? Deciſ. 18. num. 34.
Angeli plures poſſunt eſſe in eodem loco; & Quomodo? Deciſ. 19 num. 10. Boni cur non obſideant corpora humana? num. 13. Quomodo loquebantur Pontifici Hebræorum in Sancta Sanctorum? num. 14.
Angelorum novem Chori. Deciſ. 3. n. 3. Sunt ſimiles Sacerdotibus, ac S. Joanni Baptiſtæ. Deciſ. 5. num 21. Eorum ſeptem adſtantium coram Deo nomina. Deciſ. 30. num. 10.
Angelus qui portabat Uvas acerbas, maturas, & marcidas recitanti officium. Deciſ. 26. num. 10.
S. Aniceti Papæ de Tonſura Eccleſiaſtica Anno 167. Deciſ. 10. num. 12.
Anicienſis Civitas ubi ſit? Deciſ. 29. numer. 17.
S. Anthimus ſuſcepit priùs Ordines minores, deindè majores. Deciſ. 1. num. 9.
Antiocheni Concilii Canon circa facultatem Chorepiſcoporum quo ad Ordines. Deciſ. 18. num. 16.
S. Antonini Archiepiſcopi opinio circa materiam Ordinis Subdiaconatus. Deciſ. 22. num. 9.
Antonius Foreſti Societatis Jeſu laudatus. Deciſ. 1. num. 13.
Anxietas in rebus temporalibus an ſit prohibita de præcepto, vel de conſilio? Deciſ. 27. num. 18.
Apollo, de quo 1. *Cor.* 1. quiſnam eſſet? Deciſ. 7. num. 8.
S. Apollonii Lectoris cum S. Philemone Martyre jucundus eventus. Deciſ. 18. num. 44.
Apoſtolatus, & Epiſcopatus idem ſunt. Deciſ. 35. num 16
Apoſtolorum, ac Diſcipulorum Chriſti differentia. Deciſ. 12. num. 4.
Apoſtolorum Canones an ſint indubiæ auctoritatis? Deciſ. 21. num. 6.
Apoſtoli inſtituerunt Horas Canonicas. Deciſ. 25. num. 22. Fuerunt à Chriſto ordinati Epiſcopi. Deciſ. 35. num. 10. At ubi, & quando? num. 26. & ſeqq.
Apoſtolicarum Conſtitutionum Libris an ſtandum in omnibus? Deciſ. 14. n. 20.
Apoſtolicæ Traditiones aliæ ſunt circa Fidem, aliæ circa mores: aliæ ſcriptæ, aliæ traditæ: omnes obſervandæ. Deciſ. 26. num. 25. Deciſ. 2. num 9.
Apoſtolicum Præceptum ex traditione habitum eſt origo obligationis recitandi Breviarium. Deciſ 26 num. 24.
Aquila, & Priſcilla hoſpites S. Pauli Apoſtoli quinam eſſent? Deciſ. 10. num. 8.
Archidiaconi nomen quid ſignificet? Deciſ. 30. num. 24. De Jure eſt prima Dignitas. num 25. Paduæ, ac in Plebe Sacci eſt ſecunda. num. 28. Ejus officia, & circa ea conſuetudo attendenda. num 26. 27.
Archipresbyteratus Patavinus, ac Plebis

Digitized by Google

bis Sacci eſt prima Dignitas. Deciſ. 30. num. 29.

Arcudii Corcyrei Græci liber, ac opinio circa materias Ordinum. Deciſ. 7. numer. 13. & 24. Ejuſdem ſenſus circa ordinem Diaconiſſarum. Deciſ. 31. num. 34.

Argumentum non valet de contractibus ad Sacramenta. Deciſ. 8. num. 31. Valet ab Etymologia vocabuli. Deciſ. 25. num. 14.

Armentarii Epiſcopi ordinatio facta à duobus tantùm Epiſcopis quomodo dicatur irrita? Deciſ. 37 num. 17.

Aſianus Presbyter degradatus, quia falſa ſcripſerat de S. Paulo, ac de S. Thecla. Deciſ. 2. num. 24.

Aſtomi qui ſint? & ubi ſint? Deciſ. 8. num. 7.

Atria Templi Salomonis, quæ, & quot eſſent? Deciſ. 17. num. 6. A quibus cuſtodirentur? num. 7.

Auditus quantæ utilitatis ſit in homine? Deciſ. 8. num. 3.

S. Auguſtini charitas erga obſeſſos. Deciſ. 19. num. 39.

*Aut* eſt particula, quæ diverſificat. Deciſ. 11. num. 13.

Auxilii Auctoris antiqui ſcripta ad favorem Formoſi Papæ. Deciſ. 12. num. 38.

B

BAldi pulchrum dictum de reverentia debita conſuetudini. Deciſ. 26. numer. 20.

Balſamonis auctoris Græci verba de ordine Diaconiſſarum. Deciſ. 31. num. 31.

Baptiſmus dabatur antiquitùs per trinam immerſionem totius corporis in Aqua. Deciſ. 31. num. 38.

Baptizare ſolemniter quando Diaconus poſſit? Deciſ. 30. num. 33. Eſt officium proprium Sacerdotis. Deciſ. 34. n. 23. Eſt neceſſaria licentia Parochi extra neceſſitatem. num. 24. ſine illa peccaret baptizans, ſed nullam incurreret cenſuram. num. 25. Diaconus verò fieret Irregularis num. 26.

Baptizare an liceat in mortali? Deciſ. 34. num. 28. An quis debeat cum periculo vitæ, vel peccandi mortaliter? num. 29. & 30.

Baptizatus qui non eſt, ordinari non poteſt. Deciſ. 40. num. 2.

Baſileenſe Concilium in quibus decretis ſit reprobatum? Deciſ. 26. num. 6.

Bellarmini Cardinalis obſervationes ſuper opera S. Hieronymi corrupta ab Hæreticis. Deciſ. 35. num. 17.

Bellovacenſis Civitas ubi ſit? Deciſ. 29. num. 17.

Benedicere panem, & novos fructus eſt officium Lectorum. Deciſ. 18. num. 48. At benedicere res, ac perſonas eſt proprium Sacerdotum. Deciſ. 32. num. 44. & Deciſ. 34. num. 41. & 42. Populum verò benedicere per viam eſt officium Epiſcopi. Deciſ. 38. num. 6.

Benedictiones antiquitùs quomodo dabantur? Deciſ. 23. num. 7.

SS. Benedictus Abbas, Maurus, ac Placidus quibus ordinibus fuerint initiati? Deciſ. 14. num. 22. & Deciſ. 30. n. 23.

Beneficii pro ordine ſacro ſumendo requiſita quatuor. Deciſ. 28. n. 14 Quomodò reſignari poſſit? num. 16. Inſufficiens ſi ſit, poteſt ei jungi Patrimonium. num. 18.

Beneficia per Epiſcopos magis dignis ſunt conferenda, aliás mortaliter peccant contra juſtitiam. Deciſ. 38. n. 22.

S. Benignus portabat Tonſuram manifeſtam etiam tempore perſecutionum. Deciſ. 10. num. 15.

Bibliotheca Cardinalis Barberini laudata. Deciſ. 23. num. 9. Pariter illa Monaſterii S. Juſtinæ de Padua, Deciſ. 31. num. 22.

Biſſextus annus quomodo ſit computandus pro ætate requiſita ad ordines? Deciſ. 40. num. 17.

Bonifacii Papæ VIII. Conſtitutio circa Epiſcopos, à quibus quis poterat ordinari. Deciſ. 12. num. 42.

Bonifacius Comes Borromeus Patavinus laudatus. Deciſ. 39. num. 25.

Braccarenſis Eccleſia ubi ſit? Deciſ. 36. num. 8.

Breviarium Horarum Canonicarum à quibus compoſitum? Deciſ. 25. num. 25. A quibus Summis Pontificibus reformatum? num. 28. 29. 30. Quinam ſint obligati ad recitationem Breviarii? num. 31. & ſeqq. Qui excuſentur ab illa? num. 35. & ſeqq. Quæ pœnæ in non recitantes. num. 37. & 39.

Breviarium diverſi ritus quando liceat recitare? Deciſ. 26. num. 5.

Bulla Innocentii VIII. obligans Græcos



Digitized by Google

conferre omnes quatuor minores Ordines. Deciſ. 3. num. 46.

C

Cabaſutii ſententia circa omiſſionem trium ordinum minorum, quam faciunt Græci. Deciſ. 18. num. 19. Ejuſdem concluſio de ſeptem ordinibus. Deciſ. 21. num. 15.
S. Caii Papæ decretum Anno 283. circa minores, ac majores Ordines. Deciſ. 1. num. 12. Quod ſcilicèt gradatim ſumerentur. Deciſ. 4. num. 17. & Deciſ. 11. num. 3.
Calix, & Patena in ordinatione Subdiaconi an debeant eſſe conſecrati? Deciſ. 22. num. 29. & an in ordinatione Presbyteri? Deciſ. 33. num. 1.
Calix vacuus, & Patena ſine hoſtia an ſint materia ſufficiens Ordinis Presbyteratus? Deciſ. 33. num. 2. Et quid ſi deſit tantùm Hoſtia, vel tantùm Vinum? num. 3. An ſint tangendi Calix, & Patena ſimul? num 10. Et an tactu Phyſico? num. 13. Et an porrigendi ab Epiſcopo? num. 15. Et quo tempore? num. 19.
Calvinus hæreſiarcha negabat Ordines minores. Deciſ. 1. num. 11.
Cancelli ponendi ſunt ante gradus Altarium. Deciſ. 17. num. 34.
Candelabri aurei à Moyſe facti Materia, Forma, ornamenta, altitudo, baſis, ac myſtica ſignificatio. Deciſ. 20. n. 5. & ſeqq.
Candelabra aurea ſeptem facta à Salomone. Deciſ. 20. num. 12. An ablata à Nabuchodonoſor? num. 13.
Candelæ de cera cur non adhibebantur ab Hebræis? & cur adhibitæ ab Eccleſia? Deciſ. 20. num. 14. & 16.
Canones nominant Primam Tonſuram Ordinem Clericalem. Deciſ. 3. num. 6. & 9.
Canonis privilegio gaudet habens primam Tonſuram. Deciſ. 3. num. 14.
Canoniſtæ docent novem eſſe Ordines. Deciſ. 3. num. 2. Nam Tonſuram ajunt eſſe Ordinem. Deciſ. 11. num. 19. Quot Epiſcopos requirant in conſecrando Epiſcopo? Deciſ. 37. num. 22.
Cantare in Eccleſia ſpectat ad Lectores. Deciſ. 18. num. 45. & 46.
Capillos longos clerici deferentes peccant mortaliter. Deciſ. 10. num. 27.
Capitulum intra annum dat dimiſſorias pro Tonſura. Deciſ. 11. num. 17.
Capitula Decreti, ac Decretalium declarata: Videlicet:
Cap. *Daibertus 1. q. 7.* in Deciſ. 12. numer. 15.
Cap. *A multis de Ætat. & Qualit.* in Deciſ. 21. num. 28.
Cap. 1. *De Sacram. non iteran.* Deciſ. 29. num. 28
Cap. *Presbyter. eod. tit.* ibidem num. 29. & Deciſ. 32. num. 21.
Cap. *Cum veniſſet de Sacr. Unct.* Deciſ. 36. num. 7.
P. Cardenas doctrina de Tactu Phyſico in Ordinibus. Deciſ. 8. num. 37.
Cardinalatus an ſit Ordo? Deciſ. 3. numer. 34.
Cardinalis Barberini Bibliotheca laudata. Deciſ. 23. num. 9.
Cardinalium S. R. E. numerus, diſtinctio, origo, officia, obligationes, & Congregationes. Deciſ. 30. à num. 3. uſque ad 22.
Cardinalis M. Antonius Barbadicus fuit Canonicus Patavinus Anno 1673. Deciſ. 4. num. 22.
Cardinales Presbyteri conferunt Tonſuram, & minores Ordines. Deciſ. 14. num. 7. & Deciſ. 15. n. 10.
Cardinales Diaconi ſolemnem dant benedictionem. Deciſ. 14. num. 23. Sed non conferunt Ordines, neque Tonſuram. Deciſ. 16. num. 6.
Cardinalis Gregorii Barbadici Epiſcopi Patavini Libri Septem pro bono Regimine ſui Epiſcopatus. Deciſ. 39. per totam; ubi eorum fructus, & ſtudium.
Carlomanus filius Regis Franciæ factus Clericus, & Diaconus. Deciſ. 29. num. 18.
S. Caroli præceptum ad Subdiaconos de recitando officio. Deciſ. 26. num. 27.
Carolſtadii hæretici vita, ac mors infeliciſſima. Deciſ. 27. num. 60.
Carthaginenſis Concilii IV. correctio circa materiam Acolythatus. Deciſ. 9. num. 15.
Caſtitas habentibus Ordines Sacros cur ſit impoſita? Deciſ. 6. num. 40. Et Deciſ. 27. num. 21. An ſit introducta de Jure Divino? Deciſ. 27. num. 5. Vel de Jure Eccleſiaſtico? num. 14.
Fuit

Fuit ab initio Eccleſiæ, & præcepta ab Apoſtolis. num. 22. & 23.
Caſtitatis ordinatorum in Sacris teſtimonia in omnibus tranſactis ſæculis. Deciſ. 27. à num. 24. & ſeqq. An conſiſtat in Voto, vel Præcepto? num. 61. & ſeqq. Ad eam Subdiaconi non tenentur in tribus caſibus; & qui ſint? d. Deciſ. 27. num. 65.
Caſtra ſic dicta à caſtimonia Militum. Deciſ. 27. num. 7.
Caſula Græcorum Sacerdotum qualis ſit? Deciſ. 23. num. 18.
Caſuum conſcientiæ ſtudium, quod totus Clerus Patavinus faciebat ſub Card. Barbadico Epiſcopo. Deciſ. 39. n. 19. Ejuſdem ſtudii regiſtrum in Libro Eminentiæ ſuæ. ibid.
S. Catharina Virgo Senenſis à Chriſto communicata. Deciſ. 13. num. 29.
Catechiſmus ante Baptiſmum eſt quid Sacramentale. Deciſ. 6. num. 10.
Catechiſmus Liber Romanus quid doceat de Tonſura? Deciſ. 11. num. 18.
Catechumenæ olim docebantur articulos fidei à Diaconiſſis. Deciſ. 31. num. 37.
Cauſa per effectus cognoſcitur. Deciſ. 11. num. 35.
Cauſæ quatuor excuſant à recitatione Breviarii; & quæ ſint? Deciſ. 26. num. 29.
Cenchri, de quo Rom. 16. 1. quiſnam eſſet locus? Deciſ. 31. num. 17.
Cenſuras Angeli an poſſint fulminare? Deciſ. 13. num. 17.
Cenſuræ ſobriè ſunt fulminandæ ab Epiſcopis. Deciſ. 38. num. 33.
Cenſuris irretiti an teneantur recitare Horas Canonicas? Deciſ. 26. n. 37.
Ceremoniarum Magiſtri diligentia in ordinationibus ſacris. Deciſ. 33. num. 6.
Ceroferarii idem ſunt ac Acolythi. Deciſ. 20. num. 3.
Character quando imprimatur in ordinatione Acolythi. Deciſ. 20. num. 19. Et in ordinatione Presbyteri? Deciſ. 32. num. 17.
Charitas erga proximum quando excuſet à recitatione Breviarii? Deciſ. 26. num. 34.
Chirothecæ undè dictæ? Et quibus conveniant? Deciſ. 9. num. 2. & 3. Eis utuntur in Miſſa ſolemni Epiſcopi, ac Abbates Caſinenſes. numer. 4. & 5. DEIPARÆ, ac S. Ubaldi ubi aſſerventur? num. 6. & ſeqq. Ferreæ, quibus utebantur Milites; & qua Chriſtus percuſſus alapa. num. 9.
Chorepiſcopatus dignitas olim quænam eſſet, & qui Chorepiſcopi? Deciſ. 14. num. 25. & 27. An poſſent conferre Ordines, tùm minores, tùm Sacros? ibidem. Et num. 31. & 33. Deciſ. 37. num. 16. & 18. Item Deciſ. 16. num. 14. & Deciſ. 21. num. 30. Cur aboliti ab Eccleſia? Deciſ. 6. num. 39.
Choro addictus non ſatisfacit, ſi ſolus recitet, & multò minùs ſi ibi ſtans nihil recitet. Deciſ. 25. num. 7.
Chriſtiani omnes cur vocentur Sacerdotes? Deciſ. 1. num. 15.
CHRISTUS cur Sacerdos ſecundum Ordinem Melchiſedech? Deciſ. 1. num 2. Qualiter inſtituerit materias Ordinum? Deciſ. 6. num. 36. & Deciſ. 7. num. 5. num. 27. & 29. Reliquit poteſtatem Papæ deputandi miniſtros alios præter Epiſcopos pro Sacramentis Confirmationis, & Ordinis. Deciſ. 14. num. 18. & Deciſ. 37. num. 19.
CHRISTUS an ſibi capillos totonderit? Deciſ. 10. num. 30. Quomodo dicatur *Luc.* 4. 17. plicuiſſe Librum? Deciſ. 18. num. 26. Ejus ſapientiam offendit, qui negat, omnes ordines eſſe ab eo inſtitutos. Deciſ. 21. num. 22. Ejus facta non omnia ſcripta ab Evangeliſtis. Deciſ. 35. num. 25. Quæ ſit locutus Apoſtolis per dies 40. poſt ſuam Reſurrectionem? Deciſ. 21. num. 25.
Ciſtercienſium Privilegium de ordinibus Sacris conferendis per eorum Abbates non probatur eſſe verum, Deciſ. 16. num. 28.
Civitates ſubditæ non faciunt legem, ſed conſuetudinem. Deciſ. 26. numer. 23.
Clauſula diſpenſationis pro conſecratione Epiſcoporum in Indiis. Deciſ. 37. num. 23.
Clementis VIII. Decretum de reiterandis Ordinibus ob materiam non porrectam ab Epiſcopo. Deciſ. 9. num. 16.
S. Clementis Papæ Conſtitutiones nihil habent de Oſtiariis, Exorciſtis, & Acolythis. Deciſ. 18. num. 12.
Clericalis Tonſura erat in initio Eccleſiæ. Deciſ. 10. num. 24. Eadem appellatur Ordo. Deciſ. 11. num. 26.
Clerici non confirmati an poſſint ordinari? Deciſ. 3.

Digitized by Google

Deciſ. 3. num.11. Sunt excelſiores omni Laico. Deciſ. 5. num 6. Contrahentes Matrimonium retinent characterem. Deciſ.6 num. 41. Eorum Tonſuræ quæ ſit forma? Deciſ. 10. num. 26. Eorum mores ab Epiſcopis indagandi. Deciſ. 38. num. 24 Qui ſint arcendi ab ulteriori ordinatione? Deciſ. 40. à num. 29. & ſeqq.

Coadjutores Auctoris in conſcribendis libris boni Regiminis Epiſcopatus Patavini. Deciſ 39. num 21.

Coadjutoriæ ad titulum an quis poſſit in ſacris ordinari? Deciſ.28. num.17.

Collegiatæ Eccleſiæ Patavinæ, in quibus non recitatur ampliùs Officium Divinum in Choro. Deciſ.25. num.16.

Columba ſuper caput S. Jo: Chryſoſtomi, dum ordinaretur Sacerdos. Deciſ. 5. num.17.

Comæ nutritio in Clericis eſt quædam ſpecies hæreſis. Deciſ.10 num.28.

Commendæ Abbatiarum quando cœperint? Deciſ.15. num.5.

Communicatio in divinis cum notoriis Excommunicatis ſub quibus pœnis prohibita? Decil.12. num. 23. & 24.

Communicatio Privilegiorum ſit inter Regulares. Deciſ.15. num.13.

Concilia, quæ declararunt, Ordinem eſſe verum Sacramentum. Deciſ.2. num. 18 & 19. Confirmata à Summo Pontifice ſunt infallibilis veritatis. num.20 & Deciſ.7. num.16. Quæ loquantur de numero Ordinum ſeptenario. Deciſ. 3. num. 38. Confirmata à Papa dicuntur Papalia. Deciſ. 14. num. 34.

Concilii Tridentini diſpoſitio circa Abbates quo ad dandos Ordines. Deciſ.15. num 14.

Conciliorum generalium Auctoritas eadem cum Evangelio. Deciſ. 21. nu 21.

Conciſtorium Papale quid ſit? & quotuplex? Deciſ. 30. num.19.

Confeſſariorum examen, & eorumdem ſtudii obſervatio ſub Cardin. Barbadico Epiſcopo Patavino. Deciſ. 39. num.15. & ſeq.

Confeſſio Sacramentalis an præmittenda ab ordinandis? Deciſ.6. num. 4.

Confirmati an eſſe debeant, qui accedunt ad Ordines? Deciſ. 3. num. 10. & Deciſ.21.num.30.

Confirmationis Sacramentum poteſt Preſbyter miniſtrare ex delegatione Papæ. Deciſ. 14. num.10.

S. Congregationis Decreta circa facultatem Abbatum priùs datam, deindè revocatam ordinandi exteros cum dimiſſoriis ſuorum Epiſcoporum. Deciſ. 15. num.23.29. & 33. Ejus Decreta habent vim Legis. ibid. num.31.

Congregationes Cardinalitiæ in Alma Urbe quæ? & quot? Deciſ. 30. nu 20.

Conſecratio Epiſcopi an ſit Sacramentum? Deciſ 3. num.27. Facta præter formam ab Eccleſia præſcriptam eſt nulla. Deciſ.12 num.16. Neceſſaria eſt in Epiſcopo, ut validè ordinet. ibid num.6.

Conſtitutio Martini V. circa Excommunicatos vitandos, vel non, recepta eſt in toto Orbe. Deciſ. 12. num. 20. & 25. Bonifacii VIII. de ſuſcepiendis ordinibus vel ab Epiſcopo originis, vel domicilii, vel beneficii. ibid num.42. Innocentii XII. de Anno 1694. illam corrigens, & novam formam ſtatuens circa ſuſceptionem Ordinum ab uno ex dictis tribus Epiſcopis. num 45.

Conſtitutio B. Pii V ne egeni quæritent eleemoſynam per Eccleſias. Deciſ. 17. num 36.

Conſtitutiones Apoſtolicæ ſcriptæ à S. Clemente Papa, an ſint formatæ ab Apoſtolis? Earum antiquitas, & legitimitas? Deciſ. 23. num.2.3.& 4 Quas objectiones patiantur? Deciſ. 31.nu.32.

Conſuetudo Canonicorum non recitandi Officium in Choro cum Choro eſt abuſus, nec ſalvare poteſt eorum conſcientias. Deciſ. 25. num.8.

Conſuetudo univerſalis an obliget Subdiaconos ad recitandum Divinum Officium? Deciſ.26. num 7. Eadem probatur per omnia tranlacta ſæcula. ibid. num.9.

Conſuetudo à quibus poſſit introduci, & cum quibus circumſtantiis? Deciſ. 26. num. 22. Obligat ſub mortali ad recitandum Divinum Officium tùm ordinatos in ſacris, tùm Regulares profeſſos. Deciſ 25. num.44. & 45.

Continentiæ lex ſemper fuit annexa Subdiaconatui. Deciſ. 21. num. 27.

Contritio præmittenda ab ordinandis, ſi confiteri non potuerint mortalia. Deciſ.6. num 33.

Converſi in Religionibus, etſi Laici, gaudent Privilegio Fori, & Canonis. Deciſ. 3. num.19.

Corne-

Digitized by Google

Cornelii Muſſii Epiſcopi Bituntini Decretum de publica, ac privata Officii recitatione. Deciſ.26. num.18.
S. Cornelius Papa à ſexdecim Epiſcopis fuit conſecratus Epiſcopus. Deciſ. 37. num.6.
Corporalia, Pallæ, & Purificatoria quando à Laicis tangi non poſſint? Deciſ. 24. num.21. Ea abluere ſpectat ad Subdiaconos. ibid. num 23.
Correctio Fraterna an ſit Actus Juſtitiæ, vel Charitatis? Item eorum, qui in Paſchate erant inconfeſſi, quomodo fiebat ſub regimine Cardinalis Epiſcopi Patavini Gregorii Barbadici? Deciſ. 39. num.28.
Crux in Proceſſionibus quando deferatur à Subdiacono, & quando non? Deciſ.24. num.31. & 35. Ejus delatio Ritus antiquiſſimus. num 32.
Crucis Chriſti etymon, & materia. Deciſ.24. num.33. Æthiopum devotio erga illam. num.34. Ea defertur à Regularibus in Proceſſionibus tecta velo. nu. 36. Illa Cathedralis Patavinæ ornatur ampliſſimo Vexillo ſerico rubeo. nu. 37. Ejus ſignum aliter faciunt Græci à Latinis. num 38.

D

S Damaſi Papæ dictum difficile de Ordinibus. Deciſ.6.num 8.
Debet eſt Verbum importans neceſſitatem. Deciſ. 26. num.13.
Definitio Sacramenti Ordinis S. Thomæ, Scoti, & aliorum. Deciſ.5. num. 1.2.4.
Degradatio an detur à Prima Tonſura? Deciſ 3 num.7 nec non Deciſ 11. num.23. & 24 etiam in primitiva Eccleſia erat in uſu Deciſ.2. num.23.
Degradatus Presbyter ſi Miſſam celebraret, validè conſecraret. Deciſ.2. num. 22.
Delictum promoti ad ordinem per ſaltum ſi ſit publicum, & in eo miniſtraverit, recurrendum eſt ad Datariam Papæ pro abſolutione, & diſpenſatione, ut poſſit obtinere ordines omiſſos, ac in obtentis miniſtrare. Deciſ.4. num. 34.
Dæmones an per remedia naturalia eiici poſſint è corporibus obſeſſis? Deciſ. 39. num.30.
Determinatio una reſpiciens plura determinabilia, ea æquè determinat. Deciſ.21. num.19.
Deus poteſt facere Angelos miniſtros Sacramentorum. Deciſ.13 num.19.
Diabolus quomodo ſtet in corpore humano? Deciſ.19. num.6. & 7. Stat ſimul cum Anima, ſed non ingreditur Animæ eſſentiam. num. 11. & 12. Permittitur à Deo obſidere homines ob eorum peccata. num.24. ubi exempla.
Diaconatus, & Subdiaconatus ſunt vera Sacramenta. Deciſ.6 num 24 An poſſint conferri à ſimplici Presbytero? Deciſ.16.num.21.22. & 27.
Diaconatus Ordo ſemper fuit in Eccleſia, & eſt verum Sacramentum. Deciſ. 29. num.1. & 4. De ejus materia, & forma opiniones quinque. num 5. Fa eſt duplex, Traditio Libri Evangeliorum, ac Manuum impoſitio. num 24. & 32
Diaconicum quid ſit apud Græcos? Deciſ.23. num.11.
Diaconi græcè, Levitæ hebraicè, Miniſtri latinè dicuntur. Deciſ.30 num. 1. Alii Maximi, alii Majores, alii Inferiores. num.2. Inferiorum officia quæ ſint? num.30. & 34.
Diaconi Cardinales olim ſeptem tantùm; nunc quatuordecim. Deciſ. 30. à nu.4. & ſeqq. Quæ ejus officia antiquitùs, ac in præſenti? num.16. & 18. An poſſint ſolemniter benedicere populo? num.22.
Diaconi ordinati ab Apoſtolis quodnam haberent officium? Deciſ. 6. num. 7. Olim Evangelium recitabant, & Communionem populi in Miſſa faciebant. Deciſ.16 num.20. & Deciſ 29 num.15. Miniſteria minorum Ordinum exercebant. Deciſ.6. num 44.
Diaconus ſi omiſſo Presbyteratu ſiat Epiſcopus, An poſſit ordinare Diaconos? Deciſ. 4 num 5. Olim quæ eſſent Diaconis prohibita? Deciſ. 14. num 21.
Diaconiſſæ quænam eſſent in primis ſæculis decem Eccleſiæ? Deciſ.31. nu. 14. Earum origo tempore Apoſtolorum. num. 15. & 18. Ipſarum Ordinationis Formulæ. num 23. & ſeq. Eis dabatur Stola, Velum, & Annulus. num. 26. An reciperent Ordinis Sacramentum? num.28 & ſeqq. Earumdem officia, ac miniſteria cœto, Et quæ? num. 35. & ſeqq. Cur extinctæ, & quando? num. 45 & 46 Stolam portabant. Deciſ.23. num.27.

Diaræ

Dianæ opinio circa Epiſcopatum an ſit Ordo? Deciſ. 3. num. 32. Ejus reſolutiones nunc inutiles circa Epiſcopos vel originis, vel domicilii, vel beneficii pro recipiendis ordinibus, attentâ moderna Conſtitutione Innoc. XII. Deciſ. 12. num. 45. & 49. Ejuſdem opinio ſingularis, quod non Presbyter poſſit eſſe Miniſter Sacramenti Ordinis. Deciſ. 16. num. 3. & 5.
Dictio *Similiter* quid ſignificet? Deciſ. 17. num. 16.
Differentia inter ordinatos per ſaltum ignoranter, vel ſcienter. Deciſ. 4. n. 30. Item inter ordinationes Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ. Deciſ. 7. num. 14. Et inter poteſtatem Epiſcoporum, ac Abbatum quo ad collationem Ordinum. Deciſ. 15. num. 8.
Dimiſſorias ad Ordines quando poſſint Abbates concedere etiam ſuis ſubditis ſæcularibus? Deciſ. 15. num. 42.
Diſcrepantia Eccleſiæ Latinæ, & Græcæ circa Ordinationes quomodo concilietur? Deciſ. 7. num. 26.
Diſpenſare poteſt Epiſcopus ab irregularitate in delictis occultis, homicidio excepto. Deciſ. 4. num. 32. Quis à recitatione Officii? Deciſ. 26. num. 36.
Diſpenſationes Papales plurimæ circa numerum Epiſcoporum in conſecratione novi Epiſcopi. Deciſ. 37. à num. 20. & ſeqq.
Diſpoſitionis neceſſariæ de ſtatu ad ſtatum exempla. Deciſ. 11. num. 9.
Diſſidium inter DD. an omnes Ordines ſint Sacramenta? Deciſ. 6. num. 17.
Doctores, qui ſe retractarunt, quod Abbates poſſint ordinare non ſubditos. Deciſ. 15. num. 30. Antiquis valdè eſt deferendum. Deciſ. 35. num. 19. Eorum varia opinio, An à tribus Epiſcopis ſit Epiſcopus conſecrandus de Jure Divino? Deciſ. 37. num. 11 & 12.
Doctrinam Chriſtianam ut pueri diſcant, debent Epiſcopi ſatagere. Deciſ. 38. num. 23. Ejuſdem Liber, ac ſummus zelus q. Card. Barbadici Epiſcopi Patavini. Deciſ. 39. num. 12. & 13.
Dominii Veneti unus eſt Principatus, licèt plures ſint Magiſtratus. Deciſ. 6. num. 29.
Dominii, ac Poſſeſſionis differentia. Deciſ. 8. num. 34.
Durandus factus Epiſcopus Anicienſis Anno 1320. Deciſ. 22. num. 7. & Deciſ. 29. num. 14.

E

Eccleſia Catholica regitur tùm Scripturis Sacris, tùm Traditionibus Apoſtolicis. Deciſ. 1. num 16.
Eccleſia Romana eſt cuſtos Traditionum Apoſtolicarum, & ejus doctrinam tenentur ſequi aliæ Eccleſiæ. Deciſ. 2. nu. 10. & 11. Errare non poteſt in Fide, nec circa Sacramenta. Deciſ. 7. num. 33. Eſt enim Magiſtra veritatis. Deciſ. 14. num. 16. Habet à Chriſto facultatem mutandi Materias Ordinum. Deciſ. 32. num. 58.
Eccleſiarum Cultus ab Epiſcopis cuſtodiendus. Deciſ. 38 num. 21.
S. Edmundus cum eſſet ſimplex Presbyter Divinum officium recitabat, Deciſ. 26. num. 16.
Effectus Sacramenti Ordinis duo, Gratia, & Character. Deciſ. 40. num. 39. Primæ Tonſuræ plurimi. Et qui? Deciſ. 11. num. 34.
Egenos ſtipem quærere per Eccleſias tempore Miſſæ eſt abuſus à B. Pio V. prohibitus. Deciſ. 17. num. 35. & 36.
Eleemoſynarum certarum ad Titulum an Clerici poſſint in ſacris ordinari? Deciſ. 28. num. 31.
Eleemoſynas facere eſt præcipua Epiſcoporum obligatio. Deciſ. 38. nu. 16. & Deciſ 39 num. 33.
Elias Cretenſis quot Ordines nominet? Deciſ. 18. num. 7.
Emerita Urbs Luſitaniæ olim Metropolitica. Ejus prærogativæ, & deſtructio. Deciſ. 14. num. 6.
Endymionis ſomnum dormire quid ſignificet? Deciſ. 14 num. 32.
Energima quid ſit? Deciſ. 19 num. 3.
Energumeni undè dicantur? Deciſ. 19. num. 2. Multi non veri, ſed ficti. num. 16. Signa pro eis cognoſcendis. num. 17. Eorum adjuratio olim duplex. num. 35. An eis daretur Euchariſtia? num. 36.
S. Epiphanii teſtimonium circa quatuor minores Ordines. Deciſ 18. num. 15.
Epiſcopalis Dignitas quod ſit inſtituta de Jure Divino, probationes. Deciſ. 35. num 9. Ejuſdem Juriſdictio olim communicata Presbyteris. num. 22.
Epiſcopalis Ordinationis Ritus. Deciſ. 36.

Digitized by Google

ciſ. 36. num. 2. Quænam ſit ejus eſſentialis Materia, ac Forma? Opiniones octo. num. 3. & ſeqq. uſque in finem, ubi omnes referuntur. Quot Epiſcopi in ea peragenda debeant intervenire? Deciſ. 37. num. 9.
Epiſcopalium indumentorum myſticæ ſignificationes. Deciſ. 36. num. 26.
Epiſcopalium Miniſtrorum inſcitia aggravat animam Epiſcopi. Deciſ. 39. num. 32.
Epiſcopatus Ordo an ſit Sacramentum? Deciſ. 6. num. 16. nec non 20. & 23. An poſſit conferri Laico? Deciſ. 3. num. 22. Utrùm ſit Ordo diſtinctus à Presbyteratu? Deciſ. 36. num. 1.
Epiſcopæ, Presbyteræ, Diaconæ, Subdiaconæ quænam olim eſſent? Deciſ. 31. num. 12.
Epiſcoporum cognomina undecim. Deciſ. 35. à num. 1. & ſeqq. Eorum ſtatus quàm periculoſus. Deciſ. 38. num. 35. Eſt perfectior Religioſorum. Deciſ. 27. num. 12.
Epiſcopus ſemel conſecratus ampliùs conſecrari non poteſt. Deciſ. 3. num. 26. A quot Epiſcopis olim conſecrabatur, & nunc à quot conſecrandus? Deciſ. 37. num. 4. & 9. Conſecrari non poteſt niſi ſit Sacerdos. Deciſ. 4. num. 2. An validè conferat Ordines, quos ipſe non habet? num. 6. Utrùm poſſit diſpenſare ab irregularitatibus? num. 32. & 33. Eorum præcipua, officia quæ ſint? Deciſ. 38 per totam.
Epiſcopus Fundanus tentatus à diabolo erga quemdam Sanctimonialem. Deciſ. 8. num. 17.
Epiſcopus jure ordinario confert primam Tonſuram, & Ordines. Deciſ. 11. num. 29. Deciſ. 12. Quot requiruntur in ipſo, ut validè, & licitè ordinet? Deciſ. 12. num. 9. & ſeqq. Titularis quando poſſit ordinare? Deciſ. 15. num. 21.
Epiſcopus graviter peccat, ſi Parochos negligentes non excitet in eorum officio. Deciſ. 39. num. 29. Item ſi Clericos ignorantes ordinet. Deciſ. 40. num. 21. & 25.
Epiſtola in Miſſa olim non cantabatur à Subdiacono; ſed à Lectore. Deciſ. 22. num. 25.
Epitrachelium Græcorum quid ſit? Deciſ 23. num. 19.
Errare in fide Eccleſia Romana non poteſt, nec circa Sacramenta. Deciſ. 7. num. 33.
Errori proximum eſt aſſerere, non Sacerdotem poſſe Ordines conferre. Deciſ. 16. num. 2.
Error probatur, cum oſtenditur, rem ſe aliter habere. Deciſ. 32. num. 56.
Eſſentia Sacramenti Ordinis in quo conſiſtat? Deciſ. 5. num. 5.
*Etiam* augmentat id, quod priùs non erat dictum. Deciſ. 11. num. 14.
Evagrius, & Syderius conſecrati ſunt Epiſcopi ab uno tantùm. Deciſ. 37. num. 13.
Evangeliorum Libri traditio in Ordine Diaconatus antiquiſſima. Deciſ. 29. num. 11. & 32. Eſt ejus materia num. 24. unà cum impoſitione manuum. num. 33.
Euchariſtia antiquitùs miniſtrabatur à Diaconis. Deciſ. 6. num. 37. Pluries data ab Angelis. Deciſ 13. num. 21. In ejus obſequium ſeptem ordines ſunt à Chriſto inſtituti. Deciſ. 21. num 24.
Euchologia Græca de quot, & quibus Ordinibus mentionem faciant? Deciſ. 18. num. 3.
Eunuchi an poſſint ordinari? Deciſ. 40. num. 32.
Excommunicati notorii, etſi non denunciati, ſunt vitandi. Deciſ. 12. num. 21. Non poſſunt abſolvere pœnitentes neque in articulo mortis. Deciſ. 34. num. 22. Ab ordinibus ſunt arcendi. Deciſ. 40 num.
Exedræ in Atriis Templi Salomonis quid eſſent? Et quis earum cuſtodes? Deciſ. 17. num 8. & 9.
Exempla Ordinatorum per ſaltum. Deciſ. 4 num. 11. Sanctorum deferentium Eccleſiaſticam Tonſuram. Deciſ. 10. num. 13.
Exorciſtatus Ordo ſemper fuit in Eccleſia; & hujus nominis ſignificatio? Deciſ. 19. num. 1. & 32. An eſſet apud Hæbreos. num. 29. Quænam ſit Materia, & Forma hujus Ordinis? num. 33. Quod officium? num. 34.
Exorciſtæ an egeant licentia Epiſcopi ad exorcizandum? Deciſ. 19. num. 42. Uti debent Rituali Romano; & ab octo cavere. num. 43. & 46.
Exorcizare an poſſint, qui non ſunt Exorciſtæ? Deciſ. 19. num. 41.
Expreſſum cenſetur, quod virtualiter ineſt. Deciſ. 4. num. 19.



Digitized by Google

Exteri ab Abbatibus non ordinantur, etſi habeant Dimiſſorias ſuorum Ordinariorum. Deciſ. 15. num 26.
Extrema Unctio miniſtrata ab Angelis. Deciſ. 13. num. 22.

F

FActum à Papa ſatis probatur benè factum, quia ab eo factum. Deciſ. 14. num. 17.
Facta uniuſcujuſque quomodo ab omnibus videbuntur in die Judicii? Deciſ. 18. num. 33.
Fagnani opinio circa Clericos exteros ordinandos ab Abbatibus? Deciſ. 15. num. 25.
Favori pro ſe introducto quilibet renunciare poteſt. Deciſ. 15. num. 20.
Flabellum, quod Diaconi Græci movent in Miſſa, quid ſit? Deciſ. 30. num. 38. Illius myſtica ſignificatio, & uſus apud Maronitas. num. 39. & 40.
Florentini Concilii Decretum de Materia, & Forma Ordinum. Deciſ. 7. num. 15. & Deciſ. 29. num 25. Ejus doctrina infallibilis. ibid. num. 34.
Fœminæ an poſſint validè ſuſcipere Ordines, tam minores, quàm ſacros? Argumenta pro affirmativa. Deciſ. 40. à num. 3. & ſeqq. pro negativa nu. 7. 8. 11.
Fori Epiſcopalis contentioſi Congregatio ſub q. Card. Barbadico Epiſcopo Patavino. Deciſ. 39 num. 22.
Forma Ordinum in quibus conſiſtat? Deciſ. 5 num. 13. Apud Latinos imperativa; apud Græcos deprecativa. Deciſ 7. num. 4. & 11. An poſſit mutari ab Eccleſia? num. 34 Debet Virtutem Sacramentorum innuere. Deciſ. 29. num. 30. Si ab alio, quàm ab ordinante, proferatur, irrita eſt ordinatio. Deciſ. 33. num. 22. Uniuſcujuſque Ordinis quænam ſit? Vide in nomine eorumdem omnium Ordinum.
Formæ Sacramentorum Baptiſmi, Pœnitentiæ, ac Extremæ Unctionis ſunt ab omni Sacerdote ſciendæ. Deciſ. 34. num. 43.
Formoſi Papæ Hiſtoria lacrymabilis. Deciſ. 12. num 28.
Formula deſcriptionis ſtatus Animarum Diœceſis Patavinæ. Deciſ. 39 num. 8.
S. Franciſcus Angelo præferendum eſſe Clericum dicebat. Deciſ. 5. num. 10. Pro humilitate noluit ordinari Sacerdos. Deciſ. 40. num. Ejus Fratres in India ex diſpenſatione Papæ conferunt Ordines ſacros, etſi non ſint Epiſcopi. Deciſ. 16. num. 26.
Franciſcus Forziadura Nob. Pat. Laudatus. Deciſ 39. num. 24.
Fraudes plurimas, quas faciebant Clerici in recipiendis ordinibus à non ſuis Epiſcopis, abſtulit Innocentius XII Conſtitutione ſua de Anno 1694. Deciſ. 12. num. 44 & 46.
Functiones omnium Ordinum reſtituendæ in Eccleſia. Deciſ. 11. num. 15. Quæ adhibentur in conſecrando Epiſcopo habent energiam Materiæ, & Formæ. Deciſ. 36. num. 25.
Fundanus Epiſcopus tentatus à Diabolo cum Sanctimoniali. Deciſ. 8. num. 17.

G

GAbrielis Metropolitæ Philadelphiæ dictum de materia Ordinum. Deciſ. 29. num 20.
Gaſparis Juvenim opinio reprobata circa Eccleſiaſticam Tonſuram antiquorum temporum. Deciſ. 10. num. 16. Ejuſdem opinio circa plures materias in conſecratione Epiſcoporum. Deciſ. 36. num. 23.
Georgius Cornelius Epiſcopus Patavinus Senior Laudatus. Deciſ. 15. num. 41. Item Deciſ. 34. num. 44
*Gloria Patri &c.* quis ordinavit dicendum in fine cujuslibet Pſalmi? Deciſ. 25. num. 26.
Gloſſæ opinio prævalet aliis Doctoribus. Deciſ. 16. num. 23.
Gratia ſanctificans confertur per Sacramentum Ordinis. Deciſ. 2. 15. Et in quocunque Ordine. Deciſ. 40. num. 39. etiam in Prima Tonſura. Deciſ. 11. num. 28. Provenit immediatè à Chriſto. Deciſ. 7. num. 9. In Diaconatu an conferatur in traditione Libri, vel in impoſitione Manuum? Deciſ. 29. num 9. & 37.
Græcanica Formula antiquiſſima ordinandi Subdiaconos. Deciſ. 23. num. 10.
Græcorum opinio circa numerum Ordinum, Deciſ. 3. num. 40. Ipſi omittunt tres ordines minores, ideò reprehenſi. ibid. num 41. & 42. Cur conferant Ordines Sacros ſine Materia, & cum Forma deprecativa? Deciſ. 7. num. 10 & ſeqq.

ſeqq. ac num 21. & 28. Decif. 23. nu.1. & Decif. 32. num.26.

Græci Sacerdotes cur comam nutriant? Decif. 10 num. 32. Oſtiariatum, ac Acolythatum unitos eſſe aiunt Lectoratui, quem ſolum conferunt ex minoribus, Decif. 18. num. 2. & numer 50. Ungunt Oleo Sancto Energumenos. Decif. 19. num. 38 Quibus Ceremoniis deferant Panem, & Vinum ad Altare in Miſſa. Decif. 21. num. 33. Vocant Subdiaconatum Ordinem minorem. ibid. num. 34. Quot, & quibus Indumentis utantur in Miſſa. Decif. 23 num. 13. & ſeqq. Utuntur uxoribus ante Ordinem ſacrum acceptis. Decif 27 nu. 17. & Decif 31. num. 13. Cur à Deo puniti, atque ſub tyrannide Turcarum redacti? ibid. num. 52.

Græcus Epiſcopus Romæ alitur à Papa pro recta Ordinum collatione. Decif. 29. num 21. & ſeqq. Dum conſecratur non recipit Annulum, nec Baculum. Decif. 36 num. 24 Ab eo non ordinantur Clerici Latini; & hi ab Epiſcopo Græco ordinari non poſſunt. Decif. 40. num 38.

S. Gregorii Magni remedium contra Subdiaconos Uxoratos. Decif. 27 num. 45. & 46. Diſpenſatio, ut in Angliæ Epiſcopus conſecraretur ab uno Epiſcopo tantum. Decif. 37. num. 21.

Gregorius Papa VII prohibuit Matutina brevia per annum. Decif. 25. num. 27.

Gregorii XIII. diſpenſatio, ut Patriarcha Æthiopiæ ab uno tantùm Epiſcopo conſecraretur. Decif. 37. num. 24.

Gregorii Cardinalis Barbadici Epiſcopi Patavini eximia charitas erga Clericum pauperem. Decif. 28 num 22. Ejuſdem attentio in examinandis Clericis pro Ordinibus. Decif. 34 num. 44 Ipſius frugalitas in menſa; & tenuitas Procurationis in Viſitatione Diœceſis. Decif. 38. num. 15. Libri ejus ſeptem, quibus ſtudebat pro bono Regimine ſui Epiſcopatus. Decif. 39. per totam.

Guſtus utilitas, neceſſitas, ac officium in homine. Decif. 8 num 8.

### H

HEbræi antiquitùs comam nutriebant. Decif. 10. num. 31. Habebant Exorciſtas ſuos. Decif. 19. num. 29.

Hebraici Sacerdotes an eſſent obligati ad Caſtitatem? Decif. 27 num. 13. Diſcrimina inter illos, & Sacerdotes Legis Evangelicæ. Decif. 32. num. 4.

Hæreſiarchæ Sæculi XVI. qui impugnarunt cœlibatum Clericorum. Decif. 27. num 57.

Hæretici ipſi confitentur, quod Eccleſia non erravit per primos quingentos Annos. Decif 3. num. 48. Ordinationes Clericorum ab eis factæ an ſint validæ? Decif. 12. num. 17. Beneficia Eccleſiaſtica ab ipſis impugnata. Decif 28. nu. 2. Ac Sacerdotium legis gratiæ. Decif. 32. num. 5 Illorum proprium eſt adulterare Scripturas. Decif. 35. num. 18. Neque ipſi, neque eorum filii ſunt ordinandi. Decil. 40. num. 7.

Hermaphroditi an ſint capaces Ordinum? Decif. 40. num. 12.

Hierarchiæ cœleſti debet terreſtris conformari. Decif. 3. num. 4. & Decif. 11. num. 33.

S. Hieronymi auctoritas de impoſitione manuum in ordine Subdiaconatus. Decif. 29. num. 36. Ejus Verba, quod Epiſcopatus non ſit de Jure Divino, quomodo intelligenda? Decif. 35. à num. 13. & ſeqq In calore diſputationum utebatur hyperbolis, & Rhetoricis amplificationibus. ibid. num. 20

Hiſtoriæ Presbyterorum ordinatorum ſine eorum conſenſu. Decif. 32. num. 27.

Hominibus data eſt à Chriſto poteſtas Sacramentorum. Decif 13. num. 12.

Honores etiam de Jure Civili gradatim conferebantur. Decif. 4. num. 9.

Horis diſtinctis olim recitabatur totum Divinum Officium. Decif. 17. num. 26.

Horologia antiquorum qualia eſſent? Decif. 17. num. 27. Hydraulica quæ? & à quo inventa? ibid. num. 28.

Hoſii Cardinalis opinio de Unctione manuum Presbyterorum in eorum ordinatione. Decif. 32. num. 45.

Hoſtia ſtans in Patena an ſit tangenda ab ordinando Presbytero. Decif. 33. num. 14.

Hoſtia conſecrata olim dabatur noviter ordinatis Presbyteris, ut eam conſumerent ſpatio 40. dierum. Et ob quale myſterium? Decif. 34. num. 8. & 9.

Hugonis Menardi comprobatio de duplici materia in ordine Epiſcopatus. Decif. 36. num. 15.

Huſſitani hæretici negant poteſtatem Sacerdotalem. Deciſ. 32. num. 8.
Hyſterologia eſt figura narrans priùs quod contigit poſteriùs. Deciſ. 18. num. 25.

I

S. Jacobus Apoſtolus an fuerit ordinatus Epiſcopus Jeroſolymitanus à tribus Apoſtolis? Deciſ. 37. num. 10. vera opinio num. 15.
Idioma Latinum quinto ſæculo erat barbatum valdè. Deciſ. 17. num. 20.
S. Ignatius Martyr nominat Oſtiarios, Exorciſtas, & Acolythos. Deciſ. 18. num. 13.
S. Ignatii Loyolæ remedium pro ſcrupulis in recitatione Officii. Deciſ. 26. num. 31.
Ignorantia ordinati ab Epiſcopo notoriè cenſurato, non excuſat eum à ſuſpenſione. Deciſ. 12. num. 27. Confeſſariorum cauſat duo mala; & quæ? Deciſ. 39 num. 31.
Illiterati non ſunt ad Ordines admittendi. Deciſ. 40 num. 27.
Impedimenta Canonica 40. quæ obſtant, ne Ordines recipiantur. Et quæ ſint? Deciſ. 40. num. 31. & ſeqq.
Impotentia tùm phyſica, tùm moralis excuſant à recitatione Breviarii quænam ſit? Deciſ. 26. num 30 Caſus multi prædictæ impotentiæ relati num. 32.
Imprecationibus parentum ſæpè filii obſidentur à Diabolo. Deciſ. 19. num. 26.
Inconfeſſi in Paſchate quomodo ab Epiſcopo monendi? Deciſ. 39. num. 9.
Indulgentiæ quomodo, & quando concedantur ab Epiſcopo? Deciſ. 38. num. 8.
Indumentorum Epiſcopalium myſticæ ſignificationes. Deciſ. 36. num. 26.
Infantibus Græci tondent capillos in Baptiſmo. Deciſ. 10. num. 18. Hi an poſſint ordinibus tàm minoribus, quàm Sacris inſigniri? Deciſ. 40. num. 20.
Innocentius Papa VIII. utrùm conceſſerit Abbatibus Ciſtercienſibus Privilegium conferendi Ordines Sacros? Deciſ. 16. num 18. & ſeqq.
Inquiſitio exactiſſima facienda ab Epiſcopis circa vitam, & mores ordinandorum. Deciſ. 40. num. 23.
Intentio in ordinato revertendi ad ſæculum an ſit peccaminoſa? Deciſ. 40. num. 28.
S. Joannis Baptiſtæ ſanguis liqueſcens in ampulla, dum coram illo celebratur Miſſa in Eccleſia Monialium Eremitarum Neapoli. Deciſ. 5. num. 22.
S. Joannis Damaſceni teſtimonium de numero Ordinum apud Græcos. Deciſ. 18. num. 8.
Joannis Papæ VIII. indignatio contra Formoſum Prædeceſſorem ſuum. Deciſ. 12. num. 29. cur fuerit vocatus Papiſſa? ibid. num. 30. & Deciſ. 40. num. 10.
B. Jordani Generalis Ordinis Prædicatorum dictum, de neque leviter tangendis mulieribus. Deciſ. 8. num. 18.
Joſeph Hebræus cur vocatus Nazaræus? Deciſ. 10. num. 5.
S. Irenæus Martyr cur Romam venerit? Deciſ. 2. num. 12.
Irregulares fiunt ordinati ab Epiſcopis Schiſmaticis, ſi celebrent. Deciſ. 12. num. 14. Et qui non habentes Subdiaconatum cantant Epiſtolam cum Manipulo. Deciſ. 22. num. 19.
Irregularis fit Epiſcopus, ſi cenſuris irretitus populum benedicat per viam. Deciſ. 38. num 7.
Iſamberti opinio circa Materias conſecrationis Epiſcopalis. Deciſ. 36. num. 22.
Iſchira, & Collutus quinam fuerint? Deciſ. 32 num 53.
S. Iſidorus quo tempore factus ſit Epiſcopus Hiſpalenſis? Deciſ. 14. num. 26.
Itinerantes non excuſantur à recitatione Breviarii. Deciſ. 26. num. 15.
Judas Iſcariotes an fuerit ordinatus Sacerdos? Deciſ. 32. num. 20.
Judicia Dei imperſcrutabilia circa Energumenos. Deciſ. 19. num. 27.
Juriſdictio eſt neceſſaria Sacerdoti, ut abſolvat à peccatis. Deciſ. 34. num. 20.
Juriſdictio Epiſcopalis alia pro foro interno, alia pro externo. Deciſ. 38. num. 26 31. & 34.
Jus Canonicum oſtendit exiſtentiam Ordinum minorum, & majorum. Deciſ. 1. num. 6.
Juſtinianus Imperator nihil loquitur de Oſtiariis, Exorciſtis, & Acolythis. Deciſ. 18. num 11.
Juſtitia ut genus eſt Virtus Cardinalis habens ſub ſe varias ſpecies aliarum virtutum. Et quæ? Deciſ. 6. num. 31.

Laicus

L

LAicus an poſſit conſecrari Epiſcopus? Decif. 4. num. 4.
Laici olim conferebant ſibi, & aliis Primam Tonſuram. Decif. 16. num. 9.
Laicorum adhæſio Altari, dum celebratur Miſſa, abuſus tollendus. Decif. 17. num. 33.
Laodicena Synodus nominat Oſtiarios, Exorciſtas, & Acolythos. Decif. 18. num. 14.
Latina Eccleſia cur permittat Ordinationes Græcas ſine traditione Materiæ? Decif. 7. num. 30.
Lauretana Domus quando ab Angelis ſit ex Oriente tranſportata? Decif. 13. numer. 4.
Lectoratus Ordinis quæ ſit Materia, & Forma in Eccleſia Latina? Decif. 18. num. 20. ac num. 39. Quæ in Eccleſia Græca? num. 40. Hujus Ordinis officia quatuor. num. 42. & ſeqq. Huic annexos eſſe Oſtiariatum, & Acolythatum Græci ajunt. num. 50.
Lectores an poſſint prædicare? Decif. 18. num. 43. Cur aliquando nominati Cantores, ac Notarii? num. 46.
Lectorum Sanctorum Hiſtoriæ. Decif. 18. num. 44. & 47. Olim erat gradus conſpicuus. Decif. 4. num. 23.
Leonis Papæ Noni nominatio ſeptem Ordinum. Decif. 11. num. 4.
Levitarum Hebræorum alii erant Cantores, alii Judices, alii Oſtiarii. Decif. 17. num. 2.
Lex nova eſt intelligenda juxta interpretationem legis antiquæ. Decif. 4. num. 31. Poſterior derogat priori. Decif. 12. num. 22.
Liberalitas Parochi in pauperes facit eum laudabilem. Decif. 39. num. 11.
Libri de reverentia Eccleſiarum ab Eccleſiaſticis legendi. Decif. 17. num. 37.
Libri Sacri alii ſunt Protocanonici, alii Deuterocanonici. Decif. 18. num. 21.
Libri antiquorum erant convolvibiles ad cylindrum. Decif. 18. num. 23. Cur dicebantur ſcripti intus, & foris? num. 24. Alii Reales, alii Metaphorici. num. 27. Hi quinam eſſent? Et quis Liber Vitæ? num. 29. & 31. Et qui Liber Judicii, & Liber mortis? num. 32. atque 36.
Libri Sacri an omnes ſint Materia Ordinis Lectoratus? Decif. 18. num. 37. & 38.
Libri ſeptem, quibus ſtudebat Card. Gregorius Barbadicus Epiſcopus Patavinus pro bono regimine Diœceſis. Decif. 39. per totam.
Litteratis Clericis dandi ſunt Ordines, ac beneficia. Decif. 39. n. 30.
Locutio Angelorum cum hominibus multiplex. Et quæ. Decif. 13. num. 20.
Lotio manuum celebrantis; ac etiam Corporalium neceſſaria ſub pœna peccati. Decif. 22. num. 11.
Lucernæ in Candelabro Moſayco quæ, & quales eſſent? Decif. 20. num. 8. & 9.
Ludificatio videtur dare minores Ordines ei, qui non eſt miniſtraturus in ipſis. Decif. 4. num. 14.
S. Ludgeri recitantis officium devotio. Decif. 26. num. 14.
Lumina cur portentur ab Acolythis? Decif. 20. num. 21.
Lutheri error, quod omnes baptizati ſint Sacerdotes. Decif. 1. num. 18. Negabat in Epiſcopis eſſe poteſtatem conferendi Ordines. Decif. 12. num 3. Ajebat non ſolum Angelos, ſed etiam diabolum poſſe miniſtrare Sacramenta. Decif. 13. num. 18. Ejus abſentis mors manifeſtata ab Energumenis. Decif. 19. num. 18. Ejus Uxor Monialis oſculabatur à ſuis diſcipulis. Decif. 27. num. 58. Dicebat, Eccleſias non poſſe poſſidere bona temporalia. Decif. 28. num. 5. Ac Sacerdotes conſecrare, aut abſolvere non poſſe. Decif. 32. num. 9.

M

MAnipulus an ſit Materia Subdiaconatus? Decif. 22. num. 18. Olim quid eſſet? Et qualis uſus ejus in Miſſa? ibid. num. 20.
Manipulos duos adhibent Græci in Miſſa. Decif. 23. num. 20.
Manus hominis cæteris ſenſibus præcellunt. Earum laudes. Decif. 8. num. 10. 11. & 12.
Manu cooperta velo, vel cotta, an ſufficiat tangere materiam Ordinum in ordinatione. Decif. 9. num. 10.
Manuum impoſitio apud Apoſtolos quid eſſet? Decif. 2. num. 16. & Decif. 7. num. 23. An facienda in Ordinatione Subdiaconi? Decif. 23. num. 5. & 6.
An ſit

An ſit materia Diaconatus? Deciſ. 29. num. 6. Quot ſunt genera impoſitionis manuum? Deciſ. 31 num. 29. Eſt materia partialis Ordinis Presbyteratus. Deciſ. 32. num. 37. & 40.
Maphorium eſt Velum Sacrum Monialium. Deciſ. 23. num. 26.
Marcus Antonius Cardinalis Barbadicus fuit Canonicus Patavinus Anno 1673. Deciſ. 4. num. 22.
Margaritæ Dominæ Vita mirabilis impreſſa Anno 1704. Deciſ. 19. num. 4.
Marinus Papa reſtituit Formoſum ad ſuum Epiſcopatum. Deciſ. 12. num. 35.
Maronitarum Flabella, & eorum uſu in Miſſa. Deciſ. 30. num. 40.
Marſilii Paduani hæretici error, & odium contra bona temporalia Eccleſiarum. Deciſ. 28. num. 3.
S. Marthæ Virginis vita Monaſtica. Deciſ. 31. num. 3.
S. Martina V. & M. Romana fuit Diaconiſſa. Deciſ. 31. num. 19.
S. Martini Epiſc. charitas erga obſeſſos. Deciſ. 19. num 39.
Martinus Fornarius tres Materias ponit in conſecratione Epiſcopi; & quæ ſint? Deciſ. 36. num. 21.
Martyrum geſta colligere Romæ olim ſpectabat ad Subdiaconos. Deciſ. 24. num. 3.
Martyrii ſpecies eſt onus examinandi Confeſſarios. Deciſ. 39. num. 16.
Maſtrii doctrina circa Materiam, & Formam Diaconatus. Deciſ. 29. num. 31.
Materia, ac Forma Ordinum. Quæ? Deciſ. 5. num. 14. Variabilis eſt à Chriſto inſtituta. Deciſ. 6. num. 6. quia ab eo fuit in genere deſignata. ibi num. 36. & Deciſ. 7. num. 27. & Deciſ. 22. n. 28. Alia eſt remota, alia proxima. d. Deciſ. 7. num. 3. Ejus congruentia in ordinibus. ibid. num. 19 & 20. An poſſit mutari ab Eccleſia? num. 34. Quænam ſit in Sacramento Matrimonii? Deciſ. 8. num. 25.
Materia Ordinum. An tota ſit tangenda? Et utraque manu? Et quo tempore? Deciſ. 9. num. 11. & ſeqq.
Materia, & Forma Oſtiariatus quænam ſit? Deciſ. 17. num. 17. Quæ Lectoratus? Deciſ. 18. num. 37. Quæ Exorciſtatus? Deciſ. 19. num. 33. Quæ Acolythatus? Deciſ. 20. num. 17. Quæ Subdiaconatus? Deciſ. 22. num. 1. & ſeqq. Quæ Diaconatus? Deciſ. 29. num. 5. cum ſeqq. Quæ Presbyteratus? Deciſ. 22. num. 13. Et Quæ Conſecrationis Epiſcopalis? Deciſ. 36. à num. 3. & ſeqq.
Materiæ, ac Formæ Ordinum cur non fuerint ſcriptæ in principio Eccleſiæ? Deciſ. 32. num. 41. Sunt applicandæ ab ordinante proferente formam. Deciſ. 35. num. 17. In eis non requiritur ſimultas Mathematica, ſed Moralis. ibid. num. 20.
Matrimonium nunquam fuit prohibitum ordinatis in minoribus. Deciſ 27. num. 2. Sed utique ordinatis in Sacris; ſed in illis facit vacare beneficia. ibid. n. 3. & 4. Ejus prohibitio, ſi ſint in ſacris, venit ab Apoſtolis. ibid. num. 23.
Matronæ multæ docent Doctrinam Chriſtianam puellas Venetiis, ac Patavii. Deciſ. 31. num. 47.
S. Maurilii Epiſcopi Hiſtoria, qui ſe hortulanum fecit. Deciſ. 34. num. 13.
S. Maurus Abbas contentus fuit ordine Diaconatus. Deciſ. 30. num. 23.
Mediolani adhuc extat quædam ſpecies Diaconiſſarum. Deciſ. 31. num. 48.
Mel cur erat prohibitum in Sacrificiis Hebræorum? Deciſ. 29. num. 15.
Melancholia, & Aſtrorum influxus quos effectus poſſint in hominibus operari? Deciſ. 19. num. 8.
Melchiadis Imperatoris obſequium erga Eccleſiaſticos. Deciſ. 5. num. 8.
Menſæ, ſeu Tabulæ ligneæ, ſuper qua Chriſtus inſtituit Euchariſtiam, deſcriptio, ac conſervatio. Deciſ. 30. numer. 17.
Menſæ tempore Apoſtolorum duplices, aliæ Sacræ; aliæ profanæ. d. Deciſ. 30. num. 31.
Metaphraſtes nominat unum minorem ordinem, & tres Sacros. Deciſ. 18. n. 9.
Metropolitanus olim conſecrabatur ab omnibus Epiſcopis ſuæ Provinciæ. Deciſ. 37. num. 2.
Metus gravis eximit à recitatione Breviarii. Deciſ. 26. num. 35.
S. Michael Archangelus conſecravit Eccleſiam in monte Gargano. Deciſ. 13. num. 23.
Militibus debita ſunt eorum ſtipendia. Deciſ. 28. num. 6.
Miniſter Primæ Tonſuræ, ac aliorum Ordinum jure ordinario eſt Epiſcopus. Deciſ. 12.

Digitized by Google

Deciſ. 12. num. 1. & 2. Quia talis eſt inſtitutus à Chriſto. Deciſ. 14. n. 11. Ex Privilegio an poſſit eſſe, qui non eſt Sacerdos? Deciſ. 16. num. 1. & 11.
Miniſtros idoneos ſi Epiſcopi non eligant pro ſuo foro exercendo, peccant mortaliter. Deciſ. 38. num. 32. Eorum ignorantia, & inſcitia aggravat animam Epiſcopi. Deciſ. 39. num. 32.
Minores ordines an ſint dandi iis, qui illos nollunt exercere. Deciſ. 4. num. 13. & ſeqq. Omnes quatuor erant etiam in primitiva Eccleſia. Deciſ. 6. num. 42. An poſſint conferri extra Miſſam? Deciſ. 20. num. 24.
Miſſa an celebrari poſſit cum ſola ſpecie Panis; & ſine Vino? Deciſ. 33. n. 4. & 9.
Miſſa olim à pluribus Sacerdotibus ſimul eadem celebrabatur. Deciſ. 34. num. 3. Nunc Presbyteri, ac Epiſcopi in eorum conſecratione ſimul concelebrant. ibid. num. 4.
Miſſa eſt celebranda frequenter ob rationes undecim. Deciſ. 34. num. 11.
Miſſionarii officium inter infideles nemo poteſt aſſumere ſine licentia Papæ. Deciſ. 34. num. 27.
Monachi qua forma portent Tonſuram? Deciſ. 10. num. 21. & 25. Caſinenſes prædicarunt Fidem in Anglia Anno 596. Deciſ. 29. num. 12.
Monaſteria ab Angelis cuſtodiuntur. Deciſ. 13. num. 10
Monialium antiquiſſima reſciſſio capillorum. Deciſ. 10. num. 22.
Monialis à Diabolo ſcientiis imbuta; & à B. Joanne à Cruce liberata. Deciſ. 19. num. 20.
Moniales an ſint obligatæ recitare quotidiè Divinum officium? Deciſ 25. n. 41. & 43. Earum clauſura ab Epiſcopis cuſtodienda, etiam ſi ſint exemptæ. Deciſ. 38. num. 18 & 20.
Mores Clericorum diligenter ab Epiſcopis ſunt indagandi. Deciſ. 38. num. 24. & Deciſ. 40. num. 22.
Morinus quomodo excuſet Græcos ab omiſſione trium minorum Ordinum? Deciſ. 18. num. 18. Equivocat circa tempora Ritualium antiquorum. Deciſ. 32. num. 35. Quid ſentiat de Materia, ac Forma Presbyteratus? ibid. num. 60.
Mortis in articulo quilibet Sacerdos abſolvit à peccatis, etiam reſervatis. Deciſ. 34. num. 21.
Moyſes cur aſperſit ſanguine Librum legis? Deciſ. 18. num. 28.
Mulierum manus non tangendæ. Deciſ. 8. num. 16. Deo dedicatarum olim genera quatuor. Deciſ. 31. num. 1. Non ſunt capaces ordinum. ibid. n. 30. & 38. In Eccleſiis debent ſtare ſeparatæ à viris. num. 36. Olim dum adultæ baptizarentur à Diaconiſſis ſpoliabantur, & veſtiebantur. ibid. num. 39.
Myſteria tria in Tonſura Clericorum. Deciſ. 10. num. 3.
Myſteria Fidei fundantur in Scriptura Sacra; ac in traditione Apoſtolica. Deciſ. 21. num. 16.

## N

Navibus cur imponatur nomen Sanctorum? Deciſ. 13. num. 2.
Nathinæi in Lege Moſayca figurabant Subdiaconos. Deciſ. 21. num. 4.
Nazaræi quale votum faciebant? Deciſ. 10. num. 4 His clerici ſunt ſimiles. num. 6. S. Paulus Apoſtolus eorum votum fecerat. num. 7.
Nazarææ mulieres an eſſent? d. Deciſ. 10. num. 9.
Nicetæ Scriptoris antiqui teſtimonium de numero Ordinum. Deciſ. 18. num. 5.
S. Niceti Epiſcopi rigor circa ſenſum Tactus. Deciſ. 8. num. 19.
S. Nicetius natus cum clericali Tonſura. Deciſ. 10 num. 14.
Nicolaitarum Hæreſis erat, quotidiè luxuriæ vacandum. Deciſ. 27. num. 19.
Nicolaus primus Diaconus Uxoris ſuæ uſum volebat. d. Deciſ. 27. num. 6. & 19.
Nicolaus Comes de Fraſcatis Nobilis Patavinus laudatus. Deciſ. 39. num. 26.
Nocturnu n, impoſitum per Epiſcopos recitandum ab ordinatis, an ſit de Præcepto? Deciſ. 26. num. 39.
Nomen JESU energumeni abhorrent. Deciſ. 19 nuum. 23.
Nomina Epiſcoporum, ac Presbyterorum erant inter eos olim communia. Deciſ. 35. num. 21.
Nonantulæ, ac Vangadiciæ Abbates dant Dimiſſorias ad Ordines ſubditis ſuis etiam ſæcularibus. Deciſ 15. num. 40.
Norvegis an fuerit conceſſum à Papa celebra-

Digitized by Google

lebrare Miſſam ſine Vino? Deciſ. 33. num. 5.
Notarii ſeptem deputati Romæ à S. Clemente Papa pro ſcribendis geſtis Martyrum. Deciſ. 24. num. 4.
Novitii an ab Abbatibus poſſint ordinari? Deciſ. 15. num. 18.
Numerus trium Epiſcoporum in conſecratione novi Epiſcopi, an ſit de Jure Divino, vel de præcepto Eccleſiæ? Deciſ. 37. num. 1. & num. 11. ac 12.
Nuncii Apoſtolici olim erant Subdiaconi; nunc omnes ſunt ordinati Epiſcopi. Deciſ. 24. num. 5 & 6.

O

Oblationes in Miſſa factæ à fidelibus uſque ad Annum MCC. Deciſ. 24. num. 9. Aliæ erant pro Sacrificio, aliæ pro Miniſtris. ibid. nu. 10 Adhuc fiunt in Gallia, ac Mediolani in Miſſis ſolemnibus. num. 12. Eas recipiebant Subdiaconi num. 11.
Octo, ac plures Epiſcopi olim alium conſecrabant. Deciſ. 37. num. 5.
Odoratus humani nobilitas, ac utilitas. Deciſ. 8. num. 6.
Œconomicarum Rerum liber, ac Congregatio ſub Card. Barbadico Epiſcopo Patavino. Deciſ. 36. num. 23.
*Offerri* pro *Offerre* an vitiet formam Presbyteratus? Deciſ. 33. num. 21.
Officia Oſtiariorum. Deciſ. 17. Lectorum. Deciſ. 18. Exorciſtarum. Deciſ. 19. Acolythorum. Deciſ. 20. Subdiaconorum. Deciſ. 24. Diaconorum. Deciſ. 30. Diaconiſſarum. Deciſ. 31. Presbyterorum. Deciſ. 34. Epiſcoporum. Deciſ. 38. in quibus omnibus omnia, quæ ad ſingulos ſpectant, recenſentur.
Officium Divinum olim cantabatur à Laicis unà cum Clericis. Deciſ. 11. n. 6.
Officium Divinum quid ſit? & qua voce recitandum. Deciſ. 25. à num. 2. & ſeqq. Obligatio ad illud an ſit de Jure Divino? num. 11. vel humano? num. 15. & 19. A quo inſtitutum, ac reformatum? num. 23. & 28. ac ſeqq. Ad illius recitationem quinam ſint obligati? num. 31. Quæ cauſæ excuſent ab illa? num. 35. Sub qua pœna ſit quotidiè recitandum? à num. 37. uſque in finem.
Olea Sancta, ac Euchariſtiam olim ſecum portabant Presbyteri; & cur? Deciſ. 34. num. 7.
Omnes Ordines an ſint Sacramenta? Deciſ. 6. num. 1. & ſeqq. ubi opiniones DD.
Omnis Chriſti actio debet eſſe noſtra inſtructio. Deciſ. 10. num. 29.
Omophorium quid ſit? Deciſ. 18. n. 41. & Deciſ. 23. num. 24.
Orare tenentur omnes fideles ex præcepto Divino, ac naturali. Deciſ. 25. num. 13.
Oratio Vocalis duplex, Publica, ac privata. d. Deciſ. 25. num. 3
Orarium quid ſit? & quomodo portetur à Diaconis Græcis? Deciſ. 23. num. 17.
Ordinare plura ſignificat. Deciſ. 1. num. 1. & ſeqq.
Ordinatio omnis in Eccleſia eſt à Chriſto. Deciſ. 1. num. 14 Ideò eſt Sacramentum. Deciſ. 2. num. 13. Per ſaltum eſt valida, ſed illicita. Deciſ. 4. num. 8. Si vera materia ommittatur, eſt omninò nulla. Deciſ. 36. num. 9. Diaconiſſarum erat Simplex benedictio. Deciſ. 31. num. 33. Significat aliquàndo collationem Dignitatum. Deciſ. 12. num. 34.
Ordinati abſque prima Tonſura an teneantur eam accipere? Deciſ. 3. n. 12. Ab Epiſcopo hæretico validè ſunt ordinati, ſed ſunt ſuſpenſi. num. 25. Abſque Confirmatione an peccaverint? Deciſ. 4. num. 27. Per ſaltum ſi miniſtrent, fiunt irregulares. num. 29.
Ordines ſemper fuerunt in Eccleſia tàm minores, quàm majores, etiam tempore Apoſtolorum. Deciſ. 1. per totam. Sunt verè Sacramentum. Deciſ. 2. De eorum numero quinque DD. opiniones. Canoniſtæ ajunt, eos eſſe novem, Scotiſtæ eſſe octo, Thomiſtæ eſſe ſeptem. Deciſ. 3. per tot. An recipiantur validè ſuperiores ordines, ſi inferiorum aliquis omittatur? Deciſ. 4. Et quis diſpenſet ſuper hac omiſſione. ibid. num. 33.
Ordinis definitiones tres. Deciſ. 5. à numer. 1. & ſeqq. in eo conferendo concurrunt quinque genera cauſarum; & Quæ? numer. 12. & ſeqq. An ſinguli ordines ſint Sacramentum? DD. diſſenſio. Deciſ. 6. per totam.
Non ſunt ſeptem Sacramenta diſtincti,

Digitized by Google

ctâ, ſed unum collectivè ibid. num. 18. Eorum Materiæ, ac Formæ ſunt inſtitutæ à Chriſto. Deciſ. 7. 1 num. 1. & ſeqq. Cur à Græcis conferantur ſine traditione Materiæ? ibid. num. 10. & ſeqq.

Ordinum quis ſit Miniſter? Deciſ. 12. n. 1. Alius ordinario Jure, alius ex Privilegio. num 2. Olim, quis eſſet ordinarius pro ordinibus conferendis? num. 41. Hodie ſervanda Conſtitutio Innocentii Papæ XII. de Anno 1694. ibid. num 45. Angeli, aut Beati an poſſint ordines conferre? Deciſ. 13. An ſimplices Presbyteri ex commiſſione Papæ? Deciſ. 14. à num. 1. & ſeqq.

Ordinum minorum collatio quo jure ſpectet ad Abbates? Deciſ. 15. num. 11. quibus perſonis poſſint eos conferre? ibid. num. 15. An Novitiis ſuorum Monaſteriorum? num. 18. An exteris venientibus cum dimiſſoriis ſuorum Ordinariorum? num. 19. & num. 23. & 29. An validè ordinent alienos? num. 32. An finito officio poſſint ordines dare Monachis ejuſdem Monaſterii? num. 35. An dent dimiſſorias ſubditis ſuis tàm Regularibus, quàm ſæcularibus? num. à num. 36. & ſeqq.

Ordinum minorum collatio an poſſit à Papa demandari clericis non Presbyteris? Deciſ. 16. num. 1. & ſeqq. An Presbyteris, ut conferant tres majores? ibid. num. 12. & num. 33.

Ordinum ſubjectum eſt Vir Chriſtianus. Deciſ. 40. in princ. Fœmina, ac Infantes an ſint capaces ordinum? ibid n. 3. & num. 20.

Ordinum effectus duo, Gratia, & Character. Deciſ. 40. num. 39.

Organi vox tremula cur ſonetur in Miſſa ad elevationem Hoſtiæ? Deciſ. 30. num. 41.

Orientalis Eccleſia ſola manuum impoſitione ordinat Diaconos. Deciſ. 29. n. 19.

Oſtii Eccleſiæ tactus in ordinatione Oſtiariorum erat in uſu Anno 900. Deciſ. 17. num. 29.

P

PAllium Epiſcopale Græcorum in quo differat ab illo Latinorum. Deciſ. 23. num. 22. Metropolitanorum deſcriptio. num. 23.

Pallium Epiſcopale quid ſignificet? Deciſ. 23. num. 25.

Papa reſpondens è Cathedra errare non poteſt. Deciſ. 7. num. 17. Excommunicari, vel cenſuris affici non poteſt. Deciſ. 12. num. 36. Redargui non poteſt, niſi de hæreſi, aut de Simonia num 39. Delegare poteſt collationem Ordinum. Deciſ. 14. num. 15. 19. & 24. Non diſpenſat, ſed commutat officium Divinum. Deciſ. 25. num 20. Non diſpenſat contra Jus Divinum Deciſ. 27. num. 15. An poſſit committere ſimplici Presbytero, ut conſecret Epiſcopum? Deciſ. 37 num. 28. An ſi dicat alicui, Eſto Epiſcopus, ſit ordinatus? ibi numer. 29.

Papatus, Cardinalatus, Patriarchatus an ſint Ordines? Deciſ. 3. num. 34.

Paphnutii inſtanntia in Concilio Nicæno contra caſtitatem clericorum eſt fabuloſa. Deciſ. 27. num. 33.

Parochi olim habebant jus dandi primam Tonſuram. Deciſ. 14. num. 5. Quando poſſint cœnare, & omittere recitationem officii? Deciſ 26. num. 33. Habent Jus prædicandi in actu, alii Sacerdotes in potentia. Deciſ. 34. num. 38. Quæ ſint functiones ab ipſis tantùm faciendæ? ibid. num. 33.

Parvuli an poſſint validè ordinari? Deciſ. 8. num. 24.

Patavinæ Diœceſis Parochi ſunt plurimi Theologi, ac Canoniſtæ. Deciſ. 11. num. 1. Quot ſint beneficiati in ea? Deciſ. 15. num. 4.

Patena S. Petri Chryſologi in Eccleſia Imolenſi. Deciſ. 24. num. 27.

Patenam velo obvolutam cur teneat Subdiaconus in Miſſa ſolemni? Deciſ. 24. num 26. & 28. Et cur non in Miſſa Defunctorum? num. 29. Cum ea non eſt danda Pax populo; neque eſt ponenda ſub mento communicantium: ibid. num. 30.

*Pater noſter* olim ab aliquibus omittebatur in officio. Deciſ. 26. numer 12.

Patrimonia pro Sacris Ordinibus quæ, & qualia eſſe debeant. Deciſ 21. num. 15. & 24. An renunciari poſſint ſine licentia Epiſcopi? d. Deciſ. 28 num. 27.

S. Paulus Apoſtolus votum Nazaræorum fecit. Deciſ. 10 num. 7. Semper fuit caſtus, ac innuptus. Deciſ. 27. numero 10.

Pauli Samoſateni, & Zenobiæ Hiſtoria. Deciſ. 32. num. 6.

Paupertas non eſt Epiſcopis injuncta. Deciſ. 27. num. 20.

Pax in Miſſa dari non debet cum Patena. Deciſ. 24. num. 30.

Peccata electorum an ſint ab omnibus videnda in die Judicii? Deciſ. 18. num. 35. Populorum tenetur Epiſcopus corrigere. Deciſ. 38. num. 25.

Pelagius Papa I. conſecratus à duobus Epiſcopis tantùm. Deciſ. 37. num. 14.

Benſionarii non ordinati in Sacris tenentur quotidiè recitare officium parvum B. M. V. Deciſ. 25. num. 38.

Penſio poteſt ſervire pro titulo ad Sacros Ordines. Deciſ. 28. num. 19. An ab Epiſcopo imponi poſſit ſuper beneficiis? ibid. num. 20. A paucis promptè ſolvitur. num. 21.

S. Petrus Apoſtolus à gentilibus tonſus in contemptum Chriſti. Decil. 10. nu. 10. Anno 610. conſecravit Eccleſiam Londini. Deciſ. 13. num. 31. Ipſe fuit uxoratus, non etiam alii Apoſtoli. Deciſ. 27. num. 11. An ipſe ſolus fuerit conſecratus Epiſcopus à Chriſto? Deciſ. 35. num. 29.

Petrus Paludanus factus fuit Patriarcha Jeroſolymitanus Anno 1330. Deciſ. 22. num. 8.

Petrus Bogdanus Archiepiſcopus Scupiæ hoſpitatus in Epiſcopatu Paduæ Anno 1683. Ejus laudes. Deciſ. 37. num. 3.

*Phœbe*, de qua in *Epiſt. ad Rom.* 16. 1, quænam eſſet? Decıſ. 31. num. 16

Phelonium quid ſit? Et quid Omophorium? Deciſ. 18. num. 41.

Phenolion, ſeu Camiſion quid ſit? & quotuplex? Deciſ. 23 num. 15.

Philadelphienſis Metropolitæ atteſtatio de Uſu inſtrumentorum in ordinationibus apud Græcos. Deciſ. 7. num. 22.

S. Philemon Martyr baptizatus à Chriſto. Deciſ. 13. num 28.

S. Philemonis alterius Martyris jucundus eventus cum S. Apollonio Lectore. Deciſ. 18. num 44.

S. Philippus Nerius uſque ad ultimam diem vitæ ſuæ penſum Officii ſolvit. Deciſ. 26. num. 17.

Philoſophi plures negantes dari Energumenos. Deciſ. 19. num. 5.

Pictavii Civitas ubi ſit? & qualis ſit? Deciſ. 17. num. 19.

B. Pii V. Conſtitutio, ne egeni quærant eleemoſynas per Eccleſias. Deciſ. 27. num. 36. Alia de reſtitutione fructuum à beneficiatis non recitantibus Divinum officium. Deciſ. 25. num. 37.

S. Placidus Abbas ſolo Diaconatu fuit inſignitus. Deciſ. 30. num. 23.

Polluta Eccleſia polluitur etiam cœmeterium ei contiguum. Deciſ. 33. numero 18.

Pœnitentes publici cenſentur irregulares. Deciſ. 17. num. 39.

Pœnitentiæ Vox apud Græcos ſignificat reverentiam. Deciſ. 23. num. 28.

Pœnitentiæ Sacramentum ab Epiſcopis olim miniſtrabatur. Deciſ. 38. n. 27.

Pontificale Romanum nominat primam Tonſuram ordinem. Deciſ. 11. num. 27. Ejus Verba circa Ordinem Diaconatus. Deciſ. 29. num. 26. Habet vim legis. num. 27. & Deciſ. 37. num. 8.

Pontifices Romani non leguntur conqueſti de Græca trium Ordinum omiſſione. Deciſ. 18. num. 6.

Portæ Templi Salomonici quot eſſent? Deciſ. 17. num. 5.

Poteſtas Sacerdotalis negata ab Huſſitanis, atque Lutheranis. Deciſ. 32. num. 8.

Pſalmus *Exurgat Deus &c.* terribilis eſt contra dæmones. Deciſ. 19 num. 44.

Pſalmorum alternæ recitationis in Choro quis Auctor? Deciſ. 25. num. 24. Omnes olim memoriter à clericis retenti. Deciſ. 26. num. 11.

Præceptum Eccleſiæ de tangenda materia in ordinatione. Deciſ. 8. num. 21. Naturale res Sanctas Sanctè tractare. Deciſ. 24. num. 40.

Prædicare, ac docere eſt officium Epiſcoporum, ac Parochorum principale. Deciſ. 34. num. 35. & 36. An poſſint alii clerici? num. 39. An laici? numer. 40.

Prædicatio eſt præcipuum munus Epiſcopi. Deciſ. 36. num. 18. & Deciſ. 38. num. 11.

Prælati Regulares an diſpenſent Profeſſos non ordinatos ab officio? Deciſ. 25. num. 47.

Præpoſitus Roveretti degradatus à S. Carolo Borromeo. Deciſ. 2. num. 25.

Preſbyteratus ordinem eſſe Sacramentum eſt de fide. Deciſ. 6 num. 22. & Deciſ. 32. num. 12. De ejus Materia, & Forma opiniones quatuor. Et quæ? d. Deciſ. 32.


Digitized by Google

Decif. 32. à num. 13. & ſeqq. uſque in fine.
Presbyteris an poſſit committi collatio Ordinum minorum? Decif. 14. num. 1. & 13. Ac etiam majorum? Decif. 16. num. 17. Sub eorum nomine comprehenduntur etiam Diaconi, & Subdiaconi. Decif. 26. num. 4.
Presbyterorum nominis ſignificatio. Decif. 32. num. 1. & ſeqq. An ipſi in ſua ordinatione conſecrent Euchariſtiam unà cum Epiſcopo? ibid. num. 18. An inviti ordinari poſſint? num. 27. Eorum poteſtas duplex. Et quæ? n. 39. An poſſint aliis conferre Presbyteratum de commiſſione Papæ? num. 52. & Decif. 26. num. 33. An ſint benè ordinati, ſi tangant tantùm unam ex duabus ſpeciebus Panis, & Vini. Decif. 32. num. 7. Quid ſi omiſiſſent præcedentes Ordines? Decif. 4. num. 7.
Præſtimonia quid ſint? Et an ſerviant pro Titulo ad Ordines Sacros? Decif. 28. num. 23.
Prima Tonſura An ſit Ordo? & imprimat characterem? Decif. 3. num. 3. & 15. 17. ac 18. Nec non Decif. 11. per totam. Quis eam poſſit conferre? Decif. 13. Decif. 14. Decif. 15. & Decif. 16.
Primicerius S. Marci Venetiarum confert primam Tonſuram, & quatuor minores Ordines ex Privilegio Alexandri Papæ VIII. Decif. 14. num. 8. An poſſit ordinare exteros cum dimiſſoriis ſuorum Ordinariorum? Decif. 15. num. 34. Privilegium prædictum. ibid. num. 43.
Privilegia Caſinenſium Abbatum pro collatione Ordinum. Decif. 15. num. 12. Horum communicatio. num. 13. Primicerii S. Marci Venetiarum. num. 43. Pro collatione Ordinum majorum omnia ſunt à Concilio Tridentino revocata. Decif. 16. num. 32. Ea qui aſſerit habere, tenetur monſtrare. ibid. num. 29.
Profeſſi non ordinati in Sacris, ac Moniales an extra chorum teneantur officium recitare? Decif. 25. num. 43.
Profeſſio invalida an cenſeatur ratificata per ſuſceptionem Ordinis Sacri ad titulum paupertatis? Decif. 28. num. 35. & 36.
Prophetiæ donum etiam mulieribus datur. Decif. 40. num. 9.
Propoſitio damnata, in Sacramentis poſſe ſequi opinionem probabilem. Decif. 8. num. 35.
Pſalmodia quando cœperit in Eccleſia? Decif. 25. num. 21.
Puella, quæ obſeſſa nihil comedit per dies 82. Decif. 19. num. 20.
Pueri Græci dum Eccleſiæ offeruntur, attonduntur. Decif. 10. num. 19.
Pueri ab Anno 4. uſque ad 16. diſcere debent Doctrinam Chriſtianam à Parochis. Decif. 39. num. 7.
Purificationem in Miſſa ſolemni celebrans recipit à Subdiacono. Decif. 22. numero 12.
Purificatoria tangere eſt illicitum. Decif. 24. num. 22.

Q

Qualitates eorum, qui ſunt admittendi ad Ordines. Decif. 40. num. 1. & ſeqq.
Quæſtio ardua, de differentia Eccleſiæ Latinæ, ac Græcæ in ſacris Ordinationibus. Decif. 7. num. 14.
Quiniſextæ Synodi Trullanæ decretum pro uſu Uxorum, conceſſo Græcis etiam Ordines Sacros ſuſcipientibus de Anno 692. Decif. 27. num. 49. Eadem Synodus non fuit Œcumenica, ſed erratica. ibid. num. 50. Ejus canones non fuerunt approbati ab Apoſtolica Sede, imò ab ipſa rejecti, & à tribus Patriarchis Orientalibus. num. 52.
Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur. Decif. 33. num. 26.

R

Rationis congruitas probat exiſtentiam majorum, & minorum Ordinum in Eccleſia. Decif. 1. num. 7.
Regulares an teneantur noctu ſurgere ad Matutinum? Decif. 25. num. 42. Ordinantur ad Ordines Sacros ad titulum Paupertatis. Decif. 28. num. 32. An ſcientes profeſſionem ſuam eſſe nullam, & ſic Ordinem ſacrum ſuſcipientes ſint ſuſpenſi à Divinis? ibid. num. 33. & 34.
Regulares quando poſſint ſæcularibus dare Extremam Unctionem? Decif. 34. num. 34. Pro confeſſionibus Laicorum audiendis ſunt per Epiſcopos approbandi

bandi. Deciſ. 38. num. 29. Et pro ordinibus ſuſcipiendis; in eis tamen non exigitur tanta ſcientia. Deciſ. 40. num. 26. Subiiciuntur Epiſcopo in caſibus 47. Deciſ. 38. num. 30. ubi remiſſive.
Relatio Menſtrua Doctrinæ Chriſtianæ, quam faciebant omnes Parochi Card. Barbadico Epiſcopo Patavino. Deciſ. 39. num 13. & 14.
Religioſi Profeſſi utriuſque ſexus obligati ſunt quotidie recitare Breviarium. Deciſ. 25. num. 40.
Reliquiæ Sanctorum potentes ſunt ad expellendum Diabolum. Deciſ. 19. num. 45.
Remediis naturalibus an Dæmones expelli poſſint è corporibus humanis? Deciſ 19 num. 28. ubi exempla.
S. Remigius dum conſecraretur Epiſcopus radio cœleſti fuit tactus. Deciſ. 5. num. 20.
Requiſita tria in Epiſcopo, ut validè, ac licitè ordinet clericos. Deciſ. 12. num. 9.
Rerum Œconomicarum Epiſcopatus Paduæ Liber, ac Congregatio ſub Card. Barbadico Epiſcopo. Deciſ. 39. numer. 23.
Reſidere debeat Epiſcopi in ſua Diæceſi. Deciſ. 38. num 12.
Reſponſa Conf. ſſariorum omnium obſervata, ac notata ſub Card. Barbadico Epiſcopo Patavino. Deciſ. 39. num. 20.
Reſtitutio fructuum ob omiſſionem officii obligat in conſcientia. Deciſ. 29. num 39. Quomodo fit facienda? Deciſ. 26. num. 38.
Ritualia antiqua Græcorum continebant ordines minores. Deciſ. 3. num. 44. In eis non habetur materia in collatione Ordinum. Deciſ. 7. num. 12. Latinorum antiquiſſima habent ipſam Materiam. Deciſ. 17. num. 18. Quæ ponant Materiam Presbyteratus, & quæ non? Deciſ. 32. à num. 31. & ſeqq. Circa eorum tempora probabilis æquivocatio Morini. ibid. num. 35.
Rodradi ſcriptoris antiqui Vita. Deciſ. 17. num. 22. & ſeqq.
Romana Eccleſia eſt cuſtos Apoſtolicarum Traditionum. Deciſ. 2. num. 10.
Romani Gentiles aſcendebant per gradus ad honores Reipublicæ. Deciſ. 4. n. 10. Cur dicti PP. conſcripti. Deciſ. 18. n. 30.
Romani Pontificis infallibilitas in rebus Fidei, ac in Sacramentis. Deciſ. 12. num. 32. Ab eo tenetur Romæ Epiſcopus Græcus, qui ordinet Ritu Græco. Deciſ. 7. num. 25.
Rotæ Romanæ opinio, An Tonſura ſit Ordo? Deciſ. 11. num. 36. Ejuſdem, An Abbates poſſint ordinare clericos non ſibi ſubditos venientes cum Dimiſſoriis ſuorum Epiſcoporum? Deciſ. 15. num. 27.

S

SAcellum cum Imagine Deiparæ ab Angelis aliò delatum. Deciſ. 13. num. 5. Aliud conſecratum à Chriſto. ibid. num. 30.
Sacerdos qui non eſt, conſecrari non poteſt Epiſcopus. Deciſ. 3. num. 33. & Deciſ. 4. num. 3.
Sacerdotis Dignitas, & Excellentia. Deciſ. 8. num. 13. Myſticè tales appellantur omnes Chriſtiani. Deciſ. 1. num. 17.
Sacerdotium verè eſt Sacramentum. Deciſ. 6. num. 18. Fuit in omni Lege. Deciſ. 32. num 10. in Lege gratiæ eſt à Chriſto inſtitutum. ibid. num. 11.
Sacerdotum obligatio ſæpè celebrandi. Deciſ. 34. à num. 10. & ſeqq. An eis liceat ſtatum laicalem ſumere? n. 12. Quando ſub mortali teneantur celebrare? num. 14. & ſeqq. Eorum poteſtas duplex conſecrare, & abſolvere à peccatis num. 19. Excommunicati ſi ſint, non poſſunt abſolvere niſi in articulo mortis. ibid. num. 22.
Sacramentum Eccleſiæ eſt ordinatio Clericorum. Deciſ. 2. num. 13. Cur ipſa non dividatur in ſeptem Sacramenta? Deciſ. 6. num. 28. Conſideratur in genere, & in ſpecie. ibid. num. 30.
Sacramenta omnia à Chriſto inſtituta, & cur? Deciſ. 7. num. 7. Ordinis confertur in tactu Phyſico materiæ. Deciſ. 8. num. 30.
Sacraria duo apud antiquos. Et quæ? Deciſ. 21. num. 31.
Sagium Urbs Galliæ Celticæ. Deciſ. 9. num. 17. & Deciſ. 33. num. 18.
Salomonis Miniſtrorum gradus plurimi. Deciſ. 1. num. 8
Sanctorum Corpora plurima requieſcentia in Eccleſiis S. Georgii Majoris Venetiarum,

Digitized by Google

rum, S. Juſtinæ de Padua, SS. Nazarii, & Celſi de Verona, & S. Felicis de Vicentia Congregationis Caſinenſis, vide *in Epiſt. Dedicatoria* hujus Operis.

Sanctorum Reliquiæ potentes ſunt ad expellendum diabolum. Deciſ.19. nu. 45.

Sapientiam Chriſti offendit, qui negat, omnes ordines eſſe ab eo inſtitutos. Deciſ.21. num.22.

Saracenorum tyrannis in Chriſtianos Sæculo quinto, & ſexto. Deciſ.14. nu.30.

Scientia quæ, & quanta requiratur in ordinandis? Deciſ.40. num 24.

Schiſma quid ſignificet? Deciſ. 12. nu.11.

Schiſmatici quinam dicantur? Deciſ. 12. num 12. Hi omnes ſunt Excommunicati. num.13.

Schiſmatici Epiſcopi an validè ordinent? Deciſ.12. num.10.

Scotiſtæ docent contra Thomiſtas Epiſcopatum eſſe verum Ordinem. Deciſ. 3. num.21. Quomodo concordentur ſimul? num.31.

Scriptores antiqui non omnia à Sanctis geſta narrarunt. Deciſ.4. num.18.

Scriptura ſine die, & Anno; ac ſine nomine Auctoris, nihil probat. Deciſ.32. num.55.

Scrupuloſi in officii recitatione an ad eam obligandi? Remedium S. Ignatii Loyolæ. Deciſ 26. num.31.

Seminarii ad Titulum an quis poſſit in Sacris ordinari? Deciſ.28. num.28.

Seminarium Patavinum ſuos Alumnos promovet ad Sacros Ordines. Et cur? d. Deciſ 28. num.29.

Semipresbyter quis ſit? & an poſſit celebrare Miſſam? Deciſ.33. num.23.

Senſibilia formant Sacramentum. Deciſ. 13. num.15.

Senſuum quinque exteriorum hominis quis ſit dignior? Deciſ.8. num 2.

S. Sequanus fuit Tonſura inſignitus à ſimplici Presbytero. Deciſ.14. num. 4.

Septenarius Ordinum numerus apud SS. Patres reperitur nominatus. Deciſ. 3. num.39.

Siderius conſecratus Epiſcopus ab uno Epiſcopo tantùm. Deciſ. 37. num. 13.

Signa cœleſtia in electione SS. Pontificum Fabiani, Gregorii, ac Athanaſii. Deciſ.5.num 19.

Signum à Parochis in Communione Paſchali dandum, ac repetendum à communicatis. Deciſ.39. num. 6.

Simeonis Archiepiſcopi Theſſalonicenſis formula pro ordinandis Subdiaconis. Deciſ.23. num.30. Quo tempore vixerit, ac ſcripſerit? ibid. num. 31.

Simonia an ſit promovere aliquem ad Ordines ob lucrum temporale? Deciſ.5.nu.3.

Simoniaci incapaces Ordinum. Deciſ. 40. num.33. ubi pœnæ.

Simultas Mathematica materiæ, ac formæ non requiritur in Sacramentis, ſed Moralis. Deciſ. 33. num. 20.

Sollicitudo Ordinantium, ut ordinati tangant phyſicè materiam. Deciſ.8.nu.28.

Spirituum in obſeſſis dicta, ut plurimùm, fallacia. Deciſ.19. num.9.

S. Stephano Regi Hungariæ conceſſa fuit Juriſdictio Papalis. Deciſ.3.num.23.

Stephani Papæ VII. crudelitas, & odium in Formoſum Papam ejus Prædeceſſorem. Deciſ. 12. num.31. & ſeqq.

Sticharium quid ſit? Deciſ. 23. num.16.

Stola an ſit Materia Diaconatus? Deciſ.29. num. 40. An Diaconus ſine illa cantans Evangelium peccet? num 41. Dabatur Diaconiſſis in earum ordinatione. Deciſ.31. num.26.

Subdiaconatus Ordo exiſtebat in primitiva Eccleſia. Deciſ.21. à num. 6. & ſeqq. Fuit à Chriſto inſtitutus, & ideò eſt Sacramentum. ibid. num. 5. & 17. Et inter majores ordines collocatus. num. 26. & ſeqq. De ejus materia, ac forma opiniones quinque. Deciſ. 22. à num.1. & ſeqq. Quomodo à Græcis conferatur? Deciſ. 23. per totam.

Subdiaconorum Officia quæ, & quot ſint? Deciſ.24. per totam. An peccent mortaliter illa exercentes in mortali? ibid. nu.39. Eorumdem duæ præcipuæ obligationes, Recitatio quotidiana Divini Officii, & obſervatio caſtitatis. De prima in Deciſ.25. & Deciſ.26. ubi pluri-ma ſcitu digna. De ſecunda in Deciſ. 27. in qua plenè de eorum Voto caſtè vivendi; ac de Græcorum incontinentia. Quibus in caſibus Subdiaconi Latini non teneantur ſervare caſtitatem? d. Deciſ. 27. num.65.

Subdiaconi non ordinandi niſi habeant titulum ad honeſtè vivendum. Deciſ.28. num.1. Hic in Clericis Sæcularibus eſt triplex Beneficium, Penſio, ac Patrimonium. d. Deciſ.28. à num.2. & ſeqq. In Regularibus profeſſis eſt Paupertas religioſa. ibid. num.32.

Subro-

Subrogatum ſapit naturam ejus, in cujus locum eſt ſubrogatum. Deciſ. 22. num. 21.

Sumptum de ſumpto non probat. Deciſ. 16. num. 31.

Surdi à nativitate remanent ſemper muti? Deciſ. 8. num. 4.

Suſpenſio à Divinis contra ordinatos per ſaltum. Deciſ. 4. num. 25. & contra omittentes primam Tonſuram. ibid. num. 26.

Suſpenſus à collatione Ordinum an ſit Epiſcopus dans primam Tonſuram non ſubdito? Deciſ. 11. num. 16.

Synodi loquentes de obligatione recitandi Divinum Officium poſt ſuſceptum Ordinem ſacrum. Deciſ. 26. nu. 19 & 28.

Synodum annuatim celebrare Epiſcopi tenentur. Deciſ. 38. num. 17.

T

TAbernas intrare non debent ordinati. Deciſ. 11. num. 20.

Tactus an ſit dignus Laude? Deciſ. 8. nu. 9. Summoperè cuſtodiendus. num. 14. Duplex eſt Phyſicus, ac Moralis. num. 20. Quonam tangenda ſit materia in ordinibus? num. 22. num. 27. & 36.

Tactus materiæ an manu nuda ſit faciendus? Deciſ. 9 num. 1. Et quo tempore? num. 11.

Tangere ſolum Calicem, vel ſolam Patenam an ſufficiat in Presbyteratu? Deciſ. 32. num. 10. Quomodo hunc, & illum eodem tempore? num. 12. & 13. Utrùm tactu Phyſico? ibid. An ante, vel poſt prolatam ab Epiſcopo formam? num. 19.

Talenti unius, ac minæ quale eſſet pondus? Deciſ. 20. num. 6.

Templorum in primitiva Eccleſia partes tres. Deciſ. 23. num. 12.

Teſtibus duobus affirmantibus magis creditur, quàm mille negantibus. Deciſ. 32. num. 30.

S. Theodorus ordinatus primùm Lector, deindè in tribus ſacris. Deciſ. 18. num. 10.

Theologi Itali, & Galli docent, poſſe Eccleſiam mutare materias Ordinum. Deciſ. 32. num. 59.

Theoſebia Uxor S. Gregorii Niſſeni facta eſt Diaconiſſa. Deciſ. 31. num. 20.

S. Thomæ Apoſtoli annua apparitio, ac S. Euchariſtiæ diſtributio. Deciſ. 13. num. 52.

Thomiſtæ negant Epiſcopatum eſſe Ordinem de per ſe, ac diſtinctum à Presbyteratu. Deciſ. 3. num. 29 Quomodo concordentur cum Scotiſtis? ibid. num. 31. Itaut verum ſit aſſerere, ordines eſſe tantùm ſeptem? num. 35.

Tituli, ideſt Laudes, quibus Clerici à SS. Patribus decorantur. Deciſ. 5. nu. 12.

Tituli quatuor pro promovendis Clericis ſæcularibus ad Sacros Ordines. Deciſ. 28. per tot. Videlicèt Beneficium Eccleſiaſticum, Penſio, Patrimonium, & Profeſſio Religioſa. ibid. num. 13. Circa eos omnes quidquid diſputari poteſt, vide à num. 14. & ſeqq.

Toga eſt Veſtis Talaris dicta Himation, Nigra, & Manicata. Deciſ. 23. num. 14.

Tonſura Eccleſiaſtica quid ſit, & quot requirantur ad eam? Deciſ. 10. num. 1. & 2. Ejus Myſteria? num. 3. Antiquitas. num. 11. Quot ejus ſpecies? num. 17. Quæ forma in Clericis ſæcularibus, & quæ in Monachis? num. 25 & 26. An peccent mortaliter Clerici eam non deferentes? num. 27. & ſeq. Cur eam Græci non ſervent? num. 32.

Tonſura prima An ſit Ordo? Canoniſtæ affirmant, negant Theologi, utrorum argumenta. Deciſ. 11. à num. 2 & ſeqq. An habeat Materiam, & Formam? ibi num. 25. An omiſſa ab ordinato ſit per eum repetenda? num. 32. Ejus effectus. num. 34.

Tonſuratus non eſt amplius Laicus, & eſt capax Eccleſiaſticæ Jurisdictionis. Deciſ. 8. num. 13. Non Chriſmatus eſt malè Tonſuratus. Deciſ. 11. num. 31.

Traditio Apoſtolica quid ſit? Deciſ. 2. num. 8. Servanda eſt æquè, ac Scriptura ſacra. num. 9. Eccleſia Romana Traditionum Apoſtolicarum fidelis cuſtos. num. 10.

Traditio Apoſtolica eſt, omnes ordines eſſe à Chriſto inſtitutos. Deciſ. 6. num. 31.

Traditiones Apoſtolicæ tùm quoad Fidem, tùm quoad mores aliæ ſcriptæ, aliæ non ſcriptæ. Deciſ. 26. num. 25. De materia Presbyteratus qualis habeatur? Deciſ. 32. num. 57.

Tres ſaltem Epiſcopi debent alium conſecrare. Deciſ. 37. num. 7.

Tria ab Epiſcopis cavenda in Viſitatione Diœceſis. Et quæ? Deciſ. 38. num. 14.

Tridentinum Concilium noluit diffinire, An Tonſura ſit Ordo. Deciſ. 11. num. 37. Ejus

37. Ejus Decretum de Libris Canonicis. Deciſ.18 num.22.
P. Thyrſi Gonzales Soc. Jeſu opinio, quod Tactus phyſicus materiæ ſit in ordinibus de neceſſitate ad ordinis eſsentiam. Deciſ 8. num.38.

V

Valentiniani Imperatoris dictum circa electionem Epiſcopi. Deciſ. 5. num.7.
Vangadiciæ Abbas dat dimiſſorias etiam Clericis ſæcularibus ſibi ſubditis ad Ordines. Deciſ.15. num.40.
Variatio an licita de Epiſcopo ad Epiſcopum pro ordinibus ſuſcipiendis? Deciſ. 12. num.43.
Vaſa ſacra Subdiaconi tangunt. Deciſ.21. num.32.
Vaſa laica an ſint apta materia pro ordine Subdiaconatus? Deciſ.22. num.30.
S. Ubaldi Epiſcopi Chirotheca ubi aſservetur? Deciſ.9. num 6.
Vela ſex, quæ dabantur mulieribus, quæ ſe Deo dedicabant. Deciſ. num.5. Nempè Probationis, Profeſſionis, Conſecrationis, Prælationis, Converſionis, & Ordinationis. ibi num.6. & ſeqq. ubi de omnibus.
Veniales ob culpas aliquando diabolus intrat in hominem. Deciſ. 19. num.25.
Venus cur dicatur adulterata cum Marte? Deciſ. 27. num.8.
Veſtales Virgines Romanæ capillos ſibi reſcindebant. Deciſ 10. num. 23.
Veſtes Sacræ cur adhibeantur in Miſſa? Deciſ 22. num.14. An ſine illis celebrandum? num.15. Earum uſus introductus ab Apoſtolis num. 16. Quando cœperint Subdiaconi induere illas? num.17.
Veſtium Sacrarum, quibus Græci utuntur in miniſteriis Eccleſiæ, relatio, ac deſcriptio. Deciſ 23. à num.13. & ſeqq.
Vicario Epiſcopali non delegatur ordinatio Clericorum. Deciſ.3. num.28.
Victoria Theologus quid dicat de Privilegio Innocentii VIII. ad Abbates Ciſtercienſes? Deciſ.16. num.30.
Viduæ in initio Eccleſiæ dedicabant ſe Deo cum Voto caſtitatis? Deciſ.31.n.4.
Vinum conſecrare ſine mixtione aquæ non licet Deciſ 24. num.17.
Virgines Sanctimoniales cœperunt eſse tempore Apoſtolorum. Deciſ. 31. nu.2.
Virtutes Morales neceſſariæ in Epiſcopo Deciſ.38. num.10.
Viſio cœleſtis habita in Miſſa à S. Jo. Chryſoſtomo poſt conſecrationem. Deciſ. 5. num.18.
Viſitare Diœceſim quando teneantur Epiſcopi. Deciſ.38. num.13.
Viſus quàm utilis, ac neceſſarius in homine? Deciſ. 8. num. 5. Ejus ſenſus Laudes. ibid.
Ultramontani non ſunt ab Epiſcopis Italis ordinandi. Deciſ.40. num.37.
Unctio manuum aliquando facta Diaconis in eorum Ordinatione. Deciſ. 29. num. 43. Sacerdotum, dum ordinantur antiquiſſima. Deciſ.32. num. 42. & ſeqq. ubi An ſit materia eſſentialis Sacerdotalis Ordinis?
Unctionem Extremam miniſtrare ſpectat ad Sacerdotes. Deciſ.34. num. 31.
Ungere manus Epiſcoporū cum Chriſmate, dum conſecrantur, an ſpectet ad materiam conſecrationis eorum? Deciſ. 36. num 6. Græci talem manuum Unctionem non faciunt. ibid. num. 10.
Ungere manus, & caput Epiſcopi cum Chriſmate eſt materia partialis conſecrationis ipſius. d. Deciſ 36. num.16.
Voce tantùm Apoſtoli docuerunt, omnes Ordines eſſe à Chriſto inſtitutos; prout etiam fecerunt de aliis myſteriis. Deciſ. 2. num. 5. & 7.
Voces inconditæ, & ululatus ſigna ſunt Energumeniſmi. Deciſ. 19. num.21.
Vox *Pœnitentia* apud Græcos aliquando ſignificat *reverentiam*. Deciſ.23. nu.28.
Vox quanta eſſe debeat in recitatione Officii Divini? Deciſ. 25. num. 5.
Voluntas puellarum Deo dedicandarum ab Epiſcopo exploranda. Deciſ.38. num. 19.
Votum caſtitatis in Ordinibus Sacris eſt ſolemne, impediens, ac dirimens Matrimonium. Deciſ 27. num. 56.
Urbani Papæ II. dictum difficile circa Ordines. Deciſ.6. num.5. & 35.
Urceoli cum aqua, ac manutergii Traditio eſt materia Subdiaconatus. Deciſ 23. num.10.
Urſicini Presbyteri exemplum de caſtitate Clericali. Deciſ.27 num 44.
Uſus antiquiſſimus, ac primitivæ Eccleſiæ conferendi Ordines minores. Deciſ. 6. num.26.
Utilitates, quæ reſultant ex regiſtro Status Ani-

tus Animarum tùm apud Parochos, tùm apud Epiſcopos. Deciſ. 39. num. 27.

Wicleffi Hæretici error, quod eadem eſſet poteſtas Sacerdotum, ac Epiſcoporum. Deciſ. 16. num. 34. Item eſſe illicitum Eccleſiaſticis Viris poſſidere bona temporalia. Deciſ. 28. num. 4.

Uxores cur permiſſæ Militibus Imperialibus contra Turcas Anno 1684? Deciſ. 27. num. 9. Aliquando permiſtæ Subdiaconis, ac Diaconis, & cur? ibidem num. 16.

Uxores eos, qui aſcendebant ad Ordines Sacros, promittebant, & vovebant perpetuam caſtitatem. Deciſ. 31. num. 11.

Uxorem ſi ducat Clericus in minoribus an peccet? Deciſ. 40. num. 29.

Z

Zenobiæ, ac Pauli Samoſateni Hiſtoria. Deciſ. 32. num. 6.

Zizania hæreſum in medio tritici Evangelicæ doctrinæ cœpit eſſe in initio Eccleſiæ. Deciſ. 4. num. 24.

*F I N I S.*

# INDEX OPERUM

*Reverendiſſimi Domini*

## JO: PRÆPOSITI CLERICATI

Quæ hucuſque ſunt Typis impreſſa.

1 De Sacramentis in Genere, Sacramentalibus, Baptiſmo, Confirmatione, ac Extrema Unctione.
2 De Venerabili Euchariſtiæ Sacramento.
3 De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.
4 De Virtute, ac Sacramento Pœnitentiæ.
5 De Sacramento Ordinis.
6 De Sacramento Matrimonii ſub prælo.
7 Erotemata Eccleſiaſtica Editio ſecunda.
8 Deciſiones Miſcellaneæ, in quibus de Primis Decalogi Præceptis, de Contractibus, de Reſtitutione; ac de Caſibus Prudentialibus.
9 De Prima Mundi Ætate diſcurſus XVI. à creatione Mundi uſque ad Diluvium incluſivè.
10 Vigintiquatuor Veritates, ſivè Meditationes ex Libro P. Juliani Haynovii Soc. Jeſu collectæ.
11 Diſcordiæ Forenſes, Juriſdictionales, Canonicæ, Beneficiales, Civiles, ac Criminales. *Hæ nondum ſunt impreſſæ; ſed non multò poſthàc ſub prælo ibunt.*

9936423

Digitized by Google

Digitized by Google